7884

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

BIBLIOTHECA
SEMIN. DIOEC. CLERIC.
LABACI.

1/2 m I. II strn pag.

SLAVORUM LITTERAE THEOLOGICAE.

CONSPECTUS PERIODICUS.



DIRIGENTIBUS

Dr. JOS. TUMPACH, Dr. ANT. PODLAHA.

ANNUS I.

1905.

BIBLIOTHECA SEMIN. DIOEC. CLERIC. LABACI.

X 17

Dupl

BIBLIOTHECA SEMIN. DIOEC. CLERIC. LABACI.



PRAGAE BOHEMORUM 1905.

SUMPTIBUS PROPRIIS. TYPIS AEP. OFFICINAE TYPOGRAPHICAE.

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
MAY 30 1984
Toronto, Ontario

4747
KNJIŽNICA
TEOLOŠKE FAKULTETE
V LJUBLJANI
6478/1965

Epitome.

PROGRAMMA 1

BOHEMICA.

De liturgiae slavicae Pragae quondam in monasterio Emautino florentis monumento. Scripsit Dr. A. Podlaha 2
Dr. Josef Kachník: Dějiny filosofie. (Historia philosophiae.) . . 5
P. Vavřinec Wintera O. S. B.: Odboj Broumovských (Seditio Braunaviensium) 5
Prof. Dr. Václav Vondrák: O původu Kijevských listů a Pražských zlomků a o bohemismech v starších církevněslovanských památkách vůbec. (De origine fragmentorum Kijevensium atque Pragensium necnon de bohemismis in vetustioribus monumentis ecclesiastico-slavicis in genere.) Rec. Dr. A. Podlaha 6
Hlídka. Ref. A. P. 6, 107, 171
Časopis katolického duchovenstva Rec. Dr. Carolus Kašpar 7, 105
Vlasť. Ref A. P. 7, 171
Rádce duchovní 7
Nový Život 7
Museum, časopis bohoslovců československých. (Museum, libelli periodici Bohemorum iuvenum theologiae studiosorum.) Ref. A. Špaldák 8, 170
Věstník české Akademie císaře Františka Josefa 10
Dr. J. Tumpach et Dr. A. Podlaha: Vzdělavací knihovna katolická (Bibliotheca eruditionis catholicae) 41
Dědictví sv. Prokopa v Praze (Haereditas s. Procopii Pragae). Ref. Dr. J. Tumpach 45
Prof. Dr. Al. Musil: Od stvoření do potopy (A creatione ad diluvium). Rec. Dr. V. Zapletal. 50
Dr. Ant. Skočdopole: Učebná kniha bohosloví pastýřského. (Enchiridion theologiae pastoralis) 105
F. X. Grivec-Dr. A. Podlaha: Idea Cyrillo-Methodějská (Idea Cyrillo-Methodiana) 107
Staroslovanské povečerije (Completorium veteroslavicum) 107
Sborník historického kroužku (Collectanea societatis historicae) 107
Dr. J. V. Sedláček: Uvod do knih Starého Zákona (Introductio in libros Veteris Testamenti). Rec. Fr. Reindl 169
Dr. Pav. Vychodil: Apologie křesťanství. (Apologia religionis christianae.) Rec F. Žák 233
Zd. Bretšnajdr: Pryč od Říma a Husova církev. národní. (Signum illud ‚Separemur a Roma' et Hussii ecclesia nationalis.) Rec. F. Žák 236

Dr. Frant. Přikryl: SS. Cyrill a Method v upomínkách památek starožitných na Moravě. (SS. Cyrillus et Methodius in commemorationibus antiquorum monumentorum Moraviae.) Rec. Franc. Hruda 238

BOHEMO-SLOVACICA.

J. Škultéty: Slovenské Pohľady 51

BULGARICA.

Publicationes periodicae theologicae et ecclesiasticae. Ref. G. R. 51
Сърковен Вѣстник. Ref. G. R. 52, 171, 238
Hristo Tančev: Ekzarhijskij ustav. (Constitutio [instituta et leges] exarchalis) 238

CROATICA.

Lingua liturgica palaeoslavica in Croatia, Dalmatia et et insulis adiacentibus. — Academia palaeoslavica. Scripsit Jos. Vajs 10
Jos. Vajs: Recensio croatico glagolitici fragmenti Verbenicensis. Ref. A. P. 13
Jos. Vajs: Analecta sacrae scripturae ex antiquioribus codicibus glagoliticis. Liber Job. Ref. A. P. 13
Dr. Josip Pazman: Crkvene naredbe o zabrani i censuri knjiga ili tumačenje apostolske konstitucije „Officiorum ac munerum". (Praescripta eccles. de prohibitione ac censura librorum seu explicatio constit. apost. „Officiorum ac munerum".) Rec. Dr. Jos. Kratochvíl 13
Vrhbosna katoličkoj prosvjeti. Ref. Fr. Žundálek . . 15, 173
Dr. Jos. Stadler: Institutiones philosophiae lingua croatica exaratae 15
Dr. Jos. Stadler: Djela apostolska (Acta apostolorum) . 15
Dr. Ante Alfirević: Hrvatska Straža. Rec. K—ý (O) 53
O. Ivan Marković: Papino poglavarstvo u crkvi za prvih viekava (Primatus Romani pontificis primis octo saeculis). Rec. —ý . . 108
Dr. Ivan Marković: Slaveni i Pape (Slavi et Romani Pontifices). Rec. —ý. 108
Katolički List. Fr. H. Žundálek 172

LUSATICO-SORABICA.

Ref. Franc. Žundálek 54

POLONICA.

Dr. Jan Żukowski: O źródłach niewiary. (De infidelitatis fontibus) Rec. X. Dr. Fr. Gabryl 19
Podręczna encyklopedya kościelna. (Encyclopaedia ecclesiastica manualis.) 19
Steph. Zwolski: De bibliis polonicis usque ad saec. XVII. . . . 10
Dr. Ed. Likowski—Dr. Paul Jedzink: Die ruthenisch-römische Kirchenvereinigung genannt Union zu Brest 19
Przegląd powszechny. Ref. A. P. 19, 58, 111
Kwartalnik teologiczny 20

Przegląd kościelny 20, 58, 110
Wład. Abraham: Powstanie Organizacyi Kościoła Lacinskiego na Rusi (De origine organisationis ecclesiae latinae in Russia). Rec. G—j—(O) 56
Dr. Jul. Czarnecki: Medycina pastoralna (Medicina pastoralis) . 109
Wołyniak: Spis klasztvrów unickih Bazylianów w województwie wołyńskiem (Conspectus historicus monasteriorum basilianorum unitorum in Wolynia) 110
Swiat słowiański 110
Ks. Włodzimierz Piątkiewicz T. J.: Mistyczne ciało Chrystusa a charaktery sakramentalne (De characteribus sacramentalibus ratione habita corporis Christi mystici). Rec. A. P. et J. Urban 175, 248
Al. Syski: De autentia loci, qui in evangelio secundum s. Joannem inde a cap. VII. v. 53. usque ad cap. VIII. v. 11. legitur Rec. A P. 175
Dr. Józef Bilczewski: Eucharystya w świetle najdawniejszych pomników piśmiennych, ikonograficznych, epigraficznych. (Eucharistia in luce monumentorum litterariorum, iconographicorum, epigraphicorum.) Rec. J. Urban 246
Ks. Antoni Nowowiejski; Wykład liturgii Kóscioła Katolickiego. (Expositio liturgiae Ecclesiae Catholicae.) Rec. J. U. 249
Libri polonici recentiores 250

RUSSICA.

Ex Russorum litteris patristicis atque ss. Litteras spectantibus quaedam promuntur. Scripsit Fr. Grivec . . . 20
N. M. Sokolov: Russkie svjatye. Rec. Dr. Lub. Petr 25
A. P. Lopuchin: Tolkovaja Biblija. Rec. F. G. 25
Ex apologia russica biblica. Ref. F. Grivec 27
De Russorum doctrina de moribus. Compositum ab A Špaldák 28, 63
A. P. Lopuchin † 31
P. A. Palmieri de Russia 32
Maltzew: Oktoich ili osmoglasnik 32
Novosti bogoslovskoj literatury 33
Glubokovskij de „Kalendario“ P. Nicolai Nilles necnon de schismate 33
N. P. Kondakov: Archaeologičeskoje putešestvije po Syrii i Palestině (Iter archaeologicum per Syriam et Palaestinam). Rec. Dr. Jar. Sedláček 58
M. O. Veržbolovič: Mir tajnstvejnych javlenij (De mundo rerum arcanorum). Rec. Š. 60
S. A. Kotljarevskij: Lamenné i novějšij katolicism (Lamennais et recentior catholicismus). Rec. Dr. L. Petr 60
I. Sokolov: Athonskoje monašestvo v ego prošlom i sovremennom sostojanij (Monachi Athonis eorumque status praeteritus et hodiernus). Rec. F. G. 69
B. P. Velitko: Vladimir Solověv žizň i tvorenija Rec. P. n.—(O). 71
Vl. Rybinskij: O Biblii (De Bibliis, Oratio, quam auctor habuit in religiosa societate culturae Kijoviae). Rec. A. Jašek . . . 71
A. B. Michajlov: K voprosu o literarnom naslědij svv. Kirilla i Metodija (Quaestio de litteraria haereditate Ss. Apostolorum Cyrilli et Metodii in libris glagoliticis). Rec. J. V. 72
L. K. Goetz: Kj-w Pečerskij Monastyr kak kulturnyj centr domongolskoj Rossiji. Rec. L. 72
Izvěstija otděleniija russkago jazyka i slovesnosti Imperatorskoj Akademii Nauk. Ref. Š. 76

Christijanskoje Čtenije. Ref. —l. 77
Bogoslovskij Vjestnik. Ref. M. H., Dr. L. Petr & Fr. Jemelka 79, 208, 258
Cerkovnyj Vjestnik. Ref. Dr. L. Petr 86, 185
Trudy kievskoj duchovnoj Akademii 87
N. P. Solov'ev: Polnij krug duchovnych zakonov (Collectio legum ecclesiasticarum). Ref. T. 111
Alex. Zamjatin: Pokajanie i ego značenije dla pravstvennoj žizni christianina (De poenitentia et quid ad vitam moralem hominis christiani fovendam valeat). Rec. —l— 111
E. Golubinskij: Istorija kanonizacii svjatich v Russkoj Cerkvi (Historia canonizationis sanctorum in ecclesia russica). Rec. M. H. 114
Pravoslavnaja Bogoslovskaja Enciklopedija. Rec. M. Pavlík. 119
Věčnaja žizň kak vysseje blago (Vita aeterna ut summum bonum). Rec. F. Žák. 124, 175
Věra i razum (Fides et ratio). Ref. —l— 131
Prof. Aleksěj Vvedenskij: Religioznoe obnovlenie našich dnej. Ref. G. 138
I. I. Žilov: Blagogovějnija razmyšlenija (Devotae considerationes). Ref. —l— 140
Libri russici a 1905 editi. 141
Dušepoleznoe čtenie. J. Pořický. 187
Pisma i donesenija iezuitov o Rossii konca XVII. i načala XVIII. věka (Litterae secretae Iesuitarum, qui in Russia, Petro Primo regnante, fuerunt). Ref. Dr. Ant. Podlaha 190, 280
Strannik 1904. G. H. 193
Strannik 1905. F. G. 196
Th. Kurganov: Nabroski i očerki iz novějšej istorii rumunskoj cerkvi. Rec. M. H. 197
Trudy kievskoj duhovnoj Akademii. F. G. 206
Vizantijskij Vremennik. Fr. Žundálek. 207
J. L. Gondal S. J.: L' Eglise Russe. 212
P. Jungerov, Obšee istoriko-kritičeskoe vvedenie v svjašennyja vetchozavětnyja knigi. (Generalis historico-critica introductio in libros sacros Veteris Testamenti). Rec. Adolf Jašek. . . . 252
Archimandrit Andrej: Kak ponimat ćelověko-obraznyja predstavlenija sv. Pisanija o Bogě. (Quomodo intelligendae sint humanae repraesentationes Dei in Sacra Scriptura). Rec. A. J. 254
Th. I. Titov: Kritiko-bibliografičeskij obzor novějšich trudov po istorii Russkoj Cerkvi. (Conspectus critico-bibliographicus operum recentiorum de historia ecclesiae russicae.) Rec. Dr. F. X. Grivec 254
De statu, qui nunc est, disciplinae iuris ecclesiastici in Russia quaedam animadversiones. Scripsit Demetrius Jaremko. 261
I. Smirnov: Pisma katoličeskago bogoslova k pravoslavnymu. (Litterae theologi catholici ad orthodoxum.) Rec. Fr. Jemelka. 269
Pravoslavnij Sobesědnik 1904. Ref. M. H. 272
Novyj Put'. (Nova via.) Ref. Fr. Žák 278
J. V. Preobraženskij: Cerkovnaja reforma. (Reformatio ecclesiastica.) 279

RUTHENICA.

Qualis sit status litterarum theologicarum apud Russos unitos 38

Niva 34

SERBICA.

Publicationes periodicae res theologicas spectantes 34
Bogoslovski Glasnik. Ref. G. R 93, 143, 212. 261
Glasnik pravoslavne dalmatinske crkve Ref. G R. 145, 213
Glasnik pravoslavne crkve u kraljevini Srbiji. . 145

SLOVENICA.

Dr. Janez Ev. Krek: Zgodbe svatega pisma 36
Katoliški obzornik 37, 214, 282
Voditelj v bogoslovnih vedah 37, 215, 282
Ep. Dr. M. Napotnik: Sv. Pavel, apostol sveta in učitelj narodov (S. Paulus, apostolus mundi et doctor gentium) 96
Constitutiones Synodi dioecesanae Labacensis a. 1903 97
Ep. Dr. A. Bon. Jeglič: Appendix ad Synodum dioecesanam Labacensem celebratam a. 1903 97
Auguštin Stegenšek: Cerkveni spomeniki Lavantinske škofije. I. Dekanija Gornjegrajska (Monumenta ecclesiastica episcopatus Labacensis. I. Decanatus Oberburgensis). Rec. Dr. A. Podlaha. 146

PALAEOSLAVICA.

Glagolitica. Publicationes palaeoslavicae Academiae Veglensis. Ref. Dr. A, Podlaha. 215
Ex patrum litteris in Slavorum usu versatis. Scripsit A. Špaldák. 239

EXTERNA, RES SLAVORUM SPECTANTIA.

Echo's d'Orient. Ref. Dr. A. Podlaha. 37, 166
Bessarione. Ref. A. P. 38, 166
Rassegna Giuridica Ecclesiastica. Ref. J. V. 38
Archiv für slavische Philologie 38, 166
Byzantinische Zeitschrift 38, 168
Jon. Michalcescue: Die Bekenntnisse und die wichtigsten Glaubenszeugnisse der griechisch-orientalischen Kirche. Ref. B—č— (O) 98
K. Grass: Geschichte der Dogmatik in russischer Darstellung. Ref. B—č— (O) 99
Theologisch-praktische Quartalschrift. Ref. Dr. A. Podlaha. 164
Österreichische Rundschau. Ref. Dr. A. Podlaha. 166
Revue Augustienne. 167
Zeitschrift für katholische Theologie 157
Der Katholik 168
Dictionnaire de théologie catholique 168
Rivista storico-critica delle scienze teologiche . . . 168
Historisch-politische Blätter 168
Varii libri 168
P. Pierling S. J.: L'empereur Alexandre Ier est-il mort catholique? Ref. dr. E. Kadeřávek. 232

QUAEDAM, DE QUIBUS THEOL6GI UTRIUSQUE ECCLESIAE DISSENTIUNT.

I. Doctrina de ecclesia. Scripsit A. Špaldák 99, 147
II. Quid e s. libris N. T. probari possit de divortio ob adulterium. Scripsit A. Špaldák. 101, 157
III. Quomodo theologi ecclesiae romanae et theologi ecclesiae graeco-russicae locum Mt. 16, 18 interpretari soleant. A. Špaldák. 216
IV. De ratione studiorum theologicorum scholastica. P. Sinthern. 225

MISCELLANEA.

De apostolatu ss. Cyrilli et Methodii sub patrocinio B. M. V. 39
De transscribendis formis litterarum cyrillicis. Scripsit P. A. Špaldák S. J. 40
Iterum de transscribendis formis litterarum cyrillicis. A. Š 164
De unctione infirmorum 164

ALIORUM IUDICIA DE NOSTRO PERIODICO 283

INDEX NOMINUM ET RERUM . . . . . I—XI

Slavorum litterae theologicae.

Conspectus periodicus.

Dirigentibus Dr. Jos. Tumpach et Dr. Ant. Podlaha.

1905. **Pragae Bohemorum.** **Nr. 1.**

Programma.

„. . . primam veluti conditionem gratiae inter dissidentes componendae in eo collocandam esse censemus, ut ambae partes sincera fide atque ex animo reconciliandae ante omnia se inter se propius noscant ac vicissim recte intelligant".
Archiep. Jos. Stadler 2. Febr. 1895.

Edere nobis in animo est periodicum litterarum theologicarum sub slavicae linguae generibus latentium conspectum opulentum, quo studiis theologicis augmenti aliquid atque incitamenti afferatur.

Imprimis Slavos occidentales conspectus hic vinculi instar ad vires in unum conferendas litterasque theologicas nimia Slavorum gentis divisione aliisque incommodis laborantes alendas et augendas iuvabit.

Idem Slavos cum gentibus linguae slavicae in tot divisae genera ignaris iungens communicationem bonorum ingenii omnium nationum eiusque fructum singularem augebit.

Maxime autem illud, quo moti hoc opus aggressi sumus, omnibus viribus contendemus et laborabimus, ut controversiae, quibus Occidens et Oriens distinentur — opinionibus praeiudicatis, quae causam utrimque impediunt, sublatis — paulatim minuantur ac dirimantur.

Slavi orientales, qui in Oriente nominis christiani principatum nunc certe obtinent et inter omnes gentes Slavorum longe excellunt, proximis annis in studiis theologicis (saltem in nonnullis generibus) magnos progressus fecerunt. Quorum multi doctique viri, mutuum ingenii commercium mutuamque certationem litteris maximo adiumento esse rati, studiorum vicissitudinem, qua et tradant aliis gentibus sua et ab iisdem discant, laudabiliter expetunt. Item Occidentis nationes magis magisque ingenium ac studium suum ad Orientis negotia convertunt, omnesque, qui concordiae interpretes agere possunt, cari exspectatique illis veniunt.

Quae cum ita sint, illi probando Slavorum orientalium desiderio respondentes eorumque consiliis ad effectum perducendis

operam dantes, illis quoque nationibus, quibus Slavorum lingua aliena est, utilitates aliquas nos praestituros esse speramus.

Ss. Cyrilli et Methodii, qui Slavorum Occidenti Orientique verum veri Dei cultum atque humanitatem attulerunt, excelsa consilia secuti, dolendum illud ecclesiastici coetus dissidium inter Orientem et Occidentem — tantorum originem malorum — quantum humanis viribus fieri potest, componere, turbamenta frangere, concordiae impedimenta removere contendemus.

Schisma ecclesiasticum, inquit Glubokovskij, ex humanis dissensionibus ortum est et humana conservatur obstinatione, quae mutuis suspicionibus alitur et augetur; quam ob rem accurata rerum cognitio, aequa confessio, ingenua agnitio optima via est ad removendum tristissimum impedimentum. Difficultates ab hominibus paratae honesto studio humano facillime superantur.

In quibus conatibus studium doctrinae concordiae studio par sit opportet: illo disciplina increscet, veritatis indagatrix atque scientia augebitur, hoc animi conciliabuntur; quodsi defuerit, actum est.

Proinde confisi, fore, ut et in Oriente et in Occidente opus nostrum ea qua offertur sinceritate excipiatur, omnes rerum quae a nobis tractandae sunt peritos, ut operis nostri socii fiant et quae edere paramus, variae eruditionis accessionibus augeant, invitamus.

Deus approbet opus nostrum!

BOHEMICA.

De liturgiae slavicae Pragae quondam in monasterio Emautino florentis monumento.

Inter tot tantaque monumenta, quae de mente pia necnon erga slavicam gentem amore gloriosissimi Bohemiae regis ac imperatoris Caroli IV. testimonium dant manifestissimum, maximi momenti monasterium Slavorum Pragae erectum nobis esse videtur. Tempore Caroli IV. liturgia slavica in Bohemia jam dudum liturgiae latinae cessit atque prorsus evanuit. Nihilominus rex piissimus, qui „ad ea, quae incrementum cultus divini respiciunt, sollertissime semper convertebat aciem mentis suae“, hoc quoque in votis habuit, ut aliquo saltem modo liturgia Slavorum in regno Bohemiae denuo efflorescceret. Itaque occasionem, quae ei offerebatur, libentissime arripuit ad id, quod intenderat, perficiendum. Illo ipso tempore in Slavonia (Croatia) nonnulla monachorum Slavorum ordinis sancti Benedicti monasteria in tumultu bellico destructa sunt atque monachi ad mendicitatem redacti per regiones circumvagabantur. Ad instantiam Caroli IV. papa Clemens VI. concessit, ut dicti monachi in Bohemia sedem constituere



Evangelium Rhemense: Pars cyrillica (Marcus 5, 24—34).

atque ritum suum patrium servare possint, attamen in uno dumtaxat loco.[1] Carolus eis monasterium cum ecclesia honori beatissimae Mariae Virginis ac gloriosorum ss. Hieronymi, Cyrilli, Methodii, Adalberti et Procopii dicata Pragae exstruxit atque necessarios reditus

[1]) Bulla Clementis PP. VI. 9. Maii 1346, cf F. M. Pelzel, „Geschichte Kaiser Karls des Vierten“ (1783, „Urkundenbuch“ p. 90—91; Helmling-Horcicka „Registrum Slavorum“ p. 6—7.



Evangelium Rhemense: Pars glagolitica. (Mat. 16, 19. I. Ephes. 1, 3—8; Luc. 12, 32.)

paterne assignavit, statuens, ut monachi „in lingua slavonica dumtaxat futuris et perpetuis temporibus Domino famulent.“ [2]) Carolo monachos Slavos introducenti etiam negotium unionis cordi fuisse ex litteris papae Clementis colligi potest, ubi inter rationes pro monachis Slavis in Bohemiam introducendis haec etiam affertur: „in confinibus et circa

[2]) Cf. Pelzel o. c. p. 92—93; Helmling-Horcicka „Reg. Sl.“ p. 8—12.

partes regni Bohemiae multos esse schismaticos et infideles, qui cum eis sacra scriptura latine dicitur, exponitur vel praedicatur, nec intelligere volunt nec commode ad fidem christianam possunt converti.“ Aliunde quoque notum est, Carolum cum Serborum rege, Stephano Dušan, de unionis negotio consilia habuisse.

De suo Slavorum monasterio Carolus sollicitus esse nunquam desiit. Joanni, scriptori librorum monasterii, a. 1356 decem marcas annui census assignavit, „consideratis multiplicibus obsequiis, quibus pro decore monasterii sui Slavorum in scribendis libris legendarum et cantus nobilis linguae slavonicae hucusque laboraverit.“ [3])

Monumenta haec literarum monasterii unacum liturgia ipsa maxima ex parte, id quod valde dolendum est, perierunt. Unus solummodo codex, et quidem maximi pretii, ab interitu vindicatus est.

Codex hic, pericopas epistolarum atque evangeliorum continens, duabus partibus constat. Primam partem cyrillicis literis scriptam, quae s. Procopii autographon credebatur, donavit monasterio Slavorum ipse Carolus IV. Monachi adjunxerunt partem secundam, glagoliticis litteris scriptam, atque dein totum codicem involucro pretiosissimo ornaverunt.

Miro rerum cursu codex hic Rhemos in Gallia delatus est, ubi ad nostra usque tempora in bibliotheca municipali asservatur (attamen pretioso involucro a Jacobinis despoliatus), indeque „Evangelium Rhemense“ vulgo appellatur.

Ante aliquot annos (a. 1899) codicem hunc arte phototypica in lucem edidit Louis Leger (L'évangéliaire Slavon de Reims, dit: Texte du Sacre“).

De prima codicis parte nunc quidem certum est, eam s. Procopii autographon non esse, quum saeculo XII. exeunte in Russia sit exarata; verum tamen secunda eiusdem pars pretiosissimum manet liturgiae slavicae in Bohemia monumentum. *Dr. A. Podlaha.*

Dr. Josef Kachník: **Dějiny filosofie. (Historia philosophiae.)** Vzdělavací knihovny katolické sv. XXXIII. Nákl. V. Kotrba, v Praze 1904. Str. 380. Pretium 4 Cor. 10 h.

Dr. Jos. Kachník, theologiae professor Olomucensis, qui iam a. 1896 brevem „Historiam philosophiae“ latine edidit, nunc ampliorem librum de eadem materia sermone bohemico magna sagacitate et judicio critico elaboravit. Diligenter quoque litteras Slavorum philosophicas respicit, quo inter omnes alios scriptores excellit.

P. Vavřinec Wintera O. S. B. **Odboj Broumovských (Seditio Braunaviensium).** (Vzdělavací knihovny katolické sv. XXXII.) Nákl. Cyrill-Method. knihtiskárny V. Kotrby v Praze 1904. Pretium 60 h.

P. Laurentius Wintera O. S. B. in hoc opusculo lingua bohemica scripto demonstrat, vulgarem opinionem, ecclesiam protestantium Braunaviae a. 1618. iussu abbatis Wolfgangi Seelender clausam fuisse, esse

---

[3]) Cf. Pelzel o. c. II. Nr. 343; Helmling-Horcicka „Reg. Slav.“ p. 56–66.

falsam: Braunavienses potius omnes conatus potestatis civilis eo spectantes perfregisse. Demonstrat etiam, Braunavienses seditionem excitasse non propter religionem, sed ex causis mere politicis, ad excutiendum nempe jugum servitutis.

Prof. Dr. Václav Vondrák: **O původu Kijevských listů a Pražských zlomků a o bohemismech v starších církevněslovanských památkách vůbec. (De origine fragmentorum Kijevensium atque Pragensium necnon de bohemismis in vetustioribus monumentis ecclesiastico-slavicis in genere.)** V Praze 1904. Nákladem Jubilejního fondu Královské české společnosti nauk. (Pragae Bohemorum 1904. Sumptibus fundi jubilaei regiae societatis scientificae bohemicae.) X + 114 pag. mag. 8⁰: K 2·10.

De glagoliticis fragmentis Kijevensibus necnon Pragensibus permulta quidem scripta sunt, cum mira tamen varietate sententiarum de loco et tempore originis.

Novam prorsus sententiam profert auctor huiusce dissertationis. De fragmentis Kijevensibus, quae continent versionem nonnullarum orationum ex missali ritus latini, statuit, ea descripta esse medio saeculo X. a quodam Bohemo in territorio serbo-croatico ex antiquiore quadam versione, quae apud Slovenos in Pannonia confecta est.

De fragmentis Pragensibus, quae officia ritus graeci complectunt, tenet auctor, ea saeculo XI. ad finem vergente in Bohemia, et quidem in monasterio Sazaviensi descripta esse ex archetypo bulgarico. Ex quo sequeretur, in monasterio Sazaviensi viguisse ritum orientalem atque literarum formas glagoliticas. *O. D.*

Hlídka (Red. P. Vychodil, Brunae). XXII., 1. et 2. Dr. Josef Samsour: Inkvisice (De inquisitione). — František Kubíček: Ze životopisu pračlověka (E biographia hominis praehistorici). — J. O.: Textově kritické pochybnosti proti východisku nynější kritiky Pentateuchu (secundum articulum Joannis Dahse in »Archiv für Religionswissenschaft« quaedam dubitationes de fundamento hodiernae criticae Pentateuchi e critica textus proferuntur) — František Vacek: Legenda Kristianova (De Christiani legenda). Abhinc tres annos controversia scientifica exorta est de »Vita s. Ludmillae et s. Venceslai«, quae nomen Christiani, filii Boleslai I., prae se fert. Alii (Dr. Pekař) contendunt, legendam hancce revera antiquissimos esse Bohemiae annales, alii autem eam demum saeculo XIV. attribuunt, quorum partes sequitur Vacek. — Fr. Snopek: Studie cyrillo-methodějské (Studia Cyrillo-Methodiana). Doctissimus auctor continuat studia sua de ss. Cyrillo et Methodio. Disserit de Clemente, auctore legendarum sic dict. »Pannonicarum« de s. Cyrillo et Methodio. Clemens, natione Bulgarus, Photii sectator, egregie quidem de literis slavicis meritus, in suis legendis partis Photii nimis studiosum se ostendit non sine magno veritatis historicae detrimento. Hinc docet auctor, inquirendum esse, quid e fontibus fide dignis hauserit, quidque ex proprio addiderit. Ipse dein ostendit, quinam fuerint illi fontes Clementis, inter quos antiquissimam quandam »Vitam« fuisse contendit, quae in forma vetustissimi »troparii« bulgarici ad nos usque pervenit — Jos. Vrchovecký: Odpustkové dokumenty z českých dějin (1387—1396).

Litterae indulgentiarum in Bohemia (1387—1396). Ex litteris indulgentiarum in »Monumentis Vaticanis« a Krofta editis probatur, poenitentiam et confessionem fuisse illo tempore indulgentiarum conditionem sine qua non, atque indulgentias denotasse solummodo remissionem poenae temporalis. In omnibus litteris indulgentiarum occurrunt verba »vere poenitentes et confessi« et »de iniunctis poenitentiis«.

Časopis katolického duchovenstva (Publicatio periodica cleri catholici Bohemici). Redactores: Dr. Fr. Krásl, Dr. Fr. Kryštůfek, Dr. J. Tumpach, Dr. A. Podlaha. Pragae LXVI (LXXI). 1. et 2: Jos. Vajs: Úcta neposkvrněného početí B. Marie Panny v liturgických knihách hlaholských (Cultus immaculatae conceptionis B. M. V. in liturgicis libris glagoliticis). — Dr. Fr. Kryštůfek: Jansenismus a jeho záhubný vliv na katolické státy v Evropě (De infausto jansenismi in catholicas Europae terras influxu). — P. A. Špaldák T. J.: Řečtí Otcové církevní o neposkvrněném početí Panny Marie (Patres graeci de immaculata Deiparae conceptione). — Dr. K. Statečný: Spencerovo »Nepoznatelné« (Philosophi Spencer »Incognoscibile«). — Dr. K. Vrátný: Panna Maria v literatuře katolického Islandu (B. M. V. in catholicis Islandiae litteris). — Dr. Jos. Samsour: Křesťanské missie a jejich kulturní význam (De missionibus christianis earumque pro cultura momento). — Dr. A. Podlaha: Učení o neposkv. početí P. Marie v Čechách před prohlášením učení toho za dogma (Doctrina de immaculata B. M. V. conception in Bohemia ante dogmaticam huius doctrinae definitionem). — Dr. A. Soldát: O uherském právu manželském (De jure matrimoniali in Hungaria). — Dr. B. Spáčil: Volby papežské a tak zvané právo exklusivy (Electio summi Pontificis et sic dictum jus exclusivae). — Dr R. Spaček: Rozum a učení o nejsv. Trojici (De rationis ad doctrinam de ss. Trinitate relatione). — Dr. V. Zapletal: Co znamená jméno »Qohelet«? (Quid significet verbum »Qohelet«?) Dr. Rud. Zháněl: Z vojenské duchovní správy (E cura animarum apud militiam vagam). — Fr. Fryč: Chronologie života Páně (Chronologia vitae Domini). — Cum supplemento litteras Slavorum theologicas spectante, cuius exemplaria separatim typis exscripta hunc ipsum conspectum periodicum efformant.

Vlasť. Red. Tomáš Škrdle. Pragae. XXI., 1—3. Jan Hendrich: Jaký byl vztah věrozvěstů slovanských Cyrilla a Metoděje ke stolici římské? (Quales se apostoli Slavorum Cyrillus et Methodius Sedi apostolicae praebuerint?) Contra nonnullos, qui ss. Cyrillum et Methodium ecclesiae graecae adjudicant, demonstrat auctor dissertationis, sanctos apostolos Slavorum fuisse romano-catholicos atque sciente et approbante romano pontifice munus apostolicum exercuisse. — Frant. V. Peřinka: Československá jednota, rozluka a vzájemnost (Bohemorum cum Slovacis, i. e. incolis Hungariae septentrionalis, in rebus litterariis aliquando unio, postea separatio, nunc que vicissitudo). — Tom. Pícha: Hřbitovy po stránce hygienické a nemoci infekční (De coemeteriis ex parte praeceptorum de valetudine tuenda atque de morbis, qui contagione vulgantur). — Frant. V. Peřinka: Zprávy z uherského Slovenska (Ex regione Slovacorum in Hungaria). Refertur de persecutione sacerdotum, qui litteras patrias colunt, de societate s. Adalberti ad edendos libros linguâ Slovacorum etc. — Dr. Ant. Lenz: »Pryč od Říma. — Los von Rom«. — Dr. Al. Kolísek: Martin Kollár a Spolek sv. Vojtěcha na Slovensku (De Martino Kollár, catholico sacerdote, scriptore slovaco atque administratore societatis s. Adalberti).

Rádce duchovní. Red. Fr. Vaněček. Pragae. XII. 1—2. Václav Oliva: O národním jazyce při bohoslužbách (De sermone patrio in cultu divino). — Dr. Ant. Brychta: O přeložení zádušních hřbitovů

od farních kostelů; některé pokyny, jichž třeba při takové translaci šetřiti (De translatione coemeteriorum, quae peculium ecclesiae sunt, ab ecclesiis parochialibus in alium locum; quaedam monita in hocce negotio observanda). — Fr. Vaněček: Prof. Mareš o postu (Laicus professor physiologiae Pragae Dr. Mareš de utilitate jejunii).

Nový život. Red. K. Dostál-Lutinov. Prostějov. X., 1. J. O.: Krise církve a náboženství dle V. Mrštíka (De ecclesiae atque religionis discrimine praecipue in Bohemia). — Jar. Jivanka: Jeremiáš a jeho »Pláč“ (De Threnis Jeremiae cum versione e textu hebraico). — Dr. Margin: Odkaz Dra Erharda potlačeným Slovákům (Dris Erhard cohortatio ad oppressos Slovacos). — M. Koutecká: Emancipace žen (De emancipatione foeminae) — XXX.: O symbolismu v malbě byzantské a středověké. (De symbolismo in pictura Byzantinorum et medii aevi). — Jakub Deml: Nové oltáře (De altaribus, ut vere artis opera sint).

Museum, časopis bohoslovců československých (Museum, libelli periodici Bohemorum juvenum theologiae studiosorum). 1. Karel Háňavka: O instinktu živočichův a o lidském rozumu (De instinctu brutorum atque de ratione humana). — Joseph Foltynovský: Ze severosemitské epigrafie (Ex epigraphia Semitarum septentrionalium). — Ant. Kordík: Vzniklo náboženství způsobem přirozeným? (Estne religionis origo naturalis?) — Ferdinand Šob: Epiklese v církvi východní (De epiclesi in ecclesia orientali). — I. Dovrtěl: Idea pravdy, dobra a krásna (De idea veri, boni, pulchri). — G. N. De quaestionibus controversis inter ecclesiam romanam et graecorussicam). 1. De valore unctionis infirmorum sanis administratae. Auctor manifeste propositum illud: in dubiis libertas, in necessariis unitas secutus inquirit vel potius ad inquisitionem instituit, pertineantne dictae quaestiones ad dubia an ad necessaria. Laudandum certe est studium demonstrandi Ecclesiae orientali, minime nobis instar axiomatis propositum esse, ut nulla in re cedamus, quae opinio reapse pervulgata est apud Russos Graecosque, quamque a nobis practice nondum sufficienti modo confutatam esse Ehrhard in libro suo »Die orientalische Kirchenfrage« sapienter monuit. Vel haec sola ratio nos moveret ad caput illud attentius considerandum, si non ipsum argumentum egregium parumque a theologis tractatum eiusque accurata tractatio nos movissent. Enumerantur ibi tres modi solvendi quaestionem. Primus reprobans consuetudinem ecclesiae orientalis (Graecorum, Coptarum, Jacobitarum) reicitur; multa enim in ecclesia romana de unctione infirmorum mutata esse constare. Alterius sententiae, quam Goar, Drouin, Filaret, alii tuentur, et qua consuetudo illa ritibus mere ecclesiasticis, qui carent vi sacramentorum, annumeratur, argumenta a Drouin proposita indicantur et dubium quoque ex exprobrata a Latinis hac consuetudine sumptum eiusdem verbis refellitur: »Quis nescit nostrorum saepe adversus Graecos et orientales iniqua esse et acerbitatis plena iudicia?“ Tertius modus rem explicandi, verum sacramentum hic agi atque unctionem sanis administratam valere cum Sambovio aliisque latinis tum Russis plerisque tribuitur. Ratio prima eorum est, quod ea consuetudo certe a Graecis pro sacramento habebatur nec sane reiici omnino potest; allegantur Job Monachus, Contempl. VII. ecclesiae mysteriorum; Simeon Thessal., De 7 sacram., »infundi poenitentibus«; Arsenius, Can. [ap. Goar?], Dimitrij Rostov., Sočinenia M. 1842, č. I. str. 112; Arcudius, De extrema unct. c. ult.; Leo Allat., De ecclesiae occidentalis et orient. perpetua consensione, c. 16, n. 3; immo ipse Goar aliquibus locis [— diligentius allegata magis satisfacerent!]. Ratio secunda est posita in identitate huius consuetudinis cum illa antiquissima, qua publice poenitentes in fine ungebantur »oleo infirmorum«, ut legitur in vetere versione arabica canonum nicaenorum; quocum cohaerere auctor existimat promiscuum usum vocabulorum »reconciliatio«, »unctio in-

firmorum«, »manuum impositio« (Cypr., Ep. (ad clerum rom.) 9, n. 1—3; Ep. 11, n. 2; Syn. carthag. IV. cn. 80; Constit. apost. l. 2, c. 18; Orig. Hom. 2. in Levit. (»et imponant ei manus«); Ambros., De poen. l. 1, c. 9; Vita s. Theodorici abb. Rhemensis (»in morem reconciliantis«[1]) et consuetudinem quoque consecrandi oleum infirmorum feria V. hebdomadis maioris. Tertia ratio est, quod negato valore unctionis sanis applicatae, valor a circumstantiis dubiis aut a certis quidem sed externis dependere dicendus esset. Denique etiam senes valide unguntur, quibus mederi nemo conabitur. In fine explicatur secundum hanc sententiam, cur haec consuetudo in ecclesia romana desierit. Unctionem infirmorum esse consumationem poenitentiae sicut confirmatio est »consumatio et perfectio baptismi«; simulac poenitentia publica, qua satisfiebat pro peccatis et cui, ut redeat innocentia baptismalis, unctio addebatur, cessaverit, cessasse etiam illam consuetudinem nec unctionem iam adhibitam esse nisi in periculo mortis. 2. De effectibus solemnis professionis religiosae in matrimonium consumatum. Auctor imprimis difficile esse docet fontem tanti discriminis inter matrimonium consumatum et non consumatum reperire, quantum relate ad professionem iure divino positum esse a theologis latinis statui solet. Duas rationes negat sufficere, quatuor alias negat esse veras; quartae etiam sensum negat accuratiore inquisitione instituta. Hinc concludit non videri divinitus institutum esse hoc discrimen, et rationem, cur dirimatur matrimonium per professionem, esse in eo, quod professio morti aequivaleat (Thom. Suppl. q. 61, a. 3). Ad promptam dubitationem de possibili reditu ad »vitam« removendam allegat opus morale Ballerini-Palmieri fr. X, s. 8, n. 671 et ad similem quaestionem, num secessus in regionem longinquam aequivaleat morti, diiudicandam citat cn. 9. concilii Vermeriensis (a. 752); c. 113 Capit. Theod. Cantuar.; cn. 16. Conc. Compendiensis. Fusius consulta auctorum argumenta tractat, quibus discrimen illud de iure divino esse probare solent; urget inter alia nimium probari, cum votum continentiae alterius coniugis non sit iure divino praescriptum (Sanchez 7, 40); addit aliud quoque argumentum ex Gregorii M. l. 9. ep. 39. (ad Theoct. = l. 11, ep. 45, quod difficilius esse fatetur; explicat tamen etiam hunc locum et doctrinam canonistarum (excepto Innoc. III, quem aliud sensisse suspicatur) sicut nec in aliis in hoc genere, ita nec ab hoc errore necessario liberam fuisse iudicat. Tamen persuasionibus aliorum ductus omnia magis dubitando quam affirmando proponit et studium speciale huius quaestionis commendat; quod ut fiat etiam nos summopere optamus. 3. Tertia quaestio, quae breviter quidem sed accuratissime tractatur, est notior: de divortio ob adulterium (fasc. 2, p. 87—90). Enumeratis libris (etiam russicis) hac de re conscriptis inquiritur, quid sit de iure naturae, et subtilibus distinctionibus praemissis negative tantum determinatur, quantam stabilitatem lex naturalis exigat. Deinde patrum et conciliorum doctrina — et faventium divortio possibili et faventium insolubilitati de iure divino — examinatur, brevibus sed efficacibus notis locorum minus clarorum sensu explicato. Docemur primum concilium, quod certo negavit divortium ob adulterium fieri licere, fuisse concilium Foroiulense a. 791, quamquam etiam a. 1031 concilium Bituricense contrarium statuit; antea solos s. Aug. et Hieron. pro hac doctrina afferri posse[2]). In fine duplex proponitur via sol-

---

[1]) Potuit auctor vindicare illud quoque apud Aphraatem, Dem. XXIII, ubi unctionem infirmorum et oleum post poenitentiam adhibitum sub uno comprehendi manifestum est. Cf. edit. Wright p. LV.

[2]) Ex adversariis citantur ut certi: Polentius, Chromatius, Lactantius, Tertullianus, Basilius; Consilium bituric., romanum (Mansi XIV, 1010), Zacharias (?), Conc. compendiense, Capitularium Caroli M., Capitula Theodori cantuar., Poenitentiale Theod. cant., Poenit. rom., Conc. s. Patricii, Asterius (Amas. ?), Ambrosius (?), Origenes. —; ut saltem

vendi controversiam Aut auctoritate s. Augustini et s. Hieronymi nixi Graecis persuadebimus illicitum esse divortium ob adulterium, aut canonem concilii Tridentini (7. sess. 24) explicabimus de identitate doctrinae formali tantum, non materiali; sc. probabilem putat (allegans D. Palmieri, De poen. p. 332, 2) eam explicationem huius canonis, ut sensus sit: scriptura sacra adulterium non significat esse pro omni tempore rationem iuridicam (právný; forte iustam) dimissionis, sed potius primariam legislatoris N. T. intentionem fuisse insolubilitatem, secundario tantum spectatis circumstantiis permitti solutionem (secundum aliquos exegetas Mt 19, 9: J. Grimm, Die Einheit der Evangelien 1868 S. 258. 316). Ceterum ut priores ita et haec quaestio ulteriori inquisitioni relinquitur. - *l* —

Věstník české akademie císaře Františka Josefa pro vědy, slovesnost a umění (Nuntius academiae scientiarum bohemicae caesaris Francisci Josephi). XIII., 9. Jos. Vajs: Hrvatsko-hlaholský rukopis Národní knihovny Pařížské (Manuscriptum croatico-glagoliticum bibliothecae nationalis Parisiensis). Codex hic saeculi XIV. vel potius XV. (sign. cod. slav. 11) continet in parte prima: calendarium, cantica, commune sanctorum, officium defunctorum, in parte secunda: praeparationem sacerdotis ad missam, ordinem missae, canonem necnon nonnulla formularia missae; in parte tertia varias caeremonias, in parte quarta denique nonnullos cantus sacros. In calendario occurrunt quidem potissimum festa ecclesiae occidentalis, nihilominus tamen etiam nonnulla festa ecclesiae orientalis ibi inveniuntur. Partes ex breviario et missali desumptae quae in codice hoc continentur, jam aliunde satis notae sunt. Majoris momenti est tertia — ritualis — pars, et vel praecipue ideo, quod praeter textus ex latino archetypo emanatos etiam nonnullas orationes cum orationibus in euchologio Sinaitico congruentes ibidem reperimus. Quod indicium novum est commercii spiritualis glagolitarum Croatarum cum glagolitis Macedoniae et Bulgariae, simulque indicium, in libris croatico-glagoliticis antiquissimos textus non solum biblicos sed etiam rituales ad nos pervenisse. *L.*

CROATICA.

Lingua liturgica palaeoslavica in Croatia, Dalmatia et insulis adiacentibus. — Academia palaeoslavica.

Nostra aetate, qua pietas erga monumenta antiquitatis cum profana, tum etiam artis christianae admodum excrevit, inter alia domicilia liturgiae slavicae ritus romani, quae sunt potissimum dioeceses Modruš — Segniensis in Croatia, Jadrensis et Spalatensis in Dalmatia, nomen aliquod sibi acquisivit dioecesis et in specie ipsa insula Veglensis (Krk).

Quae ob maiorem monumentorum glagoliticorum primi ordinis — ut de caeteris taceamus, noster est codex Clozii, nostrae tabulae et inscriptiones Bescae, Veglae — „vagina“ rerum glagoliticarum

---

probabiles Epiphanius, Chrysostomus, Hilarius, Gregorius Naz., Theodoretus, Alcimus Av., Concilium veneticum, suessionense, Joannes VIII [hunc immerito adnumerari arbitramur]; Conc. arelatense, illiberritanum, agathense, Leo I., Hincmarus rhem.; et de causis aliis praeter adulterium: Conc. vermeriense, Capitula Theodori, Nicolaus I.

appellata, licet antiquioribus temporibus sacerdotibus, qui lingua palaeoslavica in sacris utebantur, semper abundaverit ita, ut glagolitae Veglenses cum suis voluminibus in regiones vicinas profecti, ibidem inter latinos more patrio sacra peragerent — ex gr. in Carniola, prout plura fragmenta glagolitica nuper ibidem inventa testantur — nostris temporibus miro rerum concursu novum quoddam „seminarium“ glagolitarum extitit.

Quo in negotio optime meruit Illmus episcopus Veglensis Dr. Antonius Mahnić[1]), homo apostolicus populique sui cum in temporalibus tum in spiritualibus necessitatibus pater. Quanta cura rebus etiam liturgicis in sua dioecesi in ordinem redigendis invigilet, non unum pro utroque idiomate latino scilicet ac slavico extat documentum[2]). Difficilius tamen res se habebant ex parte glagolitarum; librorum defectus, sacerdotes linguae minus gnari, in liturgiâ ipsâ plerique abusus ita, ut pluribus in locis in eodem officio partim slavice partim latine sacra peragentur. Hic altius fodendum esse fundamentum praenoscens malis huiusmodi medendis a. D. 1902 in urbe Veglensi celebrata synodo dioecesana, in actis eiusdem synodi de Academia paleoslavica condenda sequentia clero suo communicavit[3]):

„Ex antiquissimis temporibus his in terris lingua palaeoslavica in s. Liturgia usu viget. Cui a s. Sede etiam atque etiam approbatae nuper Leonis XIII. auctoritate novum robur ac honos accessit. — Ac ita lingua palaeoslavica, cum iam diu ex hominum usu cesserit, sicut latina consecrata ss. Mysteriis religionis nostrae conficiendis servit. Incruento enim Missae sacrificio haud quicquam sanctius invenitur. Quare sicut pro Missae Sacro celebrando ac Sacramentis administrandis iuvenes sacerdotii candidati longo annorum usu in lingua latina discenda exercentur, ut eam penitus calleant, ita et Nos omnem cogitationem et curam in eo ponere fas est, ut sacerdotes huius dioeceseos ad Sacrum lingua paleoslavica celebrandum accessuri eam plene cognitam habeant. Et in gymnasiis publicis quidem huius linguae elementa traduntur, verum id consilio nostro non sufficit; neque porro praetereundum, quod illa, quae in gymnasio discuntur, perfacile memoria excidunt, cum tamen sacerdotem linguam, in qua sanctissima religionis Mysteria obit, recenti semper memoria tenere oporteat, ne orans sit velut aes sonans aut cymbalum tinniens (I. Cor. 13, 1). Ceterum sunt etiam gymnasia a nostratibus frequentata, in quibus linguae palaeoslavicae nulla elementa traduntur. — Quare ex quo tempore linguam palaeoslavicam legitime in hac dioecesi inductam Nobis persuasimus, eam praeterea novis s. Sedis decretis denuo confirmari gavisi sumus, praeprimis autem ex quo SS. Dni Leonis XIII. consilia praesentibus Nobis cognoscere contigit, aliquid pro lingua palaeoslavica in his regionibus conservanda, fovenda et excolenda suscipere constituimus. Re autem diu ponderata collatisque cum viris peritis et prudentibus consiliis in animum indu-

[1]) Nat 14. Sept. 1850 in Kobdil prope Goritiam; cons. 25. Mart. 1897.
[2]) Cf. Proprium Sanctorum ab Apost. sede pro dioec. Veglensi approbatum. Veglae 1901. — Item: Appendix ad Missale Rom. 1903.
[3]) Cf. Acta et Decreta Synodi Veglensis. Veglae 1902.

ximus hicce in urbe Nostra Academiam palaeoslavicam condere. Cum autem inceptum hoc Dioeceseos utilitatem spectet, ideo eius consilium et rationem in Synodo vulgari et discutienda opportunum duximus. — Academia haec coetus seu sodalitas virorum linguae palaeoslavicae peritorum erit, qui omni cura linguae liturgicae palaeoslavicae excolendae et in sacro usu ad decreta apostolica conservandae studebunt. Ab hoc coetu nequicquam longius aberit, quam ut ex auctoritate ecclesiastica nolit pendere, ut etiam episcopum perpetuum maecenatem sibi constituturus suamque operam eius arbitrio permissurus sit. — Consilia autem, quae Academia palaeoslavica assequi nitetur, haec potissima erunt: 1. Linguam palaeoslavicam diligentissime excolere; 2. quare curae ei erit, ut quantum per opes licebit, unus alterve ex iunioribus sacerdotibus hac lingua academice erudiantur; 3. id petere, ut sacerdotes, antequam ministerio ecclesiae glagoliticae addicantur, lingua palaeoslavica bene instructi probentur; 4. libros aliave scripta vulganda curare, quae linguae palaeoslavicae excolendae necessaria vel utilia sunt; eo consilio typographia glagolitica condetur, ut Academia eiusmodi opera excudere et in lucem edere possit; 5. in id incumbere, ut cantus glagoliticus reformetur et ad integritatem cantus gregoriani reducatur; 6. alia quoque conari, quae pro temporum indigentiis vel pro rerum adiunctis linguae palaeoslavicae usui esse videbuntur. — Haec interim de Academia palaeoslavica dicta sunt, ut quisque intelligat, quid propositi Nobis sit. Ad hoc suscipiendum induxit nos pietas erga s. Ecclesiam obsequiumque erga Romanum Pontificem, quem nequidquam gravius desiderare novimus, quam ut veneranda superiorum temporum monumenta ab interitu vindicentur et in debito honore habeantur; ad quae monumenta etiam lingua palaeoslavica pertinet. Longe a nobis absunt quaevis alia consilia. — In tempore plura de Academia palaeoslavica condenda palam fieri curabimus. Rogamus autem omnes, qui nobiscum bene animati sunt, ut consilio et opera nos adiuvent, quo prius et securius id, quod animo complexi sumus, perficiatur."

Nobili huic conamini respondit clerus non solum dioecesanus, sed etiam longe ultra angustos dioeceseos fines litterariae huic societati nomen dedere fere 150 socii.

Societas (sec. Statuta 12. Januarii 1903 a c. r. terrae gubernio Tergesti approbata) constat: 1. fundatoribus, i. e. iis qui academiae 300 Cor. austr. dono dedere; 2. sociis auxiliariis, qui semel 100 Cor. intulerunt, et 3. ordinariis, qui annuatim 5 Cor. solvunt.

Quo majus excitaretur studium glagoliticorum monumentorum, academia pro viribus sibi proposuit edendas publicationes („Glagolitica"), quibus liturgicis praesertim libris corrigendis via pararetur. Decursu praecedentis anni „Glagolitica" duas protulere publicationes nempe: Recensionem croatico-glagolitici fragmenti Verbenicensis (fasc. 1.) et Librum Job ex codice Noviano II. collatum cum aliis codd. glagoliticis (fasc. 2—4.).

Praeterea sumptibus eiusdem academiae duo fasciculi ad cantum ecclesiasticum spectantes, alter pro clericis (Toni Missae), pro laicis alter (Djelovi pjevane mise — Partes missae cantatae), prodiere.

Non superest nisi operam dare, ut haec magnarum cogitationum vota fauste incepta patriae decori ecclesiaeque utilitati de die in diem melius impleantur. *Jos. Vajs.*

Recensio croatico-glagolitici fragmenti Verbenicensis. Auctore *Joseph Vajs.* (Glagolitica. Publicationes Palaeoslaviae Academiae Veglensis. Fasc. 1.). Veglae 1903. 50 pag. 8⁰.

Fasciculus hic, primus omnino a supradicta Academia Veglensi editus, continet criticam editionem glagolitici breviarii fragmentorum, quae inserviebant pro theca, in quâ religata erant documenta parochialis ecclesiae Verbenici in insula Veglensi. Fragmenta haec, partes officii Adventus continentia, saeculo XIII. exeunti vel XIV. ineunti tribuenda sunt. Editio haec omni apparatu critico sagaciter elaborato instructa est.

Analecta sacrae scripturae ex antiquioribus codicibus glagoliticis. Liber Iob. Ex breviario Noviano II. transscriptum variis lectionibus aliorum codicum ornavit *Joseph Vajs* (Glagolitica. Publicationes Palaeoslavicae Academiae Veglensis fasc. 2—4). Veglae 1903. 74 + 8 pag. 8⁰.

Hac publicatione ingreditur J. Vajs vestigiis I. Berčić et C. Pačić, qui fragmenta glagoliticae versionis Sacrae scripturae collegerunt et partim etiam ediderunt. E duobus breviariis saec. XV., quae in archivio ecclesiae Novii Croatiae asservantur, totum fere librum Job e singulis lectionibus composuit. „Ex comparatione varii textus huius libri" — sunt verba editoris — „duo licet concludere in historia versionis S. Scripturae alicuius momenti, nempe: in codicibus croatico-glagoliticis duas eiusdem libri extare versiones: unam secundum aliquem codicem graecum, alteram, quae cum Vulgata apprime concordat." Ad quaestionem, quid de aetate utriusque versionis dicendum, respondet Vajs: „Omissis generalibus observationibus ex hâc tantum circumstantia, quod textus codicibus graecis consonus in antiquioribus monumentis croatico-glag. occurrat, concludere licebit, ipsum antiquiorem esse eo, qui Vulgatam sequitur, quique in monumentis posterioris aetatis invenitur. Conclusio haec confirmatur ex historia literariae rei glagoliticae in Croatia, quam post solemne decretum Innocenti P. IV. (1248) copiosius effloruisse novimus. Iam vero ipsius decreti verba ‚Nos igitur attendentes, quod sermo rei, et non res sermoni subiecta, licentiam . . . dummodo ex ipsius varietate litterae sententia non laedatur, auctoritate praesentium concedimus postulatam' in causa fuisse videntur, cur non solum glagolitici textus graecae originis ad normam latinae Vulgatae corrigerentur sed etiam ansam datam fuisse novas versiones textui latino apprime respondentes comparandi".

Dr. Josip Pazman: **Crkvene naredbe o zabrani i censuri knjiga ili tumačenje apostolske konstitucije „Officiorum ac munerum." (Praescripta eccles. de prohibitione ac censura librorum seu explicatio constit. apost. „Officiorum ac munerum".)** Zagreb. 1904. Pag. 298.

Pulchre elaborato ordinatoque hoc libello prof. theologiae moralis in universitate Zagrabiensi, doctor Josephus Pazman, utilissimum docu-

mentum ad pauperem hucusque literaturam theologicam gentis croaticae dedit. Finis huius opusculi est: ad meliorem cognitionem unius partis legislationis ecclesiae catholicae i. e. legum de prohibitione et censura librorum perniciosorum conferre.

Totum opus in quatuor partes cum amplo apologetico-informativo prooemio divisum est. In prooemio auctor monstrare vult, quomodo ecclesia catholica semper bonos libros adjuvaret, perniciosos vero legere, imo vero, ut malum in radice reprimeretur, in lucem dare sine censura et permissione auctoritatis vetaret. Hoc esse ecclesiae officium et jus ex munere ipsius elucet: ad veram felicitatem et beatitudinem fideles ducere secundum verba Jesu Christi: „docete omnes gentes et evangelium praedicate omni creaturae.“ Ecclesia vero semper ita faciebat. Primis saeculis periculum non tantum erat, saeculo vero XV. perniciosius videbatur. Optima hac in re verba sunt Clementis XIII. in constitutione „Christianae reipublicae salus“, quam anno 1766 edidit: „ . . . in scriptis depositi errores manent perpetuo et semper nobiscum adsunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum domi sedent, et eorum penetrant cubicula, ad quos improbo et occulto auctori aditus non pateret.“ — Deinde auctor de discrimine iurium ecclesiae et rei publicae in librorum prohibitione loquitur. Copioso sermone monstrat organisationem laboresque Congregationis S. Officii et Congregationis Indicis: notiones magni momenti: liber, libellus, scriptum etc. explicat, ut probe intelligantur. In extremo prooemio agitur de variis modis in prohibitione librorum usitatis atque brevi in conspectu ponitur historia censurae.

Pars prima libri latinum textum apostolicae constitutionis „Officiorum ac munerum“ papae Leonis XIII. necnon constitutionis „Sollicita ac provida“ papae Bened. XIV. continet. In parte secunda translata ac explicata est diligentissime constitutio „Officiorum ac munerum“. — Pars gravissima totius libri est pars III^a „Tumačenje naredaba o zabrani kniga“ et pars IV^a „Tumačenje naredaba o censuri kniga“. Accurata haec explicatio a diligentissimo studio literaturae tum historicae, tum iuridicae et quidem non solum veterum sed et novissimorum temporum profecta est. Fontes, ex quibus Dr. Pazman hauriebat, cognitionem optimam non solum literaturae lingua germanica scriptae monstrant, sed etiam literaturae aliarum gentium: Slavorum, Italorum etc. Explicatio ita instituta est, ut primo loco textus legis typis maioribus proponatur et postea singulae propositiones singulaeve voces diligenter interpretentur. Ita ex. gr. post textum cap. I., qui sic legitur: „Libri omnes, quos ante annum MDXV aut summi Pontifices aut concilia oecumenica damnarunt, et in hoc Indice non sunt, eodem modo damnati esse censentur, sicut olim damnati fuerunt“ — auctor de editione librorum M. Joan. Hus loquitur et docet libros hos hucusque esse prohibitos.

Longum esset, si diligentius loqui vellem de hac III^a et IV^a parte libri doctoris Pazman. Ut alia omittam: opus hoc respicit etiam conditiones Slavorum, quod in aliis libris aegre invenias. Index rerum in fine libri multum confert ad faciliorem eius usum.

Dr. Jos. Kratochvíl.

Vrhbosna katoličkoj prosvjeti (Red. Dr. Ivan Šarić, Sarajevo). XIX., 1—2. Anonymi: Vjerska sloboda katolikâ u Rusiji. De libertate fidei catholicorum in Russia. Summa cum laude commemorat promulgationes caesaris Russorum Nicolai II. de tolerantia (26. Februarii 1903 et 27. Decemb. 1904), attamen conqueritur de intolerantia erga catholicos, quae in praxi observatur.

Institutiones philosophiae linguâ croatica exaratae. Archiepiscopus Sarajevensis Dr. Jos. Stadler incipit institutiones philosophiae christianae stilo patrio exaratas typis edere; in lucem iam prodiit pars prima dialecticam pertractans; singulae plagulae partis secundae, in qua de noëtica agitur, adduntur singulis fasciculis folii »Vrhbosna«, de quo supra commemoravimus.

Djela apostolska (Acta apostolorum). Commentarius in Acta apostolorum, etiam a doctissimo archiepiscopo Stadler exaratus, vulgatur simili modo, quo dictae Institutiones philosophiae eduntur, nempe qua additamentum folii »Vrhbosna«. Auctores, quos in consilium laboris sui auctor adhibet, probatissimi sunt (Knabenbauer, Bisping, Reischl e. a.).

POLONICA.

Dr. Jan Żukowski, **»O źródłach niewiary« (De infidelitatis fontibus).** Lwów, pag. 520 in 8⁰.

Quamvis theologica Polonorum literatura usquemodo non possit proferre opera apologetica eiusdem ac opera clarissimi Hettinger, Schanz, Weiss vel saltem Duilhé de St. Projet momenti et pretii, tamen negandum non est, in eadem haud paucas inveniri publicationes apologeticas, quae sane nullius gentis literaturae dedecori essent. Immo de iisdem facile valet assertio, eas inter polonicas publicationes theologicas primum occupare locum. Postpositis variis quae in foliis periodicis reperiuntur eius generis articulis ac dissertationibus, saltem ad sequentia opera velimus attentos reddere lectorum animos. Jam anno 1876, itaque tempore, quo positivismi doctrina florebat, Michael Vladislaus Dębicki, dioeceseos Varsaviensis sacerdos, libellum edidit „O zasadniczych różnicach psychicznych między człowiekem a zwierzęciem" (De primariis inter hominem et animal differentiis psychicis", I. ed. 1876, II. ed. 1887), et edito brevi post libro longe maioris ambitus: „Nieśmiertelność człowieka jako postulat filozoficzny przyrodoznawstwa" (Hominis immortalitas qua scientiae naturae postulatum philosophicum, I. ed. Varsaviae 1883, II. ed. 1887), brevioribus temporis intervallis varias publici iuris fecit dissertationes, uti: „Postęp, szczęście i przewroty społeczne. Chłodna uwaga o palących kwestyach." („Progressus, salus populi et perturbationes sociales". Varsav. 1895), „Bezwyznaniowość" („De statu sine confessione" 1885), „Wielkie bankructwo umysłowe. Rzecz o nowoczesnym sceptycyzmie naukowo-filozoficznym" („De magno rationis naufragio. Dissertatio de novo scepticismo scientifico-philosophico." Varsav. 1895), tandem in II. et III. tomo publicationis „Biblioteka dzieł chrzesciańskich" („Bibliotheca operum christianorum", dirigente Sigismundo Chełmicki) multos publicavit articulos, inter quos eminent praesertim sequentes: „Buddyzm i chrystyanizm",

„Zola i Wolter", „Rozkład wewnętrzny protestantyzmu w Niemczech nowoczesnych" („De interna protestantismi in hodierna Germania dissolutione"), „Stygmaty i hypnotyzm", „Religia i samobójstwo" („De religione et autochiria"), „Ascetyzm liberalny", „Neochrystyanizm", „Renan jako nihilista i cynik", „Katolicka pogarda świata" („De mundi iuxta doctrinam catholicam contemptu").

Item valde numerosa sunt opera episcopi Luceoriensis et Żytomeriensis Caroli Niedziałkowski. Anno enim 1895 duos tomos edidit, quibus titulus est: „O chrześcijańską zasadę" — „Christianismi principia propugnantur"; tomus I. continet dissertationes: „Asceci w rzeczywistości i w wyobraźni" („Quales ascetae revera sint et quales esse tradantur"), „Kilka wspomień klasztornych" („Aliquot res e vita monastica, quarum memoria animum subit"), „Nagość w sztuce" („De nuditate in artibus"), „Moralność i przyzwoitość w sztuce" („De moralitate ac virtute in artibus"); in tomo II. inveniuntur articuli: „Krytycyzm naszej epoki i wiara prostaczków" („Criticismus nostri aevi et fides rudium"), „Naleciałości renesansowe w sztuce religijnej" („Artis renascentis in artibus christianis vestigia impropria"); a. 1897 prodiit eiusdem auctoris liber: „Nie tędy droga, szanownie Panie!", ubi contra falsam mulierum emancipationem multa et magni sane aestimanda profert argumenta; insuper in foliis periodicis „Rola", Varsaviae in lucem prodeuntibus, et simul etiam in memorata „Bibliotheca operum christianorum" haud paucos publicavit publicatque articulos argumenti apologetici, uti e. g. Okowy dogmatyzmu („Dogmatismi vincula") etc. Antonius Szlagowski, Varsaviae qua concionator optime notus, a. 1899 edidit 7 sermones „O rzekomej niezgodzie między nauką i wiarą" („De discrepantia, quae inter scientiam et fidem esse dicitur") et iterum alios a. 1902 „O zagadnieniach społecznych" („De quaestionibus socialibus"), in quibus relatio ecclesiae ad civilisationem, progressum, ethicen, tolerantiam proponitur. Item mentione dignus est liber Adolphi Szelążek „Nauki apologetyczne, zastosowane do potrzeb wymagań duchowieństwa i intelligencyi" („Doctrinae apologeticae, quatenus cleri et laicorum eruditorum necessitatibus inserviunt", Varsaviae 1901).

Tempore, quo theoria darwinistica animos summopere movebat et materialismus quam plurimos inveniebat asseclas, professor universitatis Jagellonicae Cracoviae, Dr. Stephanus Pawlicki, etiam ultra patriae suae fines optime notus, libellos edidit, in alias quoque translatos linguas, scl. „Studyum o darwinizmie" (1873) et „Mózg i dusza" (Cerebrum et anima 1874), quibus accesit opus „O początkach chrześcijaństva" (De origine christianismi, Cracoviae 1884). Item Dr. Jos Pelczar, olim theologiae pastoralis Cracoviae professor, modo episcopus Przemysliensis, literaturam apologeticam ditavit opere: „Konferencye apologetyczne" (1893), quamvis praeprimis P. Mariannus Morawski S. J. hoc respectu optima sane praestitit operibus suis, pretium aere perennius habentibus, quorsum pertinent in specie: „Wieczory nad Lemanem" (Vesperae ad lacum Lemanum, ed. III. 1900), liber anno elapso etiam in linguam germanicam et (ex parte saltem) bohe-

micam translatus, porro „Celowość w naturze. Studyum przyrodniczo-filozoficzne“ (Quomodo in natura omnia fini obtinendo accomodata sint, ed. II. 1891 Cracov.), ubi prorsus scientifice Dei existentia argumento probatur cosmologico, nec non „Podstawy etyki i prawa“ (Ethices et iuris fundamenta, 2 tomi, Crac. 1891, 1900), ubi in primo tomo argumenta exhibentur libertatem voluntatis humanae comprobantia. Insuper silentio praetereundi non sunt auctores: Fr. Starowiejski, qui ad exemplum memorati libri „Wieczory nad Lemanem“ edidit „Wieczory nad Adryatykem“ (Vesperae ad mare Adriaticum) et P. Ledóchowski, qui a. 1898 in libellis periodicis „Przegląd powszechny“ publici iuris fecit aliquot articulos, qui inscribuntur „O wątpliwościach przeciwko wierze“ (De dubiis contra fidem), ad quos accedit etiam auctor huiusce articuli Dr. Franciscus Gabryl, Almae Matris Cracoviensis professor, qui praeter plures magni pretii [1]) publicationes et articulos philosophicos scripsit et a. 1895 in lucem edidit librum „Nieśmiertelność duszy ludzkiej w świetle rozumu i nowoczesnej nauki“ (Quae sit rationis et scientiae modernae de immortalitate animae doctrina). Tandem Dr. Joannes Żukowski, universitatis Leopoliensis professor, qui a. 1898 dissertationem publicavit „Uczucia ludzkości względem Chrystusa“ (Generis humani erga Christum affectus), ubi Christi deitas et ecclesiae catholicae veritas demonstratur, ante nonnullos menses opus edidit apologeticum, cuius titulum iam superius notavimus, „O źródłach niewiary“.

Statim in prooemio auctor notat, librum suum non esse opus specifice theologicum, nec populo, sed potius viris eruditis dicatum, ideoque etiam eiusdem stylum lectoribus eruditis esse accomodatum. Liber tres continet partes: prima demonstrat, primarium, imo unicum infidelitatis fontem non esse rationem, sed potius malam ac inordinatam voluntatem; altera varias infidelitatis causas exhibet; tertia tandem ex hominum experientia comprobat ea, ad quae auctor in partibus antecedentibus devenerat.

Pars prima in quatuor subdividitur titulos. Quorum primus influxum voluntatis in rationis cognitionem proponit. Sincere fatemur tractatum modo memoratum magna sagacitate esse exaratum; ast unum est, quod attentione dignum nobis videtur, scl. ibidem notionem erroris cum notione falsi esse permixtam. Sane quidem in communi loquendi usu non semper prae oculis habetur discrimen, quale inter errorem et falsum revera existit. Est enim erroris notio latior, falsi strictior, unde auctoris assertio, iuxta quam nonnisi voluntas semper qua immediata erroris causa declaratur, ita ut nullus error physice sit necessarius, sed quivis e voluntatis influxu proveniat, non est undequaque veritati conformis. Ita, exempli gratia, an nonnisi voluntas sola culpanda sit de eo, quod daltonista s. d. colores complementarios non videat, vel quod homo, cuius gustus e rationibus pathologicis vitiatus est, sacchari dulcedinem de regula non sapiat? — Titulus secundus fidei naturam delineat; pro nostro iudicio desideratu dignum esset, si genesis actus fidei

[1]) **Nota a redact. adiecta.**

cum maiore adhuc claritate ac perspicuitate exhiberetur. In titulo tertio, ubi infidelitatis sedes describitur, auctor infidelitatis notionem coarctat, quatenus nonnisi eos dicit infideles, qui revelationem, in quantum in ecclesia catholica asservatur, non agnoscunt; attamen notionem ita restrictam in ulteriori libri sui tractatu non observat. Fors magis sanae logicae consona esset divisio infidelium in atheistas, tales, qui revelationem divinam non agnoscunt, et tandem eos, qui non credunt ea, quae ecclesia catholica docet. In titulo quarto, ubi de mala voluntate sermo est, exponendus erat magnus influxus, quem in voluntatem, hincque etiam in infidelitatis genesim exercent personae, cum quibus communionem habemus.

In parte altera titulus primus proponit, quomodo rerum ad religionem spectantium ignorantia nascatur et crescat; cuius ignorantiae adminicula sunt morum pravitas, animi distractio, librorum unius notae selectio ac lectio. In titulo II., de morum pravitate tractante, cum magna rei utilitate foret, si tum morum pravorum effectus, tum pravitatis moralis ambitus magis adhuc exprimerentur, argumentis etiam e scientia statistica hunc in finem adductis, nam effectuum cognitio fors haud paucos ab eorum matre deterreret. Titulus III. concupiscentiae oculorum et divitiarum in fidem infaustum delineat influxum, quo respectu in titulo IV. superbia vitae in medium adducitur, cum e contra titulus V. indifferentismum religiosum ob oculos ponit, quem poena gravissima, scl. ablatio gratiae divinae ab homine, sequitur. Cum infidelitate inquietudinem conscientiae cohaerere demonstrat titulus VI., cum quo titulus VIII., de conversione ad fidem et apostasia agens, in logico est nexu, ita ut post eum demum ponendus esset titulus VII. de fidei ad varias vitae humanae vicissitudines relatione.

In parte tertia titulus I. exponit, quaenam sint spiritus mali in infidelitate divulganda partes, tit. II. agit de polytheismo apud paganos, tit. III. de polytheismo apud Judaeos, tit. IV. describit, quae et quanta pagani contra fidei christianae propagationem moliti sint, tit. V. („haeresis et schisma") demonstrat ad sufficientiam, nonnisi perversam voluntatem esse causam apostasiae et separationis a fide vera; tit. VI. („aevum medium") minus apte obtinet locum inter tit. V. et VII.; post tit. V. sane perveniendum erat ad dissertationem de pseudoreformatione saeculi XVI.: tit. VIII. („fides virorum eruditorum nostri aevi") demonstrat quasi a contrario, scientiam cum fide non posse discrepare, cum celeberrimi scientiarum cultores fidem profiterentur: tit. IX. delineat varias infidelitatis novi aevi formas, uti deismum, liberalismum, sensualismum, empirismum scholae anglicanae, materialismum, positivismum, agnosticismum, pantheismum philosophorum germanicorum: tandem in tit. X. loquitur auctor de eo, quale sit momentum testimonii, quod infidelitas exercet, dicens, infideles ad defendendam rationem humanam, quam a fide oppresam esse dicunt, haud esse competentes. In conclusione auctor principales libri sui sententias breviter repetit.

Prouti ex dictis patet, liber clarissimi auctoris modo delineatus materiae abundantia revera excellit, et non attentis quibusdam minoris momenti mendis ac insufficientiis, quae vero in nova operis editione

facile amoveri poterunt, in apologetica apud Polonos literatura unum e primis occupat locum. *X. Dr. Fr. Gabryl.*

Podręczna encyklopedya kościelna (Encyclopaedia ecclesiastica manualis). Tom I—IV. (A-B). Wydawnictwo Biblioteki dzieł chrześcijańskich. Warszawa 1904. T. I. et II. 428 pg., t. III. et IV. 421 pag.

Praeter vastae magnitudinis encyclopaediam ecclesiasticam „Encyklopedya kościelna", quam M. Nowodworski ante aliquot annos inchoavit, nunc autem A. Zaremba dirigit, quaeque anno praeterito ad volumen XXVII. pervenit (usque ad articulum „Szpaderski"), theologi Poloni aliam quoque encyclopaediam breviorem edere incoeperunt dirigente Chełmicki. Ex articulis novae huius encyclopaediae mentione digni sunt ex. gr. archiepiscopi Bilczewski articulus de archaeologia biblica, doctoris St. Pawlicki art. de Aristotele, Hozakowski art. de S. Scriptura atque de studiis biblicis, dr. Brückner de versionibus Scripturae slavicis e. a.

De bibliis polonicis, quae usque ad initium saecul. XVII. in lucem edita sunt. Commentatio biblica critica a *Stephano Zwolski*, archidioecesis Gnesnensis et Posnaniensis presbytero, s. Theologiae doctore conscripta. Posnaniae. MCMIV. 130 p. 8⁰.

Monographia haec, diligenter scripta, primum de codice, qui Sophiae biblia vocatur, uberius disserit: dein de Szarffenbergeri bibliis a. 1561 Cracoviae editis, de versionibus a Jacobo Wuyecio S. J. editis et postremo de bibliis, quae auctoribus dissidentibus (lutheranis, calvinianis, socinianis) publici juris sunt facta, fuse disputat.

Die ruthenisch-römische Kirchenvereinigung genannt Union zu Brest. Von Dr. Eduard Likowski, Weihbischof in Posen. Mit Erlaubnis des Verfassers aus dem Polnischen übertragen von Prälat Dr. Paul Jedzink, Domkapitular und Regens des Klerikarseminars in Posen. Freiburg in Breisgau. Herdersche Verlagshand. 1904. (XXII et 384 pag.).

A. 1896 edidit episcopus auxiliaris Posnaniensis Msgr. Likowski in memoriam trecentesimi anniversarii synodi Brestensis historiam unionis Ruthenorum cum ecclesia Romana in synodo illa solemniter proclamatae. Historia haec adhibitis optimis fontibus doctissime scripta nuperrime ex polonico in germanicum necnon gallicum sermonem translata est. Magni momenti sunt verba auctoris huius libri, quibus profitetur, se non dubitare, quin unio Russorum cum ecclesia Romana per Ruthenos unitos praeter spem omnium — rebus faventibus — brevi confecta futura sit.

Przegląd powszechny. Red. ks. Jan Pawelski T. J. Kraków. XXII., 1. a 2.: Dr. Leopold Caro: Prawa sługi. De jure eorum, qui in servitio sunt (in Gallicia). — Ks. Karol Krokoszyński: »Towarzystwa etyczne«. De sic dictis »unionibus ethicis«. — Ks. K. Czaykowski: Papiestwo jako wszechwładza państwowa. Papatus qua supremum regimen universale. — Karol Potkański: Konstantyn i Metodyusz. Cyrillus et Methodius. Breviter quidem, sed ingeniose ostenditur, quid notandum et animadvertendum sit de sanctis fratribus: erant homines desiderio nonnisi rerum coelestium flagrantes, nullius partis studiosi; unitatem ecclesiae omnibus votis expetebant. Dein de missione moravica ss. fratrum critice disseritur. Contra Brückner

demonstrat auctor, narrationem de legatione Rostislai ad Michaëlem esse fide dignam. Praeterea attingit nonnulas alias quaestiones nondum satis explicatas, e. g. qualis sanctis fratribus cum Photio fuerit ratio, quando s. Cyrillus invenerit alphabetum slavicum e. a. Rationem, quae s. Cyrillum impulserit, ut ritum slavicum introduceret, hanc fuisse putat: persuasum s. Cyrillo erat, hoc modo majorem auctoritatem apud populum adepturum, quam sacerdotes ex Germania advenientes. — In parte critica praeter multos alios libros hos quoque invenimus: Zeibert-Samsour Compendium Historiae ecclesiastiae. Ed. 3. (rec. ks. A. Starker).

Kwartalnik teologiczny, czasop. pośw. wiedzy katol. Red. ks. A. Szaniawski. Warsz 1904. III. X. Dr. Franc. Gabryl: Realizm i nominalizm w dziejach filozofii. (De realismo et nominalismo in historia philosophiae.) Erudita dissertatio magni pretii. — X. Julian Gołąb: O tłómaczeniu Nowego Testamentu przez X. Jakóba Wujka. (De Wuyecii versione Novi Testamenti.) Auctor examinat differentias inter editionem 1593/94 ex una et editionem 1599 ex altera parte, exponitque eas studio editorum alterius editionis textum polonicum textui Vulgatae accomodandi. Defendit Wuyecium contra nonnulos, qui ei exprobrabant ignorantiam linguae graecae nec non usum versionum heterodoxorum. — X. A. Szaniawski: Nejnowsze odkrycia w teoryi budowy psalmów. (Recentiores observationes de theoria constructionis psalmorum.) Auctor usus est pervestigationibus doctissimi Zenner et aliorum.

Przegląd kościelny. Red. X. Stanisław Okoniewski. Poznań. IV., 1. X. J. Stanisław Adamski T J.: Zmartwychwstanie ciała ludzkiego w świetle rozumu i wiary. (Resurrectio carnis probatur ex ratione et fide.) — X. Czesław Meissner: Patronat kościelny w świetle powszechnego pruskiego prawa krajowego. (De jure patronatus iuxta ius civile borussicum.) — Ks. Stanisław Okoniewski: Chrzestni wedle nauki Kościoła. (De patrinis iuxta doctrinam ecclesiae).

RUSSICA.

Ex Russorum litteris patristicis atque ss. Litteras spectantibus quaedam promuntur.

Lumen russicarum litterarum biblico-patristicarum est Nicolaus Nicanoris Glubokovskij (*1863). Is primo argumentum patristicum litteris persecutus ad biblica (N. T.) totum se contulit inde ab a. 1891. Iam dissertatio, quam scripsit, ut in magistrorum numerum adscriberetur, cuique aliud opus magnum non antecesserat: „Blaž. Theodorit, episkop Kirrskij“ (De b. Theodoreti, episcopi Cyrensis vita ac litteris 1890) famam ingenii et doctrinae summae ei fecit. A. Harnack amplissimis verbis librum hunc approbavit laudavitque in „Theologische Litteraturzeitung“ 1890 c. 502—4.

Commentationum biblicarum primordia incepit Glubokovskij a duobus libellis: „Razvod po prelubodějaniu“ (De divortio ob adulterium 1895), de quo hic alias referetur ac disseretur accuratius, et „O paschalnoj večeri Christovoj i ob otnošeniach k Gospodu sovremennago emu evrejstva.“ (De Christi coena paschali et quo animo Judaei illius aetatis in Dominum affecti fuerint, 1893). Huius opusculi, acri ingenio

et exquisita doctrina elucubrati, causa extitit liber Chwolsoni, cui similis inscriptio est (Das letzte Passamahl Christi und der Tag seines Todes nebst einem Anhang; das Verhältnis der Pharisaeer, Sadducaeer und der Juden überhaupt zu Jesus Christus. Petersburg 1892). Glubokovskij sententiam a Cornely et a Knabenbauer defensam (sed ab hoc iam revocatam) Judaeos pascha suum a feria sexta in sabbatum transtulisse negat esse probabilem aut stabilem. Tenendum tamen esse contra Chwolson ultimam Christi coenam veram fuisse coenam paschalem atque azymos panes ibi adhibitos esse; verba sacra nequaquam esse corrupta aut Chwolsoni emendatione indigere. Probabilissimam illam esse coniecturam: Christum cum apostolis coenam paschalem XIII. Nisan obiisse. In parte posteriore opinionem eiusdem Chvolsoni mirabilem, solos Sadducaeos Christo institisse, eumque in crucem fixisse, Pharisaeos ceterosque Judaeos culpa vacare — argumentis firmissimis vehementer impugnat.

Abhinc decem annos opera Glubokovskio princeps et prope omnis in s. Paulo eiusque doctrina sumpta est. Primum opus, quod his studiis debemus, est: „Obraščenie Savla i Evangelie sv. Apostola Pavla" (De Sauli conversione et de evangelio s. Pauli apostoli. 1896). Quaestio de habitu et origine doctrinae s. Pauli arcte cohaeret cum iudicio de conversione eius ad fidem Christi. Critici omnia rationi tribuentes, qui hunc casum ab animo perturbato repetunt, doctrinam Pauli habitu divino plane exuere eamque doctrinae Christi eiusque proximis discipulis (apostolis) contraria ponere conantur. Defendendum igitur et explanandum fuit accurate et erudite divinitus factum esse illud, in quo tota Pauli vita vertebatur, divinitus edoctum eum Christum secutum esse, unde ulterior inquisitio proficisci possit.[1])

Contra rationalistam C. Holsten, qui (in libro, qui inscribitur Zum Evangelium des Paulus und Petrus. Rostock 1868) varias mutationis Pauli explicationes ad rationem revocavit et coniecturam, quam psychologicam vocant, exposuit, qua visus ille damascenus in vanae speciei loco habetur atque eodem modo, quo visum, etiam doctrinam Pauli ex sola contentione animi eius effectam esse, — necnon contra rationalistas, F. C. Bauer, E. Renan, A. Schwegler, A. Hilgenfeld, qui eandem tenent sententiam, quam Holsten, — contra hos omnes Glubokovskij docet: Saulum iam antequam Christianos vexare coepisset, res christianas cognovisse; nam ni ita esset, explicari non posse, quomodo odium in Christianos a natura Sauli moribusque non abhorruerit. Cognitis accuratius iis, qui invidia eius conflagrandi essent, non potuisse eum, quin acrius fureret. Rationalistas opinione niti Saulum vexatorem multum et acriter disceptasse cum Christianis eorumque praecepta paulatim adamasse. Verum nihil aliud de illo vitae tempore traditum esse, nisi probationis genus Paulo fuisse vexationes, carceres, tormenta: hinc patere non fuisse eum ita affectum, ut cum Christianis concertaret.

---

[1]) Hoc opus accuratius explicabimus quia et fundamenta ibi posita sunt ulterioribus auctoris studiis omnino consentanea et catholicis litteris aliquid novi affertur alioquin aditu difficilius.

Quotquot psychologicam introducunt interpretationem, fluctuasse ac dubitatione aestuasse dicunt Saulum, veracne essent perceptae legis divinae cognitiones. Verum quomodo dubitatione adductum fuisse, ut in Christianos saeviret, cum, cuius iustum candorem studiumque veritatis laudibus efferant? Cum s. Stephanus necaretur, Saulum re ipsa cum iis, qui virum sanctum ob ipsius argumenta et rationes lapidarent, consensisse. Sollicitudinem igitur illam religionis, quae in visum exierit, disputationesque cum Christianis habitas alienas esse a rebus gestis et humanum animum investiganti inexplicabiles atque improbabiles. Opinio O. Pfleiderer (Der Paulinismus, das Urchristentum. Berlin 1887) qui demonstrare conatus est eandem esse probationem Christianorum, eandem imaginem Messiae, quam Pharisaei Veteris Testamenti libros interpretantes proponebant, a Glubokovskio pariter refutatur ac diluitur. Id, in quo Saulus offensus est, fuit crucis supplicium, quo Christus interemptus erat. Sin verum est Dominum virtute divina de sepulcro insurrexisse — etiam Pharisaeo fatendum est cruci affixum fuisse Messiam. Itaque hoc caput est, num Christus ab inferis exstiterit. Sed quae Pharisaei de mortuorum reditu in vitam sentiebant, repugnabant testimoniis Christi ab inferis revocati. In eorum sententia corpori reviviscenti non erat locus nisi die illo, qui finita hac lege mundi nos reponet in lucem: in intelligentiam eorum non cadebat corpus renasciturum nisi adiunctum ut conditio gloriae et felicitati futurae, nisi consecuturum (minime inchoaturum) regnum Messiae. Christum e sepulcro exiisse Judaei non magis cogitare potuerunt quam Nicodemus, litterarum divinarum interpres, renascendi necessitatem. Ne discipuli quidem Christi neque Maria Magdalena statim credidere Christum reducem in lucem factum esse. Quod Christianis de Christo redivivo persuasum erat, hoc theologi Judaei blasphemiam habebant. Idem Saulus sentiebat: Christianos Christum a se conspectum esse pro certo affirmantes, si quid eis dabat, facilius, utpote qui cum Judaeis staret, a daemone deceptos esse suspicabatur. Itaque quod a Christianis afferebatur, Saulo fidem non solum non fecit, sed etiam stimulos addebat. Descriptionem illius quasi cuiusdam pugnae animi, quae potissimum relicto ex morte Stephani pro Christo occubita in animo aculeo cruduerit, rationalistae apud ipsum s. Paulum Rom. 7 inveniri opinantur. Eo loco animus hominis nondum renati et lege pressi depingitur. Re exegetica pervestigatione comprehensa Glubokovskij concludit: illâ pugnâ animi potius auctum esse Judaei acerrimi legis studium; conflatos lege cruciatus animum ad eandem convertere legem; idem Paulo accidisse (Act. 22, 3; 23, 1; 26, 5; Gal. 1, 14; Philip. 3, 6); adductum eum esse, ut Christianos sibi esse vexandos persuasum haberet (Act. 26, 9). Apostolum factum nihil habere eum excusationis eorum, quae commisisset, nisi quod „ignorans fecerit in incredulitate“ (1 Tim. 1, 13). Si res naturae via processisset, Saulum futurum fuisse patriotam Judaeum acerrimum, fanaticum legis cultorem ac defensorem in mediis urbis sacrae ruinis exstinguendum. Nullo epistolarum loco Paulus, admodum subtilis animi humani explorator, mutationem suam ullis animi motibus praeparatam fuisse dicit. In eum non cadebat nisi aut subito sententiam mutare

aut nunquam. Sententia examinata de „immanenti evolutione mentis indaicae“ (A. Hausrath) antinomiarum hegelianarum principio continetur et schema darwinianum imitatur. Verum ad hoc sententia darwiniana multo minus apta est quam ad animantia. Visum illum damascenum factum esse etiam a rationalistis conceditur; eorum explicatio naturalis et psychologica iis, quae facta esse constat, repugnat et psychologica portenta continet. Eadem explicatio cum doctrinae Pauli temperantia discrepat. Etenim si ex diversitate inter Christianos et Judaeos placita eius profecta essent, Paulus desertor evasisset erga dissentientes Judaeos non magis indulgens quam antea erga Christianos. Disciplina eius funditus antiiudaica fuisset. Nec tamen quidquam eiusmodi apud Paulum invenitur. Judaeos fratres appellat, evangelio legem consummari, traditam a Deo doctrinam absolvi docet. Mirificam in latebram qui dissentiunt se coniiciunt: christiana iudaicis admixta a Paulo esse, ne iudaica tollerentur. Quae confusio montium Sinai et Golgotha plane abhorret a Pauli doctrina. Fingunt Paulum aut Ebionitam fuisse aut Marcionitam, res inter se plane contrarias, quibus collatis opinio ruit. Ignorant summam praeceptorum Pauli, quibus lex perficitur, quibus lex subiecta est. Lege evangelium historice praeparatur, quibus reapse concurrentibus huic illa cedit. Christus finis est legis ac dominus (Rom. 10, 4. 98—116).

Quae cum ita sint — dicit Glubokovskij — dirempta hac opinione psychologica diversa priori posita est a M. Friedländer. Quae Saulum fert liberius sensisse de iudaicis rebus ac favisse Graecorum cultui. Christum ab eo ferri non potuisse, quod legi religiosissime addictum eum esse opinaretur. Oratione et morte Stephani iudicium eius supplantatum esse. Quae opinio discrepat cum testimoniis et ipsius Pauli et scriptoris rerum eius. Nec in Stephani oratione nec in ullo apostoli gentium loco quicquam inest, quod odium iudaicum aut studium graecum indicet; uterque utriusque testamenti doctrinam pro tradita a Deo habet.

His ultimum quoque rationalistarum subsidium videmus prostratum esse. Ratione colligere cogimur miraculo divinaeque gratiae vi Pauli animum mutatum esse. Sed nonne hoc posito conversio Pauli viribus quibusdam magicis tribui, neglectoque personae habitu ab arbitrio repeti videtur?

Subtili modo Glubokovskij gratiam neque in Paulo „destruxisse naturam, sed perfecisse“ comprobat. Sauli studium pharisaicum ad extrema pervenerat; legis onere sane premebatur; legis perfectionem anhelabat ad eam tamen pervenire non potuit. Animus intus ardebat, oculi impediebantur et furore pharisaico obcaecatus contra stimulum veri christiani calcitrabat, cuius splendor aegrum eius oculum irritabat. Opus fuit liberatore ac medico; et „Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in corde eius ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Jesu Christi“. 2 Cor. 4, 6. Similiter ac discipulis ianuis clausis ei quoque Christi vultus aspiciendus erat, ut e servitute legis in libertatem filiorum Dei educeretur. Dignum se praestitit libertate iam diu desiderata; gratia supplevit, quod defuerat, ideo pietatis erga Deum plenus conclamavit: „Gratia Dei sum id quod sum“ (1 Cor. 15, 10). Visus igitur damascenus non fuit „magicus“ aut violentus; succurrisse

potius opemque tulisse viro acerrimo dici potest. Damasci non intelligebant quomodo novum Pauli studium christianum cum rebus ab eo antea gestis conciliaretur; quae cum ita essent, apostolus ipse sensit, sibi legem christianam penitius esse percipiendam. Quamobrem in Arabiam secessit. Ibi, dum in solitudine vivit et divino et rationis lumine congruenter erudiebatur. Hinc tantus ille vigor et calor apostoli scribentis; hinc consentaneus naturae Parsensis renati fervor ille, quo doctrina eius redundat. Unde patet Pauli mutationem non esse factam vi „magica" nec Pauli indoli vim esse allatam. Sicut ope divina, non sponte sua ipse mutatus est, ita disciplina, quam tradebat, non fuit Pauli propria aut ex ipso nata, quia Paulus fuit „apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem" (Gal 1, 1); si ipsam rem spectes nihil aliud est quam evangelium Christi.

In extremo libro Glubokovskij ex Pauli vita animoque praeclara quaedam et religionis plena addit de eo, quid fides ad doctrinas valeat. Studiorum nostrorum agitationi signum quod sequatur illa apostoli verba esse iubet: „Fide intelligimus" (Hebr. 11, 3).

Liber hic prae aliis parvus quidem sed rebus refertus elationə atque altitudine sermonis summoque ingenio insignitur.

Glubokovskij vix unquam cessat a suo genere studiorum. Etiam illa, qua summos doctoris honores petebat dissertatio in his studiis versatur: Blagověstie sv. ap. Pavla po ego proishoždeniu i suščestvu (De origine et genere evangelii s. Pauli apostoli; quaestio biblico-theologica) Spb. 1897. Quod scio in mercaturam librariam non venit. Russi qui eadem studia profitentur in libri censura scripserunt tanta eum disputandi subtilitate excellere tantoque iudicio et adeo perfectam litterarum, quae ad rem pertinent, encyclopaediam continere, ut omnibus occidentis operibus similis argumenti anteeat (Bog. Enciklopedia t. IV. st. 417). Haec dissertatio pars est magni operis, quod adhuc non est perfectum. Quaedam eius capita emittuntur in commentariis qui inscribuntur Christianskoe Čtenie, inde ab a. 1897. Hucusque in lucem edita sunt capita de Pauli doctrina de peccato, de mundi redemptione, de iustificatione, de novissimis, de angelis, de daemonibus, de comparatione Pauli doctrinae cum doctrina Philonis et libri Sapientiae. Accuratius examinari opus non poterit nisi postquam perfectum erit.

Verum Glubokovskij etiam interpretandis s. Pauli epistolis operam dat. Hucusque epistolae ad Galatas paraphrasis edita est sub hac inscriptione: Blagověstie christianskoj svobody v poslanii sv. Ap. Pavla k Galatam (De apostolo in ep. ad Gal. libertatis christianae praecone (Spb. 1902). In libri exordio epistolam ad septemtrionales Galatas (Galatiae ethnographicae incolas), non ad incolas provinciae romanae, quae Galatia vocabatur, datam esse defendit (p. 11—31). Idem anno 57 vel ineunte 58 p. Ch. n. conscriptam eam esse existimat; idque alicubi in Macedonia. Simul etiam alias sententias de his rebus controversis exponit.

Fr. Grivec.

Н. М. Соколовъ, Русскіе святые и русская интеллигенція С.-Петербургъ. 1904. *N. M. Sokolov,* **Russkie svjatye i russkaja intelligencija. Russiae Sancti et classis eruditorum.**

Qualis est in Russia classis eruditae relatio ad Russiae Sanctos? Nil minus quam benevola. Libri auctor explicationem hujus rei in illo infausto influxu quaerit, quem Occidens in litteratam Russiae partem exercet. Roma, — iuxta ipsius sententiam — dominii potestatisve studiosa, saec. IX. ab ecclesia se sejunxit ac hominum conscientiis potita ex liberis ecclesiae membris oboedientes subditos educavit, qui suae conscientiae moralisque vitae curam praesuli suo Romae plene reliquerunt. Infallibilitatis oraculum, in ecclesiam rationalismum suo modo conceptum inducens, non solum in homine christiano omnem iniciativam ac sui juris judicium, omnem inquisitionis libertatem nec non omne struens studium in rebus fidei et in charitatis spiritu delevit, sed etiam fidem a vita prorsus disjungens hominem occidentalem in duas partes scidit. Haec infirmitas aliena opinione et aliena mente freta, adeo essentialis pars naturae occidentalis christiani evasit, ut etiam post illam magnam seditionem a Luthero inchoatam nationes infallibilitatem papalem simpliciter tantum infallibilitate professorum protestantium vel infallibilitate ad tempus illustrium diversorum luminum modernorum commutaverint. „Marx dixit haec", ratio sescentis sufficiens.

Russiae pars erudita levi animo Occidentis ideas sugens, ecclesiasticaeque dependentiae quod reliquum restitit false prout libertatis progressusque ideas recipiens, ad eosdem tristes fines pervenit. Animum ab operibus, theoriam a vita separans, coram Occidentis ratione tamquam coram idolo se prosternit atque in deditionem ejusdem rationis, fortis et magnae in analysi et destructione, debilis vero in synthesi, etiam ecclesiam orthodoxam subigere studet, quae aliis prorsus principiis (principiis fidei, libertatis, caritatis) fundata, auctoritatum infallibilitatem ignorat et unumquemque suae conscientiae et suae vitae rationem reddere jubet. Implacabilitas utriusque principii implacabile odium nutrit in Russiae eruditis erga ecclesiae orthodoxae Sanctos utpote russicae sanctitatis columina, quorum festa odio prosequuntur ac prorsus, nisi populum timerent, amovere malent. Fides, quae recte vivere docet, pax praeceptorum caritatis observatione obtinenda, dominium fraternalis unitatis in fide, en qualitates, quibus Russiae Sancti ab egoismo et turbulento animo infidelis russicae eruditionis distinguuntur. — Auctor praejudiciis erga ecclesiam occidentalem adeo succubuit, ut ipsius negotiis, in quibus non est singulariter versatus, maximam fere partem libri dedicaverit, haud ad libri emolumentum, cuius quaestionem in titulo libri positam obiter tantum tangit et certe longe non exhaurit.

Dr. *Lubomír Petr.*

Толкованя Библія или комментарій на всѣ книги св. Писанія Ветхаго и Новаго завѣта. Подъ редакціей А. П. Лопухина. Пятокнижіе Моисеево. **(Biblia commentata, seu Commentarius in omnes libros S. Scripturae Veteris et novi Testamenti.** Dirigente A. P. *Lopuchin,* I. *Pentateuchus Moysis.*) Petersburg 1904. 8⁰ Pg. XVI + 669. — 2·50 rub.

Liber hic utilissimus ut additamentum (gratis) folii theologici „Strannik" (Peregrinator) in lucem prodiit, ut „esset sacerdotibus-pastoribus et omnibus amatoribus lectionis verbi Dei adminiculum ad S. Scripturam recte intelligendam, ad veritatem probandam et defendendam insuper etiam dux ad multos locos obscuros S. Scripturae intelligendos". Finis ergo est magis practicus quam scientificus, tamen liber non est destitutus omni momento scientifico, cum in eius editione collaborarent „professores Academiarum theologicarum (Духовныхъ Академіи) et alii viri, qui studia theologica sublimiora absolverunt". In I. tomo nomina horum doctorum collaboratorum non sunt indicata, quod aliquantum derogat auctoritati operis scientificae.

Brevis introductio generalis agit de „notione S. Scripturae" de „idea fundamentali S. Scripturae", de „Vetere Testamento" et de „Pentateucho", continens brevem conspectum questionum gravissimarum. Haec pars composita est praecipue secundum „Manuel biblique" clarissimi Vigouroux in versione russica, quam curavit V. V. Voroncov (Руководство къ чтенію и изученію Библіи. tomi I. II. Moskva 1897). P. VI., ubi de textu originali librorum deuterocanonicorum mentionem facit, auctor videtur nescire textum originalem „Ecclesiastici" fuisse hebraicum. Notandum est auctorem introductionis huius tenere de divisione librorum S. Scripturae in canonicos et deuterocanonicos doctrinam — ut videtur in scientia theologica russica communem — diversam a doctrina ecclesiae et scientiae catholicae. Dividit enim libros S. Scripturae in canonicos et non-canonicos: libri non-canonici non sunt inspirati, tamen utiles et aedificationi servientes, nihilominus non expertes opinionum subiectivarum scriptorum, quae etiam erroneae esse possunt.

Commentario singulorum librorum praemissae sunt notitiae brevissimae de nomine, origine et authentia eorundem librorum. „Commentarius" ipse proprie est textus Scripturae russicus cum notis ad marginem. In commentario afferuntur omnia secundum statum scientiae biblicae hodiernae, etsi non in forma omnino scientifica, cum finis operis non sit scientificus sed practicus. Ex scriptoribus nonrussicis satis multi citantur, sed non satis accurate; inde a pg. 153. citatio est accuratior, indicantur enim non solum scriptores, sed etiam libri cum suis paginis. Citatio scriptorum russicorum est frequentior et accuratior. Saepissime allegatur egregius commentarius in Pentateuchum (nunc iam nonnihil obveteratus) conscriptus a professore G. Vlastov, священная лѣтопись первыхъ временъ Міра и человѣчества, какъ путеводная нить при научныхъ изысканіяхъ (Chronica Sancta primorum temporum mundi et hominis ut dux in exquisitionibus scientificis), 3 tomi, Peterburg 1878: in commentario ad Genesin non multo rarius allegatur commentarius metropolitae Philareti, Записки на Бытіе (Notata ad Genesin) ut videtur ex allegationibus magis innisus exegesi patristicae (in allegando hunc auctorem commentarius noster saepe minus accuratus est.) Praeterea indicantur etiam nonnullae monographiae russicae, quibus auctor nostri commentarii usus est, e. g. A. Pokrovskij, Библейское чтеніе о первобытной религіи (Doctrina biblica de primaeva religione), J. Spasskij,

Библейская хронология (Chronologia biblica), S. S. Glagolev, Происхожденіе человѣческаго рода (Origo generis humani), Th. G. Eleonskij, Исторія израелскаго народа въ Египтѣ (Historia populi Israel in Aegypto).

Commentarius ad Genesin est relative amplus (una cum textu pg. 271) et continet claram explicationem etiam difficilium quaestionum exegeticarum, prudenti moderatione mediam viam tenens inter varias opiniones novissimas et veteres. In quaestione de hexaëmero theoriam „visionis" suam facit (p. 6). Quaestionem de diluvio nimis parce tractat, varias theorias novas non explicat, sed tenet adhuc diluvium et geographice et ethnographice universale (p. 52—53), probabiliter ne lectores, quibus opiniones novae adhuc ignotae sunt, novitate opinionum nimis perturbet. Multo amplius et profundius secundum hodiernum statum scientiae, explanat sic dictam „tabulam populorum" Gen. c. 10. (pg. 67—78): haec pars certe est una ex optimis. Etiam sequentia capita Gen., ubi multae occurrunt genealogiae et historia populorum orientalium saepe tangitur, praeclare et docte sunt explicata (praesertim c. 11—19 pg. 79—127). In historia Joseph et populi Israel in Aegypto satis respiciuntur antiquitates aegyptiacae (Gen. c. 37—50; Exod. c. 1—12; pg. 207—316). Ad c. 26. ssq. Exodi necessaria esset accuratior explicatio de constructione tabernaculi cum imaginibus melioribus (pg. 360 sqq.).

Commentarius in libros „Leviticum", „Numeros" et „Deutoronomium" (pg. 409—669) iam non est tam accuratus et amplus. Verum est praesertim librum „Numerorum" et „Deuteronomii" (pg. 505—569) non exigere tam accuratam explicationem quam priores libri; tamen etiam huius circumstantiae ratione habita iam ex forma externa et ex proportione commentarii ad textum elucet explicationem hic iam non esse tam sollertem, quam ad priores libros. Perfectiorem et diligentiorem compositionem totius libri impedivit mors dirigentis A. P. Lopuchin (aestate 1904), libro quoad magnam partem nondum completo.

Opus hoc, fini suo quam optime adaptatum, certe omnibus bene inserviet et progressum scientiae biblicae conformiter cum veritatibus christianis quam latissime divulgabit. Loco tam multarum imaginum minus clararum multo melius esset addere nonnullas tabulas geographicas et schemata (praesertim de tabernaculo et postea de templo). Ad maiorem claritatem historiae sacrae utile esset saepius respicere chronologiam biblicam conformiter cum progressu historiographiae modernae. Ad valorem scientificum totius operis augendum in tomis sequentibus semper scriptores singularum partium commentarii indicentur et citatio aliorum auctorum accuratius et methodo hodierno scientifico respondens sit: hoc laborem non multo augebit, operi autem multum proderit.

F. G.

Ex apologia russica biblica. Ref. *F. Grivec.*

1. S. L. Kuljukin, Сущность христіанства А. Гарнака (Sušĕnost christianstva A. Harnacka. Essentia religionis christianae professoris A. Harnack). Peterburg 1902. Pg. II + 183. — 1 rub.

Prima pars (p. 4—82) continet versionem abbreviatam et analysim libri Harnack; secunda pars continet criticam. Kuljukin satis cognitam habet literaturam germanicam de hac quaestione: ceterum non se ostendit magnum theologum nec virum scientiae. Pg. 96—98 defendit opinionem: existentiam Dei non posse demonstrari, quod certe non convenit cum theologia ecclesia orientalis. In fine dicit, librum Harnack immerito ferre titulum „Essentia religionis christianae", cum potius sit eius destructio (p. 182).

2. A. P. Lopuchin. Воскресеніе Христово (Voskresenie Christovo. „Resurrectio Christi tamquam miraculum magnificentissimum et fidei dignissimum"). Tractatus apologeticus. Peterburg 1903. Pg. 171. — 1 rub.

Tractatum de resurrectione Christi Lopuchin ipse (in ipso libro auctor non est indicatus, sed certum est ipsum Lopuchin esse auctorem, cf. „Strannik" 1904 II. p. 302) pulchre et eleganter conscripsit. Auctor satis novit statum hodiernum scientiae biblicae. Explicando philosophice et theologice notionem miraculi auctor nimis incidit in doctrinas protestanticas, quae cum doctrina ecclesiae orientalis certe componi non possunt; dicit enim, miraculum esse quidem effectum supernaturalem legum superiorum, nihilominus tamen ad ordinem mundanum pertinere (pg. 12—17); generaliter de hac re minus clare loquitur et parum tuetur characterem miraculi supernaturalem tamquam effectum omnipotentiae Dei. Hac in re videtur nimis confisum esse folio „Allgem. Evang. Kirchenzeitung 1903", quod pg. 13 citat. In fine (p. 156—171) additus est pulcher et instructivus tractatus pictoris E. P. Voronec de descriptione Resurrectionis Christi in iconographia christiana, praesertim russica.

3. Библія и Вавилонъ (Biblia et Babylon). Prima pars: „Biblia et novae inventiones in Babylonia" a prof. V. P. R[ybin]skij. Secunda pars: „Contentiones de S. Scriptura in Germania" ab A. P. L[opuchi]n Peterburg 1904. Pg. 134. — 1 rub.

Prima pars (pg. 3—93) omnino scientifice tractat de novis inventionibus in Babylonia, de cosmogonia et variis mythis babylonicis eorumque relatione ad S. Scripturam, quam auctor contra rationalistas defendit. Praesertim pretiosa est pro nobis plena enumeratio totius sat magnae literaturae russicae de hac quaestione; literatura non russica — etiam catholica — saepe respicitur.

Omnes hi tres libri prodierunt ut additamenta folii „Strannik" dirigente A. P. Lopuchin, habentque praeprimis finem apologeticum.

De Russorum doctrina de moribus. Compositum ab *A. Špaldák S. J.* — Librorum commentationumque, quae in Russia de ratione rectae honestaeque vitae scriptae sunt, numero lustrato, haud ita inferiores hac re litteras Slavorum theologicas esse aliis iudicare non dubitabimus. Solum aliquot recentia volumina de parte morali philosophiae et theologiae colligere libet: Archim. Platonov, Pravoslavnoe nravstvennoe bogoslovie [2] Moskva 1855. — Aleksěj Vukolov, O sovětach evangelskich. Spb. 1858. — P. Slovjarskij, Zapiski po nravstven-

nomu pravoslavnomu bogoslovin I—III, 1860—63 Spb. — N. A. Favorov, Očerki nravstvennago pravoslavno-christianskago učenija. 1863. — J. Chalkolivanov, Pravosl. nravstvennoe bogoslovie. Samara 1872. — A. N. Nadeždin, Prava i značenie ženščiny v christianstvě. Spb. 1873. — Th. Gusev, Izloženie i kritičeskij razbor nravstvennago učenija Schopenhauera M. 1877. — A. P. Malcev, Nravstvennaja filosofija utilitarizma. Spb. 1879. — A. A. Bronzov, Aristotel i Thoma Akvinat v otnošenii k ich učeniju o nravstvennosti. Spb. 1884. — S. Zajcev, O predmetě etiki i eja oblasti. Kiev 1884. — A. Běljaev, Ljubov božestvennaja [2]. M. 1884. — V. Mavrickij, Očerki osnovnyh položenij christianskago nravoučenija. Voronež 1886. — D. J. Tichomirov, Sv. Grigorij Nisskij kak moralist. Mogilev na Dněprě 1886. — N. G. Lebolskij, O vysšem blagě ili verchovnoj cěli nravstvennoj dějatelnosti. Spb. 1886. — J. Svěčin, Osnovy čelověčeskoj dějatelnosti. Spb. 1887. — S. Govorov, Moralnaja filosofija stoikov v otnošenii k christianstvu. Charkov 1887. — Jaroš, Voprosy sovremennoj morali. Charkov 1888. — A. Chrapovickij, Psichologičeskija dannija v polzu svobody voli i nravstvennoj otvětstvennosti [2]. Spb. 1888. — Iv. Pjatnickij, Opyt pravoslavnago nravstvennago bogoslovija. Stavropol 1890. — S. P. Nikitskij, Věra pravoslavnoj vostočnoj greko-rossijskoj cerkvi, po eja simvoličeskim knigam. Tetrad vtoraja: učenie o nravstvennosti. M. 1890. — N. Sokolovskij, Religija ljubvi i egoizm. M. 1891. — Archim. Gavriil, Pravoslavnoe nravstvennoe bogoslovie [2]. Tver 1891. — Al. Pokrovskij, Pravoslavno-christianskoe nravstv. bogosl. [2] Samara 1892. — M. Olesnickij, Nravstvennoe bogosl. Kiev 1892. — J. Nevzorov, Moral stoicizma i christianskoe nravoučenie. Kazan 1892. — J. Berdnikov, O vospriemni čestvě pri kreščenii i duchovnom rodstvě, kak prepjatstvii k braku. Kazan 1892. — N. P. Archangelskij, Zadača, soderženie i plan sistemy pravoslavno-christianskago nravoučenija. Simbirsk 1894. — Al. Gusev, Religioznost kak osnova nravstvennosti [2] 1894. — M. Selezney, Osnovy morali evolucionizma. Charkov 1894. — Ep. Nikanor, Pravoslavno-christianskoe nravstvennoe bogoslovie [2]. 1894. — N. Strachov, Brak razsmatrivaemyj v svoej prirodě i sostorony formy ego zaklučenija [2]. Charkov 1895. — S. Argamakov, K voprosam etiki v sovremennom brakě. Popock 1895. — N. Sokolovskij, Mysli ob osnovach žitejskoj nravstvennosti i čelověčeskago sčastija. Irbit 1895. — M. Olesnickij, Iz sistemy christianskago nravoučenija. Kiev. 1896. — Šapošnikov, Opyt matematičeskago vyraženija ponjatij i vyvodoj etiki. M. 1896. — J. V. Popov, Estestvennyj nravstvennyj zakon. Sergiev Posad 1897. — T. J. Butkevič, Zlo, ego suščnosť i proischoždenie. Charkov 1897. — J. V. Popov, Samoubijstvo. Serg. Pos. 1898. — Zelepugin, Nravstvennost raskryvaemaja po rukovodstvu tvorenij svjatitelja Tichona Zadonskago. Astrachan 1900. — D. P. Mirtov, Nravstvennoe učenie Klimenta Aleksandrijskago. Spb. 1900. — D. A. Dobrosmyslov, Postanovka i raskrytie zapovědi o lubvi v nravstv. zakoně evangelskom sravnitelno s zakonom vetchozavětnym. Charkov 1900. — Idem, O cer-

kovno-kanoničeskom zakoně protiv brakov v rodstvě. Charkov 1900. — D. Thavorskij, Pravoslavnoe christianskoe nravstvennoe učenie i sovremennaja estestvenno-naučnaja moral. Spb. 1900. — P. Smirnov, Učenie o lubvi christianskoj. Spb. 1901. — A. Bronzov, O christianskoj semě. Spb. 1901. — P. Soljarskij, Nravstvennoe pravoslavnoe bogoslovie. Spb. 1901. — M. Olesnickij, Nravstvennoe bogoslovie. Kiev 1901. — Al. Gusev, Neobhodimost vnešnago bogopočtenija [3]. 1902. — N. G. Gorodenskij, Nravstvennoe soznanie čelověčestva. Serg. Lavra 1903. — L. J. Petražickij, O motivach čelověčeskich postupkov. Spb. 1904. — A. Zamjatin, Pokajanie i ego značenie dlja nravstvennoj žizni. Kiev. 1904.

Saltem nonnulas commentationes quoque afferre in animo est in periodicis editas: Determinismum petunt N. N. Glubokovskij in Věra i Razum 1888; P. J. Linickij in Trudy kievskoj duch. akad. 1881; V. Golubinskij in Pravoslavnyj Sobesědnik 1877 etc. — De ss. patrum doctrina bene vivendi scripserunt A. Martynov (in Pribavlenija k izd. tvor. sv Otc. 1889—90 de s. Clemente alex.), D. P. Mirtov (in Christ. Čt. 1900 de eodem), A. Derevickij (in Věra i Raz. 1885 de s. Basilio), A. Leporskij (in Chr. Čt. 1898 de s. Jo. Chrys.), A. Bronzov (in Chr. Čt. 1900 de s. Macario aegypt. — De „duello" exposuerunt Bronzov (Chr. Čt. 1897), D. Vvedenskij (in Věra i Cerkov 1899), N. Miseev (in Věra i Raz. 1900) etc.

Ultimos nominare libet libros, in quibus doctrina de officiis traditur mediarum scholarum tironibus: L. Bogdanovskij, Uroki christianskoj nravstvennosti. Spb. 1877; N. Thavorov, O christianskoj nravstvennosti. Kiev 1880; P. Gorodcev, Kratkie očerki pravosl. christianskago nravoučenija [8] Spb. 1895; V. Temnověrov, Nravstvennoe pravoslavnoe bogoslovie. Jurjev 1896; J. Bobrovnikov, Suščestvennyja čerty pravoslavnago nravoučenija. Elisavetgrad 1897; A. Pokrovskij, Očerki pravoslavnochristianskago nravoučenija. Samara 1897; P. A. Smirnov, Suščestvennyja čerty christianskago nravoučenija. Spb. 1903.

In hac tanta librorum copia librum Iv. Pjatnickii (Tentamen theologiae moralis orthodoxae. Stavropol 1890 p. 343) accuratione et inventione praecipuum esse et secundum locum Nicanoris episcopi (al. Kamenskij) librum (Theologia moralis orthodoxa[2] Petrop. 1894 p. 156) obtinere theologi Russorum dicunt. Eos duo sequimur de discrepantia doctrinae de officiis inter theologos nostros et Russos agentes; quodsi deficiant, A. Bronzov, virtutis magister, multorum scriptor librorum, academiae clericorum petropolitanae professor, nos docebit, quid in Russia tradatur. Quae P. Ozereckij (Istoričeskij očerk razvitija rimsko-katoličeskago nravoučenija in Penzenskija Eparchialnyja Vědomosti 1873) de catholicae doctrinae de moribus initiis et quae incertus auctor in periodico Věra i Razum 1890 (Kazuistika i suďby eja v rimsko-katoličeskoj cerkvi) scripserunt, negligendum nobis esse statuimus.

Ne quis obstupefiat, re aliter ac speraverat cadente, monendi sunt lecturi mirum non esse, si pars moralis a Russis obscure et levitate incredibili tractatur et explicatur. Catholicas litteras reliquerunt, studia contemnunt, in animum inducere nequeunt, ut se institutioni ecclesiae nostrae committant aeque saltem ac praeceptoribus protestanticis utantur. Sine magistris per se soli doctrinam de moribus veram et incorruptam moliuntur. Rem dixerim magis ad famam temeritatis quam gloriae insignem. Ceterum Russi ipsi sentiunt hanc theologiae suae partem parum valere.

M. A. Olesnickij haec scribit (Isterija nravstvennosti i nravstvennych učenij č. I. Kiev 1882 p. 110): Kto znakom s sostojaniem u nas etiki a komu, s drugoj storony, izvèstny uslovija postroenija nauki i vozmožnost' strogo-naučnago izloženija učenija o nravstvennosti, tot bez malejšago kolebanija budet utverždat' čto etika nahoditsja u nas v nastojaščee vremja v vesma neudovletvoritelnom sostojanii, čto ona ne postrojaetsja u nas na strogo-naučnyh načalah, na kotoryh dolžna postrojat'sja, kak nauka. Cf. N. P. Archangelskij, Zadača, soderžanie i plan sistemy pravoslavno-christianskago nravoučenija. Simbirsk 1894.

Nicanoris episcopi liber non omnia continet, quae de officiis quaeri possunt, sed parvam dumtaxat partem, qua quid doctrina de moribus sit, quid mores ipsi, quid factorum conscientia, peccatum valeant, quid virtutem impediat, quid foveat etc. explicatur. Pjatnickii liber latius quidem patet, verum per se aestimatus aeque mancus est. Neque Nicanor neque Pjatnickij quaerit, num aut cur haec et haec actio sit improba; potius quae sit honesta; potius igitur virtutes quam officia, potius pars ascetica quam pars moralis ab eis explicantur. Quin etiam nos obiurgant non sufficere nobis illud ‚Furtum non facies' aut illud ‚Inimicum diliges' etc., et nimis diligenter inquirere nos, quid excusari possit, „quid furti licitum sit" etc. At nescio an a nostris theologis non ita quaeratur furtum, quod permitti possit, sed quid sit furtum; nec puto adeo id omnibus notum esse, ut nullo modo sit explicandum. (Finis sequetur.)

A. P. Lopuchin († 4. Septembris a. 1904). A. P. Lopuchin (natus a. 1892) a. 1878 in Academia theologica Petropolitana studia theologica absolvit. A. 1881 promotus est ad gradum magistri theologiae; inde ab a. 1885 fuit docens, ab. a. 1889 autem professor extraordinarius historiae universalis antiquae in academica theologica Petropolitana Etsi ipse non pertinebat ad doctissimos professores theologiae russicos, tamen propter miram suam eruditionem universalem, magnam diligentiam et energiam coniunctam cum sensu practico, merito dicitur unus ex viris de magno progressu scientiae russicae theologicae ultimo decennio optime meritis. Tempore, quo litteratura theologica russica stagnare videbatur et folia periodica scientifica vix iam vegetabant, A. P. Lopuchin folium ecclesiasticum »Cerkovnyj Věstnik« et folium theologico-scientificum »Christianskoje Čtenie« dirigenda suscepit; eo dirigente (a. 1893—1903) ambo folia sub omni respectu florere coeperunt. A. 1899 folium practico-theologicum »Strannik« in eius dominium transiit. Lopuchin folium auxit et divulgavit et coepit eddere seriem addimentorum sub titulo »Bibliotheca theologica popularis« (Общедоступная богословская библіотека); ex 14 amplis tomis, qui iam prodierunt, pro scientia theologica maximi sunt momenti: »Historia ecclesiae christianae saec. XIX.« (Исторія Христіанской Церкви въ XIX. вѣкѣ) 2 tomi, Peterburg 1900—1901; I. tomus, (de ecclesiis catholica et protestantica)

non est scriptus scientifice, II. tomus (oriens »orthodoxus«) conscriptus quoad maiorem partem a doctis professoribus J. J. Sokolov et St. G. Runkevič magni est momenti scientifici; Encyclopaedia theologica orthodoxa (Православная Богословская Энциклопедія) 5 tomi (usque ad literam russicam H); »Commentarius in omnes libros S. Scripturae«, I. Pentateuchus, Peterburg 1904. Praeterea ut addimentum folii »Strannik« inde ab a. 1902 prodierunt tres libri collectionis apologeticae (contra Essentiam religionis christianae Harnack, »Resurrectio Christi«, »Biblia et Babylon«), quae collectio continuabitur. Omnia haec et alia addimenta »Strannik« eo dirigente prodierunt et partim ab eo conscripta sunt. Ipse vertit in linguam russicam varia opera theologi anglici Farrar (Vita J. Christi, Vita et opera S. Pauli ap., Vitae et opera ss. Patrum et Doctorum Ecclesiae), »Apologiam religionis christianae« Luthard, »Ethicam christianam« Martensen et a. Ex operibus, quae ipse conscripsit, multa carent momento scientifico, cum deesset auctori tempus ad profundiores inquisitiones scientificas instituendas. Maioris momenti sunt: »Historia biblica novis inventionibus collustrata« (Библейская исторія при свѣтѣ новѣйшихъ изслѣдованій и открытій) 2 tomi, Peterburg 1889—1890 ad N. T. Peterburg 1895; Manuale ad historiam biblicam (»Руководство къ библейской исторіи«) 2 tomi, Peterburg 1896; »Rex babylonicus Ammurabi eiusque legislatio comparata cum legislatione Moysis« (Вавилонскій царь правды Аммураби) Peterburg 1904; »Providentia Dei in historia generis humani« — philosophico-historica probatio doctrinae S. Augustini et Bossuet (Промыслъ Божій въ исторіи человѣчества) 1898. — Generaliter A. P. Lopuchin magis sollicitus erat ad progressum scientiae divulgandum, quam ad novas profundas exquisitiones scientificas, ad quam nec tempus ei superfuit instituenda, et ad impedimenta technica et practica scientiae russicae theologicae removenda; hoc sub respectu vir vere admirandus videtur dicendus, cum plurima magno cum successu perfecerit. Hinc inde nimium influxum scientiae theologiae protestanticae admittit nec scientiam resque catholicas aequitate scientifica aestimabat, sed saepe nimio impetu contra eas abreptus est. *F. G.*

P. A. Palmieri de Russia. In periodico petropolitano Церковныя Вѣдомости n. 45 (6./19. Nov.) edita est epistola P. A. Palmieri O. S. A., qui vir doctissimus in Russia per aliquod tempus commorabatur missus a Vaticano. Is scribit ibi res memoria dignas: »Libri liberalium artium et theologici Russorum in occidente incogniti sunt. Inter opinionum commenta occidentis est litteras Russorum parvi pretii esse. Qui facultates theologicas Italiae (etiam Romae) cum academiis russicis comparat, ei fatendum est illas his et scholarum temperatione et ingenio professorum et librorum copia superari. Bibliotheca vaticana hucusque tali librorum russorum thesauro carebat, quales sunt librorum gallicorum, anglicorum, germanicorum. P. Ehrle, bibliothecae praefectus, commercio donisque doctorum Russiae collegiorum eam auxit. Numquam obliviscar liberalitatem comitatemque academiarum russicarum, quam ipse expertus sum. Cognoscamus Russiam, cognitam amabimus. Invitamus doctos Italiae aliarumque terrarum viros, ut magnorum operum russicorum thesauri in Vaticano depositi scientiam consequantur. Invenient ibi ingenii russici argumentum, quod deesse opinabantur. Russia cognoscenda est non ex fabulis aut ex hostium calumniis, sed ex ipsius operibus«.

Oktoich ili osmoglasnik pravoslavnoi katholičeskoi vostočnoi cerkvi. — Oktoichos oder Paracletike der orthodox-katholischen Kirche des Morgenlandes. Deutsch und slavisch, unter Berücksichtigung der griechischen Urtexte, von Alexios von Maltzew, Mag. Theol., Propst an der Kirche der kaiserlich Russischen Botschaft zu Berlin u. s. w. Berlin, K. Siegismund 1903—1904. — I. tomus: Vox I—IV (XV, 1270) — II. tomus: Vox V—VIII (LXXXVI, 1192)

De hac aeque ac de prioribus similibus publicationibus auctoris mentionem honorificam fecit N. Nilles S. J. in »Zeitschr f. k. Th.« 1905 pag. 137 sqq. Maltzev, ut ipse fatetur, ad magnificum et sanctum aedificium unionis contribuere vult, et quidem eodem modo, quem archiepiscopus Sarajevensis Jos. Stadler tamquam optimum recte statuit: »Primam veluti conditionem gratiae inter dissidentes componendae in eo collocandam esse censemus, ut ambae partes, sincera fide atque ex animo reconciliandae, ante omnia se inter se propius noscant et vicissim recte intelligant: ut altera alterius ritum et res omnes, quae eo spectant, dies festos, jejunia, caeremonias omnesque pietatis genus diligenter addiscat, benevole interpretetur, ex aequo aestimet meritoque honore prosequatur« (Lit. encycl. d. 2. Febr. 1895). Hunc finem mutuae melioris cognitionis prosecutus edidit Maltzew plura iam volumina, in quibus libros liturgicos Russorum una cum versione germanica edidit. Duo nuper edita volumina praebent celeberrimum librum »Oktoich« dictum, quo cantiones ad octo diversos tonos compositae continentur.

Новости богословской литературы (Novosti bogoslovskoj literatury). Sub hac inscriptione K. M. Popov, academiae spirit. moscov. bibliothecarius, edere coepit magni pretii nuntium bibliographicum indicantem titulos non solum librorum ac libellorum theologicorum (sec. argumentum dispositorum), sed etiam singularum dissertationum, quae in maximo commentariorum theologicorum russ. numero (216 ibi indicantur, inter quos tamen aliquot habent argumentum generalius) leguntur; praeter theologiam comprehenduntur ibi etiam philosophia, psychologia, paedagogica, historia Russorum profana, historia universalis. Primus libellus est 176 paginarum. Edetur sexies in anno.

In commentariis russ. **Strannik** 1904, 1. prof. Nicol. Glubokovskij, vir doctissimus, Kalendarium manuale P. Nicolai Nilles magnopere laudavit (p. 196—201). Memoriae digna sunt verba eius: »Schisma ecclesiasticum ortum est ex humanis dissensionibus et humana conservatur obstinatione, mutua suspicione ac diffidentia nutrita; ob eamque rem accurata cognitio, aequa confessio, ingenua agnitio optima via est ad removendum tristissimum impedimentum. Difficultates ab hominibus paratae praecipue honesto studio humano superantur«.

RUTHENICA.

Qualis sit status litterarum theologicarum apud Russos unitos. — Apud Russos unitos labores in litteris theologicis in genere non possunt esse satis intensi jam propter paucitatem cleri. Quo fit, ut quaelibet editio libri theologici ne tantum quidem afferat editori, ut expensae tegantur, et editor — nisi aliunde subsidium obtinuerit — certo sciat, se tantum morale commodum sua editione, non vero lucrum materiale habiturum esse, vel potius se certo damnum materiale exspectare debere. Quare ejusmodi editiones apud Russos unitos satis rarae sunt.

In operibus publicandis restringuntur Russi uniti tantum tribus ipsorum dioecesibus Galiciensibus. Sunt quidem etiam in Hungaria tres dioeceses Russorum unitorum (Prešov, Munkač et Križevac in Croatia), at illae dioeceses ob infaustas res politicas in Hungaria prorsus ab ipsis separatae de ipsorum vita participare non possunt.

Praeter paucitatem cleri alia quoque adhuc causa adest sterilitatis literariae: exsecrabilis daemon Slavorum — discordia, quae Ruthenos

in duas separat factiones. Quo fit, ut — dum etiam clerus in duas partes divisus sit — numerus lectorum alicuius libri eo magis restringatur. Nam asseclae unius factionis non libenter legunt, eo minus vero emunt librum scriptum in dialecto et scriptura factionis alterius. Accedit quod inter arma silent musae et multae vires absorbentur in pugna partium, quae alias proficue impendi possent in litteras theologicas.

Nunc apud Russos unitos prodit scriptum periodicum, Нива, de qua inferius.

Praeterea jam per aliquot annos publicatur exegesis s. scripturae secundum textum palaeoslavicum (apud Russos unitos liturgicum); jam Veteris Testamenti exegesis ad finem vergit, postea sequetur exegesis Novi Testamenti. Edit eam canonicus-praelatus capituli metropolitani Leopoliensis rit. gr. Baczyński, notas vero exegeticas pro Vet. Test. comparat Dr. Bartoszewskij, professor theologiae pastoralis in universitate Leopoliensi. Quod opus plus habet valoris practici quam stricte scientifici. Idem canonicus Baczyński nuper edidit psalterium in lingua palaeoslavica (liturgica) cum versione ruthena et adnotationibus pro usu practico populi. *X.*

Нива. Часопись посьвячена справам церковним і суспільним. Red. Jaroslav Levickij. Leopoli. II., 1.—3. Kirilo-Metodiïvska ideja. Dlja »Nivi« napisav o N. N. Pereloživ z českogo C. C. C. De idea Cyrillo-Methodiana. Pro »Niva« scripsit N. N., e bohemica lingua transtulit C. C. C. Ideam Cyrillo-Methodianam definit auctor qua conatus ad unionem Slavorum in cultura et religione adipiscendam. Dein uberius ideam hanc exponit et firmis ad probandum argumentis fulcit, animosque omnium inflammare studet ad indefessum laborem scientificum, quem optimum subsidium ad finem exoptatum assequendum jure meritoque esse putat. Monet Ruthenos, ipsos situ geographico necnon historia sua prae ceteris vocatos esse ad viam unioni parandam. Postremo methodum laboris adumbrat atque catalogum publicationum periodicarum ad subsidium laboris idonearum tradit. — F. Grivec: Probi zluki z greckoju cerkvoju po Sobori Florentijskim. (De unionis cum ecclesia graeca post concilium Florentinum conatibus). Initium eruditae dissertationis, de qua uberius disseremus, dum ad finem perducta sit.

SERBICA.

Publicationes periodicae res theologicas spectantes. Serbi cum partim in regno serbico partim in provinciis austriaco-hungaricis et in Turcia habitent, variis in provinciis varias habent publicationes periodicas res theologicas et ecclesiasticas spectantes. Publicationes hae satis sunt numerosae, quod vero scientiae theologicae apud Serbos magis obest quam prodest: disertationes theologicae scientificae in variis publicationibus sunt dispersae. Apud Serbos existunt iam tot viri, qui studia theologica vel in academiis theologicis russicis vel in universitatibus germanicis (protestanticis) absolverunt, ut iam possint sustentare unam vel etiam duas publicationes theologicas scientificas satis amplas.

Maioris momenti sunt:

„Vesnik srbske crkve“ publicatio associationis cleri parochialis (menstrua-Belgrad).

„Hrišćanski Vesnik“, publicatio cleri omnium provinciarum serbicarum associati (publicatio menstrua, Belgrad).

„Istočnik“, publicatio pro eclesiasticae culturae cleri et populi orthodoxi in Bosnia et Hercegovina necessitatibus „za crkveno--prosvjetne potrebe“ (bis singulis mensibus — Sarajevo).

Hae publicationes praeprimis tractant quaestiones practicas et rarius afferunt dissertationes omnino scientificas. Scientiae theologicae magis inserviunt:

„Glasnik pravoslavne crkve“, officialis publicatio (menstrua) ecclesiae orthodoxae in regno serbico existentis (Belgrad). — Praeter partem officialem continet partem multo ampliorem non-officialem, ubi saepius quam in aliis publicationibus ecclesiasticis in regno Serbiae existentibus quaestiones theologicae scientificae tractantur.

„Bogoslovski Glasnik“, publicatio menstrua dirigente professore Ilarione Zeremski, a professoribus seminarii clericalis Karlovicii (Karlovci-Karlovitz, Croatia-Slavonia) edita. Prodit inde ab anno 1902; fasciculi uniuscuisque anni 2 tomos efformant, ita ut iam VI tomi completi prodierint. Publicatio certe inter omnes serbicas maxime scientiae theologicae inserviens. Finem sibi proposuit omnes quaestiones theologicas tractare, sed speciatim in historiam ecclesiae serbicae in Croatia et Hungaria inquirere. In singulis fasciculis occurrunt etiam recensiones et conspectus librorum recentium (praesertim serbicorum et russicorum), chronica et notitiae sat bonae de statu ecclesiae variorum populorum ritus graeci et ultimo loco conspectus publicationum periodicarum russicarum et serbicarum.

Praeter dissertationes pure scientificas afferuntur multi tractatus ex theologia practica et solutiones casuum et quaestionum practicarum; hicinde occurrunt etiam versiones disertationum russicarum. — Ex dissertationibus, quae hucusque in „Bogoslovski Gl.“ prodierunt, notatu dignae sunt:

I. Zeremski: Beseda J. Hrista na gori (Oratio montana J. Christi) I. (1902). Zeremski diligenter tractat quaestiones biblicas; eius tractatus in singulas graviores pericopas Evangelii in unoquoque tomo inveniuntur. In literatura biblica tum catholica tum protestantica auctor bene est versatus. Fere semper solam exegesin in singulos versus tractat nec se in longas tractationes quaestionum occurentium immitit. — Orationem montanam (Mt. c. 5—7) in quatuor partes dividit: 1. introductio et beatitudines (Mt. 5, 1—16); 2. legislatio N. T. in relatione ad V. T. (Mt. 5, 17—48); 3. media ad iustificationem in novo regno (Mt. 6—7, 12); 4. instructio de desiderio novi regni et conclusio (Mt. 7, 13—27). Explicando Mt. 5, 31, 32 tenet sententiam etiam apud catholicos communiorem, hic esse sermonem de dimissione uxoris in matrimonio vero legitimo; sententias etiam alias catholicorum commemorat, easque ideo excogitatas esse putat, ut doctrina catholica de indissolubilitate matrimonii facilius tueri possit. Quaestionem, num

adulterium omnino dirimat matrimonium, ita ut pars innocens aliud matrimonium inire possit, praetermittit et lectorem ad Glubokovskii de hac re tractatum remittit (Christ. Čtenie 1895).

Idem: Sretenije (Purificatio B. M. V.) III (1903). Exegesis in Luc. 2, 22—28.

Idem: Blagovest presv. Bogorodici (Annuntiatio B. M. V.) III. (1903). Commentarius in Luc. 1, 26—38. — In explicatione Luc. 1, 35 asserit, obumbrationem per Spiritum S. esse characteris praeparatorii, Spiritum S. enim debuisse praeventive purgare et sanctificare B. M. V. eamque liberare a peccato originali (p. 179), quae doctrina in eccl. non unita nunc communior esse videtur.

Idem: Sanatio coeci III., 249—270, Nativitas et circumcisio S. Joannis Bapt. III., 329—342.

Idem: Rodjenje J. Hrista (Nativitas J. Christi) IV. (1903), 273—292, 361—371. Exegesis in Luc. 2, 1—20. — De initio aerae christianae non tractat: fusius autem de censu Cyrinii (Quirinii) disserit.

Idem: Priča o milosrdnom Samarjaninu (Parabola de Samaritano) IV. (1903), 217—228.

Idem: Presv. Bogorodica u poseti kod Zelisavete (Visitatio B. M. V. apud Elisabet) V., 89—97, 185—194.

Idem: Blagovest Zahariji — (Annunciatio Zachariae) V. 345—354, 425—437.

M. Jakšić, Dva srbska sabora (Duae serbicae synodi) I. (1902), 26 etc.

Hae synodi celebratae sunt annis 1748 et 1749—1750 eaeque coalescebant ex deputatis trium populi statuum, clericalis, militaris et civilis (ex unoquoque statu 25 deputati). Utraque in synodo metropolita eligebatur. Insuper tractabatur de gravaminibus, a deputatis ex diversis regionibus synodo delatis, quae omnes versabantur de discriminibus populo ex parte graeco-unitorum illatis et inferendis (coactio ad sanctificanda festa catholica; presbytero cuidam sine licentia episcopi iussu magistratus barbam totonderunt). Anno 1750 a synodo vetitur matrimonium cum catholicis; sacerdotes, qui illud benedicerent, punientur; omnis episcopus noviter electus debet scripto se obligare, si „consilio diaboli“ ad unionem transiret, se nihil de bonis mobilibus sive immobilibus eparchiae (dioeceseos) exigiturum. (Finis sequetur.)

SLOVENICA.

Zgodbe svetega pisma. 11. snopič. Spisal Dr. Janez Ev. Krek (**Historiae biblicae.** Fasciculus 11. Auctore Dr. Joanne Ev. Krek). V Celovcu 1904.

„Historiae biblicae“, quae sumptibus slovenicae societatis literariae „Družba sv. Mohorja“ („Societas s. Hermagorae“) inde ab 11 annis in lucem prodeunt, praeter versionem respectivae partis Scripturae Sacrae etiam eiusdem fusiorem explicationem et aptam applicationem continent.

Quae ad Vetus Testamentum pertinent historiae biblicae, iam absolutae sunt primumque tomum constituunt; modo in tomo secundo Novum Foedus pertractatur. Auctor, theologiae professor in seminario Labacensi Dr. Joannes Krek, qui a nonnullis annis in hacce publicatione labores defuncti professoris Dr. Francisci Lampe continuat, omnem navat operam, ut populo slovenico optima hoc respectu praebeat. Quam ob rem tum ex archeologia biblica, tum ex historia gentis iudaicae aliarumque gentium biblicarum, tum ex aliis quomodocumque ad rem spectantibus scientiis theologicis et profanis quam plurima haurit eaque magna dexteritate scopo, quem prae oculis habet, accomodat, cum maxima sane populi slovenici ac fidei catholicae utilitate. — „Societas s. Hermagorae", ab anno 1860 existens atque Claudifori sedem suam habens, anno praeterito 84598 membra numeravit; sociis suis pro annua stipite 2 Coronarum (ad dies vitae solvuntur semel pro semper 30 Coronae) sex quotannis praebet libros tum religiosi tum profani argumenti.

Katoliški obzornik. (Redactore Dr. Aleš Ušeničnik. Lublaň, »Leonova družba«) IX, 1. Dr. Josip Gruden: Akvilejski patriarhi za dobe sv. Cirila in Metoda in njih razmerje do slovenskaga bogoslužjam (Patriarchae Aquilejenses tempore ss. Cyrilli et Methudii; quales se praebuerint liturgiae slavicae). — Dr. Jan Ev. Krek: Skrajnji struji v moderni etiki Tolstoj-Nietzsche (Extrema in ethica moderna). — Bogumil Remec: O sodobnem stanju descendenčne teorije (De hodierno statu s. d. theoriae descensionis). — Jožef Valjavec: Iz svetovne prazgodovine. Nekaj poglavij iz kozmogonije (De originibus mundi). — Dr. A. U[šeničnik]: Konvertit (dr. Karel Krogh-Tonning) o protestantizmu.

Voditelj v bogoslovnih vedah (Redactore Fr. Kovačič. Maribor). VIII., 1. Dr. Jos. Somrek: Evharistična tvarina (De materia ss. Eucharistiae). Contra ad Harnack »Brot n. Wasser, die eucharistischen Elemente bei Justin«. — Fr. Tergeslav: Dogmatiški zistem Pavlov in nauk Kristusov (Redegeritne Paulus doctrinam Christi in systema dogmaticum). — Dr. Ant. Medved: Kako je krščanstvo odgajalo narode. (Quomodo religio christiana gentes educaverit). — Idem: Zgodovina cerkevnega govorništva. Novi vek. (Historia eloquentiae sacrae temporibus recentioribus). — Fr. Grivec: Vzhodna cerkev. Zedinjoni Rusini v Galicii. (Ecclesia orientalis. Rutheni uniti in Gallicia).

EXTERNA, RES SLAVICAS SPECTANTIA.

Échos d'Orient. Revue bimestrielle de theologie, de droit canonique de liturgie, d'archéologie, d'histoire et de géographie orientales. Rédaction: Mission de l'Assomption Constantinople. Administration: Paris, Rue Bayard. 5. Prix de l'abonnement: 8 fr. VII., 6 et VIII., 1: J. Hamberger: Le Pape, la Russie et le socialisme. Auctor refert de articulo M. V. Sokolov in »Bogoslovskij Viestnik« inscripto »Papatus huius temporis et quaestio socialis«, in quo ostenditur, quaestionem socialem non posse nisi a religione et ecclessia solvi. Cum laude loquitur russicus auctor de Leone XIII., de cuius encyclica »Rerum Novarum« pluribus verbis disserit, necnon de Pio X. — M. Théarvic: Chez les Serbes orthodoxes de Hongrie. Patriarcha Carlovicensis cum sex episcopis praesunt ecclesiae Serborum orthodoxae in Hungaria (Croatia). Ecclesia haec est prorsus sui juris (αὐτοκεφάλη). Praesules eius gaudent etiam non exigua autonomia in

rebus administrativis et civilibus. Quae autonomia autem excitat invidiam laicorum, qui eius participes esse volunt, ex quo haud exiguae difficultates oriuntur, quin etiam augentur, cum potestas civilis non raro se immisceat. Numerus sacerdotum in dioecesi patriarchali Carlovicensi sufficiens quidem est, at in dioecesibus caeteris non raro unus sacerdos duas vel tres parochias administrandas habet. Ad occurrendum huic necessitati consilium est, ut reditus cleri meliores reddantur, ut Carlovicii convictus puerorum condatur, utque denique in seminarium clericorum recipiantur adolescentes, qui sextam gymnasii cl. absolverunt. Opus quoque erat mores cleri corrigere, quod autem cum per s. d. regulas disciplinares factum esset, magna indignatio cleri in episcopos excitabatur. De reliquo religiosus zelus fidelium hisce temporibus apud Serbos orthodoxos valde languescit. Serbi orthodoxi in Hungaria habent unicum solummodo seminarium, et quidem Carlovicii. In hocce seminario erant a. 1902—1903 7 professores, 4 supplentes, 105 alumni. Patriarcha Georgius Branković (electus a. 1890) aedificavit magnificam domum patriarchalem, xenodochium nationale atque orphanotropheum. — J. Hamberger: La divorce en Russie. Licitum in Russia hucusque erat parti innocenti — divortio propter adulterium facto — novas contrahere nuptias, prohibitum autem hoc fuit parti adulterae. Nuperrime edicto imperatoris dato die 28. Maji 1904 etiam pars adultera novum matrimonium inire potest, attamen bis tantummodo atque persoluta prius poenitentia ecclesiastica ei iniuncta. — V. Milovitch: L'orthodoxie Bosno-Herzégovinienne. Auctor administrationem austriacam in terris occupatis vehementer laudat et defendit eam contra Serbos et Russos, qui hac de re opinionem prorsus contrariam habent. Catholicismus in terris occupatis magnos progressus facit. Catholici, quorum numerus est 340.000, habent quatuor dioecesos: Sarajevo, Trebinje, Banjaluka, Mostar. Orthodoxi, numero 673.000, etiam in quatuor dioeceses divisi sunt. Praesules dioecesium a patriarcha Constantinopolitano quidem e candidatis a regimine austriaco propositis eliguntur, attamen semper ad nutum ejusdem regiminis. Ita electi praesules parvi aestimantur a Serbis orthodoxis, qui pristinam autonomiam in rebus politicis atque ecclesiasticis anhelant. — G. Bartas: Un pèlerin de la science en Russie. De enuntiatione P. A. Palmieri quoad Russiam, de qua iam supra (pag. 32.) commemoravimus, Bartas minus benevolam fert sententiam.

Bessarione. Publicazione periodica di studi orientali. Mons. Niccolò Marini, Direttore-Proprietario. Roma. Direzione ed amministrazione Piazza S. Pantaleo Nr. 3. Pr. 20 fr. 1904: Giuseppe Ciardi-Dupré: Nazioni e lingue slave. — Mons. Marini: L'Immacolata Concezione di Maria Vergine e la Chieza orthodossa dissidente. — P. Aurelio Palmieri O. S. A.: Il Divorzio in Russia. Fuse explicat praesentem quaestionem Russorum, liceatne parti adulterae divortio facto denuo nubere necne; locum enim dant solutioni matrimonii. Controversiam hac de re exortam accurate refert; novam legem ecclesiasticam hoc concedentem a solo Cerkovnyj Vèstnik defensam esse dicit. Palmieri censet, ecclesiae russicae potius defendendum fuisse ius morum christianorum et suarum traditionum. — A. P.: Corrispondenza dalla Russia (Necrologium A. P. Lopuchin cfr. pg. 31.).

Rassegna Giuridica Ecclesiastica. Periodico mensile di diritto e giurisprudenza. Roma, Via della Panetteria. Nr. 9.—10. Lire 2. 50. »La liturgia glagolito-romana nella sua origine e nel suo svolgimento storico giuridico«. Initium, continuabitur.

Archiv für slavische Philologie. XXVI. V. Jagič: Ein Prediger aus dem Ende des XVII. Jahrh. in Agram. De concionatore Juraj Habdelić S. J., qui in sermonibus suis, praesertim in libro »Pervi otcza nassega Adama greh« (Primum patris nostri Adam peccatum) anno

1678 edito egregie describit mores sui temporis. — Pag. 123—126 Jagić valde laudat publicationem Josephi Vajs »Recensio croatico-glagolitici fragmenti Verbenicensis«, de qua praeter alia multa etiam haec verba scripsit: »Es hat sich in der Stadt Veglia, Dank dem Eifer des dortigen Bischofs, ein kleiner literarischer Verein, eine »Akademie« gebildet, die den löblichen Zweck verfolgt, literarische Alterthümer jener Insel und ihrer Umgebung allmählich herauszugeben. Das erste Heft liegt nun vor. Als Herausgeber tritt nicht etwa ein kroatischer Priester auf — das schöne Beispiel der beiden Veglenser Crnčić und Parčić scheint nicht mehr zu wirken, — sondern ein aus Böhmen gekommener Priester, der in Prag slavische Studien gemacht und seinen böhmischen Eifer in das schläfrige far niente des heißen Südens gebracht hat . . . «

Byzantinische Zeitschrift. Unter Mitwirkung zahlreicher Fachgenossen herausgegeben von Karl Krumbacher, o. ö Professor an der Universität zu München. Leipzig, B. G. Teubner. XIII. Band. Ex recensionibus mentionem facimus: 1) recensionis Const. Jireček libri Georgii Gelzer »Der Patriarchat von Achrida«, de patriarchatu Archridensi, qui circa annum 1500 principatum in Serbia, in Bulgariae parte Donubio adiacenti necnon in Rumunia tenuit, ita ut in territorio ejus varia commercia inter Slavos, Graecos, Albanos atque Rumunos extiterint; 2) relationis, quam Branko Granič dat de libro St. Stanojevič a. 1903 edito, negotia Serborum cum regno byzantino pertractante, 3) relationis Ed. Kurtz de publicatione byzantino-slavicae sectionis societatis historico-philologicae in universitate Odessensi.

MISCELLANEA.

De apostolatu ss. Cyrilli et Methodii sub patrocinio B. M. V. Velehradii in Moravia anno 1892 erecta est canonice sodalitas sub titulo „Apostolatus ss. Cyrilli et Methodii“, cujus praecipuus finis est, ut fides salvifica promoveatur inter Slavos, qui adhuc a S. Matre ecclesia sunt abalienati. Sodalitas haec late divulgata est in dioecesibus Olomucensi, Brunensi atque in dioecesis Wratislawiensis parte ad Austriam pertinente; sodales arbitrantur ad quinquaginta milia. Opus sane sanctum, omni laude atque auxilio dignissimum.

De transscribendis formis litterarum cyrillicis. — Ut aliquando aequalitas induci possit transscribendi ea, quae litteris cyrillicis scripta sunt, consilia philologica proponenda sunt statui argumentis confirmata.

Duplex imprimis principium tenendum omnino esse videtur: *a)* ut elementa singula ita transscribantur, ut etiam ab eo, qui solum alpha et beta russicum novit, litterae cyrillicae pro eis restitui possint, itaque, cum Russi non scribant phonetice, etymologicae formae retineantur; et *b)* ut ratio constans appareat in omnibus formis transscribendis.

His suppositis patere videtur modum illum esse adhibendum, quem iam Miklosich adhibebat.

In specie 1. de signis diacriticis addendis ad efformanda latinis litteris elementa ч, ш, ж nullum potest esse dubium.

2. ѣ scribendum videtur cum Miklosich ě, non je, cum etiam ѣ russicum sit forma etymologica, non phonetica; eodem enim modo sicut ѣ etiam e plerum que enuntiatur je.

3. ю scribendum videtur cum Miklosich ju, non *u* cum signo diacritico; idque non solum ex rationibus practicis, sed etiam quia russicum et palaeoslavicum ю est signum phoneticam = i + oy. Ab altero

modo facit sola unitas formae laque magis relate ad я quam ad ю, quae duo tamen aequali modo tractanda videntur.

4. X scribendum videtur cum Miklosich h. Ut enim rationes oeconomicas omnino taceam, *a)* non potest postulari ab omnibus Slavis ut scribant ch, praesertim cum *b)* hic modus ut anachronismus a temporis ratione aberret, cum iam non scribatur cum Romanis c = к, sed c = ц; Romanus vir certe scripsisset Charcov — sicut scripsit Cyrillus; sed si constantes esse velimus, scribentes in illo nomine k, scribere debemus etiam kh, ut Galli scribere solent — nisi Slavis alio modo consultum sit. Tamen non nego, si practicae rationes non obstarent, immutatam modice formam h (sive h supra rotundatum, sive linea transversa auctum) praestare simplici h, licet hoc in russica lingua omnino sufficiat.

5. ъ, ь vel cum Miklosich retinenda in propria forma, vel quia, in russica lingua ъ omitti potest salvo etiam principio *a*) supra posito, solum ь aut retinendum aut, si quis mavult, signis diacriticis exprimendum esse videtur, quae tamen litteris m, s, š, similibus non facile applicabuntur, nisi modus, quem Dušek (in Český Časopis historický X. [1904] 443) suadet (l', m') adhibeatur.

Restat, ut de transscribendis nominibus propriis anglicis vel germanicis vel similibus in lingua russica alio habitu occurentibus aliquid proponam. Retinendum omnino modum esse existimo, quo Russi ea scribunt: cum ex rationibus practicis (cf. Bidlo in Český Časopis historický X. (1904) 443—4) — saepe enim dubia erit forma nominis prima et frustra tempus perdemus in ea investiganda — tum quia alius modus non esset vera transcriptio, cum sane etiam Russi, si vellent, scribere possent Делитзсх loco Deličъ et Ри схл loco Ričlъ

Interim utique omnibus sociis concedenda videtur esse libertas donec haec aut refellantur aut saltem tacito consensu approbentur.

P. A. Špaldák S. J.



Slavorum litterae theologicae.

Conspectus periodicus.

Dirigentibus Dr. Jos. Tumpach et Dr. Ant. Podlaha.

1905. **Pragae Bohemorum.** **Nr. 2.**

BOHEMICA.

Vzdělavací knihovna katolická. Pořádají Dr. Jos. Tumpach a Dr. Ant. Podlaha. Nákladem a tiskem Cyrillo-Methodějské knihtiskárny v Praze. (**Bibliotheca eruditionis catholicae.** Dirigentibus Dr. Jos. Tumpach et Dr. Ant. Podlaha. Sumptibus et typis officinae typograficae Cyrillo-Methodianae Pragae). Singula volumina constant pluribus fasciculis, qui veneunt pretio 1 C.

Inter varias, quae apud Bohemos litteris theologicis excolendis dicatae sunt bibliothecas locum sane haud ultimum occupat illa, cuius titulum modo adduximus. Inde ab anno 1896 cum permissione reverendissimi archiepiscopalis Ordinariatus Pragensis in lucem prodiens, usque modo 34 continet volumina diversi argumenti theologici, quae finem, ob quem publicatio haec periodica fundata est, cum sat magna, prout speramus, utilitate prosequuntur. Etenim non solum theologis ipsis inserviens, quin etiam laicis eruditis destinata, varias quaestiones theologicas stylo faciliori ac (prouti possibile) simpliciori pertractat, quo fit, ut omnibus occasio detur, easdem quaestiones iuxta posse cognoscendi, unde simul doctrinae catholicae contra varios conatus et impetus hostiles defendendae optimum praestatur auxilium. Ideo non solum optima, quae in aliarum gentium inveniuntur litteratura, seligit eaque in linguam bohemicam translata (nonnunquam autem simul ita aucta, ut versio haec nova ac uberior dici possit originalis alieni editio) proponit, sed etiam — prouti in propatulo est — litteris theologicis patria lingua excolendis inservit atque sat magnum iam de quaestionibus theologicis attulit numerum librorum ac fasciculorum, linguâ bohemicâ in originali conscriptorum.

Quod libros „Bibliothecae“ huius attinet, qui ex aliis in bohemicam translati sunt linguis, sat est, nonnisi eorum titulos adducere, ut eorum tenor ac argumentum cuipiam litteraturae theologicae gnaro statim in mentem revocentur. Primum inter translationes hasce (etiam in voluminum serie) occupat locum Apologie křesťanství na základě věd přírodních (Apologia christianismi fundamento scientiarum naturalium superstructa), auctorem habens clarissimum Duilhé de Saint Projet (versio a. 1897 procurata est a Dr. Ant. Podlaha), quam anno 1898 secutum est opus Podobizny svatých (Physiognomiae Sanctorum), ab Ernesto Hello compositum et a Sigismundo Bouška in lin-

guam bohemicam translatum, quod opus simul multis ornatum est imaginibus, quae in originali desunt. Aliud volumen duas continet elucubrationes e sociologia sub titulo: Soukromé vlastnictví (De dominio privato), quarum auctores sunt optime noti Patres e Societate Jesu: Henricus Pesch et Victor Cathrein; easdem a. 1898, praesertim etiam in usum auditorum sociologiae christianae in c. r. theologica facultate bohemica, bohemice edidit Dr. Jos. Tumpach. Quibus accessit a. 1899 laudati P. Cathrein „Socialismus" in versione ab eodem Dr. Tumpach cooperante Emilio Dlouhý-Pokorný procurata, et a. 1900 P. Jos. Biederlack S. J. „Otázka sociální" (Quaestio socialis) in versione Dris. Ferdinandi Beneš. Item notum opus sociologicum P. Augustini Rösler C. SS. R. „Pravá a nepravá emancipace žen" (De vera as falsa foeminarum emancipatione) hic in translatione bohemica Dris. Tumpach a. 1900 in lucem prodiit. Adsunt insuper in eadem „Bibliotheca" adhuc versiones sequentes: Dr. Josephi Bilczewski „Archaeologie křesťanská ve službách dějin církevních a věrouky" (Archaeologia christiana historiae ecclesiasticae et dogmaticae inserviens) operâ Dr. Jos. Tumpach (1898): P. A. Lapôtre S. J. „Moravané" (Moravi), quod opusculum (operâ Dr. F. Ehrman a. 1898 editum) efformat proprie caput unum depromptum e citati auctoris majori opere „Europa et Sancta Sedes tempore Carolingorum"; episcopi Bougaud „Ježíš Kristus. Důkaz Jeho božství" (Jesus Christus. Eiusdem divinitatis demonstratio), ab Antonio Melka a. 1898 e clarissimi auctoris vasto opere „Christianismus et tempora praesentia" desumptum, prouti idem factum est a. 1903 cum alio huius „Apologiae" capite: „O bolesti" (De dolore); a. 1899 prodiit opus auctoris J. A. Zahm „Věda a učenci katoličtí" (Scientiae earumque cultores catholici) operâ Venceslai Hazuka: a. 1899 Augustini Nicolas „Mimo církev není spásy" (Extra ecclesiam non est salus), caput depromtum ab Adalberto Kameš ex eiusdem scriptoris opere „Studia philosophica de christianisimo;" a. 1899 P. Leonis de Hammerstein S. J. „Edgar. Od atheismu k plné pravdě" (Edgar. Ex atheismo ad plenam veritatem) operâ Aloisii Svojsík; a. 1900 Dr. Stephani Pawlicki „Mozek a duše" (Cerebrum et anima) in versione Jos. Mergl; a. 1902 P. Bernardi Duhr S. J. „Bajky o jesuitech" (Fabulae de jesuitis), quod opus (iuxta editionem tertiam translatum) a Dr. J. Tumpach et Dr. Ant. Podlaha novis amplificatum est capitibus, quae varias contra jesuitas in Bohemia proferri solitas calumnias respiciunt atque de „Jesuitarum defectu amoris patriae", de „P. Koniáš", de „Jesuitis atque catholica reformatione in Bohemia" nec non de „Sermone generalis superioris jesuitarum ad congregatos jesuitas, redemptoristas et liguorianos" agunt; insuper huic operi adnexa est elucubratio P. Josephi Svoboda S. J. „Co jsou jesuité" (Quid proprie jesuitae sint), atque totum opus, continens etiam capita e primis duabus huius operis editionibus desumpta nec non illa, quae in opere „Sto bajek o jesuitech" — „Centum fabulae de jesuitis" inveniuntur, ornatum est imaginibus P. Jos. Stepling, P. Vydra, P. Balbín, P. Šturm nec non utriusque Plachý. Tandem adsunt adhuc: clarissimi

L. Leroy „Katolická filosofie dějin“ (Catholica historiae philosophia) in versione Adalb. Kameš (a. 1901), P. Leonis de Hammerstein „Několik vynikajících katolických povah XIX. století“ (Aliquot excellentes characteri catholici saeculi XIX.) in vers. Joannis Kosina (a. 1901), P. Krose S. J. „Jak náboženské vyznání působí na mravnost“ (Qualem confessio religiosa in moralitatem exerceat influxum) in vers. Dr. Caroli Kašpar ex a. 1902, Fr. Thomae Cámara „Náboženství a věda“ (Religio et scientiae) in vers. Antonii Frecr ex a. 1902, prof. Dr. Alberti Ehrhard „Východní církevní otázka a úkol Rakouska při jejím řešení“ (Quaenam sint partes Austriae in quaestione orientali ecclesiastica enucleanda) in vers. Dr. Caroli Kašpar (a. 1902) et Jacobi Bottau „Víra katolická dokázaná a obhájená slovy a důvody nepřátel“ (Fides catholica verbis ac rationibus inimicorum demonstrata) in vers. Dris. Josephi Mergl ex a. 1903.

Accedentes ad enumerationem operum, ab auctoribus lingua bohemica originetenus exaratorum, adducimus primo loco opus professoris Dr. Joannis Sýkora „Umučení a oslavení Pána našeho Ježíše Krista podle čtyř evangelií“ (Passio et clarificatio Domini nostri Jesů Christi iuxta quatuor evangelia), magna sagacitate, auctori propria, conscriptum variisque ad rem spectantibus imaginibus et cartis ornatum (a. 1896, p. 574), quod opus sane pleno iure ad optima, quae hac de re a scriptoribus catholicis praestita sunt, adnumerari debet, id quod dicendum est de alio quoque, in „Bibliotheca“ nostra a. 1902 edito eiusdem auctoris libro „Pravost, neporušenost, věrohodnost a příslušná vážnost knih novozákonních vůbec, evangelií pak zvlášť (De authenticitate, integritate, fide ac competente auctoritate librorum Novi Testamenti in genere, evangeliorum in specie). A. 1897 ibidem publici juris fecit Dr. Paulus Vychodil O. S. B. elucubrationem „Básnictví a mravouka“ (Poësia et doctrina moralis, pag. 74), ubi magni momenti themata de exclusivo artis charactere, de poësiae momento, de poësiae malo influxu, de morali ac immorali in poëmatibus, nec non de auctoris et lectoris morali ad rationem reddendam obligatione stylo facili ac perspicuo disceptantur. Accedit libellus professoris Dr. Eugenii Kadeřávek „O původu tvorstva na základě zpráv biblických“ (De creaturarum iuxta relationes biblicas origine, 1897, pag. 68), cuius quinque capita inscribuntur: De mundi ac terrae origine: De primorum generis humani parentum ortu; An totum genus humanum ab eisdem protoparentibus descendat; De generis humani aetate; An Deus puros creaverit spiritus. Patet, dictum libellum de materiis tractare, quae omnium movent semperque movebunt animos. Notandum venit magnum, duos tomos continens opus historicum professoris Dr. Francisci Kryštůfek: „Dějiny církve katolické ve státech rakousko-uherských s obzvláštním zřetelem k zemím koruny české od r. 1740—1898“ (Historia ecclesiae catholicae in Austria-Hungaria cum speciali respectu ad terras coronae Bohemicae ab a. 1740—1898, I. tom. ex a 1898, pag. 538; II. tom. ex a. 1899, pag. 1053). Quod opus,

imaginibis imperatorum Austriae inde a Maria Theresia nec non carta ecclesiastica imperii Austriaco-Hungarici exornatum, magni est pretii ac momenti, cum a temporibus imperatricis Mariae Theresiae usque ad finem saeculi undevigesimi omnia, quae ad historiam ecclesiasticam in singulis imperii Austriaco-Hungarici regnis ac terris spectant, in unum collecta lectori ob oculos ponit sicque eundem de rebus, quae secus alibi nonnisi magna cum difficultate inveniri possunt, instruit. Sane fatendum est, eiusmodi opus, historiam ecclesiasticam temporum modernorum exhibens, non tam facile in qualibet alia inveniri posse litteratura. Sequitur opus professoris Dr. Antonii Vřeštál „Lichva a úrok ve světle mravouky katolické" (De usura ac foenore iuxta moralem doctrinam catholicam, a. 1899, pag. 135), quod non solum ob partes stricte moralis argumenti magni aestimandum est, sed etiam ob allegationes ex historia depromptas atque rem, ad quam pertinent, optime illustrantes summopere commendatur. Ad vastum sociologiae campum spectat opus Rudolphi Vrba ex a. 1900 „Stávky" (Strikes, p. 94), quod revera hocce institutum, nostris praesertim temporibus tam saepe atque in dimmensionibus olim haud usitatis ab operariis adamatum ac adhibitum, omnimode — tum ex parte iuris, tum ex parte historiae, tum ex parte oeconomiae politicae — illustrat. Item elucubratio Dr. Richardi Špaček „Práce ve světle zjevení Božího" (Quid de labore doceat revelatio divina, 1901, pag. 75) ad idem ac opus praecedens pertinet scientiarum genus multaque continet, quae pro cognoscendo laboris in vita morali et oeconomica momento non sunt sine magna utilitate. A. 1903 in lucem prodiit liber Francisci Tischer „Heřman hr. Černín z Chudenic" (Hermannus comes Černín de Chudenic, p. 314) exhibens monographiam historicam nobilis viri e prosapia Černínensi in Bohemia, qui saeculo XVI. et XVII. vivens, qua fidelis patriae suae atque regnantis familiae Habsburgicae servus varia publica munera obibat, atque in specie Constantinopolim ab imperatore bis qua legatus missus est, cuius legationis fata adumbravit. Eodem anno 1903 Dr. Antonius Podlaha publici iuris fecit opus „Bedřich Nietzsche a jeho filosofie" (Fridericus Nietzsche eiusque philosophia, pag. 167), ubi huiusce moderni philosophi vita et systema delineantur. Adsunt insuper duo libri, qui a. 1904 in memorata „Bibliotheca" prodierunt, scl. P. Laurentii Winter O. S. B. „Odboj Broumovských" (Seditio Braunavensium) et Dr. Josephi Kachník „Dějiny filosofie" (Historia philosophiae); cum vero de utroque memorato libro iam in praecedenti fasciculo facta sit relatio, non est necesse dicta de novo repetere. Recentissimo tempore vero prodiit opus professoris Dr. Aloisii Musil „Od stvoření do potopy" (A creatione ad diluvium), de quo plura inferius. Modo adhuc duo alii sub prelo inveniuntur libri: professoris Dr. Jaroslai Sedláček „Úvod do knih Starého Zákona" (Introductio in libros Antiqui Testamenti) et opus Dr. Česlai M. Schneider „Základní nauky církve katolické, jak je podává a proti moderním bludům socialním hájí papež Lev XIII." (Fundamentales ecclesiae catholicae doctrinae, a Leone PP. XIII. traditae atque contra modernos errores sociales propugnatae)

in versione, a prof. Venceslao Müller procurata, de quibus suo tempore debita fiet mentio.

Dědictví sv. Prokopa v Praze. (Haereditas s. Procopii Pragae). — Inde ab a. 1860 existit Pragae societas litteraria sub titulo „Dědictví sv. Prokopa", cuius scopus est, libros ex omni theologiae catholicae genere linguâ bohemicâ edere nec non scriptores in eiusmodi libris edendis adiuvare. Quae societas, sub episcoporum Bohemiae et Moraviae ac praesertim archiepiscopi Pragensis tutela constituta, fundata est instigante canonico Vyšehradensi Carolo Vinařický (qui etiam primus eiusdem praeses erat), cooperantibus praeprimis Dr. Fr. Průcha, Ed. Terš, Venc. Štulc, Ben. Kulda, Vinc. Náhlovský, V. Bradáč aliisque. Statutis a. 1861 ab auctoritate ecclesiastica et politica approbatis et crescente in dies sociorum numero (modo jam ultra 1500 numerantur socii —), societas a. 1863 ad scopum propositum realizandum accessit primumque librum edidit, id quod abhinc quotannis locum habet. (Socii semel pro semper 80 Coronis solutis omnes „Haereditatis" publicationes gratis accipiunt. S. d. instituta immortalia, uti v. g. bibliothecae, solvunt semel pro semper 200 Coronas).

Seriem librorum theologicorum a Haereditate S. Procopii editorum aperuerunt publicationes clarissimi ac doctissimi viri et sacerdotis, olim professoris theologiae in seminario Brunensi, Dr. Francisci Sušil. Quae publicationes, ad exegesim Scripturae Sacrae Novi Testamenti spectantes, certe inter primos eiusmodi commentarios numerandae sunt, utpote magna ingenii sagacitate exaratae. Anno 1863 „Evangelium sv. Matouše" (Evangelium s. Matthaei) prodiit, dein a. 1864 „Evangelium sv. Marka" (Ev. s. Marci), a. 1865 „Evangelium sv. Lukáše" (Ev. s. Lucae), a. 1867 „Evangelium sv. Jana" (Ev. s. Joannis), qui commentarii (in 4⁰ pag. 379, 75, 223, 309) summo cum cleri catholici bohemici applausu suscepti, a. 1871, 1885 et 1886 iterata vice in lucem editi sunt. Quod reliquorum Novi Testamenti librorum commentarios attinet, iidem sane a Dr. Francisco Sušil exarati, post auctoris sui mortem curâ Dr. Clementis Borový et Dr. Joannis Velhartický prodierunt, et quidem a. 1869 „Skutky Apoštolské" (Actus Apostolorum, pag. 295 in 4⁰), a. 1870 et 1871 „Listové sv. Pavla Apoštola" (Epistolae s. Pauli apostoli), duos tomos complectentes, quorum primus epistolam ad Romanos nec non I. et II. ad Corinthios, alter vero reliquas epistolas Paulinas, illa ad Hebraeos excepta, continet (pag. 404 et 447 in 4⁰), adnexam habens insuper descriptionem vitae et laborum Francisci Sušil auctore prof. Matthia Procházka, et tandem a. 1872 „Písmo sv. Nového Zákona" (Scriptura sacra Novi Foederis, pag. 505 in 4⁰), ubi praeter epistolam s. Pauli ad Hebraeos epistolae aliorum ss. Apostolorum una cum Apocalypsi s. Joannis inveniuntur. Doctissimum auctorem modo nominatum, cuius memoria apud clerum et populum bohemicum in benedictione est eritque semper, in excolendis scientiis biblicis in „Haereditate" nostra alii secuti sunt viri, Dr. Melchior Mlčoch, olim studii biblici Veteris Testamenti in c. r. facultate theologica Olomucii professor (modo ibidem canonicus), Dr. Jaroslaus Sedláček,

eiusdem studii biblici professor in c. r. theologica facultate bohemica Pragae, et Dr. Joannes Lad. Sýkora, studii biblici Novi Testamenti in eadem facultate professor. Auctore Dr. Melchiore Mlčoch prodiit a. 1888 „Starověda biblická“ (Antiquitates biblicae, pag. 259 in m. 8⁰), liber multis imaginibus illustratus et stylo facili ac perspicuo exaratus. A. 1900 et 1901 a Dr. Jaroslao Sedláček ibidem publici iuris factum est opus „Výklad posvátných žalmů a biblických chvalozpěvů breviáře“ (Sacrorum psalmorum nec non hymnorum biblicorum in breviario occurrentium expositio, pag. 1284 in m. 8⁰), quae publicatio omni attentione digna est, exhibens non solum versionem psalmorum in lingua bohemica c. q. tum ex latina Vulgata, tum ex originali hebraico, resp. etiam ex LXX, syr. Pešittâ et aram. targum, sed etiam singulorum psalmorum iuxta versus fusam explicationem. Tandem a. 1904 Dr. Joannes Sýkora primam publicari fecit operis sui „Úvod do Písma sv. Nového Zákona“ (Introductio in Scripturam sacram Novi Testamenti, pag. 471) partem, ubi doctissimus auctor partem „Introductionis“ generalem, omni apparatu critico conscientiosissime adhibito, exhibet tractans in ea de inspiratione, de Novi Testamenti canone, de librorum Novi Foederis authenticitate, integritate et fide. Singulari attentione dignae sunt ibidem paragraphi de versionibus slavicis agentes, nec silentio praetereundum est, libro aliquot adnexas esse tabulas, in quibus arte phototypica singulae antiquorum codicum paginae ob oculos ponuntur.

Haud pauci sunt „Haereditatis“ libri historiam ecclesiasticam illustrantes. Quorsum pertinent primo duae monographiae, quae auctorem habent doctissimum Dr. Clementem Borový, olim in c. r. facultate theologica Pragae professorem: „Antonius Brus z Mohelnice, arcibiskup Pražský“ (Antonius Brus Mohelnicensis, archiepiscopus Pragensis, pag. 324 in m. 8⁰) est titulus primae, quae a. 1873 publicata est; „Martin Medek, arcibiskup Pražský“ (Martinus Medek, archiepiscopus Pragensis, pag. 220 in m. 8⁰) sonat inscriptio alterius, quae ex a. 1877 provenit. Quae monographiae, ab omnibus eruditis summopere laudatae, exhibent vitam et activitatem, critice exaratam, primi et secundi archiepiscopi, qui post 140 annos, quibus sedes archiepiscopalis Pragae vacans exstiterat (inde ab a. 1421 usque ad a. 1561), ecclesiam catholicam in Bohemia regebant, ille ab a. 1561—1580, hic ab a. 1580—1590. Utrumque opus pro illius aevi historia ecclesiastica summi est momenti. Accedit opus „Poselkyně starých příběhův českých. Díl II.“ (Nuntia rerum olim in Bohemia gestarum. Pars II.) Joannis Francisci Beckovský, sacerdotis ex ordine Crucigerorum cum rubea stella (* 1658, † 1725); opus hoc, chronicae instar exaratum et res gestas Bohemiae ab a. 1526 usque ad a. 1715 (cum additamentis ex annis subsequentibus) continens, quamvis characterem operis omnino critice compositi non habeat, tamen haud exigui est pro historia momenti, maiorique gaudet pretio historico quam eiusdem „Nuntiae“ pars I., quae non est nisi nova, emendata chronicae Hájecianae editio. Memoratam secundam „Nuntiae“ partem, quae est laboris 22 annorum opus, e manuscripto in tribus tomis edidit Dr. Ant. Rezek, olim in c. r. universitate Pragensi historiae austriacae

professor: tomus I. (pag. 441) prodiit a. 1878 continetque res gestas a. 1526—1607, tomus II. (pag. 432) in lucem editus est a. 1879 exhibetque ea, quae a. 1608—1624 evenerunt: tomus III. (pag. 606), a. 1880 publici iuris factus, annos 1625—1715 delineat.

Tertium, quod in „Haereditate s. Procopii editum est opus historicum, auctorem habet Dr. Franciscum Xav. Kryštůfek, modo professorem historiae ecclesiasticae in c. r. theologica facultate Pragae. Quod opus, in tres — iuxta totidem historiae aeva — divisum partes, titulum gerit: „Všeobecný církevní dějepis“ (Historia ecclesiastica universalis), miramque diligentiam nec non magnum erga ecclesiam amorem prodit. In qua vastissima publicatione praesertim ecclesiae inter nationes slavicas historia fusissime pertractatur, quam ob rem sane optime est commendanda. Pars I., aevum antiquum continens (pag. 785), prodiit a. 1883; pars II., quae aevum medium exhibet, duobus tomis absoluta est, quorum primus (pag. 696), a. 1886 editus, de fundatione ecclesiarum apud Germanos et Slavos usque ad tempora Gregorii VII. agit, alter vero (pag. 818), a. 1889 publicatus, historiam medii aevi a Gregorio PP. VII. usque ad s. d. reformationem (1073—1517) pertractat; tandem pars III., aevum recens delineans, descendit ex a. 1892 (pag. 997).

Seriem publicationum historicarum continuat in „Haereditate s. Procopii“ Dr. Franciscus Krásl, modo episcopus Eleutheropolitanus et auxiliaris Pragensis, capituli Metropolitani ad divum Vitum Pragae decanus, necnon simul in praesenti „Haereditatis“ nostrae praeses. Tres sunt, quas laudatus auctor in eadem publici iuris fecit monographias. Prima prodiit a. 1886, titulum gerens: „Arnošt hrabě Harrach, kardinál sv. Římské církve a kníže-arcibiskup Pražský“ (Ernestus e comitibus Harrach, S. Romanae Ecclesiae Cardinalis et princeps-archiepiscopus Pragensis, pag. 661); altera, cuius inscriptio sonat: „Sv. Prokop, jeho klášter a památka u lidu“ (S. Procopius, eiusque monasterium et in populo memoria, pag. 612), descendit ex a. 1895; tertia, „Sv. Vojtěch, druhý biskup Pražský, jeho klášter a úcta u lidu“ (S. Adalbertus, secundus episcopus Pragensis, eiusque monasterium et in populo cultus, pag. 795), cooperante professore Joanne Ježek exarata, edita est a. 1898 (monographiae de S. Procopio et de S. Adalberto imaginibus ornatae sunt). Sincere fatendum est, omnes memoratas publicationes cum magna esse pro historia ecclesiastica in Bohemia utilitate, etenim conscientiose et cum sana ac critica fontium adhibitione conscriptae optime dilucidant tempora, quibus illi tres de ecclesia catholica in Bohemia summopere meriti viri vixerunt, scl. saec. X., XI. et XVII.

Porro tres adhuc inter „Haereditatis“ publicationes reperiuntur libri, qui historiae ecclesiasticae campum excolunt simulque etiam artis christianae monumenta delineant. Quorsum pertinet praeclarum opus „Klášter blah. Anežky v Praze“ (Monasterium beatae Agnetis Pragae), quod respectu historico a c. r. universitatis bohemicae Pragae professore Venceslao Vlad. Tomek, respectu artistico ab architecto Jos. Mocker exaratum et a. 1892 (pag. 16 in 4°) editum est, adnexas habens undecim tabulas lithographicas. — Accedit liber professoris

Caroli Konrád „Dějiny posvátného zpěvu staročeského od XV. věku do zrušení literátských bratrstev“ (Historia cantus sacri paleo-bohemici a saec. XV. usque ad sodalitatum literatorum exstinctionem, pag. 502), editus a. 1893 et 26 varii generis supplementis additamentisque auctus. Qui liber continuat eiusdem auctoris publicationem ex a. 1881, ubi historia cantus sacri veterobohemici ab antiquissimis temporibus usque ad illa bellorum hussiticorum descripta est, et proprie nonnisi primam huiusce alterius partis sectionem exhibet, cum e contra sectio altera ob inopinatam auctoris mortem in lucem edi non poterat, cum maximo rei detrimento. Id vero, quod in amplo hoc tomo editum est, haud exiguum est auctoris doctissimi monumentum. — Adest tandem opus: „Chrámový poklad u sv. Víta v Praze“ (Thesausus ecclesiae s. Viti Pragae), auctores habens Dr. Antonium Podlaha, metropolitanae ecclesiae ad divum Vitum Pragae canonicum, et Eduardum Šittler, parochum in civitate Žižkov. Quod opus a. 1903 publicatum, non solum celeberrimi thesauri metropolitanae ecclesiae Pragensis historiam, sed etiam singulorum eiusdem thesauri objectorum accuratam descriptionem exhibet, quae descriptio ac historia plurimis (94) interpolata est imaginibus, ad quas insuper 80 tabulae accedunt, in quibus arte phototypica ac photographica singulae thesauri res depictae conspiciuntur. Porro in plus quam centum paginis (in 4⁰) reproducta inveniuntur antiqua dicti thesauri inventaria ex a. 1354—1683 descendentia. Totum opus hocce absque dubio facile opus monumentale cognominari potest. Exaratum est enim magna cum diligentia, acribia, dexteritate, spiratque sincerum erga res, quas pertractat, amorem. Idem opus magni esse pro historia ecclesiastica ac praesertim etiam pro historia artis christianae momenti, non est qui neget.

Ad patrologiae devenientes campum primo loco adducimus librum „Spisy sv. Otcův apoštolských a Justina mučedníka“ (Opera ss. Patrum apostolicorum et Justini Martyris), qui a. 1874 in tertia, emendata et aucta editione prodiit, auctore Dr. Francisco Sušil, saepius iam memorato, dirigente Dr. Clem. Borový (pag. 460 in 8⁰). Liber hicce non solum operum SS. Patrum et Justini M. acuratam in linquam bohemicam translationem, sed etiam eorundem explicationem exhibet, adnexas habens insuper partes in singulorum ss. Patrum opera introducentes. Secuta est a. 1876 publicatio: „Sv. Otce Irenea, biskupa mučedníka, ‚Patero knih proti kacířstvím‘“ (S. Patris Irenaei, episcopi et martyris, Adversus haereses libri quinque, pag. 545), quod opus bohemice edidit, explicavit atque introductione exornavit Joannes Nep. Fr. Desolda O. Praem., gymnasii Pilsnensis professor, dirigente Dr. Francisco Bauer, tunc temporis in c. r. universitate Pragensi theologiae professore, modo archiepiscopo Olomucensi. Idem Dr. F. Bauer notis explicatoriis et indice instruxit opus „Q. Sept. Fl. Tertulliana Apologetikum“ (Q. Sept. Fl. Tertulliani Apologeticum, pag. 143), cuius versionem (adnexa introductione) a. 1877 procuravit professor gymnasii academici Pragae Venceslaus Vojáček, quo facto, a. 1878 introductionem, summaria nec non indicem adiunxit operi „Sv. Makaria Egyptského Padesát homilií duchovních (S. Macarii Aegyptiaci Quinquaginta homiliae spiri-

tuales, pag. 210), cuius versio bohemica a sacerdote Joanne Vlček procurata est. Tandem a. 1885 publici iuris facta est versio selectorum operum S. Joannis Chrysostomi, quam ex originali graeco procuravit memoratus iam Joannes Nep. Franc. Desolda, adiecta eiusdem S. Patris et Ecclesiae doctoris vita. Titulus libri sonat: „Výbor ze spisů Sv. Otce a Učitele církve Jana Zlatoústa (pag. 216).

A patrologia ad theologiam pastoralem transeuntes, exhibemus librum „Rukověť pro zpovědníky" (Enchiridion poenitentiariorum), quod prodiit a. 1868 auctore Dr. Ruperto Smolík O. S. B., olim theologiae pastoralis in c. r. theologica facultate Pragensi professore, dein archisterii Břevnoviensis abbate. Quod opus usui practico cleri destinatum magno cum gaudio susceptum est. Cum autem omnino divenditum esset, novum eiusdem generis opus in „Haereditate s. Procopii" a. 1896 sub titulo „Zpovědnice" (Confessionale) publicavit Dr. Gabriel Pecháček, theologiae pastoralis in universitate Pragensi bohemica professor, quod opus sane valde practicum et perspicuum summopere commendatur. Adest insuper in eadem „Haereditate" praeclarum opus bipartitum Dris Antonii Skočdopole, qui in theologico instituto diecesano Bohemo-Budvicii theologiam pastoralem tradit. Opus hoc, cuius inscriptio sonat: „Příručná kniha bohosloví pastýřského" (Enchiridion theologiae pastoralis), prodiit a. 1890 et 1891 (pag. 551 et 841), clarissimum de auctoris sui scientia theoretica et practica exhibens testimonium et ducem atque consultorem omni fide dignum sese praebens omnibus, qui in cura animarum laborant. Porro a. 1899 Dr. Joseph Kupka, theologiae pastoralis Brunae professor, publici iuris fecit opus „O mši sv." (De s. missae sacrificio), quod materiam hucce spectantem omni ex parte illustrat sicque sane haud exigui est manebitque pretii. Adiungimus tandem huic librorum serici opus professoris Josephi Šauer de Augenburg „Paedagogika", quod a. 1897 editum est, auctorem prodens in rebus paedagogicis optime versatum.

In excolenda theologia dogmatica initium factum est a. 1867 publicatione bohemicae versionis catechismi iussu concilii Tridentini editi, quam versionem Joannes Herčík procuravit; qui catechismus sub titulo „Katechismus z nařízení sněmu Tridentského k pastýřům duchovním" (pag. 602) prodiit dirigente V. Zikmund. Secutum est a. 1875 celeberrimum opus „Učení Mistra Jana Husi, na základě latinských i českých spisův jeho, jakož i odsouzení Husovo na sněmu kostnickém" (Doctrina magistri Joannis Hus, ex latinis ac bohemicis eiusdem scriptis hausta, nec non magistri Hus in concilio Constantiensi damnatio, pag. 361). Auctor operis, Dr. Antonius Lenz, olim theologiae dogmaticae in seminario Bohemo-Budvicensi professor, serius praepositus collegiati capituli Vyšehradensis Pragae, optimam doctrinae Joannis Hus cognitionem habuit, cum sane huic labori omnes vires suas totumque ingenium suum dicavit, exploandae doctrinae Hussitarum, Wiklefii aliarumque sectarum, quae tunc temporis erant in flore, omnem navans operam. Quam ob rem liber hic cuipiam, qui magistri Hus vitam cognoscere eiusque activitatem intelligere in votis habet, omnino

est necessarius. Ab eodem auctore a. 1882 edita est „Anthropologie katolická“ (Anthropologia catholica, pag. 644), quae revera bonum dici meretur opus, partes theologiae dogmaticae illustrans.

E theologia morali unicum usquemodo publicavit „Haereditas s. Procopii“ librum, cum scl., qui inscribitur „Katolická mravověda“ (Scientia moralis catholica, pag. 642), auctorem habens Drem. Joannem Nep. Stárek, olim theologiae in seminario Reginae-Hradecensi professorem; opus hoc, a. 1884 dirigentibus Dr. Rup. Smolík et Dr. Francisco Krásl editum, grato animo a „Haereditatis“ sociis acceptum est.

Enumerationis publicationum „Haereditatis s. Procopii“ finem constituant libri agumenti philosophici. Quatuor iam adsunt. Primus prodiit a. 1885 sub titulo „Rozbor filosofie sv. Tomáše Akvinského“ (Philosophiae s. Thomae Aquinatis analysis, pag. 358), auctore prof. Dr. Venceslao Hlavatý, opus absque dubio valde bonum ac utile, cui apte praemissa est encyclica Leonis PP. XIII. „Aeterni Patris“ de philosophia christiana. Sequitur a. 1887 libellus „Sv. Tomáše Akvinského spisek ‚O byti a bytnosti‘ a J. Eminencí sv. Ř. C. knížete kardinála Josefa Pecciho „Výklad vlašský“ (S. Thomae Aquinatis opusculum „De ente et essentia“ et Josephi Cardinalis Pecci „Explicatio itala“, pag. LXXXIX et 168), quod opus in linguam bohemicam transtulerunt P. Joannes Bapt. Votka S. J. et prof. Venceslaus Vojáček. Eodem anno 1887 in lucem prodiit liber „Logika formálná“ (Logica formalis, pag. 176), exarata a Ph. Dr. Eugenio Kadeřávek, olim Olomucii dein Pragae philosophiae christianae in c. r. facultate theologica professore, et tandem a. 1894 eiusdem auctoris „Psychologie“ (pag. 388): utrumque opus omni laude et attentione dignum est.

Ut in publicationum „Haereditatis s. Procopii“ enumeratione ne unica quidem omittatur, commemorandum est, a. 1878 ab eadem editum esse „Generalem indicem rerum, quae in „Publicatione periodica cleri catholici bohemici“ ab a. 1828—1878 continentur“ („Jenerální rejstřík věcný „Časopisu katolického duchovenstva“ od r. 1828—1878, pag. 152), auctoribus Dr. Clem. Borový et prof. Joanne Ježek.

Ex iis, quae dicta sunt, patet, „Haereditatem s. Procopii“ in excolenda litteratura theologica lingua bohemica maxima sibi comperasse merita atque primas inter similes societates tenere partes. Quadraginta et sex edidit iam libros, qui scientias biblicas, historiam, patrologiam, theologiam dogmaticam et pastoralem, artem christianam, philosophiam felici cum successu tractant. Quis ergo est, qui — theologiae sacrae fautor et amicus — eidem meritas denegare velit gratias? Dr. *Jos. Tumpach.*

Prof. Dr. *Alois Musil:* **Od stvoření do potopy (A creatione ad diluvium).** Vzdělavací knihovny katolické sv. XXXVI. Pragae 1905, p. 176.

Prof. Musil, regionum moabiticarum, edomiticarum et Arabiae septentrionalis explorator celeberrimus, disserit in opere hoc de iis Veteris Testamenti quaestionibus summi momenti, quae ad epocam primitivam spectant. Dissertationes enim instituit: 1. De ecclesia et s. Scriptura; 2. de tempore creationis mundi; 3. de cosmogonia biblica;

4. de creatione hominis; 5. de situ paradisi: 6. de origine deorum gentilium: 7. de creatione mundi iuxta Babylonios; 8. de creatione hominis iuxta Babylonios; 9. de Babyloniorum conceptu mundi; 10. de eorundem narrationibus de paradiso; 11. de lapsu protoparentum; 12. de redemptione; 13. de hebdomada veterum orientalium; 14. quomodo conservata sit traditio de antiquissimis hominum eventis; 15. de Benê Adam et de Benê Elohim; 16. de genealogiis Arabum et de genealogiis biblicis; 17. de iis, quae diluvium immediate praecesserunt; 18. num aquae diluvii totam terram operuerint; 19. num omnes homines in diluvio perierint; 20. quomodo conservata sit traditio de diluvio; 21. de babylonica narratione de diluvio; 22. de iis, quae diluvium secuta sunt.

Quia auctor clarissimus non solum lectores doctos prae oculis habet, sed etiam omnes illos, qui in huiusmodi rebus non sunt versati, non est mirum, si argumentum suum non semper omni ex parte pertractet, sed tantum res summas attingat. Omnino recte doctissimus vir asserit, s. Scripturam tam de rebus naturalibus quam de historicis modum loquendi popularem adhibere. Problemata exegetica optime sunt ei nota, et haud pauca affert ad eorum solutionem, inter quae summi pretii ea sunt, quae auctor ipse cum Arabibus degens expertus est.

In praefatione sua auctor promittit, se simili modo etiam reliquas partes Veteris Testamenti tractaturum esse, id quod grati accipimus, quia ex eius generis dissertationibus magnas utilitates capere poterimus.

Friburgi Helv. Dr. *V. Zapletal*, O. P.

Bohemo-Slovacica.

Slovenské Pohľady. Časopis zábavno-poučný. Red. Josef Škultéty XXV., 1905, 1. a 2. Turčiansky Sv. Martin.

Haec periodica publicatio ad conservativas in Slovenia pertinet. Tota sua indole fines fere exclusive profanos prosequitur, si excipias eius polemicam anno praeterito cum alia slovenica publicatione periodica »Hlas«, in qua pantheistico-materialistica placita propagabantur, quae supra laudata publicatio refutabat et cum enthusiasmo fidem in Deum defendebat.

BULGARICA.

Publicationes periodicae theologicae et ecclesiasticae. M. Karavelov a. 1901 in „sobranie" bulgarico declaravit, „clerum bulgaricum esse massam ignorantium". Varia sunt, quae ostendunt, hocce effatum non esse nimis exageratum. Quamdiu Bulgaria quoad res ecclesiasticas patriarchatui Constantinopolitano subiecta erat (usque ad a. 1870), tota hierarchia erat graeca, sacerdotes bulgarici vero ad studia theologica sublimiora non admittebantur. Cum Bulgaria a iugo Turcarum liberata esset, gubernium civile res ecclesiasticas sibi subiecit, similiter ac in Russia „s. synodum" tamquam potestatem ecclesiasticam supremam instituens. Gubernium civile omnia, quae ad studia theologica, eruditionem et educationem clericorum spectant, sibi reservavit, nec de eruditione clericorum nimis sollicitum erat. Cum classis eruditorum et partim etiam populus Bulgarorum indifferentismo religioso indulgeat, numerus sacer-

dotum relative exiguus est. Rebus sic stantibus nec scientia theologica florere potest. Libri theologici scientifici a Bulgaris conscripti fere nulli existunt; tota litteratura bulgarica theologica fere solum versionibus librorum russicorum constat. „Litterae bulgaricae theologico-philosophicae in tristissimis conditionibus versantur. Inveniebantur revera nonnulli, qui has quaestiones tractare conati sunt, sed a nemine sufficienter adiuti conticuerunt. Eadem ex causa etiam folia theologico-philosophica „Věra i Razum", „Hristianski učitel'", „Religiozni razkazi" e. a. interierunt" („Cъrkoven Věstnik" 1905, pg. 71).

Nunc apud Bulgaros sequentes publicationes periodicae res theologicas et ecclesiasticas tractantes existunt:

„Světnik", publicatio officialis exarchatus bulgarici (Sophia).

„Pravoslaven misioner", publicatio menstrua „scientifico-spiritualis". Prodit in urbe Sliven; pro terris exteris 4 fr. per annum.

„Blagověstitel", folium (menstruum) „religioso-morale et ecclesiastico-sociale". Prodit in T. Pazardžik: 3·50 fr. per annum.

„Cъrkoven Věstnik", de quo inferius.

Praeterea etiam periodica scientifica profana res theologicas hic inde tractant, praesertim quaestiones ecclesiastico-historicas et apologetico-philosophicas: inter quae praecipua sunt „Zadružen Trud" et „Periodičesko Spisanje", quae ceterum prae omnibus publicationibus bulgaricis excellunt.

„**Cъrkoven Věstnik**", folium hebdomadarium; prodit Sophiae, pretio 12 fr. (extra Bulgariam) per annum. — Folium hoc, ut videtur, amplissimum et nobilissimum est omnium bulgaricorum theologico-ecclesiasticorum. Characterem et indolem omnino similem habet ac russicum folium »Cerkovnyj Věstnik«. Nihilominus etiam hoc folium toto charactere suo ostendit, statum litterarum theologicarum apud Bulgaros revera esse tristem. In capite singulorum fasciculorum afferuntur breves elucubrationes, quaestiones actuales (politicas, sociales, religiosas) attingentes (sed fere omnes auctore non subscripto). Tractatus characterem scientificum prae se ferentes raro occurrunt et rarissime pleno auctoris nomine subscribuntur; pars bibliographica et critica pauca notatu digna affert. »Epistolae ex occidente« res ecclesiastico-politicas breviter et obiter, sed sat obiective tractant. »Conspectus ecclesiasticus« in calce uniuscuisque fasciculi accurate de statu ecclesiae bulgaricae refert, tamen multa praebere non potest, cum vita ecclesiastica in Bulgaria non floreat; de ecclesiis aliis pauca praebet, saepissime modo enthusiastico de ecclesia russica et de Russia »liberatrice Bulgarorum« narrat, qua in re nimis quaestionibus politicis se immiscet, quod ad tale folium nec pertinet nec eius valorem auget.

In numeris 1—11 1905 huius folii haec inveniuntur notatu digna: G.: Novi reformatorski stremeži (Novi conatus reformatorii) pg. 73—75. Periculosissimae illae recentis aetatis ideae iam apud Bulgaros radices agunt, quod anonymus G. hocce articulo cum moerore ostendit. Etenim sunt, qui doctrinam ecclesiae orthodoxae resultatis scientificis accomodandam esse dicunt, ad quem finem assequendum quidquid in ecclesiae doctrina characterem dogmaticum prae se ferat removendum esse, in scholis vero historicam tantum religionis christianae evolutionem tradendam esse. Reformatores conatus suos eo comprobare conantur, quod ubique progressus cernitur, ergo, ita concludunt, neque religio in eodem statu manere potest. Dicunt porro, sacerdotibus in studenda theologia plenam libertatem relinquendam esse, superioribusque (episcopis) studia sacerdotum dirigere minime licere. At bene

auctor advertit horum conatuum finem alium non esse nisi religionis christianae perniciem atque adversus Bulgarorum gentem crimen pessimum. — D. M.: Utěšitelno broženie meždu bъlgarskitě rimokatolici (De consolabili inter bulgaricos romano-catholicos motu) pg. 100—102. Prius catholicos territorii Mikopolensis et Svištovensis animo bulgarico non abundasse: libros bulgaricos non lectos esse nec cantica bulgarica audiri potuisse, catholicos fratres suos orthodoxos odio habuisse, sed hodie iam omnia mutata esse, cum laetitia D. M. contestatur. Unicum adhuc desiderium habet, ut etiam Bulgari-catholici loco latinae in lingua bulgarica precibus Deum colere possint, ergo loco ‚Pater noster' ‚Otče našъ' etc. recitare possint, sed intelligitur, — ita auctor — hoc eatenus tantum fieri posse, quatenus Sedes apostolica concedere potest, quae certe id, quod aliis nationibus concessit, etiam Bulgaris concessura est. Concludit, sustentationi sacerdotum catholicorum eodem modo ac parochorum othodoxorum providendum esse (hucusque catholici sacerdotes decimas accipiebant).

De Bulgaris catholicis cum magno scientifico apparatu agit dissertatio „Bъlgaritě katolici vъ Svištovsko i těhnata čerkovna borba (de Bulgaris catholicis in Svištovsko eorumque contentione ecclesiastica)" auctore dr. A. Teodorov (Lětopis na bъlgarskoto knižovno družestvo II. 1900—1901. — Sophiae 1902. pag. 99—207). Auctor demonstrat hodiernos catholicos conversos esse ex veteri haeresi paulicano-bogomiliana (Patareni) pg. 108—114: religionem catholicam nunquam fuisse religionem status bulgarici (dъržavna věra) pg. 114 sqq: hanc conversionem coepisse post annum 1565 (Missionarius fra Petrus Solinat O. F. M.) pg. 123 sqq.: cfr. E. Fermendžija: Acta Bulgariae eccl., Zagrabiae 1887. Similiter ac elucubratio super laudata etiam dr. Teodorov tractans de contentione Bulgarorum-catholicorum pro adipiscendo sacerdotio nationali (pg. 174 sqq) desiderat, ut patriae amor inter catholicos crescat, quod secundum indicia temporis recentioris sperari possit, gubernio civili tolerantiam erga catholicos commendat desideratque, ut catholicorum tendentiae nationales (praesertim ut obtineant sacerdotes natione Bulgaros) a gubernio adiuventur et iuvenes catholici bulg. in seminaria slavica romano-catholica educationis causa mittantur (pg. 206).

De eadem re scientifice tractat Dr. L. Miletič, Našitě Pavlikjani (Nostri Paulikani) in „Sbornik za narodni umotvorenija, nauka i knižnina. Izdava Bъlgarskoto knižovno družestvo" pg. 1—369, Sofija 1903.

G. R.

CROATICA.

Hrvatska Straža. Red. Dr. Ante Alfirević. Veglae. God. III. svaz. I. — Sloboda umjetničkog stvaranja (Libertas productionis artificiosae). — Istok i Zapad. V. Rusi (Oriens et occidens. V. Russi). Auctor e multis documentis historicis et auctoribus hac in quaestione versatissimis culturam et characterem ecclesiae russicae lectoribus describit. Quae ecclesia potestati imperatorum subjacens, quorum libidines et crudelitates describuntur, non potest nisi in deterius converti. Clerus de nobili statu suo minus edoctus atque ad nutritionem populo sibi concredito suppeditandam minus eruditus delapsus est in infelicem formalismum, qui onus intolerabile et mater tam multarum sectarum evasit. Ex intimo nexu inter ecclesiam hanc atque rem publicam prodit gravissimum odium contra eos, qui sibi aliam confessionem elegerant. Praeprimis catholici, de quibus permultae

fabulae atque praesumptiones etiam inter eruditos circumferuntur, tamquam acerbissimi contrarii caesaropapismi assignantur atque omnibus licitis illicitisque mediis ad ecclesiam russicam perducendi putantur. Denique in specie describitur status miserrimus catholicorum polonicorum in Russia. Tractatus scriptus est eum in finem, ut tristissimas conditiones ecclesiae russiacae depingeret nobisque clarum intuitum vitae internae ecclesiae huius praeberet (Exoptandum quidem esset, ne tali modo status Orientis populo describeretur nimis inimicae praesumptionis exoriendae causa contra Russos). — Nova estetica evolucijonizma (Nova aesthetica evolutionismi). — Katolici — inferiorna rasa? (Catholici — inferior rasa?). — U znaku kršćanske demokracije (De signo democratismi christiani). — Reminiscencije hrvatskog spiritista (Reminiscentiae spiritistae croatici). — Relatio de croatica versione magni momenti libri dr. I. Marković »Gli Slavi e gli Papi« (»Slaveni i Pape« napisao dr. Ivan Marković, preveo s talianskog O. Petar Perković. Zagreb, Dionička Tiskara 1903—4). *K—ý (O.).*

LUSATICO-SORABICA.

Gens Slavorum ad Albim olim viventium in fluctibus maris Germanici demersa est, servatis solummodo ruinis. Quae reliquiae Sorabi Lusatici seu Venedi a Germanis dicti (bohemice Lužičtí Srbové, vendice Serbja) sunt. Reformatio infausta maximam partem Soraborum Lusaticorum germanisavit. Sorabi revera infelices dici possunt, quia non solum in duas confessiones, sed etiam in duas dialectos divisi sunt et in duabus terris vivunt. Sorabi superioris Lusatiae secundum subtilem privatam statisticam dris. Ernesti Muka anno 1880—84 in Saxonia 56.354, in Borussia autem 37.303, omnino 93.657 numerum efficiunt: Sorabi inferioris Lusatiae autem 72.410 animas habent: summatim Soraborum utriusque Lusatiae numerus 166.067 esse videtur. Extra territorium hoc natio haec numero circiter 10.000 invenitur: omnium Soraborum numerus igitur 175.969 statuitur.

Ex quibus tantummodo circiter 12.000 Soraborum superioris Lusatiae catholicae fidei adhaerent, cum omnes alii protestantes sint, confessionem augsburgicam sequentes. Centrum Soraborum superioris Lusatiae est Budyšin, oppidum quidem germanicum, sed Sorabis non nocens, in quo domum nationalem (Serbski maćičny dom) et ecclesiam sorabicam (serbska cyrkej) ad S. Mariam Virginem possident.

Quia sacerdotes catholici deerant, Martinus et Georgius Šimon, fratres, anno 1706 seminarium vendicum (bohemice: lužický seminář, vendice: serbski seminar) Pragae Bohemorum educationis sacerdotum Lusaticorum causa suis sumptibus condiderunt. Seminarium hoc usque ad nostra tempora viget et multos optimos sacerdotes, bene meritos de ecclesia et natione sorabica, excoluit. Qui sacerdotes linguam bohemicam bene callent et nationi suae, sicuti iustum est, adhaerent.

Capitulum Budissinense tria membra numerat, et quidem decanum, canonicum seniorem et scholasticum. Munere decani episcopus Dr. Ludovicus Wahl nomine tantum, non autem revera fungitur, quia a longiori tempore aegrotat. Munus episcopale in dioecesi Budissinensi ac Dresdensi qua vicarius apostolicus et administrator ecclesiasticus Dr. Georgius Lusčanski implet. Jurij Lusčanski natus est die 8. no-

vembris 1839, studiis omnibus optimo eventu vacavit et die 22. septembris 1866 ordinatus est. Sicuti capellanus Ralbicii quinque annos devixit, dein anno 1871 capellanus sorabicus Budissinensis factus et anno 1877 seminarii vendici Pragae praeses electus est, in quo honorabili munere totam generationem cleri saxonici optime educavit. Michaele Hórnik, canonico et duce nationis sorabicae optime merito mortuo anno 1894 in urbem Budissinensem reversus est, ut canonicatum scholasticum capituli s. Petri obtineret. Quia rex Saxoniae piae memoriae administratorem dioecesium nominatarum fidelissimum, pium et studiosissimum habere volebat et Georgium sicuti virum talem noverat, elegit eum vicarium apostolicum regni Saxoniae 1. januarii 1904, consensu s. apostolicae sedis adhibito. In festo s. Josephi Vratislavii ab eminentissimo cardinale Kopp in praesentia reverendissimorum episcoporum Krásl et Frind episcopus ordinatus est. Qui origine et animo Sorabus semper pietati et nationalitati sorabicae servandae operam dedit. Catechismum idiomate sorabico eddidit, Novum Testamentum (Nowy Zakoń) in linguam maternam vertit et alia scripta in lucem edidit. Curiositatem europaeicam hac occasione adducimus: Georgius Lusčanski, quando episcopus nondum erat, potestatem sacramentum s. confirmationis conferendi habuit, quod certissime in Europa rarissime evenit.

Die 23. februarii anni currentis canonicus scholasticus Jacobus Skala, Sorabus et bohemicae nationis magnus amicus, priori tempore diuturnus redactor ephemeridis catholici sorabici, ab R. episcopo Dr. Lusčanski nominatus est, qui absentem decanum et episcopum substitueret. Canonicatum scholasticum Franciscus Löbmann, director seminarii ludimagistrorum, obtinuit.

Organisationis librorum sorabicorum catholicorum edendorum causa auctore praecipuo Michaele Hórnik anno 1863 Unio ss. Cyrilli et Methodii (Towařstwo ss. Cyrilla a Methodija) instituta est.

Praecipuum opus huius unionis erat editio mensilis organi, quod nomen sibi dedit „Katholski Posoł, cyrkwinski časopis, wudawany wot towařstwa SS. Cyrilla a Methodija w Budyšinje". Redigebat eum Michael Hórnik, Georgius Lusčanski, Michael Róla, Jacobus Skala, Nicolaus Andricki et nunc temporis Nikolaus Žur, parochus ecclesiae sorabicae Budissinensis. „Katholski Posoł" (Nuntius catholicus) iam XLIII. annum inchoavit et e periodico mensili post multa discrimina rerum omni hebdomade editur atque in omni numero articulos quaestiones catholicas spectantes, epistulas de Lusatia et Saxonia, res politicas totius mundi et varia populari modo lectoribus suis praebere consuevit.

„Messis quidem multa, operarii autem pauci", de vinea Domini in Lusatia ac de scriptoribus dicere possumus.

„Katholski Posoł" et omnia scripta catholica orthographia sic dicta catholica, quam Michael Hórnik secundum fracturam germanicam linguae slavicae accomodavit, componuntur.

Protestantes aliam, sic dictam evangelicam orthographiam, quae fracturae germanicae sicut ovum ovo similis est, habent.

Attamen adhuc tertia orthographia adest, sic nominata analogica, quae latinis litteris secundum orthographiam partim bohemicam, partim polonicam accommodata est; quae optima nobis videtur et talis etiam ab aliis Slavis ac primis Lusatiae filiis proclamata est. Et omnes conatus horum virorum patriam amantium in hoc vertuntur, ut orthographia analogica etiam in scholis et in populo radicetur.

In scholis lusaticis solummodo religio et ars legendi linguâ sorabicâ in Saxonia traditur; cetera germanicâ linguâ docentur.

Quia autem scholae in Saxonia confessionales sunt, ludimagistri in scholis catholicis optimo animo religioso liberos educant atque unionem efficiunt: „Swobodne Zjednoćenstwo katholskich wučerjow serbskeje Lužicy“ (Ludimagistrorum catholicorum Lusatiae sorabicae unio), quae die 25. januarii 1905 ultimum coetum in Khróśćicy sub praeside Symank habuit.

Protestantes edunt „Serbske Nowiny“ omni hebdomade, „Missionski Posoł“ (Missionum nuncius) et alia scripta „Unione litterali evangelica“ duce.

Orthographiâ analogicâ una vice per mensem exit „Lužica“ (Lusatia) Phil. Dr. Ernesto Muka et sacerdote Jacobo Bart redigentibus, sumptibus catholici parochi Jacobi Herrmann in Wotrow. „Maćica Serbska“ edit autem „Časopis Maćice Serbskeje“ etiam orthographia analogica. Ambabus in litteris etiam articuli catholicas res spectantes in lucem eduntur. *Franciscus H. Žundálek.*

POLONICA.

Wład. Abraham: **Powstanie Organizacyi Kościoła Lacińskiego na Rusi. (De origine organisationis ecclesiae latinae in Russia.)** Tom I. Kraków 1904.

Liber hic est pars magni partim iam completi, partim complendi operis, quod auctor „Organizacya Kościoła w Polsce“ appellavit. Ut ex titulo patet, narrantur prima fata ecclesiae cath. in Russia, et quidem primo studia ecclesiae ibi radices condendi (Pars I.), deinde historia organisationis latinae usque ad tempus Jagiellonis (Pars II.). Propter perspicuitatem dividemus brevem hanc de opere hoc relationem nostram in tres partes secundum totidem factores politicos in christianisatione gentium Slavorum maxime eminentes.

Primus talis factor erat regnum Byzantinum, quod Slavos adhuc incultos attraxit praeprimis sua excellenti cultura. Nam haec tamquam compositum ex tribus efficacissimis elementis: simplicitate evangeliorum, traditionibus antiquae Helladis et gloria Romae, excellebat magno splendore, cui sincerus spiritus Slavorum resistere non potuit. Propterea hi statim in principio vitae suae historicae tam firmum vinculum religiosum et politicum cum Graecis inierunt, ut neque conversationes principissae Olgae (circ. a. 960) cum Occidente, neque praesentia latini archiepiscopi Brunonis de Querfurt in sede Wladimiri, neque conamina legatorum Romanorum, qui post excommunicationem Michaëlis Caerularii in Russiam venerunt, coniunctionem eius religiosam cum Roma servaturi,

illud solvere potuerint. Graeci sacerdotes et metropolitae summa cum diligentia invidiam erga Romam propagaverunt affirmantes fidem catholicam esse per Germanos, qui Romam occupaverant, falsatam et effecerunt tandem, praeprimis merito Kijoviensis metropolitae Nicefori, ut princeps Svjatopolk Izaslavič a. 1104. omnem nexum cum Roma tolleret.

Interea studebat etiam regnum occidentale ex parte opposita propagationem religionis christianae inter Slavos accelerare, eo magis, quod tamquam succedens imperio Romano, corona Carolo M. Romae imposita, munus custodis et defensoris totius mundi christiani acceperat. Sed munus hoc sublime totaliter implere non poterat; nam cultura eius inferior erat cultura Graeca; deinde vis, per quam Slavos in religionem christianam convertere solebat, et finis politicus, quem cum fine religioso coniungebat, frustraverunt spem Romae in Carolo M. positam. Hoc bene notum est ex historia baptizationis Slavorum ad Baltum degentium et praeprimis ex propagatione fidei nostrae inter Litphanos, ubi Ordo Teutonicus tristissimum in historia christiana nomen sibi meruit. Ut enim terram Litphanorum imperio suo subiiceret, non dubitabat se cum Litphanis ipsis contra Casimirum M. coniungere, qui eos punire volebat, cum promissa sua Pontifici data non implevissent.

Non est propterea mirandum, quod talis per vim et dolum peractus modus hac in re impediebat etiam labores et desideria tertii factoris, qui est Sedes apostolica. Pontifices Romani valorem suum in crescentem ecclesiam russicam iam tempore Vladimiri M. omnibus mediis adhibitis confortare studebant, nepotem Vladimiri, Izaslavum, Kijovia expulsum adiuvabant et alios quoque principes Slavorum, qui ad unionem inclinabant, beneficiis affecerunt. Sic ex. gr. Danieli, principi Russiae Rubrae, Innocentius IV. praeter alia bona materialia a. 1253 coronam regiam donavit, quia unionem cum ecclesia cath. inierat. A. 1317 exhortatus est iterum Joannes XXII. epistolâ duces Ruthenorum, Andream et Leonem, ut se cum Roma coniungerent. Idem scripsit pontifex etiam Gedymino. Et Kjejstuto, cum a. 1349 in Strava devictus fidem cath. accipere pollicitus esset, Clemens VI. statim auxilium et coronam promisit.

Cum hac diplomatica operatione Pontificum arctissime connexi erant labores ordinum praeprimis praedicantium, sicuti erat ordo Dominicanorum et Franciscanorum. Ille introductus erat in Poloniam a. 1228 eum in finem, ut missiones in Russia curaret. Monachis autem claustri latini, quod a. 1222 Jazecho Odrowonziensis Kijoviae condiderat, a Vladimiro Rurikovič a. 1233 expulsis, consederunt Dominicani in Russia Rubra et utentes privilegiis a Gregorio IX., Innocentio IV. et Alexandro IV. acceptis excellentissime fidem propagabant. Ordo Franciscanus a. 1237 in Polonia conditus crescente influxu suo usque in sedem principum Litphanorum venit, ubi excelluit tamquam intercessor inter Gedyminum et Joannem XXII.

Melioris organisationis causa condebant Pontifices in regionibus ad religionem cath. conversis varia centra administrativa, uti episcopatus cathedrales, titulares, missionarios et alia. Magnus auxiliator eorum hac in re erat rex Casimirus M., qui clementia sua corda omnium,

etiam schismaticorum, sibi conciliavit et ita viam propagationi latinae praeparavit. Impletionem desiderii sui autem non vidit, quia mortuus est a. 1372 et demum post tres annos edita est a Gregorio XI. bulla decernens erectionem cathedrae metropolitanae in urbe Halicz et independentiam ecclesiae Galiciensis.

Certe magnus est valor scientificus libri pertractati in historia initiorum religionis christianae inter gentes Slavorum. Continet enim multa nova ex optimis fontibus hausta, praeprimis ex epistolis Pontificum in bibliotheca Vaticana ab auctore ipso repertis, ostenditque nobis antiquas inter Romam et Russiam conversationes, quae nostris temporibus iterum appetuntur. *G—j— (O.)*

Przegląd powszechny. Red. ks. Jan Pawelski T. J. Kraków. XXII, 3 et 4. Ks. J. Rostworowski: Z nowych kierunków myśli katolickiej. Na tle broszury prof. M. Zdziechowskiego »Pestis perniciosissima.« De novis viis ideae catholicae. Critico-polemica disquisitio libelli professoris M. Zdziechowski »Pestis perniciosissima« intitulati. — Dr. Korneli Heck: Spór o »Bogurodzicę.« Controversia de cantico »Bogurodzicę«; dr. Heck demonstrare conatur, antiquissimum hoc canticum polonicum (»primum arte factum opus polonicum«) quoad primas duas strophas exortum esse Gnesnae medio saec. XIV, quum tamen dr. Brückner canticum illud in Polonia Minori circa a. 1280 exortum esse contendat. — E criticis recensionibus mentionem meretur recensio, quam ks. Jan Urban scripsit de libro »Dr. Georgius B. Matulewicz: Doctrina Russorum de statu iustitiae originalis. Cracoviae 1903.«

Przegląd kościelny. Red. X. Stanislaw Okoniewski. Poznań. IV, 2. X. Dr. Stanisław Trzeciak: Chrystus Pan a współcześni mu ludzie. Christus atque homines qui eadem aetate vivebant. — X. Jan Wiśniewski: O misyach i rekolekcyach ludowych. De missionibus atque recollectionibus popularibus.

RUSSICA.

Кондаковъ Н. П., Археологическое путешествіе по Сиріи и Палестинѣ. Съ 78 рисунками въ текстѣ и 72 отдѣльными таблицами. Изданіе Императорской Академіи Наукъ. Санктпетербургъ 1904. Текстъ 308 стр. Pretium: 6 Rub. vel 15 marchae. **(Iter archaeologicum per Syriam et Palaestinam.)**

Liber praebet laborem bene deliberatum. Delineat fructus scientificae expeditionis susceptae fovente caesarea societate russico-palaestinensi (orthodoxa) annis 1891 et 1892. Auctor operis iter suscepit simul cum duobus eruditissimis magistris, A. Olesnickij et J. Smirnov, cum duobus pictoribus et magistro imaginum luce productarum (photographo).

Iter duxit eos a littore Mediterraneo, Beryto per locum Baalbek Damascum, exinde versus regionem Hauran in terra Transjordanensi, ubi visitarunt praeprimis vestigia Rabbat-Ammon; trajecto Jordane studiis se dederunt Jerichunte et postremo Hierosolymis.

Cum in Syria et Palaestina permulta adhuc inexplorata remaneant, quivis magister archaeologiae studio serioso prodesse potest. Opus Kondakov praecellit plures similes expositiones magnificis et fidelibus

tabulis, quae clare et vivide singula objecta artis Orientalis ante oculos lectoris ponunt. Importantia hujus libri crescit, dum conducit lectorem in regiones, communiter minus pervias, uti in Hauran et trans Jordanem.

Speciali prooemio de antiqua et antiquissima arte effectiva in Oriente et de ejusdem in Occidentem influxu inducit Kondakov lectorem in materiam libri.

Ad explicandas aequalitates vel similitudines ornamentorum in ecclesiis antiquis adhibet comparationes cum basilica Chersonesi (proxima Sebastopoli), nominata a viro Uvarov, provocat ad celeberrima opera de artibus effectivis Orientis, uti sunt opera Strzygowski (Orient und Rom), Riegel (Die spätrömische Kunstindustrie 1901 et ejusdem Stilfragen, 1893).

In introductione elucidat formas capiteli orientalis, quae exhibent imagines texturae tessulatae, dein vero praeprimis imitationes folii plantae „acanthus spinosus" (paznehtník bodlavý). Explicat originem hujus ornamenti pluribus imaginibus desumptis e capitelis columnarum moscheae Omari, el-Aksa, Davidis domus, aureae portae Hierosolymis. Descriptio singulorum monumentorum urbis Sanctae praeclare proposita respectu archeologiae occupat majorem partem libri (pag. 143—271).

Pauca referuntur de objectis Constantinopoli asservatis (in palatio, in museo Činili-Kiosk, in porticu monasterii); mentio fit monumentorum christianorum montis Athos, basilicae in vicinitate Ečmiadzin a. 1902 inventae (descriptio hujus occurrit in itinerario per Asiam centralem et Caucasum a. 1904 in periodico „Vlasť" publicato). Imaginem in rupe vallis Wadi-l-Habîs (eremitae) coelatam putat esse monumentum Sassanidarum; feminam ibi figuratam Symbolum Syriae (?).

De ruinis loci Baalbek (Heliopolis) disquisitio locupletior et instructiva fit, item de moschea Omajjadorum Damasci.

In regione Hauran visitarunt ruinas loci Sanamen, ubi et templum *Τύχης* (Sortis felicis et felicitatis) stabat; prosequebantur iter ad amplas ruinas Ezra, ubi rotundum aedificium templi martyris Georgii et aliud Eliae extraordinariam investigationem provocat. In loco Saccaea (Šakka) basilica, ruinae monasterii, in vico el-Chit, Kenawat, Atil et Bosra christiana monumenta et vestigia paganorum magno numero inveniuntur.

Per Pellam (urbs nota e temporibus obsidionis Hierosolymorum) pervenerunt ad Gerasam, ubi sex basilicae memoriam gloriosi christiani temporis praedicant; monumenta et reliquiae earum in opere hoc sollicite depinguntur.

Arak-el-Emir, ubi Joannes Hyrcanus palatium sibi exstruxit, ubi et antiquissima inscriptio litteris quadratis facta inventa est (a. 176 a. Chr.), praebuit in ruinis, in necropoli et in cavernis pauca, magis vero importans fuit studium in loco Rabbath Ammon, famosa capitali Ammonitarum, ornata a Ptolemaeo Philadelpho (285—247 a. Chr.) nomine Philadelphiae. Ruinae ejus nil praebent e temporibus Romanum aevum praecedentibus.

Postquam notum fecit auctor lectori laborem societatis russico-palaestinensis Jerichunte praestitam, amplius describit antiquitates Hierosolymorum et basilicae Sancti Sepulcri.

Catalogus thesauri ejusdem templi exhibet evangelia graeca e saec. XII. et al., nec non singulas res ad liturgicum usum destinatas. Simili modo et bibliotheca patriarchalis et thesaurus patriarchae Armenorum describuntur.

In appendice refertur de repraesentatione crucis in arte christiana et de repraesentatione crucifixi. Crux simplex occurrit in sarcophagis et alibi jam saec. III. Imago crucifixi in cruce potest certe demonstrari demum ex imagine saeculi VI. et VII.

Litterae vocis *Χριστός*, nempe Chi et Rho (temporis Constantini), occurrunt in argenteo nummo Valentis (364—375) in labaro vel vexillo caesareo (☧). Pars Signi hujus ☧ significat in nummis Herodis I. (37—4 a. Chr.) vocem *τρίχαλκον*. In monetis Phrygiae et Lydiae utebantur signo ☧ quâ abbreviatione vocis *ἄρχοντος* (British Museum, Early Christian and Byzantin Antiquities).

Opus Kondakov studet materiis, quae jam prius a compluribus aliis modo diligenti tractabantur. Quia hic auctor lucide, pluribus argumentis fretus, sententias suas perspicaces facit, laudandus est et cuivis Orientalis artis et archaeologiae christianae studioso opus ejus commendandum est. *Dr. Jar. Sedláček.*

М. О. Кержболовичъ, Міръ таинственныхъ явленій. Изданіе второе. С. Петербургъ. 1904. (*Veržbolovič,* **De mundo rerum arcanorum.** Ed. alt. Petropoli 1904.)

Hic liber selecta phaenomena complectitur, quae communi voce (quantum viribus humanis sunt explicanda) a Vl. Solov'ev, inclytissimo philosopho, psychurgica appellata sunt. Eorum vim in variis theologiae quaestionibus Russi bene cognoverunt. Nominare hic placet librum A. Šiltov, „Sensus de Deo homine", anno superiore tertio editum, et caput eius accuratissimum de resurrectione Domini (p. 30—69). Veržbolovič argumentum libri hac ratione disposuit: 1⁰ de divinationibus narrat (de praesagiis, somniorum admonitionibus, vaticiniis (clairvoyance): 2⁰ de phaenomenis telepathicis: 3⁰ de disciplina magica; 4⁰ de domibus inquietatis. Suis locis addit explicationes factorum hucusque propositas et quamquam nihil ipse disceptat, nisi quod vitia quaedam opinionum ostendit, tamen persuasum habet non posse omnes illas res repeti a causis, quae supra hominem sint.

In universum aestimanti exempla optime collecta sunt. Praecipua laude dignum est, quod „experimentis" spiritisticis diffidebat. Solov'ev (in commentariis Quaestiones philosophicae et psycholog. 1894, p. spec. p. 436) ostendit bene, ea in illis condicionibus, in quibus fieri soleant, carere omnino vi verorum experimentorum; idem addidit, qua ratione condiciones statuendae essent. *Š.*

G. A. Котляревскій, Ламеннэ и новѣйшій католицизмъ. Москва, 1904. *S. A. Kotljarevskij,* **Lamennais et recentior catholicismus.** Moscovia, 1904. Pag. 627.

Liber multo plura continet quam solam biographiam sacerdotis, qui in studio suo Ecclesiam cum novo temporis genio conciliandi, justos licitosque limites egressus, apostata a recta fide factus est. Philosophia de Lamennais (1782—1854), ejus sententiae religiosae, politicae, sociales magis nempe cum universali Galliae statu ecclesiastico, politico ac sociali cohaerent, quam ut absque eiusdem status accurata descriptione possint intelligi. Hanc ob rem auctor apte cum biographia de Lamennais historiam recentioris catholicismi iunxit, in qua non solum ostendit, quomodo nova rerum post magnam Revolutionem conditio evolutionem Lamennaisii idearum formarit, sed etiam, quomodo vice versa ideae de Lamennais in aetatem suam atque in posteriorem catholicismi progressum tam intra quam extra Galliae fines vim suam exercuerint.

Tempore sic dictae Restaurationis in Gallia (initio saec. XIX.), tristis conditio Ecclesiae organicis articulis subjectae ac sub despotica et diffidente potestate saeculari positae, non solum pristini gallicanismi inanitatem oblivioni dedit, sed etiam sinceram in diesque maiorem adhaesionem ad ecclesiastici regiminis centrum genuit, a cuius solius auctoritate cautio et conservatio socialis ac internationalis ordinis sperabatur. Ex tali mentium constitutione orta est idea Lamennaisii de absoluta theocratia romana. Indifferentismi, qui animae mors est, amovendi studiosus certitudinisque criterium quaerens, illud in communi consensu invenit, quem cum Ecclesiae auctoritate identificat. Huic auctoritati, ipsius veritatis absolutismo, secundum Lamennais omnia sunt subjicienda, societas, gubernium, legislatio, cultura; ipsi soli plena libertas est adjudicanda. (Essai sur l' indifférence en matière de la religion, tom. I. et II., a. 1817 et 1820.)

Romae ejusmodi sententiae benigne acceptae sunt. Cum tamen quam potestas civilis tam episcopi gallicani novos conflictus cum regimine evitare studentes, ideas de Lamennais de absoluta theocratia romana reiecissent, Lamennais novam notionum phasim ingressus est, quae catholicismus ac libertas vocari potest. Liberales catholicismo propiores sunt quam potestas civilis, quae nunquam in catholicam poterit transformari: sub fallaci externa specie saecularis tutelae dissimulatur semper subactio: veritas et coactio sibi hostiles sunt. (Des progrès de la révolution et de la guerre contre l' Église, 1829.) Catholicismus libertatem non metuens, catholicismus illuminatus, omnibus quaestionibus atque indigentiis novae aetatis consulens, non est possibilis nisi perfecta separatione Ecclesiae ac status. Habeant omnes suam libertatem, quâ utatur et Ecclesia cum in finem, ut omnium libertati religionem supponat, sicque omnem libertatem in limitibus ordinis et pacis teneat. Libertas preli, libertas doctrinae, libertas associationis, libertas confessionis, universale ius suffragii, activum et passivum, etc., haec erant tesserae, quas publicatio periodica L' Avenir anno 1830 redactione Lamenaisii vexillo suo inscripsit. Reprobatio quarundam nimiositatum in L' Avenir pronuntiatarum ex parte Sedis apostolicae (Enc. Mirari vos, 15. 8. 1832) novae periodo vitae de Lamennais initium dedit; Lamennais a parte liberali ad nationem se convertens, non libertatem fictam, chartis tantum inscriptam, sed libertatem realem totius generis

humani et prae ceteris classis opressorum, classis operariorum, desiderat. quos premit dominium opes ac potestatem habentium, necnon plenam totalemque licet pacatam ac progressivam conditionum revolutionem in societate humana, inaugurationem regni iustitiae et solidaritatis. (Les Paroles d'un croyant par un catholique 1834.) Encyclica „Singulari nos" (1834) in hoc libro illas praesertim paginas condemnat, ubi auctor dissolvere intendit ligamina fidei et oboedientiae, ubi inter singulas partes injicere studet faces seditionis, ubi anarchiam praedicat legumque contemptum, ubi ipsas radices omnis auctoritatis religiosae ac civilis subvertit.

Exinde Lamennais usque ad vitae suae finem (1834—1854) extra Ecclesiam vixit.

Nulli dubio subest, Lamennaisium in pluribus recte iudicasse ac providisse, ideasque Lamennaisii maximam habuisse vim in evolutionem recentioris catholicismi Europae occidentalis. Historia ultimorum decenniorum admirabile morale incrementum auctoritatis apostolicae testatur, ecclesia catholica modis politicae et civilis libertatis de facto se accommodat et non obstante progrediente studio Ecclesiam a statu separandi, indefesse et nova cum energia tam individualem quam collectivam vitam dirigit. Et denique illud exemplar perfectae socialis iustitiae ac democratiae, quod finxit Lamennais, nonne resurgit coram oculis nostris in historia catholici socialismi, in historia omnium illarum rerum, quae ab ecclesia catholica actae et institutae erant ad imbecillitates hodiernae societatis sanandas? Sequitur-ne ecclesia testamentum Lamennaisii, sympathiam ac curam suam prae aliis classi operariorum praestans? Oratoriani A. Molien et Duine in libro „Lamennais sa vie, ses idées" inscripto, (Lyon, 1899) fateri non haesitant, papam Leonem XIII. ecclesiam via per Lamennaisium ratefacta reformare, et Roussel in libro „Lamennais intime" (1897) contendit, Lamennais hodie certe non haberet ansam Sedi apostolicae neglectionem quoad libertatem et democratiam objiciendi. Certe! Valde tamen a veritate alienum esset, ideas sic dicti moderni catholicismi cum ideis Lamennaisii identificare vel historiam hujus catholicismi tamquam approbationem ideis Lamennaisii addendam explicare. Ecclesia nunquam erat nescia, rationibus ac iudiciis Lamennais multum sani et veri inesse, et procul erat ab ea omnia condemnare, quae Lamennais docuit. Jam vitae Lamennaisii tempore alia expresse alia tacite comprobavit. Ex principiis tamen Lamennaisii per encyclicas reprobatis nunquam erat aliquid in recentioribus quaestionibus novisque officiis solvendis tamquam licitum ab Ecclesia reapprobatum vel receptum. Auctor ceterum sat et sat probus est, ut haec palam confiteatur; nec id ignorat, quod fundamenta idearum, quarum vi Lamennais movebatur, Ecclesiae a diebus ipsius constitutionis non erant ignota. In genere laudari meretur auctoris non solum historiae ecclesiasticae religiosorumque motuum Occidentis saec. XIX. egregia peritia, sed etiam irae et studii expers iudicium in materia tractata. Ipsius subjectiva opinio raro auditur; ubi vero hoc evenit, principia ecclesiae catholicae non negligit. Eo potius vero omnia ab auctore in libro relata testimoniis eorum, qui participes sunt, abun-

danter probantur. Si auctoris intentio erat, uti in prolegomenis notatur, opere suo domi faciliorem reddere intellectionem contemporaneae vitae occidentialis Europae, merito dici potest, auctorem proposito suo optime satisfecisse. *L. Petr.*

De Russorum doctrina de moribus. Compositum ab *A. Špaldák* S. J. (Pars reliqua.) Sed evolvamus et cognoscamus Pjatnickii librum. Ne haereamus in capite de natura doctrinae romanae de moribus (p. 63—67), quo certe doleret scriptorem, si ignorantiam suam cognovisset — repetitum — sive ab ipso sive per alios — a depravationibus calumniisque protestanticarum contentionum adversus Romam; neve in capite de Jesuitarum morali pharisaeos et fanaticos redolente (71—73) eiusdem generis eiusdemque originis*) — verum caput de probabilismo (73—74) sine dubio maioris momenti est, quam quod praeteriri possit. Num auctor tutiorismum profiteatur non discimus quidem; certe autem eum a probabilismo abhorrere, hac ratione permotum, quod singularis homo privatus non possit ipse decernere utrum id, quod agit, peccatum sit necne; opus enim esse veritate in natura sita, ab opinionis arbitrio remota; si actionis honestas iudicio privato committatur, a gravibus quoque peccatis excusationem patere. Fusius, non consultius, Barsov hac de re exponit in Hrist. Čt. 1902, I. (g. 82 Maj) 648 653. II., 52.

Is probabilismum non esse moralem sed »immoralem« docet. Rectae rationi perspicuum esse moralium quaestionum non posse duplicem aut triplicem esse solutionem; a probabilismo eodem loco haberi opinionem veram ac falsam; atque adeo tolli discrimen inter honestum et inhonestum. —

Quomodo Russi se gerent, miror, cum perturbati dubii fuerint agendumne sit an actio omittenda. Pjatnickij, qui totum caput de »collisione officiorum« (247—250) scripsit, ad nostram quaestionem non respondet, potius negat unquam posse evenire, ut homo christianus dubius sit, quid facere debeat. Cum duo naufragi tabulam unam prehendunt, manifestum esse quid christiani sit, nimirum ut vitam ponat pro altero. Nicanor (p. 120) tres proponit regulas — in locum totius doctrinae nostrae, quae in exemplis exponendis versatur, sufficiendas — ad pugnam officiorum, at de nostra aeque tacet quaestione.

In capite de peccatis „mortiferis et non mortiferis“ magna apparet obscuritas. Pjatnickij ‚Peccatum, inquit, mortiferum est, si quis manifestum praeceptum Dei non servat cum desiderio ac voluptate, cum sui et turpitudinis rei sensu‘. („Grěh smrten, esli kto prestupaet jasnuju zapověd Božiju s želaniem i uslaždeniem, s soznaniem sebja i grěhovnosti děla“). Quis inde non colligat et peccata cetera levia esse et peccata, quae levia sint propter solam „parvitatem materiae“ nulla omnino esse (ut Bronzov vult l. c. I., 655; 769). Sed quid idem addiderit, audiamus: „In Confessione Orthodoxa singula peccata morti-

---

*) Id quidem, quod res iam pridem revictae etiam atque etiam repetuntur a doctissimis quoque viris protestanticis (theologis Mosheim, Stäudlin, de Wette, Harless, Baur, Martensen, Tholuck, Harnack etc.; historicis: Häusser, Ranke, Leo, Dreysen, Lamprecht; philosophis Th. Ziegler, K. Fischer; iuris peritis Dove, Wagener etc.) maxime progressus tarditatem ignorantiamque prodit; quam utinam Russi iam cognoverint! Cf. Reichmann, Der Zweck heiligt die Mittel. Freiburg 1903. Historisch-polit. Blätter Bd. 132 (1903) S. 869—872.

fera promuntur. In tres classes divisa sunt. Ad primam ea pertinent, quae aliorum peccatorum fontes sunt et capita. Ad secundam peccata contra Spiritum s..... Ad tertiam peccata caelum clamantia..... („V Pravoslavnom Ispovědanii podrobno opisany smertnye grěhi. Oni razděljajutsja na tri klassa. K pervomu otnosjatsja grěhi, služaščie istočnikom dlja drugih grěhov: ko vtoromu grěhi protiv Duha Svjatago.... K tretemu grěhi vopijuščie na nebo....“). Quae Nicanor hac de re habet, facilius cum veritate componuntur: rem tamen aperte distincteve esse expressam dici non potest.

Ceterum, si Bronzov audiendus est, nobis nihil anquirendum esse de alieno, sed nostrum negotium agendum docebimur: nostra enim sententia, scribit l. c. I., 654, omnia peccata levia esse, quae ad ipsum patrantem solum referuntur neque alium tangunt „obektom kotoryh javljaetsja tol'ko sam že soveršajuščij ih subekt, kotorye nikogo drugogo ne kasajutsja“: velut (p. 655) desideria (želanija i voždělenija), quae non perducuntur ad effectum. Tantum quod non dicit, unde haec hauserit!

In capite de actionibus adiaphoris (242—7) dogma ecclesiae romanae esse (contra Hus) docet esse actiones, quae neque honestae sint neque inhonestae; deinde paulo post doctrinam de actionibus indifferentibus maxima ex parte a mente honestatis christianae parum percepta repetendam esse dicit („Zavisit glavnym obrazom ot nedostatočnago ponimanija ducha christianskoj nravstvennosti“). Patet eum non intelligere quid sit actio indifferens „in concreto“ seu definite et „in abstracto“ seu separatim, quamquam hanc (cuiusdam) monachi s. Dominici („Dominikance“) distinctionem annotavit.

Haec ex ea parte libri auctoris nostri, quae de principiis ethicis agit, observatione nostra digna esse videbantur.

Bronzov praeterea negat axiomata et iudicia haec: l. c I. 645: »lex afficit territorium« (cf. de eo Noldin, Summa theol. mor. De principiis[3] n. 119. 124); p. 646: »A lege naturae affirmativa datur excusatio« (cf. Noldin n. 150); p. 760: »Desiderium inefficax peccatum non est, si condicio apposita aufert malitiam actus« (cf. Noldin n. 295); p. 762: »Per se licitum est gaudere de bono effectu operis mali« (cf. Noldin n. 298); p. 774: »Omnis electio mali medii est mala« (contra Gury, Comp. I, n. 29).

De praeceptis nec Pjatnickij agit nec Nicanor, acsi ne ad cognoscendi quidem vim rationemque referantur. Itaque contenti simus oportet, si obiter locisque disiectis expromant quid sentiant.

Ex doctrina de officiis iustitiae (praec. 7. decal.) a Pjatnickij discimus (p. 75), peccatum grave esse rei ademptionem domino invito „quoad modum tantum“ et rem adeptam restituendam esse. Bronzov negat unquam licere damnum sibi illatum occulte compensare (I., 769. 780): ne uxori quidem permittit, ut iuribus suis consulat helluante marito (780): e summis angustiis re aliena se liberare furtum improbum esse ducit (769): negotiantes putat omnia, etiam levioris momenti vitia mercium indicare debere, etsi non interrogentur (768): qui puellam corrupit, ei corruptam ducendam esse, alia re nulla damnum illi illatum posse resarciri (767); matri, quae nescit, quis ex illis, quos admisit,

infantis sui pater sit, ab iis omnibus pro infante sustinendo solvendum esse (II., 58). Rationem „restrictionis“ Bronzov acriter impugnat (I., 761. 769; II., 55). Rationem profert hanc (II., 55): omnibus esse ius audiendae sincerae veritatis; aut igitur aliis dicendum esse nihil aut verum sine fuco ac fallaciis. Mendacium ipsum in numero gravium peccatorum habet (II., 54). Formulam illam, hominem se ipsum magis diligere debere quam alios, Bronzov omnino reprobat ut a proposito legis christianae abhorrentem (I., 758. 778; II., 60); simile est Pjatnickii iudicium (249). Bronzov amore communi erga inimicum contentus non est, „specialem“ requirit (I., 758). Liberos oboedire iubet etiam tum, cum matrimonium capessunt; vetat eos in matrimonium ire nisi parentes consentiant (I., 780) Per Pjatnickii regulam idem licere videtur (308). Dierum dominicorum quietem Pjatnickij nihil aliud esse existimat nisi operum solitorum intermissionem (277).

Ex doctrinae de sacramentis parte morali Pjatnickij capita exhibet de poenitentia (251—9), de ss. Eucharistiae sacramento (259—264), de matrimonio (290—298). Non ideo opus esse confessione docet, „ut cuiquam peccata nostra patefaciamus, sed ideo, ut ipsi ea sincere cognoscamus et cognita doleamus.“ Ea de causa, opinor accidit, ut catholicae sententiae, confessionem non valere, nisi numerus peccatorum (saltem plus minusve) indicetur, adversetur (p. 71).

Matrimonium adulterio ab alterutro commisso dirimitur: divortium (licitum) „non est matrimonii nondum soluti solutio, sed externum et sollemne repudium matrimonio interius ipso adulterio iam dirempto (295). Vitam caelibem (děvstvo ili bezbračie) contra alios (Rozanov, Dolivo-Dobrovskij, Miroljubov, Dobrynin, Vl. Uspenskij al.) sanctiorem ducit quam matrimonium.

His rebus cognitis indiligentiam veri profecto iusto maiorem in Russis morum magistris atque errorum satis superque invenimus; et labore multo assiduoque opus erit, donec consensionem eorum, qui in utraque ecclesia de moribus praecipiunt, adipiscamur. Agite, ne impensae parcamus neve labori! —

Hucusque ea consideravimus, quae inter Russos et romanae ecclesiae theologos de ratione vivendi disserentes in controversiam cadunt et deteriora adumbranda fuisse Russorum doctrinae exempla dolemus. Ne autem accusemur crimine rei ex parte improbanda tantum pertentatae, placet nobis ex eadem theologiae parte morali laetiora aliqua promere, sive res controversas tangentia sive non tangentia.

Quaestio, in qua solvenda Russi reapse non sine fructu laborarunt et quae nata est veram probabilismi doctrinam illustrare ideoque nobis accuratius tractanda, est de notione obligationis seu debiti enucleanda. Vl. Solov'ëv ea de re scribit haec (Opravdanie dobra [2] p. 41—45).

„Homo honeste agere potest praeter et contra omnes lucri rationes, propter solam ideam honesti, ex sola consideratione debiti seu legis moralis. Ecce culmen honesti, quod tamen plane convenit cum quodam determinismo nec libertate voluntatis indiget. Qui contrarium statuunt iis ante alia omnia e mentibus et linguis expellenda esset ipsa

vox ‚moralis necessitatis'; quae est contradictio in adiecto si honeste agi non potest nisi voluntate ad arbitrium eligente. Sensus tamen, qui hac voce exprimitur, non solum ab omnibus facile intelligitur, sed etiam ex rei essentia fluit. Necessitas in genere est plena effectus dependentia a ratione, quae eum determinat, quaeque idcirco sufficiens vocatur. Quae ratio, si est ictus pulsusve physicus, necessitas est mechanica, si est impulsus animi, psychologica, si est idea boni honesti, moralis.

Ad hoc, ut idea boni in forma debiti vim rationis sufficientis seu causae moventis acquirat duae res coniungantur oportet: claritas et plenitudo sufficiens ipsius ideae honesti in cognitione et sufficiens recipiendi vis moralis in natura subiecti. . . . Bonum honestum non potest esse directum electionis arbitrariae obiectum [i. e. bonum qua tale odisse non possumus].

Cum bonum eligo, non ideo id eligo, quia ita volo, sed ideo quia est bonum; sed quid est illud, quo actus contrarius determinatur, cum bonum abicio et malum eligo . . . Cum nulla sit ratio obiectiva malum qua tale diligendi, voluntas id solum sponte sua eligere potest, si modo cognitio [ideae honesti] sit clara et plena: alias sane causa rei sufficiens ab errore iudicii repeti potest*)."

---

*) Čelověk možet dělat' dobro pomimo i vopreki vsjakih korystnyh soobraženij, radi samoj idei dobra, iz odnogo uvaženija k dolgu ili nravstvennomu zakonu. Vot kul'minacionnaja točka nravstvennosti i odnakože, ona vpolně sovměstima s determinismom i vovse ne trebuet tak nazyvaemoj svobody voli. Utveržđajuščim protivnoe, slědovalo by prežde vsego izgnat' iz umov i jazykov čelověčeskih samyj termin: „nravstvennaja neobhodimost'", ibo on est' contradictio in adiecto, esli nravstvennost' vozmožna tol'ko pod usloviem svobodnago vybora. Meždu těm mysl', vyražaemaja etim terminom, ne tol'ko vsjakomu ponjatna, no i vytekaet iz suščnosti děla. Neobhodimost' voobšče est' polnaja zavisimost' dějstvija (v širokom smyslě — effectus) ot osnovanija, ego opredělljajuščago, kotoroe po etomu i nazyvaetsja dostatočnym. Kogda eto osnovanie est' fizičeskij udar ili tolčok, to neobhodimost' est' mehaničeskaja; kogda duševnoe vozbuždenie — to psihologičeskaja, a kogda ideja dobra, to neobhodimost' nravstvennaja . . . Dlja togo, čto by ideja dobra v formě dolžnago polučila silu dostatočnago osnovanija ili motiva, nužno soedinenie dvuh faktorov: dostatočnoj jasnosti i polnoty samoj etoj idei v soznanii i dostatočnoj nravstvennoj vospriimčivosti v naturě subekta . . . Kogda nravstvennyj motiv s toj ili drugoj iz ukazannyh storon nedostatečen, to on i ne dějstvuet s neobhodimostju, kak i vsjakaja drugaja pričina". Quae postea addit minus clara sunt: „Kogda ja vybiraju dobro, to vovse ne po tomu, čto mně tak hočetsja a potomu, čto ono horošo, čto ono est' položitel'noe i čto ja sposoben očenit' ego značenie. No čěm opredělljaetsja protivupoložnyj akt, kogda ja otvergaju dobro i vybiraju zlo? . . . Esli dostatočnoe znanie dobra v soedinenii s dostatočnoju k nemu vospriimčivost'ju, neobhodimo opredělljaet našu volju v nravstvennom smyslě, to ostaetsja ešče vopros: nedostatočnaja vospriimčivost' k dobru i vospriimčivost' k zlu, est'li ona neobhodimo fakt prirody tol'ko, — ne možetli ona takže zavisět' i ot voli, kotoraja v etom slučaě ne iměja racionalnyh osnovanij, opredělljajuščih ee v etom durnom napravlenii (ibo podčinjat'sja zlu vměsto dobra protivno razumu), možet dějstvitel'no

Vix ullum aliud verbum in theologiae et philosophiae parte morali frequentius occurrit quam ‚licet', ‚debet'; circa illam quaestionem omnis disceptatio de moribus movetur, liceatne, oporteatne necne. Eius igitur notionis explicatio ac definitio inutilis profecto non est. Obligatio definiri solet „moralis quaedam necessitas, quae verbo debere exprimitur" vel accuratius „necessitas quaedam mente cognita, cui voluntas per libertatis abusum resistere potest" (Cathrein, Moralphilosophie [3] S. 305; Schiffini, Eth. I, n. 118.), quaeque obiecto moralique ordine, ad quem refertur, ab aliis necessitatibus determinatur. Obligatio est effectus mandati et hac efficientia differt mandatum a consilio, quod voluntatem non cogit, sed tantum allicit.

Notio necessitatis, cuius species utique obligatio est, partim intuitiva, partim abstracta est. Intuitiva est, quatenus dependentiam causalem actuum voluntatis nostrae a voluntate ipsa cognoscimus; qualis igitur nihil aliud est nisi notio nexus causalis. Abstracta est, quatenus per se latius patet et necessitatem quoque, quam in nexu logico concipimus, comprehendit. Notio necessitatis ne concipi quidem potest sine notione causalitatis. Itaque necessitas actus voluntatis nihil aliud significare potest nisi actus illius a causa finali dependentiam, cum nulli alii causalitati hic locus sit.

Quae causalitas duplex est: alias voluntas actum ponere cogitur seu ponit actum necessarium, alias nihilominus libertate uti potest actu libero. Quomodo haec duo differant, ex voluntatis natura cognoscendum est: Voluntas obiecto finali moveri potest ita, ut libertate uti possit — si iudicium mentis de obiecto finali liberum est, i. e. si convenientia actus ponendi cum subiecto, quae obiective adest, non ea evidentia menti se manifestat, quae omne omnino dubium excludit*). Verum ubi eiusmodi evidentia est, actus voluntatis necessario fit.

Ad necessitatis notionem, quam generis loco habuimus differentia specifica addenda est, ut notio obligationis confletur. Nam profecto etiam ad omnem actum inhonestum causa finalis movet. Quidquid enim voluntas ponit, alicuius boni appetibilis causa ponit. Tamen non semper honestos actus ponit. Voluntas enim non vult necessario id, quod mens propter rationes obiectivas melius esse cognoscit: sed potest mentem movere, ut neglectis his rationibus iudicet

---

javljat'sja sobstvennoju i okončatel'noju pričinoju svoego samoopredělenija. Tak kak nět nikakogo obektivnago osnovanija ljubit' zlo, kak takoe (dlja razumnago suščestva), to volja možet izbrat' ego tol'ko proizvol'no, — razumětsja pod usloviem jasnago i polnago soznanija, ibo v polusoznatel'nom sostojanii dělo dostatočno objasnjaetsja ošibkoju suždenija".

Haec ultima sententia, quam tegere nolumus, iam apud Scotum Erigenam invenitur, De divisione naturae V., 36.

*) Solet dici convenientia absoluta, a qua omnis disconvenientia absit, opus esse, ut actus necessario ponatur. Haec ratio considerandi rem est subiectiva. Si res obiective concipitur, potest id quidem evenire, ut aliquid partim conveniat partim disconveniat; sed tunc aut saltem pars obiecti compositi absolute convenit aut totum obiectum absolute disconvenit.

tamen melius esse aliud eligere — unice ideo, quia sic placet voluntati sive voluptate sive superbia vel arbitrii cupiditate impulsae et ita actum inhonestum ponere; semper autem malum cognitum qua tale possumus solum nolle — bonum cognitum qua tale solum velle. Qua igitur re obligatio ab omni alio causae finalis influxu in voluntatem liberam qua talem differt? Num eo solo, quod modo aliquid inhonesti, modo aliquid honesti appetitur? Ea nulla esset explicatio. Internum discrimen positum est in certitudine iudicii de bono appetendo vel defectu huius certitudinis. Solum bonum honestum convenire nobis, subiecto appetenti, certum habere possumus; bonum inhonestum nobis convenire non possumus habere certum, quia hoc falsum est. Quoad bonum moraliter indifferens vel utile vel delectabile voluntas in periculo est, ne quid simpliciter inconveniens velit. Itaque certitudo est nota essentialis in notione obligationis.

Hic locus videtur esse dubitationi cuidam tollendae. De obligatione — dicat aliquis forte — errari potest; ergo obligatio certitudine distingui non videtur. Respondemus cum Mendive: „Quaedam Deus praecipit aut prohibet per se, secluso omni errore et ignorantia ex parte hominis: quaedam vero praecipit aut prohibet per accidens seu supposito errore aut ignorantia individui.“ Cf. Thom. De ver. q. 17, a. 4. Semper igitur in concreto iudicium obligationis verum ac certum est, etsi in abstracto i. e. abstrahendo a cognitione agentis error sit (velut conscientia inculpabiliter erronea).

Verum certitudinis nota sola non sufficit ad notionem obligationis perfecte determinandam. Etiam actuum perfectionis convenientiam exploratam habemus, nec tamen ad eos ponendos obligati sumus. Discrimen in eo est, quod obligatio ad ea sola pertinet, quorum neglectus simpliciter disconvenit, i. e. disconvenit non solum si res adaequate spectatur, sed neque in abstracto rationem ullam convenientiae in se continet. Certe nec omissio actus perfectionis adaequate spectata convenit, quatenus actum ponere praestitisset; tamen si haec omissio inhonesta non est, potest in ea absolute considerata — non comparata cum alio actu — ratio convenientiae inveniri. At peccatum subiecto nullo modo convenit. Ergo actus perfectionis obligationem non parit, parit autem illud bonum, cuius neglectus simpliciter disconvenit, seu cuius neglectus peccatum est.

Hoc discrimen, dixerit fortasse quispiam, esse externum tantum, non internum. Sed reapse hoc discrimen in ipsa convenientia cum subiecto positum est, quae vel talis est (in actu praecepto), ut etiamsi non consideretur adaequate i. e. comparate ad actum perfectiorem, convenientiam contradictorii excludat vel (in actu perfectiore) talis, quae hanc non excludat, nec positum est hoc discrimen demum in diversitate obiectorum finalium speciem convenientiae nescio quo nexu determinante ita, ut esset solum discrimen externum.

His rebus expositis obligatio facile definiri potest: obligatio in actu secundo est influxus finalis boni certo cogniti ut voluntati unice convenientis: hinc obligationem in actu primo patet esse bonum certo cognoscibile ut voluntati unice conveniens.

Illud „unice conveniens“ idem sibi vult atque „ita conveniens, ut contradictorium nullo modo sit conveniens“ secundum ea quae supra explicavimus.*)

Quam explicationem si cum ea, quam apud Solov'ëv invenimus, comparamus, mirum quantum non solum cum ea convenit sed et lucem ei affert. Agesis quid inde de probabilismi systemate, quod Russos — tutioristas — exhorrescere diximus, sequatur, quaeramus**).

Probabilismi principium est illud axioma: lex dubia non obligat Obligationis notione explicata de hoc axiomate dubitari nequit. Ipsa enim certitudine iudicii de convenientia boni appetendi obligationem ab omni alia necessitatis moralis specie differre ostendimus. Cognitio obligationis resolvi potest in syllogismum, cuius conclusio est: hanc actionem voluntati unice convenire certum est***). Propositio maior pro diversis de fundamento obligationis sententiis, de quibus hic iudicare non vacat, vel est: „quod ita conforme est cum natura rationali ut contradictorium sit difforme, voluntati unice convenit“ vel: „quod Deus praecipit (addita sanctione), voluntati unice convenit“. Quodsi respondens huic propositioni maiori propositio minor („atqui hanc actionem Deus praecipit“) certa non est — nec conclusio („ergo haec actio voluntati unice convenit“) certa esse aut obligationem parere potest. Ergo principium probabilismi: „lex dubia non obligat“ reapse in numero axiomatum evidentium est.

I. Соколовъ, Аѳонское монашество въ его прошломъ и современномъ состояніи (Monachi Athonis eorumque status praeteritus et hodiernus). Peterburg 1904. Pg. 98. — 40 Kop.

J. Sokolov, unus e doctis byzantinistis russicis, multos iam tractatus ex historia byzantina et graeca (sensu stricto) ecclesiastica conscripsit. De Athone auctor iam antea exaraverat dissertationem scientificam in russica „Encyclopaedia theologica“ (I. t.) publicatam. Opusculum praesens non est stricte scientificum, sed potius generatim eruditis destinatum; nihilominus valore scientifico non caret, cum ostendat, auctorem in omnibus etiam difficilioribus quaestionibus huc pertinentibus bene versatum esse. — Initio auctor breviter, sed eleganter de momento ecclesiastico-historico et de situ geographico Athonis disserit (p. 3—9) brevemque conspectum historiae vitae monasticae in Athone addit (9—14). Initia vitae monasticae in Athone iam inde a saec. IV. inveniuntur; initio solum anachoretae solitarii hic degebant, prima monasteria versus finem saec. VII. erecta sunt. Numerus monachorum auctus est praesertim saec. X. sub protectione imperatorum et sub

---

*) Haud scio an non sit inutile monere nos definire obligationem quae est effectus legis, non quatenus est effectus eius, sive fieri potest, ut eadem necessitas aliunde oriatur, sive non potest.

**) Omittimus conceptus obligationis explicationem pertinere etiam ad quaestionem de fundamento obligationis solvendam, ad explicandam notionem iuris, entium moralium etc.

***) „Duo requiruntur: 1⁰ ut ratio iudicet aliquem finem absolute non posse a voluntate non appeti; 2⁰ ut ratio exhibeat necessariam alicuius actionis cum hoc fine connexionem“. Tongiorgi, Instit. phil. mor. n. 209.

regimine monachi Athanasii Athonensis († 1001), qui primus magnum monasterium in Athone proprie dicto erexit et regulas vitae monasticae communis definivit. Saec. XI. primum occurrit nomen „Mons Sanctus" — ἅγιον ὄρος. Tempore unionis Lugdunensis (1274) monachi Athonenses acerrimi adversarii unionis ecclesiasticae fuerunt. Inde ab invasione Turcarum iura monasteriorum quidem illaesa manserunt, tamen monachi persecutiones turcicas non semper effugere potuerunt: acerrimae erant persecutiones tempore insurrectionis graecae, cum milites turcici monasteria Athonis occupaverunt (a. 1821—29). Post a. 1829. monachi Athonis liberi et independentes sunt tum a potestate civili tum a potestate ecclesiastica (patriarchatus) et autonomam rempublicam repraesentant (p. 40). Praecipua occupatio monachorum est oratio, ascesis et sollemnes functiones liturgicae: insuper etiam laboribus physicis et intellectualibus occupantur. Inter monachos inveniuntur nonnulli in scientiis theologicis et profanis profundius eruditi (p. 47). Auctor accurate describit varia genera monasteriorum, quae in Athone inveniuntur, de eorumque organizatione et disciplina monastica multa narrat (p. 14—50). Athos omnibus saeculis fuit refugium monachorum, qui perfectionem christianam et vitae genus severius serio et constanter prosequuntur. Etsi etiam tempore recentiore in Athone vita monastica severa floreat, tamen in nonnula monasteria disciplinae minus arctae perniciosi abusus irrepserunt; nonnulli monachi mundum non serio reliquerunt, vitam omnino laxam agunt, ab esu carnis non abstinent et multam pecuniam possident.

Monachi russici iam saec. XI. in Athone inveniuntur. Saec. XII. iam floruit monasterium russicum (s. Panteleimonis). Postea usque ad finem saec. XV. (cum Russi iugo Mongolorum premerentur) pauciores erant monachi russici et solum a Serbis eorumque regibus adiuvabantur (p. 54). Saeculis XVI—XVIII., praesertim vero saec. XIX. monasteria russica in Athone florere coeperant et nunc in omni genere omnia alia superant. Propter progressum monasteriorum et monachorum russicorum inde ab a. 1870 magnae discordiae inter Russos et Graecos exortae sunt et adhuc perdurant, cum Graeci talem regressum monasteriorum et relativi numeri monachorum graecorum aegre ferrent. Auctor omnia haec accurate et obiective describit, nec reticet, nonnullos monachos russicos, qui extra monasteria proprie dicta vivunt, vitam parum monasticam agere, quod concordiam inter Graecos et Russos certe promovere non potest (p. 92—95). A. 1902. inter 7.521 monachos Athonis erant 3.207 Graeci, 3,615 Rusi; reliqui sunt Bulgari, Rumuni, Grusini et Serbi (p. 30). — Quoad monachos Russos auctor qua Russus nonnulla „pia desideria" profert. Prae omnibus auctor desiderat, ut monachi russici monachos graecos priorum saeculorum imitentur, cum Athos sedes non solum studii perfectionis christianae, sed etiam scientiarum et artium esset, quod praeclara monumenta historica et magnus numerus codicum pretiosorum ostendunt (p. 95—96). Quae „pia desideria" auctoris occasionem dederunt, ut in foliis russicis multa de hac re scriberentur. (Cf. etiam Stimmen a. Maria L. 61, 446—8. Red.)

Opusculum praesens certe est ex optimis, quae de Athone existunt; breviter, sed praeclare tum historiam tum statum hodiernum huius

„reipublicae monasticae“ describit. Auctorem etiam quoad controversias inter monachos russicos et graecos esse obiectivum clare apparet comparanti hoc opusculum cum descriptionibus docti historici Gelzer, qui de Athone et monachis russicis pulchre scribit in libro „Vom heiligen Berge und aus Makedonien“ Leipzig (1904). Gelzer (protestans, tamen etiam a catholicis qua historicus et observator obiectivus laudatus) monachos russos multo maioribus laudibus effert (p. 46 ss.) quam auctor noster *). Monachi russici graecos ingenio, sensu religioso, musica et cantu liturgico aliisque rebus longe superant; propterea non est mirum Russos tantos progressus fecisse in damnum Graecorum. Russi revera a patria sua omni modo adiuvantur, tamen falsissimum est, monasterium russicum praesidium munitum esse ad fines politicos; monachi russici solum finem religiosum prosequuntur (Gelzer p. 53.).

F. G.

Б. П. Келитко, „Владиміръ Соловьевъ жизнь и твореніи“. С.Петербургъ 1904. — Opus hoc pretiosum et summa attentione dignum brevi iterum editum est. Auctor, Solov'evii amicus familiarissimus, non solum conspectum biographicum, sed biographiam plurimis iisque pulcherrimis episodis ex ingenua eius vita privata, tantummodo veritati et spirituali sui populi commodo consecrata, ornatam tradit. Cognoscere veritatem, semetipsum totum quaestionibus religiosis, ad quas via naturalis est philosophia, dedere, hic est finis vitae eius.

Praecipuum eius propositum erat: In ratione fundamentum invenire, quo fides inniteretur latamque ad eam viam aliis manifesto ostendere; cuius rei gratia Solov'ev praeconem religiosarum atque moralium idearum se ducebat. Qua idea omnis eius opera ad plurimas disciplinas se extendens dirigebatur, quam auctor secundum singulas vitae Vladimiri Solov'evi phases dividit, non solum proprium et aliorum iudicium proferens, sed etiam, si aptum ei videtur, locos ex libris a Solov'vio scriptis allegans. Solov'ev describitur tamquam poëta, cuius poëticorum operum magna pars coelesti radio illuminata, multa testimonia ad eius biographiam praebet. Summi momenti sunt etiam conclusiones Solov'evi — philosophi, exemplaris omnis verae philosophiae — Christum atque prima tempora christianismi intuentis; e doctrina eius unusquisque aliquid lucrari potest. De ingenio eius clarissimo ea, quae scripsit, cum pugnaret pro conscientiae et vocis libertate ea, quae in lege christiana fundata est, testantur. Voluntas autem eius, quae omnibus prodesse voluit, ut ipse auctor ad finem operis subdit, numquam tanti aestimata est, quanti fuit, neque satis intellecta. — „міръ меня ловилъ, — но не поймалъ“ —

P n.—(O.)

Вл. Рыбинскій, О Библіи. Кіевъ 1902. **(De Bibliis. Oratio, quam auctor habuit in religiosa societate cultus Kijoviae.)** — Refert, in quanta aestimatione Sacra Scriptura fuerit apud Judaeos et

*) Eiusdem Gelzeri liber „Geistliches und Weltliches aus dem türkisch-griechischen Orient“ (Leipzig 1900) multa praeclara de hodierno statu ecclesiae orientalis continet, missionarios catholicos (praesertim Assumptionistas) et conamina Leonis XIII. laudat.

christianos primis saeculis. Biblia brevi tempore translata sunt in omnes, quibus tunc scribebatur, linguas et „per totum orbem terrae" diffusa. Iniuste auctor in ecclesiam catholicam invehitur, quasi non faverit legendis divinis litteris, quia canones, quibus S. Scriptura legi vetabatur, erant solummodo locales, iique salubres: nam haereses impediebant*). Loquitur dein de origine Briticae societatis biblicae et de propagatione bibliorum in Russia, ubi tres societates propagant S. Scripturam: Britica societas biblica condita a Peterson Petropoli a. 1812., Evangelica (= protestantica) societas biblica ab a. 1831. et Societas propagandae S. Scripturae in Russia ab a. 1869. (a S. Synodo). Summis laudibus extollit biblia et, ut ita dicam, interpretatur sententias prolatas in celeberrima encyclica „Providentissimus Deus"; sub finem adhortatus auditores ad diligenter legendam lateque divulgandam S. Scripturam, dicit: „Verus sensus et spiritus S. Scripturae quaerendus et petendus est in ecclesia, quae semper diligenter eam servabat et ab hostibus defendebat: ecclesia, prouti patet ex natura eius, est optima interpres sensus S. Scripturae." *I-š—(O.)*

Къ вопросу о литерарномъ наслѣдіи свв. Кирилла и Методіа въ глаголическихъ хорватскихъ миссалахъ и бревіаріяхъ. **А. Б. Михайловъ.** Варшава 1904 (**Quaestio de litteraria haereditate Ss. Apostolorum Cyrilli et Metodii in libris glagoliticis.** *A. V. Michajlov.* Varsoviae 1904).

Auctor ex analysi libri Genesis concludit, antiquiores textus in breviariis glagoliticis, qui archetypum graecum sequuntur, eosdem esse atque in Lectionario ecclesiae orientalis (Pariminik); posteriores textus glagoliticos ad normam Vulgatae compilatos esse. Hinc haeret, reliquerint-ne nobis SS. Fratres etiam alios textus praeter eos, qui excepto Evangelio, Apostolo nec non Psalterio, Lectionario ecclesiae orientalis (Pariminik) continentur?

J. V.

Kijew-Pečerskij Monastyr kak Kulturnyj Centr Domongolskoj Rossiji. *L. K. Gëc.* **Das Kiever Höhlenkloster als Kulturzentrum des vormongolischen Russlands** von Dr. *Leopold Karl Goetz,* a. o. Universitäts-Professor in Bonn. — De libro, qui sub titulo hoc anno proxime elapso (1904) Passoviae typis prodiit, scripsit dominus quidam F. T. in „Trudy Kijevskoj Duhovnoj Akademii" mense Decembri eodem anno relationem criticam, quam sub fine sequentibus verbis perstrinxit:

„На основаній всего сказаннаго, мы съ своей стороны, книгу проф. Геца признаемъ весьма цѣннымъ пріобрѣтеніемъ для русской церковно-исторической литературы и желаемъ ей возможно далѣе широкаго распространенія средь образованнаго русскаго общества".

---

*) Cfr.: Dr. Jan Lad. Sýkora, Zlatá bible klassikův. I. Dr. Jac. Hofmann, Die heil. Schrift ein Volks- und Schulbuch in der Vergangenheit. Malou, Lecture de la Bible.

Hac relatione perlecta eo ardentius volumen prof. Goetz adgressus sum, sed iam ab initio mihi confitendum est, mihi librum istum non adeo omni ex parte satisfecisse et admiratione me implevisse ut id Domino F. T. factum videtur.

Cognitiones Europae occidentalis et — proh dolor! — etiam Slavorum occidentalium de historia, vita et cultu gentis Russicae adeo sunt exigui momenti, ut omne studium has cognitiones augmentandi et perficiendi grato animo sit accipiendum. Hac ex parte etiam opus professoris Goetz laudandum et praesertim clero gentis Slavorum occidentalium, sed et laicis — commendandum est. Nam licet professor Goetz nullum novum fontem ad historiam coenobii Kioviensis pertinentem attulerit et cognitiones et notitias iam aliunde sumptas nulla nova luce circumfuderit, — nihilominus tamen cognitiones praesentes et exitus litterarum adeo clare composuit et breviter perstrinxit, ut liber eius unicuique, qui de re tanta, quantum est vetus coenobium Kioviense, nullam habet cognitionem, ad primarias et summarias notitias suppeditandas perutilis esse possit.

Auctor divisit volumen in duas partes, quae iam ipso titulo totius operis indicantur. In prima parte loquitur de origine et historia coenobii, qui tractatus iterum in tres sectiones dividitur. In prima sectione loquitur de origine vitae monasticae in vetere regno Russorum generaliter, in secunda de coenobio in „cavernis“ urbis Kioviensis (монастырь Печерскій) usque ad mortem sancti Theodosii, in tertia de historia eiusdem usque ad adventum Tatarorum.

Iam quod primam quaestionem attinet — quando orta sit apud Russos vita monastica? — eam e temporibus conversionem gentis russicae generalem, quae temporibus Vladimiri eventum habuit, praecedentibus repetendam esse puto — et incidere in tempus introductionis religionis christianae in Russia.

Propagatio religionis christianae in gentibus barbaris omnibus temporibus quam maxime monachis et ordinibus religiosis debebatur, et in ecclesia orientali eo magis, ex quo a concilio Trullano matrimonia sacerdotum aliquo modo obligatoria evaserunt.

Gens russica temporibus Vladimirum praecedentibus apud Graecos famam habuit gentis ferocissimae et crudelissimae.

In vita sancti Georgii Amustridensis (scripta in prima parte saeculi IX.) scribitur: *Ἔφοδος ἦν βαρβάρων τῶν Ῥῶς, ἔθνους ὡς πάντες ἴσασιν, ὠμοτάτου καὶ ἀπηνοῦς καὶ μηδὲν ἐπιφερουμένου φιλανθρωπίας λειψανόν.*

In vita sancti Stephani Sugdensis describitur horrenda devastatio, quam perfecit gens russica in Ponto sub fine saeculi VIII. De eadem gente scribit patriarcha Photius anno 860: „*γένος . . . τὸ παρὰ πολλοῖς πολλάκις θρυλούμενον καὶ εἰς ὠμότητα καὶ μιαιφονίαν πάντας δευτέρους ταπόμενον.*“

Quam minime ergo credendum, primos nuntios religionis apud gentem, quae apud Graecos in tanta infamia erat sacerdotes fuisse saeculares atque maritatos!

Religio vero christiana in Russia propagari coeperat iam multum ante Vladimirum, ad minimum temporibus mythici illius Askoldi. Nam expeditio Constantinopolitana Askoldo et Diro ducibus indubitanter vera et graecis aliisque fontibus confirmata est. Tenendum ergo etiam est, „ducem" illum Constantinopoli baptizatum et episcopum Kioviam missum fuisse, qui episcopus certe monachus fuit. — Nam haec omnia iisdem fontibus graecis, — Photii ep. ed. Valettes p. 178; biographia imp. Basilii, corpus script. Byz. XXVII., c. 97 — comprobantur.

Sequentibus iam temporibus usque ad Vladimirum religio christiana in urbe et regno Kioviensi quam latissime propagata est. In exercitu et in comitatu Igori quam plurimi fuerunt christiani, — Olga ad id infidelis, cum Constantinopolim proficisitur, sacerdotem in comitatu habet etc. Addatur etiam testimonium geographi Arabi Ibn Chordad-bey, qui scripsit in secunda parte saeculi noni. De Russis ita habet: „Ils pretendent être chretiens et payent la capitation comme tels". Hoc est, mercatores Russi in regno chalifarum (De Goeje, Bibl. geogr Arab. VI. 115).

Ubi ergo quam plurimi religionis christianae asseclae, ubi episcopus et sacerdotes monachi, — ibi profecto et monasteria esse debuerunt.

Verum itaque non est, religionem christianam in Russia e tempore Vladimiri ortum ducere et prima coenobia a Vladimiro vel a filio eius Jaroslao exstructa esse. Verba ergo Hilarionis: Монастыреве на горахъ сташа, черноризцы явитися" et Lav. Ljet.: У черноризцы ногата множитися, и монастыреве ногинаху быти", sensu aliquo latiore de vita monastica latius et uberius propagata et de monasteriis perfectioribus et amplioribus exstructis accipienda sunt. Hoc modo evanescit etiam controversia de concordantia testimonii Hilarionis cum auctore chronicae russicae primordiali (quae falso adscribitur monacho Nestori).

Deinde mihi exaggeratum esse videtur id, quod auctor nostri libri de introductione et propagatione religionis christianae a Vladimiro dicit. Religio christiana fuit in Russia iam ante Vladimirum introducta et sat ample propagata. Conversio Vladimiri erat actus magna ex parte politicus. Eius intentio erat, ideam, quam pater eius, fortis et bellicosus Svjatoslav, vi physica perficere non potuit, — erigendi imperii magni et splendidi ex gentibus slavicis Europae orientalis et meridionalis — ad verum perducere opibus, quibus imperium byzantinum pollere videbat — per artes et scientias et per omnem cultum ingenii et consortii humani. Sed primus gressus et necessaria conditio ad condendum regnum forte et ordinatum omnibusque artibus ad instar imperii byzantini splendens erat — introductio religionis christianae tamquam religionis imperii et universae nationis. Vladimirus reddidit imperium suum imperium christianum, sed inter privatos habuit religio christiana iam pridem plurimos asseclas. Minime ergo tenendum est cum professore Goetz multisque aliis, Vladimirum ex inopinato et absque ulla praeparatione populum suum iussisse descendere in flumen et suscipere baptisma. Processus, qui locum habuit in Russia

tempore Vladimiri, persimilis fuit illi, qui praecessit in imperio romano tempore Constantini.

Prouti religio christiana paulatim propagabatur in imperio russico, donec tandem a Vladimiro ex motivis imprimis politicis, ut concludendum est ex eiusdem expeditione contra Chersonesum et rationibus cum imperatore byzantino, — quibus vero non excluduntur etiam motiva persuasionis et conscientiae — producta est ad conditionem sacrorum publicorum, ita paulatim ortus est in eo etiam status monasticus.

Inter monachos in primordiis vitae religiosae in Russia magnas partes tenuisse advenas graecos negandum non est, quamquam et hunc influxum a prof. Goetz iusto plus exaggerari persuasum habeo.

Quod attinet conditores et primos inhabitatores coenobii „in cavernis", omnino certum est Hilarionem, Antonium et Theodosium fuisse natione Russos, quoad Jacobum hypothesis, eum fuisse Graecum, mihi non satis fundata esse videtur, de Nikone nihil positive notum est, Leontii neque origo graeca adeo inconcussa est, — nam historia docet, non omnes monachos et clericos, qui ex imperio Byzantino in Russiam venerant, fuisse natione Graecos, sed fuisse inter ipsos etiam Slavos meridionales. — In aliis monasteriis russicis, praesertim a principibus conditis, plures fuerunt, saltem initio, Graeci, sed etiam hic iudicium temperandum est, non fuisse ibi nisi alienigenas.

Generatim vero traditur ab auctore historia ortus et evolutionis monasterii Kioviensis „in cavernis" sat lucide et iuxta fontes scriptos, quos affert in numerosis allegationibus. Nihilominus desiderabam hinc inde tractationem abundantiorem et profundiorem. Multum iuvaret lectorem, si auctor tradidisset descriptionem topographicam urbis Kiev et monasterii, — deinde potuit uti abundantius fontibus, qui licet in se secundarii sunt, cum rem tantum obiter tangant vel posterioris aetatis sint, tamen vero aliquam lucem novam afferre possunt in rem tam obscuram, — ut sunt epistolae et instructiones (in quantum sunt authenticae) Cyrilli Turovensis, noviter reconstructa epistola Clementis Smoljatič, (de quo in Zapiski Tovaništva imeni Ševčenka), — recentiores compilationes chronicae primordialis, praesertim Novgorodenses, — et last non least historia monasteriorum in imperio Byzantino — praesertim monasteriorum Studinensis et in monte Athos, unde monasterium nostrum exemplar et regulas sumpsit.

Minus absoluta et perfecta apparet mihi secunda pars operis, — quae tractat de influxu monasterii in cultum veteris imperii russici. Hac ex parte impediverunt eum etiam eius praeiudicia — auctor est sacerdos sectae, quae dicitur neocatholica — quominus plene perspiceret et describeret magnitudinem et vim influxus, quem exercuit monasterium in vitam publicam et privatam, religiosam et civilem nationis russicae temporibus antemongolicis.

Auctor saepius innuit discordias et dissensionses fors ortas inter monachos ipsos, vel inter monachos interque principes vel episcopos, loquitur de eorum credulitate aliisque malis artibus et propensionibus,

ideam vero, quam sibi proposuit exponere — de influxu coenobii eiusque meritis de gente russica, parum excolit et elucidat.

Iam quod in primo capite verbis proponit: „Man kann mit Recht darauf hinweisen, daß derartige Kulturbetätigung an sich nicht mehr dem ursprünglichen Ideal des Mönchtums entspricht, das nur religiöses Leben außer der Welt, Askese kennt, und dessen Hauptzweck sein soll, die eigene Seele des Mönches zu retten" — non est verum. Historia teste etiam in ecclesia orientali iam a temporibus antiquioribus in statu religioso vita interna et externa, sanctificatio sui ipsius et labor pro ecclesia militanti iungebantur et splendidissima lumina ecclesiae — ut e. gr. Basilius, Gregorius Naz., Chrysosth. aliique ex monachis fuerunt, et in maxime agitatis quaestionibus ecclesiae orientalis monachi omni tempore primas partes habuerunt.

Tandem posterioribus temporibus, cum ecclesia orientalis magnam partem vitae et activitatis suae amisisset, etiam status religiosus hanc activitatem suam dereliquit, qui recessus a vita publica haeresi omphalopsychistarum completus est. Contrarium ergo in hac quaestione verum est, quam quod professor Goetz affirmat.

Hanc secundam partem distinxit auctor in duas subdivisiones, quarum prima tractat de vita monachorum interna, secunda de actione eorum ad extra. Etiam in his dissertationibus parum res conferuntur cum graecis et proinde non traditur imago completa et clara monasterii eiusque influxus, sed aliquae tantum notitiae abruptae et imperfectae. Ad reddendam ideam perfectam et claram auctor imprimis describere debuit monasterium, eiusque monachorum vitam et studia, prout exhibentur in exemplaribus graecis et in fontibus historicis ecclesiae veteris Russiae et prout resplendent in monasteriis russicis aevi postmongolici, et deinde ex hac descriptione deducere conclusiones, quomodo et quem influxum exercuerit monasterium ad extra. Exempli gratia, quomodo influxum exercuerit in sacram liturgiam in ecclesiis cathedralibus et episcopalibus, quae merita sibi aequisierit de arte sacra — de architectura, de ornamentis ecclesiarum, de libris sacris, — quem progressum fecerit ars ornamentica in Russia a conscriptione libri „Сборникъ Святослава et Гнѣзнѣнское евангеліе" usque ad tempora recentiora et quomodo pervenerit ornamentica haec e libris in monasteriis conscriptis in vitam populi quotidianam, in vestes, domus, supellectiles etc.

Quod attinet divisionem libri in supra dictas partes, ea quidem generatim sat simplex et lucida est, illud autem habet incommodum, quod eadem materia similibus verbis saepius repetitur, quod auctor maiore studio adhibito facile evitare potuit.

Licet ergo liber professoris Goetz omni ex parte perfectus atque absolutus dici nequeat, tamen, quia de hac materia non exstat liber alius, unicuique, qui de monasterio „in cavernis" Kioviensi primas notitias sibi acquirere vult, commendandus est. *L.*

Izvěstija otdělenija russkago jazyka i slovesnosti Imperatorskoj Akademii Nauk, god 9, 1904 Spb. 6 r. (Caesareae liberalium artium academiae partis linguam et litteras russicas spectantis nuntius) rursus afferunt Slovo (orationem) s. Clementis, episcopi Velicensis, quod ab eo scriptum esse, dubium esse non potest. Inscribitur:

Slovo o svjatej Troicě, o tvari i o sudě — Klimenta slovenskago (Sermo de ss. Trinitate, de creatione, de iudicio — Clementis slavici). Editum est a Tunickij sec. manuscr. monast. Michajl. Kijoviae No. 490. Praeterea exscriptum hic est per Al. Sobolevskij »Slovo na srětenie Kristovo« (in occursum Christi), quod eidem s. Clementi tribuendum videtur esse. Hucusque igitur 14 orationes habemus, quas ille certo conscripsit; ex quibus demum 1898 a P. Lavrov editum est (in Izvěstia academiae petropol.) »Pohvalnoe (slovo) svetym 40 mučenikam Klimentom spisano« (Laudatio sanctor. 40 mart. a Clemente conscripta). Etiam numerus illarum orationum, quae cum probabilitate ei tribuuntur, certe auctus est ultimis annis.

In iisdem Izvěstija 1904 Golubinskij, historiae ecclesiasticae scriptor Russorum celeberrimus, recentis libri V. Vondrák (Studie Pragae 1903) censuram scripsit p. 343—349 et contendit, non esse exploratum, s. Clementem ss. Cyrilli et Methodii reapse fuisse discipulum totque scripta reliquisse, quot Vondrák opinatur.

Certe, si tenendum esset, quod Vondrák et Snopek ut exploratum proponunt, auctorem legendarum panonicarum fuisse Clementem, episcopum Velicensem, hunc neque discipulum ss. Cyrilli et Methodii (quod refert Vita Clementis, unicus fons de ss. 5 discipulis horum apostolorum), nec sanctum, qui iam in evang. Assem. ad 27. Julii appellatur »svętago Pantelejmona mučenika i svętago světitelja otca naš. Klimenta episkopa velič'skago«), nec dogmatis de Filioque defensorem (quod nihil referre cf. K. Potkański in Przegląd powszechny 1905, 205; J. Hendrich in Vlasť 1905, 441*) fuisse, a Snopek (in Hlídka 1904—5; 1904, 833. 911—12. 913; 1905, 118), ut opinor, demonstratum esset. — De vita s. Clementis a N. Tunickij conscripta cf. Bogosl. Věstnik 1904, II. otd. 4 str. 212—216.

Христіанское Чтеніе. 1904. Ampla Smirnovii commentatio O perstosloženii dlja krestnago znamenija (De digitorum compositione) (p. I., 24—44; 214—237; 378—405; II., 36—58; 173—186; 281—303) in controversiam inter orthodoxos et palaeodoxos (starověrci) inquirit. Orthodoxi alio signo crucem conscribunt, alio benedicunt; cruce se signant tribus dexterae coniunctis digitis (signum ss. Trinitatis), digitis primas ss. nominis Jesu Christi litteras conscribunt benedicentes. Palaeodoxi utrumque eodem exprimunt signo adhibitis solum duobus digitis (»dvuperstie«). De modo digitos componendi in signo crucis exhibendo ecclesiam latinam obiurgavit auctor libelli »Prenie Panagiota s Azimatom« (Certamen Panagiotae cum Azymato; de 72 erroribus latinis), de quo cf. A. N. Popov, Istoričesko-literaturnyj obzor drevne-russkih polemičeskih sočinenij protiv latinjan. M. 1875 et hic p. 231. — V. V. Uspenskij in dissertatione sua Izučenie pastyrstva etc. (I., 197—213) queritur, quod theologia pastoralis »apud nos et in doctrina catholica« laborat rei diffusione (»razplyvčatosťju a neulovimosťju«), quam in ecclesia catholica necessario manare docet ex eius de se doctrina; eam ibi solere esse totam protestantium theologiam practicam. — Προςκομιδή i. e. praeparatio panis et vini in altari titulus est commentationis liturgicae ab A. V. Petrovskij 406—431 conscriptae. — J. J. Sokolov sub inscriptione »Vizantologičeskija tradicija« conspectum praebet contributionum professorum academiae spiritualis petropolitanae relate ad

*) Photio mortuo a. 891 etiam schisma exspirasse et Graecos romanae ecclesiae unitos mansisse usque ad Michaelem Caerularium (1043—54) probat J. Pelesz, Geschichte der Union Wien 1878, 627. Cf. N. Nilles, Kalendarium manuale² Oenip. 1896 t. I., p. 212; Acta sanctor. Julii t. I. Ephemerid. graeco-mosc. praefat. n. 11 (Papebrochius); Septembr. t. 1 De conversione et fide Russorum (Stiltingus). Quid sit de Agathone = Gorazdo, Moravorum metropolita, in synodo Photiana a. 879 v. Acta ss. Octob. t. XI., Annus eccl. gr.-sl., 17. Julii (Martynov).

byzantologiam. Refertur hic de dissertationibus, quas ad lectores nostros pertinere putamus: Jo. Leont. Janyšev, Istoričeskij vzgljad na postepennoe otdělenie zapadnoj cerkvi od pravoslavnoj vostočnoj (Hr. Čt. 1854, A. II., str. 14—64; 209—256. Historia processus separationis eccl. occid. ab orthod. or.); Iv. Vasil Čelcov, Vněšnee sostojanie grečeskoj cerkvi s 1054 do 1204 goda. (Hr. Čt. 1857. II., 354—402. De condicionibus externis ecclesiae graecae ab a. 1054—1204); Evgr. Iv. Lovagin, Suďba pravoslavnoj cerkvi na Jonijskih ostrovah. (Hr. Čt. 1876, II., 431—491 De ecclesiae orthodoxae in insulis Jonicis vicissitudinibus); Idem, O formě grečeskih cerkovnyh pěsnopěnij (De forma hymnorum graecorum ecclesiasticorum); Idem, Dvě besědy Fotia po slučaju našestvija Rossov na Konstantinopol (Hr. Čt. 1882, II., 413—443. Duae Photii homiliae de incursu Russorum contra Cp.); Al. Lv. Katanskij, Istorija popytok k soedineniju cerkvej grečeskoj i latinskoj v pervye četyre věka po ih razdělenii; Historia conatuum ad ecclesias graecam et latinam uniendas factorum primis quatuor saeculis post schisma exortum. (Spb. 1868 p. 245 = Hr. Čt. 1867 II.; 1868, I.; hucusque unicus liber Russorum, in quo haec res via ac ratione traditur.) — Ger. Ared (ierom.), Otzyvy o sv. Fotii, p. kp., ego sovremennikov, v sjvazi s istoriej političeskih partij vizantijskoj imperii. (Spb. 1874, p. 257 = Hr. Čt. 1872—3. De Photio eiusque aetatis viris); Tim. Vas Barsov, Konstantinopolskij patriarh i ego vlast nad russkoju cerkoviju (Spb. 1878 p. 578. De patriarchae Cp in ecclesiam Russorum potestate; Idem, Različnyja sistemy vzaimnyh otnošenij cerkvi i gosudarstva (Strannik 1872, I., 50—82; 141—178). De diversis rationibus mutuarum inter ecclesiam et potestatem civilem relationum); Iv. Egor Troickij, Imperatoris Michaelis Palaeol. de vita sua opusculum necnon regulae, quam ipse monasterio s. Demetrii praecripsit, fragmentum. (Petropoli 1885 = Hr. Čt. 1885 II, 529—570); Idem, Skazanie vkratcé o gorodah i stranah ot Antiohii do Jerusalima, takže Syrii, Finikii i o svjatyh městah Palestiny (Pravoslavnyj Palestinskij Sbornik vyp. 23 [tom 8, vyp. 2] Spb. 1889. Brevis relatio de oppidis et provinciis ab Antiochia usque ad Hierosol etc [XII. saec.]). Idem, K istorii sporov po voprosu ob ishoždenii Svjatago Duha (Hr. Čt. 1889, I., 338—378. 581—605; II., 289—352. Contributiones ad historiam controversiae de processione Sp. s.); Idem, Arsenij, patriarh nikejskij i konstantinopolskij i arsenity. (Spb. 1873 p. 534 = Hr. Čt. 1867—72. De Arsenio patr. nicaeno et cp⁰, et de arsenitis). Idem, Izloženie věry cerkvi armjanskija (Spb. 1875 p. 339. Expositio dogmatum ecclesiae Armenorum). Qui libri accuratiore cognitione nostra digni videntur esse. — A. A. Bronzov in commentatione de victu sine carne »Vopros o bezubojnom pitanii« demonstrare conatur, perfectam speciem doctrinae christianae abhorrere a carnibus; solum sui cuiusque amorem impedire, ne hoc agnoscatur. — Tenet nos, quod inclitus ille N. N. Glubokovskij in suis »Zaměčanija o 1. m poslanii sv. Apostola Joanna Bogoslova (I., 857—877. Notae ad 1. Jo) p. 867 existimat, ubi nunc legitur comma Joanneum, ibi in autographo verba similia fuisse (»v originale bylo čto-to podobnoe«): connexu id exigi. Praeterea eius index eorum, quae de 1. Io scripta sunt, magni pretii est (p. 873—877). — Quae Zarin de rebus asceticis disserit magna lectionis ss. Patrum copia haud scio an in nostris recentibus litteris theologicis multa sui similia habeant. Tertiae commentationis (De spiritualibus passionibus II. 76—95; 204—221) argumentum est: de essentia et natura avaritiae (φιλαργυρία), iracundiae (ὀργή), tristitiae (λύπη), negligentiae (ἀκηδία), vanae gloriae (κενοδοξία), superbiae (ὑπερηφανία); de communi omnium passionum fundamento: sui cupiditate (φιλαυτία); de indolentia (ἀπάθεια) ut negativa solum ascetismi parte. — P. J. Leporskij »39 členov Cerkvi Anglijskoj« (II., 447—468; 613—638) exponit articulos: 17 (de gratia et praedestinatione; non posse eum exponi ex sententia Calvinianorum), 19—21, 23, 26 (de ecclesia, de infallibilitate concilio-

rum et interpretatione s. scripturae, de hierarchia), 25, 27—29, 31 (de sacramentis: de falso sacramentorum — exceptis baptismo et eucharistia — conceptu, acsi merae ceremoniae essent, de ablato unctionis infirmorum sacramento, de ambigua saltem doctrina de eucharistia et sacrificio (a. 28, 29, 31). Praeter haec sane etiam in 5. articulo discrepantiam invenit (»filioque«); ibi verba eius notentur: »Slěduet vpročem, iměť v vidu, čto zapadnye bogoslovy pridajut Filioque totže samyj smysl, čto i formulě διὰ τοῦ Υἱοῦ, vstrěčajuščejsja u mnogih otcev vostočnoj cerkvi, tak čto različie meždu vostočnym pravoslaviem i zapadnymi ispovědanijami v dannom punktě terjaet harakter kakogo-nibud sušěstvennago raznoglasija« i. e. »Ceterum prae oculis habendum est theologos occidentales illi »Filioque« eundem tribuere sensum, quem formulae διὰ τ. Υἱ., quae apud multos ecclesiae orientalis patres occurrit, ita ut discrepantia inter orthodoxiam orientalem et confessiones occidentales in illo puncto vi cuiusvis dissensionis essentialis careat«. Diversitates alias animadvertit in a. 27 (invocatio sanctorum, cultus imaginum), et (non dogmaticam) in a. 32 (nuptiae post ordinationem presbyteratus. Cf. aliam de his rebus dissertationem in Cerkovnyj Věstnik 1904, col. 1194—1198; 1228—32). — N. N. Glubokovskij in commentatione sua Učenie sv. ap. Pavla... (II, 3—35; 145—172) de praedestinationis doctrina Paulina opinionem diluit s. Paulum ex libro Sapientiae doctrinam calvinianam de praedestinatione hausisse; docet nec Pseudo-Salomonem nec s. Paulum eam tradidisse; idem tamen diversitatem quandam introducit in doctrina utriusque scriptoris, nimirum contra librum Sapientiae. — Quaestio V. D. Popov: Ezdra Neemia ili N.-E.? occupat in p. II. pagg. 554—570 et 835—852. De quo Artaxerxe 1. Esdr. 7, 1 et Nehem. 2, 1 agatur et fueritne missio Esdrae prior quam Nehemiae diligenter scrutatur. Sententiam Hoonackeri (Nehemie et Esdras in Museon 1890) eiusque sociorum (Kosters, Sellin etc.) transferre ait theoriam evolutionis in populum electum; sed eum theocraticum fuisse organismum. Argumentis eorum igitur nihil demonstrari. Dein positivas rationes affert pro sententia antiquitus tradita: a) 1. Esdr. 4, 7—23 refutatis adversariorum interpretationibus; b) comparationem I. Esdr. 8 cum Neh 3; denique c) quod Esdras cum advenisset, non invenit Iudaeum administratorem. De Artaxerxe I. Longim. agi existimat. — Vas. Uspenskij, Vopr. o »dogmat. razvitii« (II., 597—612; 757—786) diversas theologorum russicorum de relatione degmatum ad revelatinoem sententias nos docet. — *l* —

„Богословскій Вѣстникъ“ 1904. **(Bogoslovskij Věstnik)** издаваемый Московскою Духовною Академіею. Redactor professor J. Popov: prodit singulis mensibus; fasciculi uniuscuisque anni 3 tomos efformant.

»Moskovskaja Duchovnaja Akademija«, prout aliae academiae clero orthodoxo erudiendo inservientes, habet officialem periodicam publicationem menstruam, quae nunc annum iam XIV. agere incepit. Fundata est haecce publicatio a nuper mortuo professore Pavel Ivanovič Gorskij-Platonov, eiusdem Academiae membro ex honore, († 21. Octobris 1904 secundum orthodox. Calendarii computation.) anno 1892, qui etiam primus fuit ejus redactor (a. 1. Januarii 1892. — 5. Aprilis 93). Ei contigit, priores litteras »Pribavleniek tvorenijam svjatych Otcov« (= Adnotationes ad ss. Patrum scripta) usquedum quater tantum anno decurrente ab Academia edi solitas in menstruas transmutare, adjuvante praeprimis archimandrita Antonij Chrapovickij, tunc temporis Academiae rectore (nunc episc. Volynensi).

Dirigente nunc professore J. Popov prodeunt menstrui fasciculi semper cum approbatione Academiae rectoris, episcopi Eudokimi.

Publicatio haec, cui adduntur russicae versiones operum ss Patrum, modo s. Theodoreti, ep. Cyrrhensis, complectitur tractatus

disciplinae theologicae, philosophicae et historicae potissimum a professoribus Academiae Moscoviensis elucubratos, conspectum graviorum eventuum vitae ecclesiasticae quam in Russia et orthodoxo Oriente tam in regionibus occidentalibus praesertim slavicis, relationes Academiae, recensiones librorum. bibliographiam theologicam etc. In additamento secundo publicantur varia scripta, praesertim protocolla Consilii Academiae e. a.

P. Tichomirov: Каноническое достоинство реформы Петра Великаго по церковному управленію (Valor canonicus reformationis Petri M. concernentis potestatem ecclesiasticam) I, 75—107, 217—248. Tichomirov subjicit analysi opus a Petro M. peractum, — ad quod utitur tum documentis ad hoc spectantibus tum auctoribus, qui de hac re scripserunt. Dividit suum thema in duas partes: prima est, quomodo reformatio Petri peracta fuerit; — secunda, qualis sit haec reformatio in se tum secundum decreta tum in praxi.

Petrus M volens ecclesiam in Russia reformare, usus est hunc in finem solo Th. Prokopovič, ep. ex Pskovsk, qui composuit »Духовный Регламентъ (eccles. Regulamentum), et probabiliter etiam »decretum« de constitutione »s. synodi«. Per centurionem jussit imperator colligere episcoporum subscriptiones mandans, ut si quis episcopus renueret, causam scripto explicaret. Decembri 1720 finita est subscriptio, 25. Jan. 1721 editum est decretum »s. synodum« constituens. Et sic sine episcoporum consultatione »reformavit« ecclesiam (p. 83). »Episcoporum tunc tantum recordatus est, cum de subsriptione constitutionis ageretur« . . . . »quo pacto ii, qui potestatem legislativam habent, deprimuntur ad conditionem consiliariorum« . . . . »Sed et hoc solum apparenter iis reliquit. Petrus indigebat solum illorum subscriptione« . . . . »Ideo mittit centurionem colligere subscriptiones. Demonstratione autem opus non est, illam peractam esse non sine vi: exigentia declarationis in scripto, si subscribere quis nollet, aequabat minas judicii« (p. 84). Quod ultimum comprobat poenis, quas perpessi sunt ii, qui Petri M. consiliis contrariabantur. »Immo nulla synodus approbavit Petri M. reformationem . . . Restat igitur: introductam ab eo reformationem »подвести подъ категорію ‚посягательства на права церкви‘ (nihil aliud esse nisi rebellionem contra ecclesiae jura)«. Nec subscriptione quid obtinuit, quia episcopi non libere subscribebant, ‚s. synodus‘ apud majorem hierarchiae partem per longum tempus non reputabatur legitima potestas. Clerus et monachi non raro debitam denegabant reverentiam. »Magnus numerus fuit eorum, qui contenti non erant ‚s. synodi, constitutione« (p. 89.). Ideo Prokopovič coactus est scripto defendere suum opus. Immo quod Patriarcharum Orientalium approbationem attinet, solum Constantinopolit. et Antioch. approbarunt idque post duos demum annos a »s. synodi« constitutione; alii nihil responderunt.

Deinde analysi subjicit decreta, quae ad hanc reformationem spectant: Causa hujus reformationis, inquit, fuit bonum temporale regnij; argumenta, quibus Prokopovič hanc stabilire vult, non habent vim canonicam: »dignitas hujus reformationis dijudicatur ex ejus pro regno utilitate« (p. 92); ecclesiam subjecit Petrus M. imperatori; in tertio enim puncto decreti sic legitur: »haec (synodus) autem tunc praeprimis fortis est, quando collegium (supremum ecclesiasticum) est sub imperatore et ab eo constitutum . . . illud constituitur voluntate imperatoris, ad illud designantur ab eo (imperatore), consilio inito cum ceteris, electae personae« (p. 97). Membra ‚s. synodi‘ omnino non sunt dioecesium repraesentantes, sed, ut dicit »Reglament«: »personae ab superiore potestate electae« (p. 223); verbo: non sunt ‚regimen ecclesiasticum‘, sed ‚regni officiales‘ (чиновничество) (p. 223), officiaque eorum ‚policejskimi‘ (coactiva). »Omnino consentimus, si legislationem Petri M. respicimus, regimen nostrae ecclesiae appellandum esse ‚caesaro-papismum‘« (p. 233). In decreto de ‚s. synodi‘ constitutione

legimus: »Imperatorem Russiae habere supremam divinitus datam potestatem in rebus ecclesiasticae disciplinae et regiminis« (p. 234). Quod et juramentum membrorum »s. synodi« demonstrat: »Confiteor cum juramento supremum judicem hujus collegii esse Imperatorem Russiae« (ibidem). Quod usum attinet, »,s. synodus' Imperatore inscio nihil peragebat« (p. 238). »Ex allatis exemplis patet: meliores episcopos, ubi poterant, paratos fuisse loqui contra duo mala in eccles. regimine: contra subjectionem potestati civili et contra defectum conciliaris regiminis (regiminis conciliorum)« (p. 243).

Potestas vero civilis semper conabatur subjicere sibi ecclesiam. Instrumentum ad hoc fuit ,ober-prokuror s. synodi' primo ut inspector, deinde ut rector ,s synodi'. Ab a. 1824 ,ober-prokuror' est minister in rebus legislationis et administrationis ecclesiae. In sessionibus imperialis »Sověti« (consilii) et »Komiteti« (conventus) ministrorum ,ober-prokuror' solus apparet ut repraesentans ecclesiam (p. 244 et 245). Episcopos vacantium dioecesium proponit ,ober-prokuror', imperator autem eligit (p. 246).

Tichomirov scientifice procedit nec unquam praecipitat in argumentatione. Unum, quod non recte fecit, est, quod perpaucis tantum documentis illustravit, quomodo se gesserint episcopi et sacerdotes erga Petri M. reformationem. Alter defectus est mira de ecclesiae conciliari (sobornyj) regimine sententia.

S. Glagolev: Профессоръ Димитрій Голубинскій (professor Demetrius Golubińskij) I, 130—162; — archim. Evdokim »Памяти Д. Голубинскаго« (Memoriae D. Golubińskij) I, 162—188.

D. Golubińskij (* 1832, † 23. Novem. 1903) fuit ab a. 1854 magister physicae et mathesis in Academia Moscoviensi; anno 1870 autem, quando haec cathedra suppressa fuit in omnibus academiis, obtinuit, ut Moscoviae erigeretur cathedra ,scientifico-naturalis apologeticae', cujus ipse lector constitutus est; sicque ex professore ordinario decidit ad statum privatidocentis Ut praepararet suos discipulos ad apologeticam, tradebat physicam et elementa chemiae et astronomiae. Talis cathedra solum Moscoviae exsistit, cujus instiutionem solus Golubińskij procuravit. Propter defectum similis cathedrae in aliis Academiis »apologetica«, ut praedixit Golubińskij, »detrimentum passa est in Russia, et nullibi in occidente dominatur in disciplinis naturalibus tanta declinatio a religione sicut in Russia. Tractatus apologetici, secundum antiquos, non raro cum inscitia praecedentium antiquorum conscripti, serviunt potius contra eum finem, cujus gratia conscripti sunt. Philosophia perit in scholis ecclesiasticis« (p. 141). Golubińskij fuit vir severus erga se, precationis amans, strictissime praecepta ecclesiae observans, pauperum adjutor, homo vere religiosus.

P. Světlov: Идея царства Божія въ ея значеніи для христіянскаго міросозерцанія. Богословскоапологетическое изслѣдованіе. I, 1—42, 425—448, II, 1—46.

Světlov hic continuat suam dissertationem ex magna parte iam anno antecedente publicatam (c. IX.). Agit de N. Nepljuev et V Solov'ev, quorum scripta et opera »pulcherrima concio« (I. p. 3) numerari possunt. — Proponit autem eorum de »regno Dei" systema synthetice sententiisque ex illorum operibus desumptis opiniones suas comprobat. Nepljuev et Solov'ev, si inter se comparentur, uterque extendunt »regnum Dei« tum ad internum hominem tum ad societatem. Uterque ut »regni Dei« fundamentum amorem constituit; quo ex principio ut conclusionem deducunt, ex odio separatam esse ecclesiae unitatem. Ut vero »regnum Dei« perficiatur, postulant ecclesiarum reunionem. Sicut odia destruxerunt ecclesiae unitatem ita secundum Solov'ev amor est optimum medium et potissima conditio unionis ecclesiarum. —

De cetero auctor nimis deprimit dogma eiusque momentum ad regnum Dei verificandum. Auctor judicat Solov'ev non reputasse

cum catholicis regnum Dei esse nihil aliud nisi ecclesiam (II, 3); — p. 8. vero dicit in eo esse Solov'ev meritum, quod ipse contra Tolstoj defendat: »regnum Dei ad verum perduci perfecte solum in ecclesia et per eam«; quod aliquam contradictionem implicat.

A. Lebedev: Взглядъ Толстого на историческую жизнь церкви Божіей (Opinio Tolstoj de vita ecclesiae Dei historica). I, 42—75.

Tolstoj dividit ecclesiae historiam in tres periodos: quarum prima est: vita primorum christianorum, »regnum veritatis et felicitatis«; secunda usque ad apostolorum Petri et Pauli mortem (Tolstoj nullam dat chronologiam, ex factis historicis demum, quibus Tolstoj utitur, reconstruit Lebedev chronologiam), initium interitus »regni veritatis« principiumque »regni mendacii«; tertia, »regnum mendacii« i. e. ecclesia. De »prima periodo« scripsit Lebedev anno praecedente. Nunc inquirit in sequentes periodos.

Sec. Tolstoj interitum regni veritatis effecerunt odium et rixae de circumcisione, de esu ciborum idolis oblatorum nec non »falsa« miracula, quibus quaevis christianorum fractio suam doctrinam comprobare conabatur. Ecclesiam Dei saec. III. esse excogitatam a diabolo nihilque eam esse nisi locum mendacii. At — sic loquitur Lebedev postquam factorum allatorum de secunda periodo censuram egit — Tolstoj »ad finem suum corrupit, falsificavit et sinistre interpetatus est facta idque contra eorum naturam et authenticum sensum« (p. 53) Contra tertiam periodum bona profert argumenta, defenditque praesertim ecclesiam Russicam, de ecclesia autem catholica, licet eam defendere non intendat, haec asserit: »Nulla tamen ratione negare licet illam (ecclesiam catholicam) etiam in tristi tempore medii aevi animum religiosum conservasse, qui etiam nunc temporis suas in illam exserat vires« (p. 63).

A Lebedev: О происхожденіи актовъ вселенскихъ соборовъ (Quomodo acta occumenicorum conciliorum orta sint?) II, 46—75. — Lebedev, notus historicus, tangit hac in lucubratione, licet parva, rem summi momenti. (Sub nomine »conciliorum oecumenicorum« apud Russos intelliguntur solum concilia ante schisma graecum.) Inquirit nempe primo, quisnam et quanam cum diligentia conciliorum acta conscripserit; secundo, quonam ex concilio nec non quanam ex causa accurata rerum omnium in concilio actorum descriptio originem suam ducat. Utitur vero ad suum studium praeter alia praesertim Collectionibus conciliorum a Mansi editis. Secundum Lebedev triplex erat genus scriptorum (quod et comprobat documentis ex conciliis desumptis): »notarii seu ὀξυγράφοι«, publici nempe ipsius concilii scriptores: ad eorum munus pertinebat omnia in concilio acta accurate conscribere, finito autem concilio acta in ordinem redigere, et post concilium acta diligenter asservare; quin etiam »eos habere possumus actorum conditores eodem modo atque alia membra concilii« (p. 51). Ad secundum genus pertinebant »exceptores«, qui comitabantur magistratum civilem. Tertii autem generis scriptores erant de comitatu singulorum episcoporum. Eorum munus erat describere praesertim suorum episcoporum acta, ne postea »ejus verba corrumperentur« (p. 53). »Sic autem factum est, ut notarii singulorum episcoporum fungerentur inspectorum munere relate ad ipsius concilii scriptores« (p. 53). —

I. et II. concilium non ediderunt publicos actorum commentarios, sed praecipua tantum documenta, ut symbola et canones; in III. et IV. concilio autem omnia accurate conscribebantur, quorum exemplum concilia sequentia secuta sunt. Causa vero in III. concil. tali modo agendi erat ea, quod s Cyrillus voluit se defendere a Johanne (patriarcha Antiocheno), qui suam celebrans synodum omnia accurate conscribi jussit. Concil. vero IV., quia annullabat »latrocinium Ephesinum« et pseudo-synodum Constans. 448., omnia in iis pseudo-synodis acta recensuit: immo et sua acta accurate conscripsit.

P. Světlov: Старокатолическій вопросъ въ его новомъ фазусѣ (Quaestionis »catholicorum veterum« novus status.) I, 281—317. — Jam a decem annis pertractant Russi et »Veterocatholici« de novo quaestionem de Russorum et Veterocatholicorum ecclesiarum unione. »Hisce disceptationibus eluxit: Veterocatholicos quoad essentialia puncta idem sentire cum Russis« (p. 281). Immo jam eo perventum est, ut hanc unionem »minime impeditura sit doctrina Veterocatholicorum sequentium opinionem Patrum de processione Spiritus S. a Patre per Filium, licet ea non sit in Oriente, Russiave divulgata, multo minus quod non utuntur vorbo ‚transsubstantiatio' a scholasticis excogitato« (p. 282). At posuerunt ultimis temporibus Russi obstaculum: arguunt nempe Veterocatholicos, eos de ecclesia non recte sentire. Objiciunt vero iis duos errores: Veterocatholici enim in ecclesia duplicem partem distinguunt, visibilem et invisibilem, et secundo nulla ratione admittere volunt ecclesiam Russicam esse oecumenicam. Quoad primum ostendit Světlov, Veterocatholicos idem tenere ac Russos; quoad secundum vero, »si recentiores Russiae theologi excipiantur, ante 18 annos Russos, saltem melioris notae theologos, ecclesiae Russicae non adscripsisse oecumenicitatem« (p. 308). Ideo concludit, hac in re non esse culpandos veterocatholicos (p 314). Addendum est, Světlov etiam hoc in articulo obscura, si non falsa, tradere de ecclesiae ‚visibilitate'.

N. Preobrašenskij: Изъ очерковъ современнаго англиканства I, 362—394. — Inquirit citatus auctor de ‚ritualismo' quem vocant et de cleri statu ejusque laboribus. — Episcopi anglicani, licet nulla ratione admittere velint ritus a reformatoribus rejectos, tamen laudandi sunt, quia conantur liberare se a comitiorum potestate et subjicere sibi magis sacerdotes. — Unum ex praecipuis defectibus in eo cernit, quod dogmata anglicanismi a singulis aliter et aliter explicari possint.

V. Sokolov: »Откликъ на призывъ« (Responsum ad quaesitum). I, 484—522. — A. 1903 m. Semptembri inviserat Russiam ep. anglicanus ex America Grafton, membrum »congregationis relationum cum aliis ecclesiis.« In suis orationibus in Russia habitis et scriptis dixit: »ego quidem confiteor septem sacramenta, septem synodos oecumenicas, conversionem in Eucharistia et alia, quae tenet ecclesia Russica« (p. 491). Notandum est, similes necessitudines Anglicanis cum Russis fuisse jam et antea. Itaque Sokolov scripta et confessiones a Grafton editas analysi subjicit inquiritque, quales sint in rebus fidei differentiae inter Russos et Anglicanos. Additque simul episcopum Grafton melius sentire quam alios episcopos anglicanismo addictos. Ad sequentia autem puncta recidit difficultates: Anglicani dicunt, omnes confessiones, quantumvis in fidei dogmatibus inter se dissentiant, esse ecclesiae universalis partes, Russi e contra omnem confessionem, quae fidei integritatem non servarit, ex universalis ecclesiae corpore excludunt; Anglicani obscura, immo falsa docent de conciliorum auctoritate, quod a Russis quam maxime alienum est; Anglicani negant transsubstantiationem et admittunt solum spiritualem, non realem praesentiam Christi in Eucharistia; »in decretis Tridentini — ita respondet auctor ad quaesitum Grafton de transsubstantione — de conversione (о превращеніи) et transsubstantiatione (пресуществленіи) panis et vini in Eucharistiae sacramento nil invenitur, quod doctrinae ecclesiae orthodoxae contrarium sit« (p. 512); Russi quoque Sanctos colunt, quod Anglicani facere renuunt; Anglicani in suo catechismo duo tantum habent sacramenta, quod est contra Russorum doctrinam; dubitant denique Anglicani de 7. concilio occumenico, quod est contra persuasionem ecclesiae russicae. — Notandum est, Sokolov conari ostendere, ecclesiam catholicam ne partiale quidem membrum esse ecclesiae universalis, neque eum intelligere, quo sensu catholici B. M. Virginem »co-redemptricem« appellent.

A. Kirěev: »Отвѣтъ профессору А. Кереньскому« (Responsum professori Kereńskij). I, 522 546. — Kereńskij, crisi subiciens Kirěevi lucubrationem »Старокатолики и Вселенская Церковъ«, objicit ei praeter alia et id, quod Kirěev arguat ecclesiam Russicam: eam ex negligentia vel malitia unionem cum »Veterocatholicis« impediisse. Ad haec respondet Kirěev in praesenti articulo. Eo autem procedit, ut dicat: Veterocatholicos in dogmatibus cum Russis idem sentire, et »futuros theologos e scientiae templo ejecturos multa a recentioribus excogitata« (p. 534). Tenendum esse ait, quod tenuit antiqua ecclesia, omne aliud rejiciendum. — Dicit quoque, apud Russos doctrinam »de transsubstantiatione« non esse communem, sed solum quorundam singulorum, dicit itaque consentiendum esse cum acatholicis, qui praeter praesentiam Christi in Eucharistia nihil admittunt. Generatim Kirěev etiam hic sicut iam in aliis suis tractatibus magis se ostendit agitatorem, quam theologum. Objective tamen in hoc processit, quod dixit cum Photio: »multos magnosque sanctos et ecclesiae patres tenuisse doctrinam de filioque« (p. 524); et multos (dicendum erat omnes fideles) in Russia docere transsubstantiationem (525 sqq). At multa quoque sine ulla ratione objicit ecclesiae catholicae. *M. H.*

Богословскій Вѣстникъ 1905. 1—3: M. Tarěev, Spiritus et corpus. Auctor vult hic proponere relationem inter doctrinam christianam et formas vitae practicae, deducendo principia ex conceptu evangelicae libertatis. Quaerit rectam viam inter sententias Tolstoj et sic dictum »neochristianismum«, prout eum docent Merežkovskij et Rozanov. — J. Popov, Mystica ascetismi Macarii aegyptiaci vindicatio (Finis seq.). — A. Spasskij, Conversio imperatoris Constantini Magni ad rel. christianam. Non evenit interna evolutione religiosi sensus ejus, sed externis eventibus plus minusve fortuitis. Apollonis cultor strenuus Romam et cum Roma deos capitolinos hostiliter petiturus, rem suam ipsorum tutelae committere non est ausus. Ab hoste pressus secundum temporis superstitionem alium patronum divinum imploravit, deum christianorum, cuius notitiam iam diu habuit. Faustis faustioribusque eventibus regiminis sui religioni christianae propius accedit eamque in dies magis protegit. — S. Glagolev, Religio vitae fundamentum. Necrologus in memoriam defuncti Academiae professoris linguae hebraicae et archeologiae biblicae P. J. Gorskij Platonov, auctoris plurium librorum historici et exegetici argumenti. Sequuntur aliqui sermones in laudem defuncti ab Academiae professoribus exarati. — P. Světlov, Quaestio veterocatholica in prelo theologico anni 1904, ad quaestionem ecclesiarum reunionis et doctrinae de ecclesia. Theologia, cuius est omnes Christi fideles in unam universalem ecclesiam colligere, finem suum aliis quam hucusque mediis prosequi tenetur. Confessionalismus, quo ducta quaelibet ecclesia semetipsam tamquam unice veram proclamans, aberrationes et digressiones alterius ecclesiae in maius extollit, vano patriotismo aequiparatur, in justitia aliis gentibus exhibita patriae proditionem videnti. Prouti apologetica christiana ecclesiasticas singularitates postponens, universales et quasi interconfessionales fundamentales veritates religionis christianae defendit, sic etiam territorium omnibus ecclesiis commune potest inveniri, eo potius, cum omnes respectu historicorum factorum supernaturalis revelationis ac respectu fundamentalium fidei articulorum, prouti in symbolo apostolico, nicaeno et athanasiano leguntur, consentiant. Doctrina de numerice una externa ecclesia primo aevo christiano ignota est. Illo tempore charitas principium unitatis fidei format. »Factus sum Judaeis tamquam Judaeus etc.« (Cor. IX, 19—23.). Hisce praemissis, factaque mentione conatus americanae ecclesiae episcopalis (anglicanae) appropinquationem vel unionem cum ecclesia orthodoxa respicientis (1903), ostenditur, quomodo etiam in tractata quaestione de unione ecclesiae veterocatholicae cum ecclesia orthodoxa praecipue

differentiae respiciebantur et quomodo hisce impedimentis superatis nuper demum quaestionis solutio nova difficultate est impedita, controversa scilicet conceptione ecclesiae veterocatholicae. Huius controversiae literaturam polemicam a. 1904 articulis A. A. Kirěevi causatam auctor brevem conspectum refert, aliamque, quam auctoris ipsius duo tractatus excitarunt, proxime referre promittit. Controversia in eo versatur: Pertinet-ne ecclesia veterocatholica ad ecclesiam universalem? Quae quaestio arcte cum alia cohaeret: pertinent-ne ecclesia romana, a qua veterocatholici discesserunt, ad ecclesiam universalem? A. A. Kirěev eam contra oppositam igumeni Sergii opinionem, sequenti modo solvit: Veterocatholici ecclesiam romanam vere repraesentant, illam scilicet, qualis erat usque ad suam ab ecclesia universali separationem (saec. XI). Non possunt igitur tamquam advenae tractari, advenae scilicet, qui e statu non ecclesiastico in ecclesiam demum ingrediuntur, quapropter eorum cum ecclesia orthodoxa unio sola publica declaratione ipsorum orthodoxiae perfici potest, non cessante tamen discrimine quorundam dogmatum et opinionum propter suam divulgationem speciem dogmatum habentium. Tota controversia votis ecclesiae orthodoxae quam unionis perficiendae probabilitate excitata, venditionem pellis ursi nondum occisi in memoriam reducit. — V. L. Tihomirovoj, Pervyj period hristianstva v Japonii. (Religionis christianae in Japonia prima periodus.) Legatio christianorum Japoniae principum ad Pontificem Gregorium XIII. Initium persecutionum sub imperatore Taiko primique martyres. Enarrantur varia tormentorum genera (mučenie v jamach, in cavernis, mučenie vodoj) et poena quatuor Portugaliae legatorum una cum multis ex eorum coetu. In fine memoratur martyrium ultimorum missionariorum et religionis christianae in Japonia extinctio. — S. J. Smirnov »De confessione et poenitentia in antiquis Orientis monasteriis.« (»Ispověď i pokajanie v drevnich monastyrjach Vostoka.«) Auctor describit initio in genere disciplinam poenitentiae in antiquis monasteriis, imprimis sacramentalem confessionem publicam et poenitentiam publicam. Quibus sublatis locum accepit sic dicta »starčeskaja ispověď,« confessio monachi coram suo spirituali patre, moralis et disciplinaris ordinis causa instituta. Erat confessio haec potius debitum pium exercitium, cui elementum sacramentale — secundum auctorem — deerat, nihilominus evolvebatur et formabatur iam in institutionem confessionis sacramentalis. — E Novo Testamento profert M. D. Muretov exegesim 1. Cor. 13[12] sub titulo: Znanie otčasti i samopoznanie.« In graeco textu: »ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δὲ ἐπιγνώσομαι καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην« interpretatur aoristum »ἐπεγνώσθην« non ut passivum, sed medium tantum ita, ut in versione hunc sensum obtineat: »teper otčasti uznaju, togda'ž poznaju tak, kak i (ja sam) poznalsja.« Cognitio nostra terrena differt ab illa post mortem futura prouti cognitio rerum visibilium mediantibus sensibus corporeis comparata earumque superficiei solummodo insistens a cognitione sui ipsius, penetrante usque ad intima proprii »ego.« — S. Scripturam respicit etiam elucubratio V. Rozanovii: »Soderžanie i prostranstvo zapovědi: ne preljubodějstvuj.« (Argumentum et extensio praecepti: non adulterabis!) et adnotationes statim ad eam sequentes a prof. P. V. Tichomirov, qui aperte fatetur, Rozanov intendere in divortium facilius reddendum, legumque huc spectantium rigorem relaxandum. — Referuntur praeterea in unoquoque fasciculo conditiones et status religiosae vitae tum in Russia, tum in aliis terris Slavorum et Europae Occidentis, prouti et conspectus interioris vitae Academiae. — E publicationibus periodicis. Sub hoc titulo constans rubrica relationum de vita ecclesiastica ac civili aperitur, ex ephemeridibus dioecesanis aliisque diariis haustarum. — Bibliographia. Resensentur novae publicationes theologicae. — Propriam paginationem habent in fine cuiuslibet fascic. appendices, ubi in lucem

eduntur: »Autobiografičeskija zapiski Vysokopreosoj. Savvy, Archiepiskopa Tverskago, et Žurnaly Sověta« Academiae (protocolla a. 1904. in pleno tenore). *Dr. L Petr & Fr. Jemelka.*

Церковный Вѣстникъ (**Cerkovnyj věstník**), еженедѣльный журналъ, издаваемый при с. петербурской духовной академіи. 1905. N. 1—5. Redactor A. Roždestvenskij, professor academiae Petropolitanae.

Editur singulis hebdomadibus. Additamentum pro mense Januario: »Integrae collectionis operum seti Joannis Chrysostomi tom. XI.«

Russia a. 1904. — Ius canonicum. Secundum legem de 28. Maji 1904 licet et parti, quae adulterii culpam admisit, novum matrimonium inire sub conditione epitimiae (poenitentiae) septem, ad minimum duorum annorum a competentis ecclesiae praesule adiudicatae. (Lex ex necessaria consequentia confecta. Cum ecclesia orthodoxa solutionem matrimonii adulterii causa admittat, iuridico et dogmatico respectu certe non potest coniugem adulterio reum ligare matrimonio, quod iam non existit et cujus pars insons iam aliud matrimonium inire potuit). — Studium et activitas cleri eruditiva ac literaria incrementum capiunt. Clero patent cursus archaeologici et historici, in singulis dioecesibus constituuntur ecclesiastico-historicae societates ad studium ecclesiasticarum antiquitatum localium promovendum, Moscoviae ab ejusmodi commissione publicantur descriptiones ecclesiasticorum monumentorum Moscoviae (Труды комиссіи по описанію церковныхъ памятниковъ г. Москвы). Petropoli, Moscoviae aliisque urbibus fiunt extensiones superiorum scholarum theologicarum ad eruditionem laicorum in quaestionibus ecclesiastico-religiosis sublevandam. — Missiones internae et externae. Edicto imperiali de 12. Dec. 1904 confirmantur constitutiones tolerantiae erga fideles non orthodoxos ac schismaticos Russiae (къ иновѣрцамъ и раскольникамъ), ordinanturque rationes statim ineundae ad omnem opressionem hoc respectu amovendam. Ex hoc novo rerum ordine commendantur clero parochiali ex parte episcoporum organisationes fraternitatum othodoxae missionis e laicis consistentium. — Extra Russiam bello interrupti sunt labores missionarii in Corea, et quod adhuc institutum, curae consulis Galliae commissum est. Missiones Urmiae cum successu prosequuntur. Bruclini in America alter vicariatus missionis aleuticae institutus est — Orthodoxus Oriens anno 1904. Ecclesia constantinopolitana. Litteris encyclicis patriarchae constantinopolitani Ioakimi omnes autokephalae ecclesiae orthodoxae sive litteris sive synodis ad pertractandas res communis commodi universalisque ponderis excitantur. — Ecclesia Hierosolymitana. Patriarcha Damianus consilium ecclesiam Mudzadellae (eparchia Nazareti) aedificandi, scholamque Jaffae instituendi cepit. In seminario Sanctae Crucis Hierosolymis anno elapso 60 alumni ad usum totius Palestinae educabantur, a Patriarchatu Hierosolymitano novae litterae periodicae Novus Sion publicantur. — Ecclesia Alexandrina, Antiochena, Cyprensis, Linaica, Atheniensis. — Ecclesiae slavicae. In Dalmatia prohibitio slavicae liturgiae secundum libros glagoliticos actae commentatur. Respectu Bohemiae, Moraviae et Silesiae mentio fit certaminis Bohemorum cum adversariis nationalibus eos in providendis culturae indigentiis impedientibus. — Occidens anno 1904. Ecclesia catholica. Novi pontificis benigna aestimatio fit ejusque reformatoriae actionis respectu cantus ecclesiastici (liturgici libri cum authenticis melodiis gregorianis secundum manuscripta Benedictinorum gallicanorum restauratis prelo dantur) necnon respectu novae codificationis constitutionum ecclesiasticarum, cujus executio speciali commissioni Cardinalium, quibusdam episcopis et canonum doctoribus accersitis tradita est. — Annales vitae ecclesiasticae ac civilis extra Russiae fines. Viennae circulus linguae russicae amatorum constitutus est, ubi lectiones lingui-

sticae ac literariae russicae habentur (No. 2). — In patriarchatu Constantinopolitano octo metropolitae personalibus particularibusque motivis ducti schisma cum patriarcha Joachymo III. inierunt (No. 2). — Populi oppressi in finibus Galiciae ac orientalis Hungariae degentis (populi ruthoni) tristis mentio fit. Populi lingua e scholis, seminariis focisque a Hungariae gubernio expulsa, modo in ultimo eius asylo, ecclesia, hostiliter oppugnatur (No. 4). — Ex libris recensitis notentur: Glagolev »Islamus« (1904); Vasil'ev, »Iter Sinaiticum a. 1902« (1904). Petrov, »Cursus historiae literaturae russicae« (usque ad annum 1894 continuatus), 1904. — Desideria vitae parochialis. Conscientiae libertas Russiae schismaticis et heterodoxis concessa et a prelo orthodoxo tamquam iustitiae actus laudata, necessitatem revisionis legum orthodoxos prementium involvit. Quam parocho tam parochianis in pluribus maior libertas et independentia concedatur, ne novae conditiones e confessionali libertate oriundae in damnum orthodoxiae evadant. — Responsa ad quaestiones theologiae pastoralis. — Praesentes conatus papales. Litterae ex Italia. Universalis congressus in honorem B. Mariae V. occasione 50. anniversarii dogmatis de immaculata Conceptione b. Mariae V. Romae habitus in fine sessionum suarum fideles invitavit, ut copiose ad societates accederent, quae sibi finem Slavos ad unionem reducendi sub patrocinio B. Mariae V. proposuerunt. Exstant eiusmodi societates ac congregationes Romae, una etiam Constantinopoli. Conamen mediante dogmate immaculatae Conceptionis orthodoxos ad Ecclesiam occidentalem reducendi eo insipientius declaratur, cum dictum dogma tamquam haereticum (!) novum unionis impedimentum creaverit. Genesis dogmatis historice explicatur. — Annales vitae ecclesiasticae et civilis in Russia et extra Russiae fines. Dr. *L Petr.*

Труды кіевской духовной Академіи 1904. Кіевъ. (Commentarii menstrui, singulis annis 3 tomos efformantes.)

N. Muhin »Голосъ Тевтона о славяно-русскомъ тѣлѣ« (Vox Germani de re slavico-russica I., 10—46) censuram facit de eis, quae prof. Brückner de Slavorum apostolis Cyrillo et Methodio in N^ris 163 et 164 »Beilage zur allgemeinen Zeitung« scribere ausus est. Brückner enim illos apostolos descripsit inimicos Slavorum et haereticos. At Muhin rejicit opiniones eius. Professor Brückner nullum adducit fontem, ex quo depromit sua argumenta, proin non secundum artis praecepta nec valde critice scribit; false, saltem partialiter, exponit historiam interitus regni Bohemorum et R. Pontificum relationes ad slavicam liturgiam et alia. Simili modo de Methodio scribit, ac si ille rejecerit, non solum non recitarit, in symbolo additum »filioque«

V. P. Rybinskij, »къ вопросу объ отношеніи Библіи къ Бабилону. Раскопки храма въ Ниппурѣ« (Quaestio de relatione scripturae ad Babylonem. I., 46—59). Auctor hic solum refert, quae H. V. Hilprecht in suo opere: »Die Ausgrabungen im Bel-Tempel zu Nippur. Leipzig 1903« scripsit.

Th. Titov: »къ вопросу о значеніи кіевской Академіи для православія и русской народности вв. XVII—XVIII. (I. p. 59—101). (Quaestio de influxu Academiae Kioviensis in orthodoxiam et russicam nationem.) — Jabłoński in sua publicatione (cf. Kwartalnik Historyczny 1902, n. 4) describit hanc academiam ut opus latino--polonici cultus ideoque ejus naturam in se impressam habentem — ut mediatricem inter Orientem et Occidentem, — quae utpote tota quanta a polonicis academiis dependens interierit et alium organismum loco sui suffectum haberet — denique ut propagatricem »separatismi« inter Russos et Ruthenos Commentationis auctor rejicit ejus opiniones; at nescio effeceritne, quod intendebat.

P. P. Kudrjavcev, »Къ характеристикѣ современнаго емпіризма«. (I., p. 101—143, p. 369—416) (Critica hodierni empirismi). Enarrata

breviter historia empirismi a primis ejus cunabulis nec non descripta philosophiae historia saec. XIX. accedit ad criticam vel potius historiam hodierni empirismi. Breviter adducit summa ejus principia, praecipue Mach et Avenarii. Dissertatio hoc commodum habet, quod interdum notat quaedam de philosophiae evolutione in Russia. Sed nescio quo iure ad Hegelii sequaces adnumeraverit S. Augustinum. — Deinde quaedam de empirismi evolutione tempore antiquorum Patrum non accurata habet.

P. J. Linickij, »Значеніе філософіи для богословія« (I., 143—154, II., 208—276: 5. fides et scientia 6. libertas conscientiae 7. amor christianus). P. Linickij prosequitur ulterius sua studia (ex Trudy k. d. a. 1903). Slavianofili et Occidentales solvebant hanc quaestionem ex puncto sociologico-politico. Nunc vero temporis, cum in Russia disciplinae naturales prae philosophia et classicismo dominari coeperunt, quaestio esse tantum potest de relatione inter ‚naturale, et ‚supernaturale'. Duplici autem modo sec. varias scholas intelligitur »naturale«: Vel id dicunt conveniens cum legibus naturae et supernaturale contradicens ejus legibus — vel similitudinem et continuitatem eventuum sese excipientium. Explicat dein suam rectam opinionem. In secundo puncto agens de conscientiae libertate, ecclesiae esse ait: α) propagare fidem et β) instituere suos subditos in scholis et societate secundum principia fidei; — regni vero civilis esse adjuvare ecclesiam in rebus ad fidem spectantibus. — Concedere cuivis, ut possit credere, quod vult, suasque subjectivas opiniones propagare, esse maximum malum pro hominibus rudibus et pro ipso regno civili. Regnum tamen rejicere debet intolerantiam relate ad alterius fidei sequaces. — In tertio puncto disserit de amore ut fundamento vitae christianae. Multum hic cernitur protestantismi influxus, cum fidem ante omnia ponat. Non intelligit quoque ecclesiae cath. doctrinam de fide; — secundum auctorem vita christiana non omni ex parte evoluta est in eccl. catholica. Negat inferni aeternitatem. In hoc tertio puncto est nimis obcurus.

D. Bogdaševskij, »О Церкви« (De ecclesia). (I. 167—197.) Etiam libello separato editum est (Kiev 1904). Inquirit, quid sit Ecclesia. Quod satis bene praestat in prima parte. In secunda autem parte indignationem effudit in eccl. cath., eam non esse veram ecclesiam, mortuam, quae multa ex dogmatibus mutaverit—at Ecclesiam graecam, praecipue Russorum, utpote veram esse dogmatum conservatricem, id quod confirmat dictis — cuiusdam episcopi anglici. Studetque solvere oborientes difficultates: α) ex dependentia ecclesiae in Russia ab caesare, quod rejicit (p. 188) dicens: populus eligendo Michaelem in imperatorem contulit ei sua jura, quae habuit. Inde propter hanc electionem imperator factus est caput ecclesiae ita tamen, ut in rebus ad fidem spectantibus nullam habeat potestatem. β) Quod autem patriarcha ultimus depositus sit, hoc factum esse cum Orientalium patriarcharum consensu. At historia aliter saltem quoad secundum factum docet.

D. Višnevskij, »Направленіе образованія въ кіевской Академіи въ первой половинѣ XVIII. столѣтія« (Status studiorum in Academia Kioviensi 1701—1750). I., 276—286. Auctor enarrat conclusiones, ad quas studendo 8 annos, pervenit. In periodo nempe ab a. 1701—1750 haec possumus in Academia conspicere: 1. studium avertendi discipulos ab academiis polonicis, — 2. organisationis norma in Academia desumpta est a scholis Jesuitarum et Piaristarum, — 3. Tempore hoc, studia nondum fuerunt bene evoluta et organisata, — 4. Longius progressa erant rethorica et dialectica; — 5. Procedente tempore Prokopovič praeeunte nonnulli professores studia Academiae reformare voluerunt, sed non multum effecerunt, idque: 6. propter professorum paucitatem et linguae graecae imperitiam usque ad a. 1740, 7. quia utebantur operibus catholicorum de dogmate tractantibus, ideo interdum propagata est doctrina catholica; 8. Summa Academiae laus sec.

auctorem in eo posita erat, quod defendebat orthodoxiam, protegebat Russos a Polonis et instituebat futuros viros, qui propagaturi erant doctrinas in tota Russia. — Haec efficiunt summam auctoris inquisitionum, quas publicavit in sua dissertatione »Academia Kioviensis annis 1700—1750«, Kiev 1903.

A. Dmitrievskij, Пріѣздъ въ Астрахань восточнихъ патріарховъ Паисія Александ. и Макарія Антіох. и священное съ нимъ учрежденіе здѣсь митрополіи« (Adventus in Astrachan patr. Paisii Alexand. et Macarii Antioch. et institutio ibidem metropoliae) (I., 317—359). Cum patriarchae Macarius Antioch. et Paisius ab Alexio imperatore vocati venissent in Russiam, in via sua ingressi sunt in Astrachan, ubi eos cum pompa archiepiscopus Josephus excepit. Qui eos comitabatur usque Moscoviam, ubi 2. Julii 1667 Astrachan mutata est in metropolim, ita tamen ut metropolita tertium locum occuparet inter alios metrop. et ut possit induere sakkon. — Hic tractatus etiam separatim est editus. Kiev 1904.

D. J. Bogdaševskij, Екзегетическія замѣтки (Adnotationes exegeticae) I., 442—449; II., 304—330. I. B. breviter explicat sensum parabolae de villico iniquo (ex versibus Luc. 16, 8—13). II. (I, 445—449). Prof. acad. Moscoviensis M. Tarěev (Bog. Věstnik 1903, n. 9—10) Jo. 8, 44 vertit et explicat hoc sensu: (Diabolus) loquitur mendacium (calumniatur), etiam Patrem suum (Deum!) esse mendacem; B. ostendit hanc explicationem esse miram et impossibilem. — Idem Tarěev ultima verba Jo. 10, 12 σκορπίζει τὰ πρόβατα refert ad pastorem, acsi sensus esset: lupus rapit (oves) et mercenarius (per incuriam suam) perdit oves; quod B. refutat. — Haec vehementi pugnae inter Tarěev (Bog. Věst.) et Bogdaševskij (Trudy II., 314—330) occasionem dederunt. — In 2. serie suarum adnotationum (II., 304—330) B. praeter polemica cum T. explicat difficilem locum 1. Cor. 7, 14 (304—310); liberi matrimoniorum mixtorum, de quibus ap. loquitur, ideo »sancti« dicuntur, quia ad baptismum et ad religionem christianam suscipiendam praedestinati iam non sunt liberi paganorum; vir autem infidelis, »sanctificatus est per mulierem fidelem«, non quo matrimonium per fidelem partem legitimum factum sit, sed quod e tenebris et commercio cum mundo peccaminoso ereptus et in societate christiana collocatus est. — Occasione e praeclaro libro: N. Sagarda, Prima Jo. ap. epistola, Poltava 1903. sumpta Bogdaševskij explicat 1 Jo. 2, 22; 4, 2; 5, 6 (310—314).

N. Petrov, »Значеніе кіевской Академіи въ развитіи духовныхъ школъ въ Россіи« 1721—1750 »(Influxus Kioviensis Academiae in evolutionem scholarum spiritualium in Russia 1721—1750) I., 520—578; II., 50—103. — Per decretum s. synodi Petropoli a. 1721 divisae sunt scholae in academias et seminaria ex una parte, et scholas episcopales ex altera parte Auctor hic describit primam ejusmodi scholarum evolutionem documentisque ostendit, quantum influxum in earum evolutionem Academia Kiov. habuerit. Ex illa enim magna ex parte sive mediate sive immediate magistri desumebantur.

L. Замѣтка скромнаго наблюдателя современныхъ нравовъ (I. p. 602--611) (Annotationes observatoris huius aetatis morum). — Proponit doctrinam Světlov, prof. in universitate Kioviensi, »de regno Dei« eamque firmis rationibus refutat. Doctrina autem Světlov in his continetur: Tolstoj, licet ejus principia nimis destructiva sint, simul tamen nova fundamenta jecit pro novo christianismo. In positivo hoc labore Světlov intendit perficere Tolstoji doctrinam. Veterem christianismum inquirere est ‚archaeologiae‘, — ipse vero vult novum reconstruere christianismum, qui ‚regno Dei‘ concluditur. Quod regnum Dei etiam paganos complectitur, quia etiam extra ecclesiam salus est, cum ‚regnum Dei‘ morale, non juridicum sit consistatque in bona dispositione interioris hominis. ‚Regnum Dei‘ non est Ecclesia, sed totus mundus.

N. Makkavejskij: »Изъ исторіи воспитанія въ Россіи«. Педагогическія мечты Екатерины II. и Бецкаго. (Ex historia institutionis in Russia.

Pedagogica consilia Catharinae II et Beckij.) II, 124—173. — Saec. XVIII. fuit Russia tota quanta sub influxu liberalismi et philosophiae occidentalis. Inter alia etiam theoria Locke et Montaigne »de institutione« recepta est praecipuosque sui fautores et propagatores invenit Catharinam II. et Beckij, ejus lectorem. Hi nempe, suum populum a crassis moribus avertere volentes, nominatam theoriam in usu vitaque exequi conabantur. — Multa inde Makkavejskij citat documenta decretaque ad huc spectantia (via ac ratione rem tractat). At illusi sunt reformatores finemque intentum minime assecuti sunt: non enim attendebant ad naturam hominis ejusque indolem nec ad id, quod res habent; — id tamen effecerunt, ut homines paulatim »de institutione« rectius cogitare conarentur. Et in hoc conatus illius momentum positum est.

M. Olesnickij: »Нравственность древняго греческаго народа«. (Ethica antiquorum Graecorum.) II, 190—249. — Graeci, jam inde a Homeri et Hesiodi temporibus superato Orientalium pantheismo, primi humanae naturae dignitatem intellexerunt; — simul tamen objectiva lege neglecta ‚τὸ ἐγώ' ut morum principium considerabant: ethica enim illorum consistebat in plena inter corpus et animam harmonia, - expetebant pulchritudinem, immo tota virtutis perfectio subjiciebatur huic harmoniae ut ejus complementum. At ubi harmonia, ibi perfectio et pax, — ubi pulchrum, ibi suavitas et quies: ex hisce autem praemissis sua sponte profluebat optimismus Graecorum nec non morum relaxatio. Praeter nominatam harmoniam aliquid aliud ut consequens ex ea movebat Graecos: laudis et divitiarum desiderium; insuper cum civitas totam educationem regeret, labor pro patria optimum existimabatur. — Amor et amicitia fovebatur propter ejus utilitatem, — et licet harmonia impedierit erga alios tales excessus, sicut moris erat apud Orientales, nihilominus simul cum ea inhumana mulierum, infantium et servorum tractatio vigere poterant. Quin etiam sequentes sua morum principia, ad eorum normam deos quoque fingebant — Olympus enim eorum nihil aliud est quam opus artificiosum magna pulchritudine ornatum. — Publicatio haec Olesnickii via ac ratione elaborata tota nititur in operibus antiquorum Graecorum nec non in lucubrationibus specialibus. Assentiri ei tamen minime possumus in hoc, quod objectivam legem ex Graecorum conscientia eliminavit.

J. Stelleckij: Новый трудъ о жизни Іисуса Христа«: »La vie inconnue de Jésus Christ«, N. Notović. Paris. 1894. (Novum opus de vita Jesu Christi: »La vie inconnue de J. Chr.«) II, 249—281. — Notović typis impressit manuscriptum a se inventum, sec. quod Christus fuit in Indiis ibique linguam sanscriticam edoctus principiisque buddhismi imbutus rediit in Palaestinam. Dicta a J. Christo conscripta fuerant in lingua sacra veteris buddhismi circa a. 200 p. Chr., quae ex Indiis translata sunt Neapolim, inde vero in Tibet, ubi Lchassae conservabantur. Dein verterunt hoc manuscriptum in linguam tybeticam, cujus translationes nunc temporis in buddhisticis monasteriis habentur; unum ex his exemplaribus vidit Notović. Quo in manuscripto vita Christi ab anis 12—30 ab Evangelistis non descripta enarratur, mythisque variis adornatur. Haec Notović. At praeeunte Max Müller sequentia probarunt docti: Nullus Russorum fuit in illo monasterio — nullus ab 50 annis fuit ibi cum fracto pede, ut erat Notović — nullum tale exemplar de Christo invenitur nec inveniebatur neque in hoc neque in alio monasterio — nec anglici catalogi, qui praecipuos libros et manuscripta Buddhistarum habent, tale quicquam continent. Aliter: Notović simpliciter falsarius dexter fuit religionemque christianam e buddhismo originem duxisse probare conatus est. Sic Stelleckij.

V Čechovskij: Кіевскій митрополитъ Гавріилъ Банулеско-Бодони (1799—1803). (Kioviensis metropolita Gavriil Banulesko-Bodoni). II, 338—432, 490—589, III, 65—109, 238—281. Banulesko-Bodoni, 1792—93 metropolita Moldaviensis, 1793—97 episc. Ecatherinoslavensis, 1797—

1803 metropolita Kioviensis, 1806—12 metropolita Moldaviensis, 1812—21 metrop. Bessarabiensis. Avidus gloriae ejusque strenuus quaesitor. Čechovskij prae oculis habet solum unam ex ejus vita periodum, tempus nempe, quando fuit metropolita Kioviensis; — rem autem scientifico modo tractat suasque opiniones multis documentis confirmat; vere labor ejus potest adnumerari operibus critico-historicis. — Banulesko itaque post citatum opus quoad hanc vitae suae periodum nunc temporis melius intelligitur; — tria autem Banulesko pro ecclesiae russicae bono peregit: confirmavit orthodoxiam, evulsa radicitus ‚unione', nec non profligato vel minimo unionis cum Romana E. vestigio; similem quoque instituit administrationem in sua dioecesi, quae vigebat in ceteris Russiae dioecesibus: et ideo laudat eum auctor, cum tunc temporis dioecesis ejus constiterit magnam partem ex alienatis (5/6). At aliter uniti eum dijudicant.—Secundo Banulesko organizabat clerum cogebatque ad discendum et recte vivendum. Tertio laudi ei erit, quod omnibus viribus conatus est liberare suum clerum pauperem ab hac miseria, erexit nempe bona parochialia, — adjuvabat etiam viduas sacerdotum, nec non orphanos, et quod maximum est, evicit independentiam cleri et ecclesiarum adimendo a laicis patronatum juraque cum ipso tunc connexa. Animadvertendum tamen unum est: auctor, licet citet acta ennarretque eventus, cum de Unitis tractat, etiam res evidentes minus recte exponit.

Th. Titov: Окончательный переходъ Кіева отъ Польши къ Россіи по договору о вѣчномъ мирѣ между ними въ 1686 году. (Traditio Kioviae, urbis Russiae.) II, 432—457. — Titov documentis innixus, enarrat multa inter Poloniam et Russiam pacta, in quibus agebatur de urbe Kiev, donec ultimatim pacto ex a. 1686 Poloni tum necessitate tum inconsideratione coacti, Kiev Russis tradiderunt. Commemorat quoque pauca de ipso pacto a. 1686, quo Russi tutelam acceperunt super Russos et non unitos in Polonia degentes. Hoc pactum impediebat conversionem schismaticorum in Polonia viventium nec non una ex causis fuit interitus regni Polonorum.

A. Dianin: Малороссійское духовенство во второй половинѣ XVIII. вѣка. (Parvae Russiae clerus in secundo dimidio saec. XVIII.) II, 588—629, III, 109—160. — A. 1766 14. Decembri convocavit Catharina II. commissionem ad condendum schema novi codicis. Qua in commissione erant etiam deputati e clero sua postulata proferentes: at solum episcopatus e Russia Parva exquirebat a subditis sibi sacerdotibus de eorum postulatis, alii autem episcopi ipsi postulata consripserunt. Optime autem et latissime opus hoc perfecit dioecesis Kioviensis. Dianin itaque hujus dioecesis acta nec non postulata prae manibus habens historiam nobis praebet conditionis cleri in 2. dimid. saec XVIII. in Parva Russia habitantis, opinionesque suas documentis confirmat. — Postulata erant haec: clerus adnumerabatur prius nobilibus iisdemque atque ipsi fruebatur juribus — nunc autem contemptus est nemoque ejus jura inviolata intactave servare vult; — prius fuit dives potuitque a Kozakis bona acquirere, — nunc autem non potest ab ipsis bona acquirere, — imo ipsius cleri bona diripiuntur, clerus oneratur vectigalibus, in miseria vivit; — prius habebat proprium forum judiciale, nunc autem cogitur ad forum civile; describitur quoque inscientia sacerdotum ruri degentium, tristis scholarum status, immo ipsa Academia Kioviensis propter paupertatem non potest bene fungi officio suo. Quin etiam bene depicta sunt rapacitas, perversitas magistratuum, — tristis pauperum agricolarum status, — nec non mala judiciorum organisatio.

N. Stelleckij »Соціялизмъ — его исторія и критическая оцѣнка съ христіанской точки зрѣнія« (Socialismus — ejus historia et censura iuxta christianismi principia) II., 469—490, III.. 160—180, 381—400. — Exponit socialismi historiam ejusque brevem censuram facit. Commentatio tamen haec potius brevis socialismi historia censeri debet quam ejus

historia et censura: ita saltem apparet ex his, quae auctor jam edidit; nondum enim rem finivit. In omnibus quidem generatim objective procedit, sed cum de catholicis agit, vel minus clare loquitur vel sinistre interpretatur (cf. III., 397): »Etenim (iuxta eum) Ketteler et Moufang per auxilium pauperibus datum conabantur subsidium praebere papali ecclesiae (p. 398), — Leo XIII. per encycl. »Rerum novarum«, quae est »democratica papatus evolutio«, studebat sibi conciliare pauperes et operarios, ut ad suos politicos fines pervenire posset!

S. Golub'ev, Объяснительные параграфи по исторіи западно-русской церкви« (Additamenta declarativa ecclesiae occidentalis-russicae) III., 446—482. Quod Golub'ev scripsit, non est propria historia, sed explitatio nonnullarum historiae partium: novis enim documentis adhibitis veteribusque bene pervolutis quaedam tradit de episcopatu Josephi Gorbackij et Ignatii Stapušič nec non de duobus sibi contradicentibus documentis, quae ad Academiam Kioviensem pertinent. Quae commentatio novi quid nobis tradit de Immaculata B. M. V. Conceptione. Gorbackij, licet schismaticus episcopus, confirmavit Confraternitatis B. M. V. in Polock statuta 10. Junii 1651, in quorum principio haec consecrationis formula habetur B. V. M. . . . trado me tibi totum in mancipium et servum in Confraternitate »Непорочнаго Зачатія« (Immaculatae Conceptionis) . . . praesertim vero voveo »ако по всѣ дни живота моего за непорочное и пречистое зачатіе твое застановлятися повиннамъ« (me debere defendere in tota vita mea puram et immaculatam Conceptionem tuam). »Consecratio haec«, ait Golub'ev, »ostendit, quomodo nominato tempore catholica de immaculata B. M. V. conceptione opinio omnibus viribus tradita, diffusa et defensa fuerit a Kioviensi Academia, in qua opinio haec, licet patriarchae e Moscovia contraria docere praeceperint, tradebatur usque ad prima decennia saec. XVIII. Kioviensem autem arch. Barlaam Jasińskij ex suis libris doctrinam de immaculata B. M. V. conceptione eliminasse dicit auctor, propter patriarchae praeceptum, non ex sua persuasione.

G. Pesockij »Идея избавленія и Избавителя у древнихъ культурнихъ языческихъ народовъ« (Idea salutis et Salvatoris apud veteres eruditasque gentes paganas) III., 502—579. — Pesockij ostendit, quomodo idea salutis eamque afferentis Salvatoris apud gentes paganas conservata custoditaque manserit: Pagani nempe conscii erant, se esse peccatores ideoque in suis precibus et hymnis invocabant Deum, ut peccata ab ipsis commissa dimitteret eosque punire desineret. Ita Buddhistae, Persae, Aegyptii, Graeci, Romani (cf. p. 511 - 524) variis diversisque orationibus placabant Deum ejusque misericordiam implorabant. Ideam autem hanc de hominibus peccatis gravatis conservatam tenebat etiam istarum gentium pessimismus (p 525—528). Causam vero peccati tristisque status hominum putabant in hoc esse, quod in mundi principio homines peccaverint et per peccatum in hanc miseriam sese conjecerint. Omnes enim varios vitae status enumerant, primumque dicunt fuisse ‚aureum', isque ut restituatur, Deum imprecantur. Videntes itaque praesentem mundi miseriam peccatorumque conscii desiderabant ab isto statu redemptionem, immo temporis progressu venturum redemptorem, qui eos a peccatis ceterisque malis liberos redditurus sperabatur. Nimirum innixi c. III., 15 Genesis, doctrinam, quam praedecessores eorum ipsis tradiderunt, pro sua indole sibi repraesentabant, variisque additamentis adulterabant; at semper ideam aliquam retinebant de ventura redemptione. Notandum tamen est: auctorem non distinxisse semper bene tempus ante Christum et post Christum — dein nescio, quomodo p. 505 haec scribere potuerit: »multos theologos catholicos non bene discernere paganismum et christianam religionem«.

Th. T(itov). »Критико-библіографическая замѣтка« (Critico-bibliographicae animadversiones) III., 633—656. Titov refert, quae Goetz in suo opere »Das Kiever Höhlenkloster als Kulturzentrum des vormongolischen Russlands von Dr. D. Leopold Karl Goetz. Passau 1904«,

scripsit. Sec. Titov Götz ponit initium vere criticae historiae hujus monasterii. Opinionibus auctoris generatim assentitur opusque solidum esse dicit.

Th. Titov: »Московскій митрополитъ Макарій Булгаковъ« (Metropolita Moscoviensis Macarius Bulgakov) III., 33—65, 186—211, 400—434. Titov historiam suam prosequitur, quam in »Труды Кіевской Академіи« 1902 incepit et partim iam separate edidit.

A. Elčukov: »Ѳеофилактъ Русановъ знаменитый русскій іерархъ эпохи Александра I.« (Theophylactus Rusanov celeber russicus episcopus tempore Alexandri I.) III., 211—238, 434—447. Elčukov nondum finivit suam de hoc episcopo historiam. Pervolutis omnibus editis operibus et manuscriptis rejicit aliorum historicorum opinionem, qui tenebant Rusanov avidum gloriae et laudis fuisse. Rusanov natus est 1765, a. 1799 episcopus dioeceseos Kaluga, dein archiep. Rjazani, denique exarcha Grusiae. Homo doctus pompam quaerens, initiator reconstructionis Academiarum pro clericis, — bonus dioecesis administrator. Cum factus esset episcopus Kaluškij, — reformavit et reorganizavit seminarium et consistorium. A. 1806 electus est membrum S. Synodi; a. 1807 membrum »Commissionis reformantis Academias. Qua in commissione ipse fuit spiritus movens ipseque praecipua est causa legis ex a. 1809 de reformandis Academiis. *M. H.*

SERBICA.

Bogoslovski Glasnik. (Pars reliqua.) Veljko Mirosavljević: Srpske veroučevne knjige u Austro-Ugarskoj u vremenu od 1690—1902 god. Istorijsko-bibliografijski prikaz. — Libri Serbici instructionis religiosae in Austro-Hungaria temporis spatio 1690—1902. Historico-bibligrafica exhibitio V. (1904).

Optime auctor fecit ordinem chronologicum eligendo; titulos autem ipsorum librorum communicat eodem modo, quo eos Šafařík in sua Geschichte d. Südslav. Literatur (herausgegeben von Joseph Jireček. Prag 1865) conscriptos habet. Hi libri (primus notus est ab anno 1717 sub titulo: Gramotik ili tčenia pismeni knižnago) quoad maiorem partem referebantur ad catechesim et liturgicam, psalterium autem et breviarium (časoslovъ) inserviebant ad discendum — legere. Antiquiores libri omnes merae sunt transcriptiones librorum, qui in Russia in lucem editi sunt, atque linguam quod attinet, conscripti erant in lingua „russico-slavica“ (liturgica), propterea simplex populus aegre eos intelligere potuit iisque ut plurimum tantum sacerdotes quique in scholis versabantur uti potuerunt. Scriptores etiam per catechismos studebant conscientiam nationalem conservare. Ita e. gr. Stojan Šobat in sua „Nauka hristianska“ (hic scriptor respiciebat iam linguam vulgarem) haec habet: Quaest.: Quis es? — Resp.: Ego sum homo, Serbus, Christianus. Quaest.: Cur vocaris Serbus? R.: Vocor secundum genus et linguam illorum hominum, a quibus procedo quique Serbi nominantur. — Methodus quam simplex fuerit elucet etiam ex hac quaestione et responsione: A. Secundum quid vocaris homo? R. Vocor secundum rectam staturam, faciem ad coelum aspiciendum conversam . . . . (V., 309). His permota potestas politica exigebat a metropolita Joanne Gjorgjević ac synodo archiepiscopali, ut catechismum populo accomodatum conficerent. Cui rei cum a metropolita satisfactum non esset,

imperatrix Maria Theresia ipsa catechismum conscribi iussit. Hic catechismus a caesareo commissario a. 1774 synodo traditus erat (conscriptus erat in lingua germanica, et, cum maior pars episcoporum huius linguae non fuisset capax, pro episcopis in linguam slavicam versus), ut eum revisioni subiiceret; catechismus ab omnibus episcopis prope approbatus fuisset, nisi postea archimandrita Joannes Rajić (notus scriptor [historicus] serbicus) in eo id invenisset, quod episcopi invenire non potuerunt, sc. „hunc catechismum omnino eundem esse ac Romanum, auctorem autem ipsius Petrum Canisium jesuitam". (Ruvarac in suo opere „Archimandrita Jovan Rajić", Karlovci 1902 pag. 61, hunc catechismum eum esse putat, quem cardinalis Kolonič pro illis Romanis (Rumuni), qui 13. Mart. 1701 cum episcopo suo Athanasio Angel et 2000 presbyteris ad unionem transierunt, scribi iussit). Quamobrem a synodo hic catechismus reprobatus est et ipsi Rajić commissum est, ut alium scriberet, quod ipse revera fecit. Rajič-i catechismus typis Vindobonae a. 1776 mandatus est, et quidem in linguis slavo-serbica, romana et germanica (sub titulo „Katihizis malyj"). „Ustav iliričeske dvorske deputacije za iliričeske male škole" (constitutio illyricae auleae deputationis pro illyricis scholis minoribus, edita 2. Nov. 1776) in sua § 23. praescripsit, ut magistris tantum „catechismo parvo (katihizis malyj)" uti liceret. Huic catechismo populus maxime restitit. Ita inhabitantes loci Pančevo scribunt episcopo Temišvarensi Putnik: „ . . . Videmus inter nos adhuc librum „Malyj katihizis", in quo auctor praecipua puncta, quae religionem nostram confirmant, praetermisit, quem auctorem se filium sanctae hierosolymitanae ecclesiae apellare pudeat . . . " Metropolita Vincentius Jovanović Vidak etiam protestatur contra catechismum utpote Vindobonae corruptum. Propterea potestas politica suum decretum retractavit (IV. 382—385, V. [1904] 27—31). Commemoratione praeterea dignae sunt „Pesni rozličnyja na gospodskija prazdnika (diversa cantica pro festis dominicis)" a Damiano Kaulicij, quia in hoc opere multa sunt cantica, „quae non sunt orthodoxae originis". Eadem enim cantica inveniuntur etiam in „Bogoglasnikъ" (a. 1850), „Pesni cerkovnye dla junošestva" (a. 1863) et „Zborničok pêsnej nabožnyhъ" (a. 1863), quae Leopoli a graeco-catholicis edita sunt. Porro in cantico „Likuj dnesъ Sione (exulta hodie Sion)" — pro Nativitate Domini — haec inveniuntur: „Maria ottudu — Proslavisja vsjudu — Bezъ grêha začata (sine peccato concepta)". Atqui haec, concludit auctor, potest esse tantum admixtum „uniaticum" (V. 227—229. — Ceterum etiam in academia Kiovensi orthodoxa initio saec. XVIII. docebatur in libris scholaribus immaculata Conceptio B. M. V. cf. Trudy kiev. duch. akad. 1904. III., 467—68).

Dušan Jakšić: Odstupanje rimokatoličke crkve od pravoslavne u učenju o tajni sv. krštenja. — Recessio ecclesiae romano-catholicae ab orthodoxa in doctrina de sacramento baptismi. (I. 397—405.)

Auctor de notis in baptizando catholicos inter et Graecos tractat discriminibus. Formulam graecam unicam licitam esse demonstrare conatur, tamen argumenta allata validitatem tantum formulae graecae probant, cuius validitas a catholicis nequaquam impugnatur. Primis iam

saeculis per infusionem baptizatum esse concedit, attamen argumenta et rationes congruas, quae a catholicis pro validitate infusionis proferri solent aggreditur. Doctrinam catholicam de collatione baptismi ab infidelibus decretis concilii Tridentini contrariam invenit (sed nullum tale decretum citat) necnon sanae rationi; „nam — inquit auctor — quomodo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizare potest is, qui nec in Patrem nec in Filium nec in Spiritum Sanctum credit.“

V. Pribićević: Akta o ukidanju pećske patrijaršije. — Acta de patriarchatus Pekiensis abrogatione (V., 377—379; 453—457.).

Tria hic afferuntur acta, quae abrogationis patriarchatus Pekiensis (Peć — Ipek) historiam illustrant: ex illis abgrogationem istam per machinationes et studia patriarchae Constantinopolitanis Samuelis accidisse satis patere videtur. Auctor refert tria acta, addita simul versione serbica. Primae litterae ita inscribuntur: *Παραίτησις τοῦ Ἀρχιεπισκόπου Πεκίου Καλλινίκου.* — Hic enuntiat Callinicus ob magna debita contracta se debere abdicationem oecumenico ferre patriarchae Samueli. — Secundae litterae hunc prae se ferunt titulum: *Ἔκθεσις τῆς αἰτίας καὶ τοῦ τρόπου τῆς καταργήσεως τῆς Ἀρχιεπισκοπῆς Πεκίου.* Causa *(αἰτία)* abrogationis haec erat. Anno 1765. omnia bona Georgaki cuiusdam Turcarum fisco addicta erant. Apud ipsum Georgaki chirographa de debitis a patriarchatu Pekiensi contractis inventa sunt, quibus solvendis episcopi praedicti patriarchatus impares erant. Idcirco solvit ea patriarcha Samuel (utrum sua sponte an a gubernio Turcaico coactus in ecthesi non commemoratur), et pro praemio patriarchatus Pekiensis in favorem patriarchatus Const. sublatus est (1766). Refertur porro plures episcopos patriarchatus Pekiensis subiectionem sub patriarchatum Constantinopolitanum petiisse; cum vero maior episcoporum pars natione fuissent Serbi, coniici potest, eos fraude ad hanc petitionem esse adductos (cf. Golubinskij: Kratkij očerkъ istorii pravoslavnyh cerkvej bolgarskoj, serbskoj i rumunskoj. Moskoviae 1871. p. 488 sqq.) — Tertiae litterae inscribuntur: *Πρᾶξις ἐκλεκτικὴ τοῦ νέου Μητροπολίτου Πρεζρένης μετὰ τὴν κατάργησιν τῆς Ἀρχιεπισκοπῆς Πεκίου.* Patriarchatu Pekiensi abrogato novaque inter ambitum eius erecta archiepiscopia Prizren-si episcopi ad novum metropolitam eligendum Constantinopoli convenerunt ac Gabriel, episcopus Amasiensis, electus est. Haec acta, quae auctor tantum refert et ceterum de iis non tractat, ex anonymo fasciculo „*Τὰ κατὰ τὰς Ἀρχιεπισκοπὰς Ἀρχιδῶν καὶ Πεκίου* Constantinopoli 1869“ desumpta sunt, ex quo fasciculo etiam elucet haec acta ex „codice magnae Ecclesiae“ transscripta esse.

Inter recensiones notatu digna sunt, quae dr. J. Čupić (III. 1903, 308—314) de russica versione libri Vigouroux „Manuel biblique“ dicit (Вигуру-Воронцовъ, Руководство къ чтенію и изученію Библіи, 2 t., Moskva 1897—1902, Pg. 583 + 1016). Auctor versionis russicae textum gallicum non sine mutationibus vertit; praeprimis mutavit vel omisit illas sententias catholicas, quae a theologia russica communiter non admittuntur. Nec in versione russica accuratius notatur, ubi sententiae aliquae auctoris gallici mutatae sint, ita ut forma externa mutationes a sententiis Vigouroux discerni non possint.

Insuper Voroncov facta historica reticet, ut ita catholicas doctrinas nullo fundamento inniti ostendere possit. Ita e. g. dicit, „neminem ex Patribus aut scriptoribus ecclesiasticis, iudicantem de canone V. T. unquam libros deuterocanonicos protocanonicis aequiparasse" (I., 53). Ad haec dr. Čupić: „Secundum nostram opinionem Voroncov saltem ex parte iniuste hoc concludit, quia scimus, S. Augustinum libros deuterocanonicos*) pari honore prosecutum esse ac protocanonicos, eumque igitur hac in re aliter sensisse quam Patres orientales et s. Hieronymum, et in concilio Hypponensi (a. 393) c. 36. auctoritate s. Augustini libris canonicis etiam nonnullos deuterocanonicos additos esse, ut sunt: Ecclesiasticus, Sapientia Salomonis, Tobias, Judith et 2ll. Macchabeorum. His canon repetitus est a 3. et 5. conc. Carthaginiensi (a. 397 et 419). Haec decreta approbata sunt a pp. Innocentio I. et a Gelasio; tamen etiam in occidente non omnino deerant viri ingenii liberioris (napredniji), qui aequiparationem ll. deuterocanonicorum et protocanonicorum omni fundamento carere dicebant" (p. 312—313). — His auctor serbicus ostendit traditionem de canone librorum s. Scripturae non esse tam consentientem quam a scientia theologica russica saepissime supponitur. *G. R.*

SLOVENICA.

Ep. dr. Michael Napotnik. **Sv. Pavel, apostol sveta in učitelj narodov.** (**S. Paulus, apostolus mundi et doctor gentium.** Ejus vitae laborumque descriptio, et adjecta Encyclicae „Providentissimus Deus" nec non litterarum apostol. „Vigilantiae" circa S. Scripturam versantium in linguam slovenicam translatio.) 3ª ed. V Mariboru 1904. Pg. 312. K 3.

Opus hoc ingeniosum lectores, praeprimis sacerdotes invitare et allicere intendit ad sectanda Doctoris gentium vestigia praeclaraque exempla, quibus inhaerentes possint vivere vitam vere christianam et proferre opera, sicuti oporteat, apostolica. —

Quem scopum auctor Illustrissimus narrata breviter at concinne juventutis mirabilisque s. Pauli conversionis historia, triginta dissertationibus, fundamento epistolarum Paulinarum exegetice superstructis atque stylo lecto sermoneque elato imo rhetorico compositis ita attingit, ut s. Paulum proponat tamquam exemplar virtutum quam theologicarum tam moralium, describatque ejus modum loquendi et agendi in variis vitae apostolicae circumstantiis. —

In qua dissertatione coronae florum amoenorum instar arrident legentem expositiones pulcherrimae conjunctae cum exhortationibus valde practicis, ut sunt v. g. Sv. Pavel, učitelj srečnega in zadovoljnega družnega življenja (S. Paulus, magister faustae et felicis vitae familiaris); — vel: „Sv. Pavel, pisatelj." (S. Paulus, — scriptor) cum brevi argumento et characterismo omnium ejus epistolarum; vel: Sv. Pavla trpljenje" (S. Pauli tribulationes): vel: Sv. Pavla vzdržljivost" (S. Pauli continentia): et praeprimis: „Sv. Pavel, vzglednik katoliškego duhovnika"

*) Voroncov et Čupić utuntur terminis: libri „canonici" et „non canonici".

(S. Paulus, exemplar sacerdotis catholici): vel: „Sv. Pavla ljubezen do naroda Izraelskega (S. Pauli erga populum Israeliticum amor) . . .

Summa operis laus in hoc est, quod ad artem et praecepta revocatum, simulque eleganti elatoque stylo ex corde ferventi profluente scopo practico praeclare accomodatum est.

Visne corroborari praeclaris verbis et exemplis in fide, spe, charitate; — de novo excitari ad aestimandam Jesu Christi religionem libertatemque filiorum Dei: — imbui patientia, fortitudine, humilitate, temperantia, castitate aliisque virtutibus christianis: — succendi zelo animarum et discere vitam vere sacerdotalem et apostolicam; — induci ad recte dijudicandas optimeque solvendas quaestiones sociales et nationales: — ingredi adyta ingenii Paulini ejusque theologiae; — informari de literatura huc spectante laudibusque Si. Pauli per artes et literas editis; — inflammari denique ad studia epistolis Paulinis generatimque bibliis sacris diligenter impendenda: in libro laudato invenies adjumenta apta et efficacia.

Constitutiones Synodi dioecesanae Labacensis a. 1903. — Labaci 1903. Pg. XLIV + 244. — 3 K. — Constitutiones hae synodales in praesenti libro in quatuor titulos dividuntur: I. de fide catholica, II. de educatione inventutis, III. de vita domestica, sociali et politica fidelium, IV. de educatione et vita tum privata tum pastorali clericorum. — Cum ob temporum conditionem clerus dioeceseos Labacensis in vita publica tum sociali tum politica participare cogatur et sic dicta „organizatio catholica“ populi in dioecesi ad magnam iam perfectionem et extensionem perducta sit, constitutiones praeprimis quaestiones practicas vitae publicae iuxta principia fidei christianae tractant et explicant doctrinamque ecclesiae et theologiae catholicae conditionibus loci et temporis applicant. Tituli III. (p. 36—126) et IV. (127—220) omnium amplissimi sunt et multa egregia continent. Constitutiones omnes brevitate et claritate excellunt, ideo ad usum practicum quam maxime accomodatae sunt.

Ep. Dr. Antonius Bonaventura Jeglič: **Appendix ad Synodum dioecesanam Labacensem celebratam a. 1903.** — Labaci 1904. Pg. 223 + 15. — 3 K. — „Appendix“ praesens est quasi supplementum et commentarius litteratus ad constitutiones supra laudatas. De illis veritatibus christianis, quae fundamentum vitae christianae et publicae efformant, sed temporibus hodiernis maxime impugnantur, breviter tractat. Titulus I. (pg. 5—31) de existentia et essentia Dei, de Deo creatore et de Dei dominio agit; tit. II. (pg. 32—53) de revelatione, de Christo Messia, de dominio Christi; tit. III. (pg. 54—114) de Ecclesia et Romano Pontifice; tit. IV. (pg. 115—127) de relatione inter scientiam et fidem, de philosophiae ad fidem relatione et de historia huius relationis. Sequentes tituli (V—VII.), compositi imprimis secundum encyclicas Leonis XIII., tractant de potestate civili eiusque relatione ad ecclesiam (pg. 128—150), de officiis civium catholicorum (pg. 151—162), de libertate et liberalismo (pg. 163—182), de quaestione sociali, de socialismo, de misera conditione opificum et remediis (pg. 183—220) et de democratia christiana (pg. 221—224). Totum

opus magna claritate et subtilitate expositionis excellit, quod in similibus quaestionibus tractandis rarius obtinet. Vix liber alius invenitur, qui tam multa graviaque tanta brevitate contineat.

EXTRANEA, RES SLAVORUM SPECTANTIA.

ΘΗΣΑΥΡΟΣ ΤΗΣ ΟΡΘΟΔΟΞΙΑΣ. **Die Bekenntnisse und die wichtigsten Glaubenszeugnisse der griechisch-orientalischen Kirche** von *Jon Michalcescue.* Leipzig. Hinrichs. 1904. S. 314. M. 5·30. — Auctor, theologiae graeco-orientalis in universitate Bukarestensi licentiatus, cum in exaranda symbolica, quae a. 1902 in lucem prodiit (Compendiu de Teologie simbolica, pp. 317, Bukarest), vivide perspexisset collectionem librorum symbolicorum ecclesiae graeco-orientalis summe esse necessariam, ad opus hoc in lucem edendum aggressus est. Ediderat quidem iam a. 1844 Ernestus Kimmel, universitatis Jenensis professor, similem librum sub titulo: „Libri symbolici ecclesiae orientalis", quem a. 1850 ipso iam e vivis sublato collega Hermannus Weissenborn supplemento auxit et titulo mutato: („Monumenta fidei ecclesiae orientalis") cum priore coniunxit. Cum tandem temporum successu neque prior neque altera haec editio pro pecunia emi posset, nova editio necessaria esse videbatur, cui necessitati auctor succurrit.

Ex editione Kimmel-Weissenborniana recepit auctor graecum textum symbolorum graeco-orientalium, immo etiam nonnullas adnotationes retinere necessarium duxit nonnullis tantum minoris momenti omissis. Recenset autem auctor fidei professionem „doctissimi et reverendissimi domini Gennadii Scholaris, partriarchae Constantinopolitani", quam sultano Mohamedo II. interroganti dedit, longam professionem Petri Mogilas, Orthodoxi dicti, synodi Hierosolymitanae sub patriarcha Dositheo, synodi Constantinopolitanae contra Cyrillum Lucarin, confessionem Metrophanis Critopuli et Cyrilli Lucaris.

Quibus omnibus auctor per modum proëmii vitam singulorum patriarcharum, occasionem, tempora, synodos, quae ad confessionem edendam haud parum attulerunt, accurate addit et numerosis litteris ea ornat. Cui fundamentali parti totius libri praemittit auctor symbola conciliorum, quae fundamenta sunt ecclesiae orientalis, et quidem a concilio Nicaeno I. usque ad concilium Nicaenum II. Symbolo concilii Nicaeni I. addit auctor fidei professionem, quam Eusebius Caesareensis in concilio Nicaeno, praelegit.

Ad finem adiunxit auctor graece liturgiam s. Joannis Chrysostomi, qua ecclesia orientalis communiter uti solet, et regulas s. Basilii, archiepiscopi Caesareensis, cuius ordo in Oriente maxime est divulgatus. Quibus addidit nonnullas orationes sacerdotum (e. g. ad catechumenatum ineundum, in baptismo, in copulatione, unctione morbo affectorum etc.) et 8 hymnos, qui in funeribus obeundis a sacerdotibus et cantoribus decantari solent.

Opus tanti argumenti summae esse potest utilitatis, praesertim iis, qui studiis orientalis ecclesiae vacant eiusque fidem perspicere volunt. *B—č—(O.).*

Mag. theol. *K. Konrad Grass:* **Geschichte der Dogmatik in russischer Darstellung**. Gütersloh. Bertelsmann 1902. S. 179. M. 2·80. — Konrad Grass. privatus docens in Dorpat (Юрьевъ) in gubernia Livonensi, mancam illam, immo et „minimam“ cognitionem ecclesiae inter ceteras Orientis ecclesias eminentis, ecclesiae russicae, aegerrime intimo in corde ferens, consilium cepit celeberrimas Russorum dogmatum expositiones in linguam germanicam traducere et rem protestanticae ecclesiae studiosis commendare.

Cum autem utraque dogmaticae doctrinae expositio inter Russos celeberrima (Macarii, cuius editio 4. et 5. 3000 exemplaribus in lucem prodiit, et Silvestri) nimis extensa sit (utraque 5 tomos complectitur), auctor partes, quae Occidentis lectorum studium excitare iisque commodo esse possint, germanice expressas lectori offert: quae sunt historica expositio disciplinae dogmaticae a primis apostolorum temporibus usque ad dies nostros.

In prima libri parte traduxit auctor historiam e dogmatica Macarii receptam, quae satis accurate totum progressum idearum orientalium usque ad medium saeculum XIX. in ecclesia russica prosequitur, historia dogmaticae catholicae et protestanticae prorsus neglecta.

Quem defectum auctor per versionem partis Silvestri operis explet, quod praeter orthodoxam etiam historiam dogmaticae catholicae et protestanticae profert, ita ut ex utraque accuratam cognitionem, quid Russorum theologi tam de propria quam de nostra protestantiumque dogmatum expositione sentiant, haurire possimus, praesertim si attendamus utramque non solum per totum Russiae regnum esse propagatam, immo quandam „officialem sanctionem“ accepisse.

Ad finem addit alphabeticum indicem librorum systematicae theologiae russicae plus quam 500, quorum auctores characteribus latinis expressos, titulos in linguam germanicam translatos refert, et 33 ephemeridum rebus theologicis ecclesiasticisque pertractandis inservientium. *B—č-(O.).*

QUAEDAM, DE QUIBUS THEOLOGI UTRIUSQUE ECCLESIAE DISSENTIUNT.

I.

Doctrina de ecclesia.

A. De fine ecclesiae.

Rebus Ecclesiae in Russia mutandis motus episcopus Sergij nuper in Cerkovnyj Věstnik n. 13 duo argumenta proposuit, ut probaret, ab ecclesia non esse inquietandos eos, qui in rebus divinis aliter sentiunt, dummodo ab ecclesia separati sint vel separentur; alterum ex iniquitate temporum duxit, alterum ex fine ecclesiae. Quae hic dixerit audiamus. Col. 386 ait, ecclesiam non proponere sibi eum finem, ut ab omnibus agnoscatur et in omnes dominetur, sed eius esse tantum, ut „saltem aliquos salvet“: Ona ne stavit svoej cělju byť priznavaemoj vsěmi

i gospodstvovať nad vsěm mysljaščim čelověčestvom, nad vsěmi umstvennymi tečenijami i čajanijami ljudej: ej dana zadača, s zemnoj točki zrěnija, bolěe skromnaja: „spasti, hotja někotoryh" (1 Kor 9, 22)." Col. 388 dicit, ecclesiae cordi esse, ut membra eius sint sancta, non ut sint multa: „Dlja Cerkvi važno kačestvo eja poslědovatelej, a ne količestvo i ne ih proishoždenie." Ut praetermittam, quod saltem ad scandalum membrorum vitandum expedire potest, ut apostatae et haeretici (non materiales, quales nunc praesumendi sunt ii, qui in haeresi nati et educati sunt) coërceantur et puniantur, in quos ecclesia utpote societas perfecta animadvertere potest. — Haec a theologis ecclesiae romanae concedi non possunt. Verum quidem est, ecclesiam immediate salutem eorum hominum, qui eius membra sunt, pro fine habere: nec ecclesiam ideo inepte ad finem suum institutam esse, si maior pars hominum pereat, dummodo maior pars membrorum salvetur; attamen ecclesia obligationem habet curandi, ut etiam reliqui homines membra Ecclesiae fiant ac salventur. Quamobrem theologi ecclesiae romanae ponunt: finem ecclesiae esse sanctitatem et salutem aeternam hominum. Id — a Jansenistis primis oppugnatum — exponendum hic nobis esse statuimus. Finis ecclesiae intelligitur hic non finis institutionis ecclesiae, qui est conspiratio membrorum religiosa, sed finis ecclesiae institutae; talis finis societatis est illud bonum, quod complures communi actione assequi volunt: quod potest esse personale ut sanctitas vel doctrina, sed saltem ita commune semper est, ut non huius vel illius bonum intendatur, sed omnium simul. Sanctitas hic intelligitur moralis rectitudo actionum humanarum et salus assecutio finis ultimi.

Rei probatio facilis nobis videtur esse. Nimirum finis ecclesiae est idem ac finis ille, ob quem Verbum caro factum est. Nam a) ipse Christus: ‚Sicut, inquit, tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum' (Jo 17, 18): et: ‚Sicut me misit Pater, et ego mitto vos' (Jo 20, 21). Ubi similitudo expressa voce *καθώς* necessario refertur etiam ad opus, ad quod mittuntur; alioquin verbum ‚mittere' in inciso priore et posteriore significationem omnino diversam haberet, aequivocum esset. Sed ipsa comparatione diserte exprimitur similitudo in missione, in opere, ad quod mittuntur. Cf. Jo. Chrysostomus, In Jo hom. 86; Franzelin, De Ecclesia th. 20 p. 113; Mazzella, De relig. et eccl. p. 390 s. — Quae missio apostolorum fuit ratio, cur essent praepositi in ecclesia. b) Ab apostolo 2. Cor. 5, 17—20 munus (i. e. ordinatio debita ad obiecta a fine postulata) apostolorum, Ecclesiae praepositorum appellatur ministerium reconciliationis (*τοῦ καταλλάξαντος ἡμᾶς ἑαυτῷ διὰ Χριστοῦ καὶ δόντος ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς*), reconciliatio autem etiam munus Christi. Finis autem auctoritatis in societate est obiective idem ac finis societatis. Nam in qualibet societate omnia ad finem ipsius proprium referuntur, igitur ordo iuridicus quoque et eius pars quaedam praecipua, ius auctoritatis et subiecta auctoritatis, quae etiam membra societatis sunt; quamquam aliter ad hunc eundem finem tendit societas (cooperatione), aliter eius auctoritas (cooperationis directione).

Iam vero finis, ob quem Verbum caro factum est, salus hominum omnium est, inchoanda in hac vita per sanctitatem, consummanda vero in vitae futurae gloria. Vitam aeternam hominum fuisse hunc finem patet ex Jo 3, 16, 17 (*ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων ἐν αὐτῷ ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον . . . ἵνα σωθῇ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ*); Jo 6, 39. 40; 1. Jo 4, 14. Cf. symbolum Nic.-Cp. „propter nos homines...“ Quam inchoatam (in sanctitate consistentem) Christi finem fuisse patet cum ex tota indole doctrinae Christi, tum ex Tit. 2, 14.

Totum confirmatur eo, quod finis totius antiquae theocratiae fuit sanctitas et salus populi electi; cuius theocratiae symbolum est Sion mons, qui sec. Is 2, 2 s. non desiturus erat cessante fine, sed manente fine augendus ita, ut quod ad populum electum antea referebatur, ad totum genus humanum iam referatur. — *l* —

II.

Quid e s. libris N. T. probari possit de divortio ob adulterium.

Patres utrique: et illi duo, qui certe negarunt, et pauci, qui solubilitatem admittere videntur [1]), argumenta praecipue vel etiam unice e scriptura sacra ducebant. Vel inde patet interpretationem s. scripturae hac in re facilem non esse; nec s. Augustinus novissimus est ex eis, qui „difficillimam quaestionem“ eam esse querebantur, cum diceret: „quod utrum enodatissime fecerim nescio, immo vero non me pervenisse ad huius rei perfectionem sentio, quamvis multos sinus eius aperuerim“ (Retract. l. 2, c. 57). [2])

Examinare nobis in animo est theologorum utriusque partis interpretationes, ita ut statu quaestionis praesenti exposito rem iniudicatam relinquamus. Nec enim quaestionem hanc potissimum solvendam esse e commentario de divortio ob adulterium in 2. fasc. Musei emergit [3]).

Ante omnia de eo inter nos et Russos conveniat necesse est, quid matrimonium sit. Sunt enim, qui nobis obiiciant veram eius rei notionem nobis deesse.

---

[1]) Cf. de eis in hoc periodico p. 189. Quibus videtur addi posse etiam s. Cyrillus Alex. In Mt. 5, 31 (M. 72, 370): Ὁ τὴν σώφρονα ἐκβάλλων δίδωσιν αὐτῇ ἄδειαν ἄλλῳ γαμηθῆναι, ὅπερ ἐστὶν εἶδος μοιχείας, ὡσανεὶ μὴ λυθείσης συζυγίας· οὐ γὰρ τὰ ῥεπούδια παρὰ Θεῷ λύει τὸν γάμον, ἀλλ' ἡ ἄτοπος πρᾶξις. Makarij, Prav. dogm. bog.[3] II, 493 (Spb. 1868) allegat etiam Conc. Neocaesar. cn. 8; carthag. cn. 115; conc. oecum. VI.: Glubokovskij Tertullianum, Ad uxor. l. 2, c. 1 et alios. Sed uterque saepe supponit — quod non est semper manifestum — separationem ab uxore esse verum divortium. Glubokovskij ne s. Hieronymum quidem adversarium sibi esse putat (Hrist. Čt. 1895 str. 397).

[2]) In libro De fide et operibus c. 19 (n. 20) ita de ea re sentit: „In ipsis divinis sententiis ita obscurum est, utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, et quantum existimo venialiter ibi quisque fallitur.“

[3]) Praeterea non soli vetero-catholici (Watterich, Die Ehe, ihr Wesen und ihre Weihe nach Gottes Wort und That. Nördlingen 1876. S. 60) aut Anglicani (in Speakeri Holy Bible, vol. I. London 1887, p. 102—103), sed etiam nonnulli Russi hac in re nobis assentiunt solam se-

Secundum Eph 5, 22—32 matrimonium institutum est in N. T. tamquam signum unionis Christi cum ecclesia; i. e. matrimonium in ecclesia debet esse imago relationis Christi ad ecclesiam: sed nondum per hoc, quod matrimonium ratum est, constituta est haec imago, sed constitui debet, ita ut obligatio ad expressionem huius imaginis per matrimonium essentialis sit matrimonio christianorum. Praecipit enim s. Paulus marito dilectionem et uxori timorem, obsequium; idque non quodcumque, non illud tantum, quod inter homines, amicos, christianos lex moralis exigit, sed speciale, tale nimirum, quale obligatio exprimendi relationem inter Christum et ecclesiam exigit. Qui obligationem habet, habet et ius eam exercendi; ideo coniuges ius habent ad speciales gratias actuales. Hoc ius sane accipiunt tunc, cum obligationem suscipiunt. Quapropter in contrahendo matrimonio legitimo significant susceptionem obligationis referendi dictam imaginem; sed signum suscipiendae obligationis est simul signum iuris acquirendi, huic obligationi respondentis, iuris, inquam, ad gratias actuales. Iam vero significatio, quae rei alicui ex institutione Christi Domini convenit, debet necessario verificari; nam veracitas Dei metaphysica necessitate exigit, ut quidquid Deus significet, ad verum perducatur. Ergo contractus matrimoniales (actus sane coniugum ipsorum [4]), utpote signum a Christo Domino institutum, non solum significat ius ad gratias actuales, sed etiam idem ius confert et ita mediate gratias ipsas causat, i. e. est sacramentum.

Age, quid Makarij (Prav.-dogm. bogoslovie [3] t. II. p. 484) doceat, audiamus: „Viro tantopere deditum esse quantopere ecclesia dedita est Christo et mulierem diligere tantopere, quantopere Christus dilexit ecclesiam, id neque mulier neque vir praestare possent, nisi in ipso foederis coniugalis vestibulo specialem gratiam desuper reciperent per sacramentum.“ Similia N. Glubokovskij scribit in commentatione Razvod po preljubodějaniju, in Hristianskoe Čtenie Spb 1895 č. I. str. 25—26: „Brak ne prosto sovměstnoe sožitie, no — prežde i bol'še vsego — hristianskij dolg vosproizvodit' v nem tě otnošenija, kakija suščestvujut meždu Gospodom i Ego Cerkoviju. Po krajnej měrě nam dumaetsja, čto eto imenno i vyražaetsja v klassičeskom městě Efes 5, 32, gdě rěč daleko ne o prostom sravnenii (Sr. Učen. Zapisk. Kaz. Univ. po jur. fak. 1887, 36). Pri takom tolkovanii udobno objasnja-

---

parationem a mensa et toro licere; velut A. A. Zav'jalov, O brakě i bežbračii in Strannik 1891—2; V. Remezov in Bogosl. Věstnik 1894, Otd. V. str. 162—3.

[4]) De diversa opinione cf. H. Denzinger, Ritus orientalium (Wirceburgi 1863) t. I, 152—3; M. Filser, Dogmatisch-kanonistische Untersuchung über den Ausspender des Ehesakramentes. Augsb. 1842. Ne turbet nos formula illa: Στέφεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ (ὁ δεῖνα) τὴν δούλην τοῦ θεοῦ (τὴν δε) εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος — formulae baptizandi simillima! Potest enim alius dicere vel scribere formulam contractus, ita ut contrahentes vel per (tacitum) consensum vel per nomen subscriptum formulam illam suam faciant. Cf. Vetus sacerdotale romanum ab Alb. Castellano 1494 editum: „sacerdos pronuntiat verba, quae sunt forma huius sacramenti cum consensu utriusque partis“.

jutsja i vsě drugija analogii, napr. glavenstvo muža, kak obraza Boži ja (1 Kor. 11, 7), ego gospodstvo nad ženoju (Efes 5, 22—24 al.) i pr.". Cf. P. Smirnov, Tajna hrist. braka in Cerkovnyja Vědomosti 1904. Pribavlenija. God 17. N, 4, p. 129—132. Quae in quo discrepent cum doctrina catholicorum theologorum, non invenio; nisi quod explicatio catholica accuratior sit eâque etiam id, cur matrimonium sit sacramentum, pateat.

Itaque ad nostram quaestionem accedamus. Ex interpretatione Eph 5, 32 nec solubilitatem nec insolubilitatem matrimonii ostendi posse liquet. Si tamen ab aliquibus Russis hic locus allegatur et inde concluditur, sicut Christum ecclesiae suae membris olim dicturum esse: discedite a me — ita coniugium adulterio solvi, eos talem comparationem pro vero argumento habere non putamus, quemadmodum nec theologi, qui contrarium statuunt, huic loco nimis confidunt [5]).

Locus scripturae, quo theologorum ecclesiae graeco-russicae doctrina nititur, est ipsius Christi sententia ap. Mt 5, 32 et maxime 19, 9. Ipsa verba graeca sunt haec: Mt 5, 32: *Πᾶς ὁ ἀπολύων τὴν γυναῖκα αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι, καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήσῃ, μοιχᾶται (ὁ . . . γαμήσας*: B; cod. D [Bezae Cantabrig. saec. VI] et Itala omittunt *καὶ — μοιχᾶται)*. Mt 19, 9: *ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ (*ℵ C Z Σ arm. Theophyl. etc.; *παρεκτὸς λόγου πορνείας* B D copt. Origen. etc.) *καὶ γαμήσῃ ἄλλην (*ℵ C D Z; omitt. B N), *μοιχᾶται* (ℵ, corr. C, D, Z, corr. Σ: *ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι* B, prima script. C, N, pr. scr. Σ, It.: *καὶ ὁ ἀπολελυμένην γαμήσας* [C et Σ *γαμῶν] μοιχᾶται* additur in B, pr. scr. C, Z, Σ*)*.

Ipse numerus auctorum, qui varias horum verborum explicationes afferunt, testimonio est difficultatum, quas defensoribus absolutae matrimonii (consummati) insolubilitatis gignunt [6]).

---

[5]) Cf. Museum 1905 [39] pag. 33: „Negandum est a s. Paulo solum matrimonium consummatum μυστήριον apellari imaginemque coniunctionis Christi cum ecclesia aut coniunctionem eam saltem perfectius in matrimonio consummato exprimi, [quo conceditur insolubilitatem inde probari non posse[. Totum enim matrimonii in facto esse mysterium in spirituali illa coniunctione situm est, quam coniuges sibi invicem debent et ratione cuius per „matrimonium in fieri" gratiam receperunt; nequaquam autem apostolus officium illud ex actu coniugali unionis Christi cum ecclesia referenti deducit; quod signum, quatenus signum est, idem apud ethnicos significat".

[6]) Cf. Maldonatus in Mt 5 et 19; Jäger, Untersuchung der Frage, ob die Ehescheidung nach der Lehre der Schrift erlaubt sei oder nicht. Arnstadt 1808; Kistemaker, Exegetische Abhandlung über Mt XIX. Göttingen 1806; Archiv f. d. kath. Kirchen- u. Schulwesen-Frankfurt 1815 III. B. III. St. S. 33—46 (Gartz); J. L. Hug, Commentatio exegetica de coniugii christiani vinculo indissolubili. Friburgi 1816; Jo. Zenger, Neuer Versuch einer Erklärung der Stelle der h. Schrif Regensburg 1819; J. Binterim, Über Ehe u. Ehescheidung. Düsseldorf 1819. S. 114 ff.; A. Scholz, Biblisch-kritische Reise. Leipzig 1823. S. 186; Schegg, Ev. nach Mt. I., 459-460 (Münster 1856); J. Perrone S. J., De matrimonio christiano. Romae 1858, III.

Gratzii, Döllingeri, Walteri, Luckockii, Patritii interpretatio qua voci πορνεία proprius fornicationis vel unionis fornicariae sensus tribuitur et solum de quodam impedimento dirimenti agi conicitur. a Glubokovskij sine negotio refellitur. Is. l. c. p. 13. scribit: „Neminem nisi caecum latet apud Matthaeum agi de matrimonio vero et indubio. Rationi sanae rem spectanti id axiomatis instar firmum apparet. Vitae communitas (sožitel'stvo) omni tempore fuit ex voluntario privatoque convento (soglasěnie) quarumdam personarum quascumque legis formas et normas fugiente. Quapropter ei renuntiandi arbitrium unice penes concubinos est. De hoc interrogare opus non fuit, et eo minus responderi oportuit. Si de matrimonio non legitimo agebatur — licet tantum ob castitatem a sponsa non servatam, rursus non fuit, cur interrogaretur sitne eius solutio concessa, cum aperte lege praescripta esset (Deut 22, 13 s.; cf. J. Seldeni, Uxor Ebraica, Francof. ad Od. 1673, p. 312 et passim). Ponamus Christum ipsam irrevocabilem divortii causam ex iuris Judaici ratione appellare: hoc posito non intelligitur, cur statu domestice-iuridico et religioso stans ceteras omnes causas praeterierit, — easque, quibus (Ex. 24, 16: Deut 7, 3) Esdras (1 Esd 9, 2 s; Nehem 13, 23 s.) usus est. Moyse (cf. Deut 24, 1) appellato dubium non est pharisaeos legitimum foedus thalami intellexisse. Quae cum ita sint, πορνεία delictum significat mulieris iam legitime nuptae.“ Addi potest ss. patres eam interpretationem omnino ignorare. (Reliqua deinceps persequemur.)



305 ss.: F. Patrizi, S. J., De interpret. script. I, 7, n. 281 (Romae 1862); A. Bisping, Erklärung des Evang. nach Mt. Münster 1867, S. 143—8: J. Döllinger, Christenthum u. Kirche 3. B., Anh. 3. (Regensburg 1868); Časopis katol. duchovenstva 1869 (X), 23—40 (J. Velhartický); F. Walter, Lehrbuch des Kirchenrechts aller christl. Confess. § 319 (Bonn 1871); Katholik 1877, II, 578 - 587 (Dreher); Katholik 1879, II, 530; P. Schanz, Commentar üb. d. Evang. d. h. Mt. Freiburg 1879, S. 191—6; P. Palmieri S. J., De matr. christ. Romae 1880 p. 183—6; Katholik 1889, II, 636—642; J. Nisius S. J. Comment. in evang. us. priv. Oenip. 1891 p. 63 ss.; H. Weiss D. Bergpredigt Christi. Freiburg 1892, S. 45—50; A. Cigoi O. S. B., Die Unauflösbarkeit der christlichen Ehe. Paderborn 1895. S. 173 etc. — E recentibus voluminibus de matrimonio inspiciendi sunt: L. A. Desaulles, Les erreurs de l'église en droit naturel et canonique sur le mariage et le divorce. Paris 1894; H. M. Luckock, The History of Marriage. London 1894; Strannik 1899: M. Grigorevskij Učenie sv. Joanna Zlatoustago o brakě; M. Rosset, De sacramento matrimonii 1896—1897.

Slavorum litterae theologicae.

Conspectus periodicus.

Dirigentibus Dr. Jos. Tumpach et Dr. Ant. Podlaha.

1905. **Pragae Bohemorum.** **Nr. 3.**

BOHEMICA.

Učebná kniha bohosloví pastýřského. Sepsal *Dr. Antonín Skočdopole.* (**Enchiridion theologiae pastoralis.** Auctore *Dr. Antonio Skočdopole.*) V Č. Budějovicích 1905. Str. 596. Nákladem vlastním. Tiskem biskupské knihtiskárny v Budějovicích.

Iam in relatione de eis quae edidit Haereditas s. Procopii mentio facta est de Dr. Antonii Skočdopole opere celeberrimo (2 tomos complectente), quod theologiam pastoralem omni ex parte pertractat et illustrat. Quod opus amplissimum clarissimus auctor et professor apte amputavit sicque idem usui scholari accomodavit. Ad singulas doctrinas illustrandas adhibuit non solum novissimas S. Sedis decisiones, sed etiam varia inde ab editione memorati operis sui promulgata decreta potestatis civilis. Tum in operis dispositione, tum in totius materiae elucubratione auctorem cognosces, qui inter peritissimos merito numeratur, cum sane doctrinam pastoralem iam inde ab anno 1861 in theologico instituto Bohemo-Budvicensi tradat, ita ut omnis fere clerus dioecesanus ex eius prodierit schola. Librum ipsum libenter, plenam de eius excellentia persuasionem habentes, commendamus omnibus, ad quos theologiae pastoralis studium ac notitia pertinet.

Časopis katolického duchovenstva. (Publicatio periodica cleri catholici bohemici).

Tristis erat condicio, in quâ initio saeculi decimi noni Bohemi versabantur. Lingua enim eorum iamiam oblivioni tradebatur, et paucos si excipias, ceteri omnes desperabant fore ut quandoque resurgat. Hoc maxime tempore in lucem edi coepit „Publicatio periodica in usum cleri catholici bohemici“ (Časopis pro katolické duchovenstvo), sub auspiciis archiepiscopalis consistorii pragensis. Fides enim catholica et proprietas nationis Bohemorum intime coniunctae, sunt, ut una sine alterâ vix aut ne vix quidem intelligi possit. Tolle de Bohemorum animis fidem veram, et mox protestantismi errores simul etiam nationis proprietatem auferent. Insuper apud populum Bohemorum omni vita atque victu excultum atque expolitum ad fidem integram servandam et theologica disciplina sermone patrio explicetur necesse est. Quae profecto causa fuit supra dicti consilii consistorii pragensis, publicandi diversos tractatus doctrinam sanctam respicientes, tum speculativos tum practicos, simulque recensendi diversa opera theologica domi et foris edita. Fuit

autem „Publicatio periodica in usum cleri catholici bohemici“ per viginti annos sola et unica in Bohemia, e quâ hauriri poterat sana doctrina theologica: immo, „Publicationem periodicam musei regni Bohemorum“ si excipias, vetustissima est in litteris nostris. Itaque anno 1828 praesertim suasore et impulsore Carolo Vinařický, tunc temporis archiepiscopali caeremoniario, quattuor emissi sunt fasciculi, quorum unusquisque 160 paginas complectebatur: quibus edendis praerant Nic. Tomek, Adalb. Procházka et Ign. Mráz. Anno sequenti edendi cura commissa est canonico Venc. Václavíček, qui in ea versatus est usque ad annum 1833; inde usque ad a. 1847. canonicus Venceslaus Pešina praefuit, quo anno archiepiscopale consistorium Periodici editionem transtulit in canonicum Jirsík. Quo ad sedem episcopalem Bohemo-Budvicensem promoto, Periodico adornando praeferunt Fr. Havránek et Dr. Ed. Tersch. — Primis his temporibus supplementi modo edebantur simul cum Periodico diversa opera Patrum in linguam bohemicam translata, uti „Soliloquia animae ad Deum“ conscripta a s. Augustino, ejusdem „Manuale“, liber s. Joannis Chrysostomi, in quo pertractatur „neminem offendi posse nisi a seipso,“ s. Cypriani „explicatio orationis Dominicae,“ s. Augustini „de civitate Dei“ et alia huiusmodi.

Anno 1852. Periodicus noster quovis mense edebatur, continens semper 64 paginas; sed fortuna sinistra sub fine ejusdem anni non amplius foras datus est. Gravi somno excussus est a. 1860 a supra dicto Carolo Vinařický, canonico residentiali vetustissimi capituli regiae collegiatae Ecclesiae in Vyšehrad (Pragae), eique adornando praefuit usque ad a. 1869, quo anno Dr. Borový curam edendi suscepit usque ad a. 1897, duobus ante annis (1895) socio assumpto universitatis Carolo-Ferdinandeae professore Dre Josepho Tumpach., nunc canonico metropolitano ad s. Vitum Pragae.

Anno 1876 periculum novum imminebat, ne publicatio periodici nostri deponeretur; servataque est per Academiam christianam Pragae constitutam, cuius sectio literaria Periodicum, de quo agitur, sibi proprium facere decrevit. Canonico Borový anno 1897 mortuo, curam adornandi tres viri spectatissimi et in theologicâ scientiâ versatissimi susceperunt, nempe, praeter jam nominatum Drem Tumpach, illustrissimus Dr. Franciscus Krásl, episcopus auxiliaris pragensis et decanus metropolitani capituli ad s. Vitum Pragae, necnon Dr. Franciscus Kryštůfek, professor ordinarius historiae ecclesiasticae in universitate pragensi. Cumque hoc anno (1905) negotii partem capessivisset Dr. Antonius Podlaha, canonicus metropolitanus ad s. Vitum, Publicatio periodica, quae a resurrectione suâ a. 1859 nomen „in usum cleri bohemici“ mutavit in „cleri bohemici“, et quae ab a. 1860—1872 quotannis octies (80 paginas semper complectens), ab a. 1873—75 sexies, anno 1876 septies, ab a. 1877—80 octies et ab a. 1881—1904 decies (64 paginas in singulis fasciculis habens) in lucem edebatur, illa igitur nostra Publicatio ad tantum pervenit culmen, ut quasi organum cleri slavici — non solum bohemici — hodie habenda sit.

Bohemia inter filios suos optimos habuit et industrios operarios in vineâ Domini, qui in omnibus disciplinis theologicis tum practicis

tum speculativis apprime versati erant, quique in Periodicâ publicatione nostrâ laborum suorum fructum reliquerunt.

Hoc litterarum theologicarum studium demum uberrimum attulit fructum, nempe constitutionem theologicae facultatis bohemicae in c. r. universitate Pragensi anno 1891. Faxit Deus, ut alterum quoque pium desiderium uniuscuiusque viri catholici adimpleatur, expressum in programmate „Slavorum litterarum theologicarum“ (Nri I.[i]), — quae „Litterae“ tamquam appendix „Publicationis periodicae cleri bohemici“ eduntur, — ut „controversiis, quibus Occidens et Oriens detinentur, paulatim minutis ac diremptis,“ omnes uniantur in una fide, fiatque unum ovile et unus Pastor. Dr. *Carolus Kašpar.*

Idea Cyrillo-Methodějská (Idea Cyrillo-Methodiana). Frant. X. Grivec. Dr. Ant. Podlaha. Na Velehradě 1905. Nákl M. Melichárka. Libellus hic continet orationes, quae anno praeterito Velehradii in theologiae studiosorum congressu omnium auditorum occupaverant cogitationes. Accedit valde utilis elenchus fontium, qui in studio ecclesiae orientalis adhibendi sunt.

Staroslovanské povečerije (Completorium veteroslavicum). Přepis z hlaholského brevíře. Vydal I. P. 1905 „Nový Život“ v Prostějově. Exiguum, at forma externa valde elegans opusculum hoc specimen dat officii divini glagolitici litterarum formis latinis transscripti auctore Fr. Starý, qui in fine nonnullas concisas notas adiecit.

Hlídka (Red. P. Vychodil, Brunae). XXII., 3—6. Fr Snopek: Studie cyrillomethodějské (Studia Cyrillo-Methodiana). Demonstrat, legendam sic dictam pannonicam non esse scriptam a discipulo ss. Cyrilli et Methodii, neque res gestas cum veritate congruenter narrare, quod e contra de legenda sic dicta romana dicendum esse. Non esse itaque reiiciendum, quod legenda pannonica non continet, neque absque iudicio admittendum, quod refert. Dein disserere incipit auctor de orthodoxia s. Methodii. Ostendit, ecclesiam graecam initio de processione Spiritus sancti cum ecclesia romana consensisse; discrepantiam, quae apud Ioannem Damascenum apparet, consistere solummodo in verbis adhibitis, non in re ipsa. — Fr. Vacek: Legenda Kristianova (De Christiani legenda). Argumentatur, sic dictum Christianum annales Cosmae novisse iisque usum esse. Ostendit, legendam sic dicti Christiani ante annum 1142 scribi non potuisse. — J. Oliva: Podstata a vznik náboženství (De religionis essentia et origine). — Alois Koudelka: Některé katolické publikace francouzské (De quibusdam publicationibus gallicis). — V. Lankaš: Výměr víry (De fidei definitione). Refert de articulo professoris Péchegut »Une définition de la Foi« in Revue du Clergé. — Karel Černocký: Psychologie bludů v dějinách církevních (De errorum in historia ecclesiae psychologia). Auctor animadvertit in erroribus religiosis fluctuationem intellectus, sensus atque voluntatis. — Dr. Fr. Bulla: O hmotě oživené (De materia vitâ praedita). — Dr. Frant. Ehrmann: Moravský konkurrenční zákon (De lege in Moravia lata quoad obligationem contribuendi ad res ad cultum divinum necessarias). — V. Lankaš: Z francouzské filosofie náboženské (E philosophia religionis in Gallia).

Sborník historického kroužku (Collectanea societatis historicae). Red. Dr. Mat. Kovář. Ročník VI. Plures neque spernendae rationes

induxerunt nonnullos viros catholicos in Bohemia, ut societatem erigerent ad promovendum historiae studium. Plures enim viri historia Bohemiae abusi sunt, ut catholicos in suspicionem invidiamque adducerent, librosque ediderunt incredibili odio contra ecclesiam catholicam conscriptos. Studio itaque ductus historiam patriam iuxta veritatis tramitem excolendi P. Jos. Svoboda S. J. anno 1893 societatem dictam erexit sociosque in ea congregatos incitavit, ut ipsos genuinos fontes adeant et ex iis uberrime veritatem hauriant. Fructus laborum suorum socii in »Collectaneis« specialibus publici juris fecerunt. »Collectanea« sumptibus societatis litterariae »Vlasť« eduntur et quidem usque ad annum 1899 in fasciculis annuis, inde ab anno 1900 quater per annum. Ipse P. Svoboda, vir sanctitate vitae ac modestia admirabilis, praecipue de reformatione catholica in Bohemia saec. XVII scripsit. Vestigia ejus premunt: professor laicus Jos. Vávra, qui multas edidit dissertationes magni pretii, prof. historiae ecclesiasticae in universitate Pragensi dr. Fr. X. Kryštůfek, canonicus dr. Ant. Podlaha, prior Ordinis Melitensium Frà Jos. Hameršmíd, prof. dr. Mat. Kovář, parochus Fr. Štědrý pluresque alii, qui »Collectanea« suis articulis et dissertationibus eruditis alunt.

CROATICA.

Papino Poglavarstvo u Crkvi za prvih osam viekava. Povjestno-kritična prouka. *O. Ivan Marković.* (**Primatus Romani Pontificis primis octo saeculis.** Historico-criticus tractatus. *P. Joh. Marković.*)

Qui operam dat studio de ecclesia orientali eiusque nexibus cum occidentali versatus esse debet in illis doctrinae catholicae partibus atque dogmatibus, de quibus controversia inter utramque ecclesiam extat. Revera unus e talibus gravibus locis, circa quos dissentiunt, est primatus Romani Pontificis. Quae doctrina ecclesiae catholicae magna perspicuitate pertractata est in opere supra scripto. Doctissimus auctor e primis octo saeculis demonstrat primatum Romani Pontificis revera viguisse atque in universo orbe terrarum agnitum fuisse. Quem tractatum sequenti ordine adornavit. 1. E textibus Sacrae Scripturae auctor reiectis falsis opinionibus adversariorum demonstrat s. Petrum a Christo Domino primatum obtinuisse atque exercuisse. Proponit fines potestatis huius primatus et ostendit, qualis potestas exerceatur a successoribus s. Petri, Romanis Pontificibus. 2. Pertractat traditionem ecclesiae a saeculo ad saeculum iuxta ordinem chronologicum ad confirmandam thesim suam. Prius ostendit ius primatus e litteris ecclesiasticis, nempe e ss. Patribus cum occidentalibus tum orientalibus (s. Ignatius, s. Irenaeus, Tertullianus, Origenes . . . s. Gregorius Illuminator, Patres ecclesiae Hieros., Eusebius Caesareus . . . Gregorius Naz., Greg. Nyss. . . ., s. Joh. Chrysostomus, alii), deinde e liturgiis (Hierosol., syro-chaldaica, graeco-oriental.). 3. Ex doctrina atque agendi ratione ipsorum Romanorum Pontificum. 4. Ex conciliis oecumenicis. — In appendice pertractat codicem pseudoisidorianum. — *ý*

Slaveni i Pape. Napisao Dr. *Ivan Marković*, preveo s talianskog *O. Petar Perković.* Zagreb. Dionička Tiskara. (Slavi et Romani Pontifices. Dr. Joh. Marković, e lingua italica vertit P. Petar Perković.) 1903—4.

Opus hoc a doctissimo Croata, attamen certo quodam consilio lingua italica compositum scriptum est ad mentem moderationis sicuti alia scripta eiusdem auctoris. Totus mundus eruditus magna cum laude accepit hunc tractatum. Quanta cum sagacitate animi hoc opus elaboratum sit, cognosci potest ex allatis fontibus, quibus auctor ad materiam suam componendam usus est. Unde patet opus hoc, certe novissimum quod hanc materiam tractat, non esse leviter aut parum subtiliter scriptum, sed studia ac tempus, immo multa studia atque longum tempus in eo conficiendo consumpta esse. Ad quod confirmandum commemoro effatum illius eruditissimi Nilles eandem materiam in suo opere pertractantis, qui dixit, si scivisset hoc opus editum iri, se nunquam tractatum de hac re scripturum fuisse.

Primus liber (1.—359. p.) continet initio narrationes de origine et primis incrementis atque progressu Slavorum, quas, etsi historici critici de eis non consentiant et varias opiniones proponant, auctor noster magna cum circumspectione collegit — et quod magna laude dignum est, breviter exposuit, quae vero propius abesse videbantur tenebrosa illa aetate slavica. Deinde describitur conversio Slavorum, in quo tractatu primum locum obtinent sancti fratres Cyrillus et Methodius. Etsi auctor longius in iis versatur, tamen modo apto ad alliciendos legentium animos omnia nobis proponit, innixus optimis fontibus uti Šafařík, Kopitar, Miklošič, Rački, Jagič, Ginzel, aliis. Porro agitur de liturgia slavica et libro extremo enarrat nobis auctor initium, progressum schismatis eiusque propagationem. Ostendit nobis, quomodo schisma hoc graecum ad slavicas gentes transierit ibique se diffuderit. A qua re transit ad pertractandas quaestiones controversas inter ecclesiam orientalem et occidentalem et demonstrat ecclesiae orientalis debile esse fundamentum, quod facile destrui possit.

In secundo libro (1—562. p.) describit auctor noster usum Russorum, Serborum, Montis Nigri, Bulgarorum cum Roma et pertractat labores atque conatus Romanorum Pontificum ad utramque ecclesiam, occidentalem et orientalem, uniendam. Auctor edocet nos optime, quomodo fieri potuerit, ut labores Romanorum Pontificum irriti atque inanes essent. Tribuit hoc non soli culpae legatorum, sed multo magis pravae sagacitati Graecorum, qui omnibus modis intenderant, ut legatos corrumperent atque ad sua consilia comprobanda perducerent. — Proponuntur nobis opiniones praeiudicatae, quae in ecclesia orientali de ecclesia occidentali circumferuntur, cuius rei primo loco culpa est in clero schismatico, qui ab auctoribus graecis confirmatus falsas opiniones e libris protestanticis haurit, qua de re deinde populum contra catholicos irritat. Solatium praebet nobis, quod quaestioni huic plures laici operam dedere (Solov'ev et alii), qui unionem intendebant et quorum viam etiam alii post mortem eorum ineuntes in ecclesia schismatica unionis perficiendae studium fovent. — *ý*.

POLONICA.

Medycina pastoralna (Medicina pastoralis). Podręcznik dla kleru katolickiego opracował dr. *Julian Czarnecki,* lekarz v Gnieźnie.

Gniezno. Nakladem autora, drukiem Drukarnij Spółkowej w Gnieźnie. 1905. 436 pag. 16⁰. Liber hic diligenter elaboratus cum magna laude non solum a sacerdotibus, verum etiam a medicis in Polonia exceptus est (cfr. „Przegląd kościelny 1905, 239—240).

Spis klasztorów unickih Bazylianów w województwie wołyńskiem. (Conspectus historicus monasteriorum basilianorum unitorum in Wolynia.) Ułożył *Wołyniak.* Kraków 1905. 8⁰. 145 et XXVI. Succinctus, diligenter exaratus hic conspectus in summa mentionem facit de 40 monasteriis. Monasteria haec, maiore ex parte saec. XV.—XVI. condita, unionem inierunt demum in fine saec. XVII. et in primo dimidio saec. XVIII. Ante unionem vitam miserrimam degebant. Persaepe enim magnates id, quod monasteriis dederunt, iterum iis adimebant.

O chrzie św. Przepisy prawa kościelnego i świeckiego w Austryi. **(De baptismo. Praescripta iuris ecclesiastici et civilis in Austria.)** *Ks. dr. Wł. Kochowski.* Przemyśl. Nakładem autora 1905. Str. 83.

Z dziejów Stolicy św. za pontyfikatu Piusa VII. (Ex historia S. Sedis sub pontificatu Pii VII.) *Ks. Franciszek Starowieyski.* Kraków. Nakładem autora. 1905. Str. 162.

Przegląd kościelny. Red. X. Stanislaw Okoniewski. Poznań IV., 3—6. X. T. Trzciński: Nieznama praca Balcera Pstrokońskiego (Ignota adhuc scripta Balth. Pstrokoński, canonici gnesnensis saec. XVII). — X. V.: Rodzina Andrzeja Kryckiego (De familia archiepiscopi gnesnensis Andreae Krzycki, humanistae † 1537). — X. Stanislaw Okoniewski: Lekcye i Evangelie w najnowszem wydaniu warszawskiem. Refert de »Epistolis et evangeliis« polonicis nuper editis. Editores versionem Jacobi Wugecii quoad linguam et stilum corrigere, praesertim archaismos eliminare in animo habuerunt. Sed labor eorum parum processit: versio eorum non est accurata, erroribusque scatet. — X. Dr. K. Miaskowski: Piotr Bydzyński i polemika jeho s Hessem r. 1524 (Petrus Bydzyński ejusque polemica cum Hess a 1524). — X. Stanislaw Okoniewski: Objaśnienie najnowszego dekretu o stypendyach mszalnych (Explicatio novissimi decreti de stipendiis manualibus). — X. Arkadyusz Lisiecki: Katalog rękopisów biblioteki seminaryjnej w Poznaniu aż do wieku XV. włącznie (Catalogus manuscriptorum bibliothecae seminarii Posoniensis usque ad saec. XV.). — X. J. Stanislaw Adamski T. J.: Tajemnice w religii (De mysteriis in religione).

Świat słowiański. Miesięcznik pod redakcyą dra Feliksa Konecznego. Kraków. Rocznik I., 1 6. Ad meliorem cognitionem rerum Slavorum promovendam condidit Felix Koneczny litteras periodicas menstruas polonice scriptas, quas et ipse redigit, et quidem magno cum successu. Optimos nempe rei peritissimos congregavit collaboratores, qui plurimas dissertationes et articulos statum politicum, religiosum atque litteras Slavorum illustrantes fasciculis usque adhuc editis inseruerunt. Accedunt in fine uniuscuiusque fasciculi notae quam plurimae, rerum cognitione dignarum plenae. Ad nos pertinet praesertim dissertatio in fasciculo 5. publici juris facta, cuius titulus est

»Z ruchu religijnego w Słowiańszczyźnie« (Ex motu religioso apud Slavos). Dissertatio haec habet tres partes. In parte prima describitur praesens status catholicorum apud singulas nationes Slavorum, praesertim consideratur litterarius atque socialis labor cleri. In parte secunda exponuntur novi conatus religiosi in Russia; in parte tertia demum disseritur de conatibus ad unionem spectantibus, praecipue apud Bohemos, ubi summa cum laude mentio fit etiam de nostra publicatione.

Przegląd powszechny. Red. ks. Jan Pawelski T. J. Kraków XXII, 5–7. Ks. K. Czaykowski: Głos cerkwi ruskiej o plutokratyznym liberalizmie. De litteris pastoralibus metropolitae ecclesiae rutheno-unitae Szeptycki, quibus dictus archiepiscopus clerum suum cohortatur, ut sequatur principia recti democratismi christiani juxta placita quae statuit Leo XIII. — Dr. Karol Potkański: Konstantin i Metodyusz. (Pars reliqua) Auctor pergit in subtilibus considerationibus suis de vita et factis ss. apostolorum Slavorum. Demonstrat, ipsos partes ecclesiae romanae secutos esse non ex mera opportunitate et simulatione, sed ex sincera persuasione. Ostendit, Romanum Pontificem Hadrianum II. concesisse usum linguae slavicae in liturgia cum damno linguae liturgicae non tam latinae quam potius graecae eaque mente, ut in Moraviam auctoritatem exercere possit directam, non per metropolitas vicinos. Persecutionem Methodii ex parte episcoporum Germaniae illustrat auctor conditione, in qua sedes apostolica illo tempore versabatur. — Ks. J. Pawelski T. J.: Ukaz tolerancyjny. (De edicto tolerartiae imperatoris Nicolai II.) Auctor optima quaeque ab edicto hoc pro ecclesia catholica in Oriente expectat, quoad momentum edictum hoc cum edicto Constantini Magni paene in aequo ponit. — Ks. J. Rostworowski T. J.: Pod dzisiejszą apologetyką. Liberalny katolicyzm. (De sic dicto catholicismo liberali.)

RUSSICA.

Полный кругъ духовныхъ законовъ. Составъ **Н. П. Соловьевъ.** Москва 1904. **(Collectio legum ecclesiasticarum.** Edidit *N. P. Solov'ev).* Moscoviae 1904. Pag. 632; pret. 2 rub.

Praesens opus usui practico destinatum est – Auctor ipse in proëmio ita scopum, quem in libro edendo habuit, delineat. Continet liber hicce plenam legum ecclesiasticarum in Russia orthodoxa vigentium collectionem, auctam praescriptis et ordinationibus, quae ab officiis ac praepositurís ecclesiasticis, praesertim a S. Synodo emanarunt. Etiam leges novissimo tempore editae, uti lex de cleri orthodoxi pensionibus ex a. 1902, nec non lex de iliegitima prole ex a. 1903, in praesenti collectione inveniuntur una cum instructionibus hac de re a competente auctoritate editis. Tandem liber hic variis formularibus in praxi clero orthodoxo bene inservientibus, instructus est. Quod nos attinet, opus memoratum ea de causa nobis videtur attentione dignum, quod in eo facile omnia inveniri possint, quae ad illustrandum iuridicum statum hodiernae ecclesiae orthodoxae in Russia spectant. *T.*

Александръ Замытинъ, Покаяніе и его значеніе. Для нравственной жизни христіанина **(De poenitentia et quid ad vitam moralem hominis christiani fovendam valeat).** Kiev 1904.

Sub titulo allato Alexander Zamjatin in dissertatione sua magistrali quaestiones tractat maxime asceticas et polemicas, minus dogmaticas de poenitentia; de sacramento poenitentiae tantum p. 184—208 disserit.

Ratio, quam sequitur vel ex libris, quibus usus est, cognosci potest: de doctrina ecclesiae romanae de sacramento poenitentiae consulebat G. E. Steitz, Das römische Busssacrament 1854 et J. Ammann, Die römisch-heidnische Kirche 1845; in specie de attritione Döllinger et Reusch, Geschichte der Moralstreitigkeiten 1889; C. Stuckert, Die katholische Lehre von der Reue 1896; et sim. in aliis quaestionibus. Hinc mirum esse nequit, si eis, quae de doctrina ecclesiae romanae disserit, assentiri non poterimus.

P. 31. scribit ecclesiam romanam remissionem peccatorum non tribuere contritioni perfectae sed voto ei adiungendo („ne podvigu nravoizměnenija, a naměreniju kajuščagosja prinesti ispověd' vo grěhah"). Aliud a D. Palmieri, De poenitentia thes. 10., n. VI, didicisset: nempe votum non esse nisi condicionem, „sine qua non habetur iustificatio".

P. 33. existimat attritionem (terzanie = raskajanie nesoveršennoe), ut ab ecclesia romana concipitur, ab eiusmodi motivis proficisci, quae in poenitente non excludant dispositionem egoisticam aut odium (neljubov) Dei. De quibus protestantium ineptiis ut alias hic plura exponantur fore speramus.

P. 46. de indulgentiis Ecclesiam romanam secundum protestanticos fontes obiurgat. P. 193. poenitentem iubet omnia peccata, magna et parva confiteri. P. 203. epitimiam docet non esse satisfactionem Deo praestandam, sed ideo imperari, ut ecclesiae persuadeatur poenitentiam esse seriam.

Maxime vero ecclesia romana accusatur, quod sacramentum poenitentiae loco cuiusdam caeremoniae mechanice operantis habeat. Morale elementum dicit v. g. p. 35. in usu clavium ecclesiae romanae haberi solum utile, non necessarium; rem in nota explicat: vultum in terram demissum, apertum caput, manus plicatas in numero symbolorum tantum piorum haberi — acsi talia in ecclesia russica necessaria ad valorem ducerentur aut in ecclesia romana praeter haec externa nihil postularetur. P. 40. crimini dat nostris theologis, quod remissionem peccatorum faciliorem redditam esse in N. T. docent.

Non intelligent Russorum theologi doctrinam nostrorum, nisi considerare velint, quid remissio peccatorum sit. Peccata remitti nimirum significat tolli aut actum peccati actualis vel denominationem quam ex eo peccator habet, aut odium divinum propter eum actum aut odibilitatem peccatoris propter eum actum seu reatum culpae respectu Dei offensi, quem vocamus peccatum habituale. Nec primum dici potest — quia factum infectum fieri nequit, — nec alterum — quia odium, ut actus Dei necessarius, non tollitur, si in peccatore nihil mutatur. Restat igitur tertium. Iam haec dignitas odii debet esse effectus peccati actualis, quod consistit in aversione actuali a fine. Potest igitur cogitari dignitatem odii consistere in privatione actualis conversionis ad Deum; sed

hoc verum non est, quia peccatum non opponitur privative actuali conversioni, cum homo possit nec peccare nec actum conversionis elicere; potest cogitari eam consistere in sola privatione rectae habitudinis ad finem ex parte hominis, quam quovis momento restituere possit; sed falsum est hoc, quia requiritur satisfactio vel condonatio. Iam vero satisfactio nostra pro peccatis est satisfactio Christi nobis applicata; applicatur autem formaliter eo, quod incorporamur Christo, alteri Adamo; quae incorporatio formaliter fit per deificationem naturae nostrae seu per regenerationem ex Spiritu sancto; nam incorporari Christo capiti est fieri id, quod est Christus, fieri filium Dei, sicut incorporari Adamo (nasci naturaliter), est fieri hominem. Ad quam deificationem efficiendam 1⁰ patet posse a Deo varias condiciones requiri; potuit eam Deus annectere cuivis actui attritionis verae, potuit solum multiplicatis actibus perfectissimi amoris erga Deum eam reservare, immo insuper ritus difficiles postulare; 2⁰ patet absolutionem sacramentalem nec esse meram declarationem peccata esse remissa nec solam gratiae donationem peccatorum non remissivae (p. 187—8; quocum tamen cf. p. 190), nec romanae ecclesiae crimini verti posse, quod relate ad peccatorum remissionem sacramento plus tribuit quam attritioni super omnia, neque tamen plus quam contritioni „perfectae“ i. e. ante usum clavium iustificanti: non enim docet absolutionem esse causam mechanicam aversionis a peccato sed gratiae remissivae peccatorum causam instrumentalem.

In fine iuvabit theologorum ecclesiae romanae doctrinam de eis, quae ad valorem absolutionis sacramentalis a peccatis requiruntur, hic paucis quidem sed accurate proponere, ut et discrimen in tractanda utrimque theologia eluceat et haec cognita sive immediate sive mediate (ignoti enim nulla cupido) errores Russorum de nostra doctrina impedire possint. Itaque secundum theologos catholicos ad valorem absolutionis sacramentalis: *a*) ex parte ministri (valide consecrati et iurisdictionem habentis) opus est solum: 1. praevalens intentio directa et determinata saltem virtualis et implicita iudicialiter absolvendi; 2. probabilis saltem cognitio saltem desiderii confitendi a poenitente manifestati, si possibilis est; 3. praesentia eaque ad certum valorem talis, ut colloqui possit humano modo cum poenitente, ad probabilem talis, ut eum vel videre vel audire posset sanis sensibus sine instrumento extraordinario, nisi impedimentum adesset, aut de facto videat audiatve aut videatur vel audiatur quocumque adhibito instrumento; 4. absolutio propria voce prolata. *b*) Ad valorem absolutionis absolutae etiam a peccatis venialibus, requiritur semper aliqua confessio et, nisi adsit causa excusans, confessio omnium peccatorum (formalium) gravium, quae a se commissa necdum sibi debito modo directe remissa esse poenitenti certo cognitum est, secundum numerum et speciem infimam, et nisi saltem ab hoc excusetur, saltem in genere propria voce prolata: at ad valorem absolutionis condicionatae probabiliter nulla confessio requiritur, si fieri non potest. Praeterea praerequiritur necessario aliqua detestatio universalis respectu gravium peccatorum dubie remissorum et certo non directe remissorum, nisi ignorantia ex-

cuset, eaque de peccatis ut offensis Dei, saltem implicita et habitualis; quodsi explicita est, de nulla alia interna animae dispositione curandum est et communiter saltem nulla alia opus est. Detestatio ad valorem absolutionis requisita probabilissime nec debet esse actualis nec explicita, sed sufficit habitualis et implicita in quocumque alio actu. Ad fructuosum usum sacramenti poenitentiae circa gravia peccata sufficit contritio imperfecta etiam ea, quae est ex solo metu poenae aeternae, dummodo deliberatam peccandi voluntatem positive excludat, quod fieri potest. Denique certum non est ad valorem absolutionis requiri attritionem, quae sit super omnia, si poenitens est bona fide.

Ceterum ut facilius percipiatur aliquid ex doctrina ecclesiae romanae de his rebus, noverit auctor ea quae nobis opponit p. 39—40 (Kakija by bogatyja žertvy ni prinosil hristianin — grěšnik Bogu, kakija by dějstvija ni soveršalis' nad nim sovně, odnako esli stroj ego vnutrennej nravstvennoj žizni ostaetsja bez izměnenija, esli serdce ego daleko ot Boga, grěh ego prodolžaet suščestvovat' v nem, pričina razedinenija ego s Bogom ne uničtožena, slědovatel'no, i pokajanie ego ne dějstvitel'no) item p. 42—43 nostram omnino esse doctrinam.

Quae de polemica parte huius libri diximus, satis indicant nec reliqua posse mediocritatem superare. —*l*

E. Golubinskij: **Исторія канонизаціи святыхъ въ Русской Церкви (Historia canonizationis sanctorum in ecclesia russica).** 2. ed. Moscoviae 1903. Pag. 600. — 3·50 rub.

Rem summi momenti, qualis canonizatio sanctorum censetur, Golubinskij in hoc opere tetigit.

Opera, quibus eo consilio usus est, enumerat per octo paginas (p. 3—10). Criticas commentationes de sanctorum russicorum vitis ducit has: V. Klučevskij, „Древнерусскія житія святыхъ какъ историческій источникъ". Москва 1871; V. Barsukov: „Источники русской агіографіи". Petropoli 1882. Praeterea horum quoque, qui de sanctorum in Russia vitis rebusque exposuerunt enumerat opera: Sergii Sokovnin, metropol. Eugenii, M. Tolstoj, A. Murav'ev, archiep. Philareti, archp. Demetrii. Dein colligit eos quoque, qui singulorum sanctorum vitas narravere (p. 5—10). Graeca opera, quae Golubinskij adhibebat, haec sunt: „*Συναξαριστὴς τῶν δώδεκα μηνῶν τοῦ ἐνιαυτοῦ*", Athenis 1868. et „*Νέον Λειμων ριον περιέχον μαρτύρια παλαι καὶ νέα καὶ βίους ὁσίων*". Athenis 1873. (p. 10).

Cum Russi modum canonizandi a Graecis acceperint (p. 12 et 40), imprimis, quomodo Graeci canonizaverint, describit. Graecae canonizationis duplex distinguendum est tempus: prius pertinet ad saeculum XI (p. 12—26), posterius incipit a saec. XI. (p. 26—39). Tempore priore triplex sanctorum habebatur classis: ad primam classem pertinebant: patriarchae, prophetae, apostoli; quos propter sanctitatem ad munus electos fuisse existimabant (p. 13 et 14). Cultus sanctorum V. T. certe iam saec. IV. exstat (p. 14); apostolis autem statim post eorum mortem coepit tribui (p. 14). In secunda classe ducebantur martyres, quos jam ultimis decenniis I. saeculi veneratione prosequebantur (pag. 13 et 14).

Ex tertia classe illi erant (praesertim monachi et ascetae), qui vita sua talem meruerunt honorem (p. 13), ad quorum canonizationem jam ab initio miracula exigebantur (p. 16). In eodem numero referebantur episcopi (p. 13.); qui prius in prima classe videntur numerari consuesse; etenim, quod ex catalogo episcoporum constantinopolitanorum, Sozomeno et aliis, conicias, episcopi adnumerabantur sanctis ob id ipsum, quod sedes episcopales occupabant (p. 18.). Circiter a saeculo XI.⁰ miracula exigebantur. Cuius mutationis causam Golubinskij illam fuisse iudicat, quod cum prius tantum suos quaeque dioecesis coluisset sanctos, sub saeculum XI. cultus sanctorum ex praecepto extendebatur ad eccclesiam universam (p. 17 et 18). Confessores, qui non multo post cruciatus perpessos moriebantur, ut martyres colebantur; qui vivebant, secundum eandem, atque ascetae, regulam tractabantur (p. 15). Reges et reginae in sanctos aut propter sua in ecclesiam merita aut propter miracula referebantur (10).

Nulla habemus de modo canonizationis aut de ipsa canonizatione documenta, id unum scimus: episcopum dioecesanum canonizare neminem potuisse nisi metropolitae aliorumque coepiscoporum permissu (p. 22 sqq.). Canonizatio id secum ferebat, quod canonizatus inter sacrum (post consecrationem) nominandus erat et ideo in diptycha referebatur (p. 25). Exeunte saeculo XIII. et ineunte XIV. etiam ab imperatore potestas petenda fuit (p. 537).

In posteriore Graecia duplex erat sanctorum classis: martyres et ascetae. Turcis imperantibus multi erant martyres, qui publice oppugnabant Muhamedi praecepta ideoque morte multabantur (p. 26). Immo inter ‚recentes' martyres multi sunt, qui ea mente publice in Islam invehebantur, ut praeteritam apostasiam corrigerent ac redimerent (p. 27). Ad canonizationem episcoporum et ascetarum praeter miracula inde a saeculo XVII. etiam corporum integritatem et odoris suavitatem exigebant (p. 28).

In Atho monte hac in re exceptio fuit: hic enim qui ex vita excesserant vel propter solam odoris ex corpore manantis suavitatem inter sanctos referebantur (p. 28 sq.). Immo in Atho monasteria sua potestate canonizationem agebant, sive singula monasteria sive cuncta simul (pg. 30).

Generatim potestatem canonizandi pro ecclesia particulari habebat episcopus loci, quam videtur ex metropolitae permissione exercuissse; verum pro universali ecclesia patriarcha Cstinopol. canonizabat (p. 29).

Golubinskij duo tantum, quae rem quaesitam attingunt, documenta novit. Quorum alterum, quod de Marco Ephesino agit, singulare omnino videtur esse (p. 31).

Ad canonizationis ritum pertinebat, ut in honorem novi canonizati sacrum fieret et dies anniversarius, quo memoria ejus renovanda esset, constitueretur (p. 31).

Dein auctor proponit breviter normas generales, secundum quas in Russia canonizatio fiebat (p. 40—43), quas infra late refert (p. 261—308).

Normis breviter expositis catalogum sanctorum exhibet. Canonizatio in Russia semper eodem modo agebatur: si externae causae spec-

tantur solae, canonizationis historia in quatuor periodos dividi potest, quarum prima est periodus a recepta lege christiana usque ad synodos Macarii (annis 1547, 1549); secunda synodi Macarii; tertia a synodis Macarii usque ad „s. synodum“ quam vocant, per Petrum constitutam; quarta usque ad haec tempora (p. 43.).

Cum primae periodi sanctos refert (p. 43—92), de canonizatione quoque singulorum eorumque reliquiis, quantum repperit, exponit.

Secunda periodus expletur synodis Macarii (p. 92—109). Cum Constantinopolis a Turcis occupata esset, et ducatus russicus in imperium mutatus esset, „Russia et convenienter ecclesia russica primum in orbe christiano obtinuit locum“ (p. 93). Quae cum ita essent imperator et Macarius, metr. moscoviensis, cum externa gloria internam esse coniungendam rati ecclesiae ordinem novandi consilium ceperunt et anno 1551 synodo convocata („Stoglav“) perfecerunt. Idem Macarius, cum sibi persuasisset ecclesiae gloriam a sanctis afferri (p. 93), iam aa. 1547 et 1549 duabus synodi convocatis in priore 14 sanctos pro tota Russia, 9 pro particularibus locis, in posteriore 16 eosque, quantum coniectare licet, omnes pro tota Russia in concilio caelestium collocavit (p. 99 sqq. et 103 sq.).

Tertiae periodi (ab anno 1549. usque ad s. synodi“ constitutionem) (p. 109—169) sancti dividuntur in eos, de quibus quando in sanctorum numerum relati sint notum est, et eos de quibus id ignoratur.

Quarta periodo exposita (pg. 169—201), auctor separatim de sanctis Kioviensibus tractat (p. 202.—223). Anno enim 1458 provincia Kioviensis a Moscoviensi divisa est propriamque vitam egit usque ad a. 1685. Quos eo tempore procreavit sanctos, annis 1762, 1775 et 1784 etiam pro metropoli Moscoviensi approbati sunt (p. 202).

Coluntur etiam defuncti, quorum virtutes consecratae non sunt. Qui cultus exstructis super sepulcra aediculis et cantatis honoris causa funebralibus (pannahidy), nonnunquam per abusum „molebny“ quae vocant episcopis vel permittentibus vel etiam praecipientibus conspicuus fit. (p. 42). Sunt et alii defuncti, qui re quidem non coluntur, sed relati sunt in sanctorum catalogos vel kalendaria (p. 309). Utrosque enumerat in magnum collectos catalogum (p 309—370).

Ante a. 1682. sancti canonizati non omnes in kalendaria, librosve liturgicos relati sunt: initio nihil fuisse videtur praeceptum, dein arte typographica inventa res arbitrio correctorum permissa est, usque dum patriarcha Joakim eius curam recepit. Cuius causae Golubinskij historiam, progressum, exempla totum illustrantia exhibet. (pg. 223—260). —

Normas, secundum quas in Russia canonizatio fit, ab eo discimus has (p. 40—43; et p. 261—308):

Ad canonizandum aliquem exceptis martyribus (p. 269), qui sic quoque in sanctorum numero collocari solent, miracula adducunt: discessit igitur ecclesia russica a Graecorum usu, qui, etsi miracula evenerant, in vitam virtutesque inquirebant (p. 40); integritas, si apparuerat, secundo dumtaxat loco impellebat ad canonizationem nec sola sufficiebat (p. 270). A qua norma nonnumquam discedebant; velut cum multi episcopi ex Novgorod inter sanctos referrentur, „de quorum

miraculis nihil scimus; quos canonizatos, esse concedimus sicut antiquitus episcopi in Graecia canonizabantur: propter ipsum episcopale fastigium (p. 157 et 268). Eadem de s. Vladimiro dicit (p. 268). Revera tali modo canonizationem interdum factam esse multa testantur exempla (p. 269 sqq.)

De miraculis vero ipsis haec videntur tenenda esse: Generatim, si nostrum tempus excipias, auctor raro causam canonizationis exponit; saepe dicit propter miracula canonizationem factam esse, sed qualia miracula fuerint, ipse non narrat, ad auctores remittit. Miracula refert „ex sanctorum vitis," de quibus archiepiscopus Philaretus, Russus, haec habet: „omnia, quae in vitis leguntur repetere homo probus religioni habet, virorum eruditorum nos pudet" (p. 293). Quotiescumque ex duobus defunctis, quorum reliquiae simul inventae sunt, alter in sanctorum numero collocatus est, alter non item, eius rei alia causa inveniri non potest, nisi quod ille miraculis a Deo illustratus est, hic non item (p. 61). Tamen Golubinskij fatetur non esse, cur conici non possit canonizationem nonnumquam per fraudem et pro pecunia factam esse . . . Sed ut id factum esse affirmari possit, argumentis opus esse non dubiis patet. De reliquiis reapse sunt talia documenta (pg. 568; cf. pg. 78)

Si quis miraculis patratis nominis famam iam vivus adeptus e vita decesserat, vel si ad mortui sepulchrum miracula evenerant precabantur ad ejus sepulchrum pro eo, nonnumquam etiam ad eum; fere semper vero, ubi ossa ejus jacebant, sacella aedificabant (p. 271 sqq.).

Si miracula facta vel iterata erant, res ad episcopum deferebatur (279—282); episcopus actionem instruebat (283—286). Convocatis et auditis eo, qui miraculo a morbo liberatus erat, eius parocho, omnibus, qui eum noverant, (p. 283) viri ad id missi quattuor vel tres (p. 114), immo nonnumquam duo tantum vel unus (p. 84 et alias) cognitionem eodem loco, ubi miraculum evenerat, constituebant (p. 283). Auctor actionis historiam duplicem discernit: priorem usque ad synodum a. 1667., posteriorem ab eadem ad nostra tempora. Cuius synodi allegato decreto pergit „Illo, inquit, decreto synodus indicare voluit: severitatem eam antea adhibitam non esse, qua maior non possit desiderari (p. 285). Quod tempus „s. synodi" constitutionem praecedens attinet, ex ipso auctoris opere nulla generalis regula statui potest: raro enim actionum illius temporis exempla affert. Ex posteriore autem tempore clara traduntur exempla, quae inquisitionem bene esse peractam testantur; Verum etiam in hac periodo de defunctis pro particularibus locis consecratis non haberi certa documenta auctor fatetur (p. 169). Metr. Mogila duobus, quos ipse conscribi iusserat, libris innixus multos inter sanctos rettulit (p. 210 sq.).

Canonizatio ipsa simplici modo agebatur. Conscriptis „officio" et vita canonizandi (p. 288) dies festus eligebatur, qui ei quotannis celebraretur. Sollemne eius diei, (sacrum patrandum et precationes ad honorem sancti faciendae et reliquiae propalam collocandae) per episcopum vel eius legatum illo loco, ubi aderant ossa, peragebatur (p. 286). Ille dies ad festum celebrandum eligebatur, quo sanctus de vita migraverat;

qui, si incertus erat, cum die, quo inventae erant reliquiae et, si neque is constitui potuit, cum die natali commutabatur (p. 287.).

Officia parvi fuisse pretii, nonnulla etiam misserrima tam argumento quam perscriptione, testantur Philaretus et Macarius (292). Idem dic de vitis sanctorum (cf. supra dicta a Philareto). Sancti alii tota Russia celebrantur, alii particulari aliquo loco (p. 293 sq.) pro maiore vel minore miraculorum numero (p. 98).

In numerum sanctorum a tota Russia colendorum referebantur a patriarcha, metropolitave, nunc autem temporis a „s. synodo"; pro particulari aliquo loco episcopus dioecesis cultum decernebat (p. 282. 295 sq.). Quandoque etiam ipse metropolita vel patriarcha pro particulari loco sanctos constituebat (p. 292); saeculo vero XVI. indigebat episcopus permissione „s. synodi", immo propius vero est neque antea episcopos iniussu metropolitae canonizationem egisse (p. 295).

Cum metropolis russica patriarchae constantinopolitano subiecta esset, metropolitae suo iure numerum sanctorum augebant (p. 295); neque adibant patriarcham, nisi decreto suo maiorem auctoritatem conciliare intendebant (p. 70. 295. 382).

Etiam imperatoris concessio requiritur (p. 428 et passim). Imperator, licet ipse neminem in sanctorum numero collocet, sua tamen auctoritate decreta confirmat. Petitiones defunctos consecrandi, praesertim quae temporibus „s. synodi" fiebant, magnae laudi ecclesiae russicae non sunt (p. 174. 176. 178. 182. 185. 428. 461).

Pauca de canozationis abolitione addenda videntur esse. A canonizatione sua natura error abhorret: id enim tum ecclesiae honor tum fidelium respectus exigunt *). Cum ideo ecclesia catholica singulis episcopis facultatem canonizandi negaverit solique ecclesiae visibili capiti eam reliquerit, in Russia, quod patriarcha de cuiusdam cultu decrevit (p. 126), episcopus dioecesis supprimit et in usu fidelium esse vetat (p. 199), „s. synodo" post decretas quaestiones rem ad graecas Kalendas dilatura (p. 200); sollemnia, quae antea instituta vel more recepta erant, (p. 140. 198), tolluntur (p. 199) idque, ut auctori videtur, ideo, quod episcopus non iudicavit rem argumentis nihil dubii relinquentibus demonstratam esse (p. 199); nomen cuiusdam sanctae, cui cultus decretus erat (p. 162) a nobili patriarcha Joakim (p. 166 sq.) inducitur eo concilio, ut schisma (raskol) in eccl. russica exstinguatur (p. 107 sqq.); eadem de causa honores, quibus sanctus quidam prius tota Russia, colebatur, idem patriarcha in exiguum locum particularem concludit (p. 168).

In fine libri supplementa et correctiones addita sunt (537—582), quae, ut laude digna sint, tamen incommode sunt applicata.

Appendices quoque tum graecae tum russicae offeruntur, quorum nonnulla summo opere canonizationem illustrant (373—536). Documenta enim quaedam inquisitionis canonizationem praecedentis ibi continentur.

---

*) Cf. Zeitschrift f. kath. Theologie XIV (1890), 599-616; Revue des sciences ecclés. 1871 II., 246 ss.; Palmieri, De Deo creante et elev. Romae 1878 p. 718—723; Katholik 1905, 290—291 [1]).

Per totum librum sparsa inveniuntur, quae praetermittere nemini, qui his rebus studere intendit, ulla ratione licebit. Bene enim de canonizationis externo progressu, de kalendario, diptychis graecis, de reliquiis etc. disseritur.

Totam rem Golubinskij, utpote historicus arte insignis, documentis, quibus uti poterat, innixus tractat. Immo, si ante oculos habeamus eum esse ecclesiae russicae studiosum, quam maxime remotus ab opinionis arbitrio procedere dicendus est. Quin etiam, de Ecclesia catholica sicut Lebedev, ita et Golubinskij satis integrum seu obiectivum quod vocant iudicium in medium proferunt. Illos enim, qui Ecclesiam catholicam haereticam eiusque doctrinas, quas non intelligunt, haereses vocant, adulteros veritatis appellat (pozvoljajut sebě sočinitelstvo) (p. 530); illos vero, qui R. Pontificem qualescumque homines ad arbitrium consecrare asserunt, calumniari (vzdor) dicit (p. 531).

Itaque sicut omnia Golubinskii opera ita et hocce magna diligentia compositum est, totoque tenore suo sagacitatem, magnum totius rei criticae usum, veritatis amorem stabilem, animum studio et ira vacuum ostendit. Pro omnibus, qui studiis liturgicis et rebus ad quaestionem de unione ecclesiastica pertinentibus occupantur, studium libri praesentis, magni est momenti *). *M. H.*

Православная Богословская Енциклопедія. Изданіе подъ редакціей профессора **А. П. Лопухина.** Томъ. I. А—Архелая Ст. 1128. Съ иллюстраціями и картами. (Общедоступной Богословской Библіотеки выпускъ пятый). — Петроградъ. Приложеніе къ духовному журналу „Странникъ" за 1904 г.

Operis hujus — encyclopaediae theologicae — est docere praeprimis clerum Russiae omnia quae studiis litterisque theologicis ac philosophicis explorata sunt. Nam „cum clero omnium eruditarum gentium praesto sit copia ingens variorum enchiridiorum similiumque librorum, quibus edoceri potest omnes theologicas et philosophicas quaestiones, nobis (in Russia) adhuc omnino aliquid simile defuit . . . Defuit etiam quaecumque encyclopaedia theologica". Edita quidem est iam Encyclopaedia biblica, sed haec sufficere non potest. Qua de causa editur nunc haec prima russica encyclopaedia theologica Herzogi opere „Real-Encyklopaedie" in exemplum assumpto.

„Za obrazec „Pravosl. Bogosl. Enciclopedii" prinimaetsja „Real-Encyklopaedie" Gerzoga, i obrabotka predmetov možet idti parallelno i s pomoščju statej etoj enciklop. predimuščestvenno v predmetah otnosjaščihsja k oblasti obščehristianskago i osobenno (specialiter) zapadno-hristianskago znanija, no s těm nepreměnnym usloviem (conditio), čtoby ves' material podvergalsja pererabotkě v interesě pravoslavnovostočnoj mysli, a po takim pred-

*) E. E. Golubinskij omnium scriptorum historiae ecclesiasticae russicae celeberrimus est; de reliquis eius operibus in fasciculis sequentibus referemus.

metam, kak dogmatika, pravoslavno-vostočnaja i russkaja cerkovnaja istorija, agiologija, liturgika i dr. podobnyja nauki, vpolně samostojatelno".

Cum „Bogosl. encikl." etiam ad utilitatem vitae cleri directa sit fusius agitur etiam de rebus, quibus clerus in contionibus commode ac prospere uti potest, et quae ad homileticam, hagiographiam et apologeticam pertinent: quae res (velut apologia) melius tractantur quam in Herderi „Kirchenlexikon". (Vide: Avel, Avesta, Avraam, Angel, Agnosticismus, Ad, Adam, Amos e. a.)

Bogosl. encikl. etiam occidentales litteras theologicas in notitiam cleri orientalis perfert; hac re commode differt a theologicis encyclopaediis Occidentis, in quibus de ecclesia orientali, deque litteris theologiae Orientis ne illa quidem, quae maxime necessaria sunt, dicuntur, non excepto Herderi opere Kirchenlexikon. Cognosci id potest vel ex eo, quod Bogosl. encikl. sub sola littera A (usque ad Arhelaja), habet 90 titulos de rebus Occidentis, cum Kirchenlexikon sub tota littera A, solum 40 res Orientis respiciat quae insuper magna ex parte ad ecclesiam latinam pertineant.

De doctrina apologetica catholicorum et protestantium ex una parte et de via, quam ingredi debeat apologetica orientalis, prof. Glagolev 954—5 scribit: „Zaščita častnyh istin (veritas) i oproverženie častnyh ložnyh (falsus) teorij — preimuščestvenno (potissimum) dělo katoličeskih bogoslovov, principalnaja zaščita hristianstva (iz svjatosti ego nravstvennyh [ethicus] idealov i iz sootvětstvija [congruentia] ego trebovanijam [cum usibus necessariis] čelověčeskago duha) — preimuščestvenno dělo bogoslovov protestantskih. Bez somněnija (dubium) mnogo pol'zy (utilitas) prinesli i prinesut tě i drugie apologety, no (sed) odnako kak katoličeskaja, tak i protestantskaja Apologetika, pomimo věroispovědnyh zabluždenij, imějut eščë i drugija slabyja storony. Oproverženie antireligioznyh naučnyh gipotez katoličeskimi apologetami často vedetsja tak, čto oni ustranjajut tol'ko ošibočnyja (erroneus) gipotezy, a vovse ne vedut k věrě. Zaščita nravstvennoj suščnosti (essentia) hristianstva u protestantskih bogoslovov často soedinjaetsja (coniungitur) s bezrazličnym (indifferens) otnošeniem k dogmatam ili daže s bol'šimi (magnus) požertvovanijami v oblasti dogmatiki (u Ričla, Kaftana, Pfleiderera, osobenno u Garnaka). Izběžať krajnostej katoličeskoj (naučno-sholastičeskoj) i protestantskoj (odnostoronno praktičeskoj) apologetiki i dať razumnyj sintez ih napravlenij dolžna (debet) apologetika pravoslavnaja".

Perpulchre et cum debita reverentia tractantur Latini Patres (Augustinus et Ambrosius), Sancti ecclesiae occidentalis, laudantur merita et labores catholicorum, qui gentes evangelium docuerunt (velut Jesuitarum in Argentinia, Florida, Louisiana) — attamen generatim propositum illud iam allegatum „čtoby ves' material podvergalsja pererabotkě v interesě pravoslavno-vostočnoj mysli", sensu nequam ad effectum perduci videtur, ita ut in nonnullis rebus violetur non modo caritas, verum etiam veritas.

De Roma, romanaque ecclesia quidam auctores loquuntur magna antipathia („papismus", „rimskaja propaganda" [= catholicae missiones!], „očag (focus) papisma", „papskaja indulgencija" etc.) [1]), cum de protestantismo et praeprimis de ecclesia anglicana semper benevolentia laude digna scribatur. (Commendatur omnibus caput „Snošenie anglikanskoj cerkvi s pravoslavnoju" 744).

Qui praefuit encyclopaediae edendae, prof. Lopuhin ipse dicit (438): „quidam papa superbivit quod a toto occidenti coleretur ut in terris deus". Tantum quod papam illum non nominat!

Eodem loco loquitur de bulla data 9. Dec. 1237; verum nulla est bulla talis. Sunt tantum litterae Gregorii IX. ad episcopum Upsalensem. Quae prof. Lopuhin de hac re dicit, similia sunt fabulae, non rei gestae ex annalibus depromptae [2]).

Idem prof. Lopuhin (?) 603—4: „Inter sacerdotes (catholicos), inquit, qui se contulerunt in Americam, ut Christum praedicarent, sine dubio fuerunt non pauci enthusiastae, qui ecclesiae prodesse volebant, velut Las-Casas: sed — proh dolor! — in ipsa natura romano-catholici studii fidem deffundendi est semen variorum errorum; quia romanis praeconibus non tam Christus nuntiandus est quam romanus papa". Ut exemplum affert id, quod fecit vel fecisse fertur Vincentius Valverde in America . . .

Pag. 810 agitur de theologia morali Jesuitarum, qui etiam antinomistae nominantur(!)

Pag. 669 Anastasius II. papa ab *omnibus* ecclesiasticis scriptoribus usque ad saec. XVI. *haereticus* habitus esse dicitur.

De austriacis rebus religiosis anonymus quidam enarrat *omnino falsa* (232 et s.): „Nemini nisi sacerdoti rom.-catholico licet natos et mortuos in album legitimum referre. Si quis rom.-catholicus religionem protestantium sequi vult, per 6 menses commercio protestantium frui vetatur et unice sacerdoti rom.-catholico edocendum se tradere debet; sed si protestans vult fieri catholicus, sufficit ei adire proximum quemque sacerdotem catholicum . . . Protestantibus austriacis non conceduntur ecclesiae cum symphoniae cantu aut campanis, sed solum sacella sine aditu ex platea" et a.

---

[1]) „ . . . Bl. Augustin est' odin (unus) iz učitelej vselenskoj (universalis) Cerkvi. Ego odinakovo počitajut vsě hristianskija ispovědanija (confessiones), i osobenno ispovědanija Zapadnoj cerkvi, gdě rimskij katolicismus soperničaet v etom otnošenii s protestantismom" (105) . . . „V etom punktě (sc. de praedestinatione) učenie bl. Avgustina podvergalos' raznym krivotolkam (fals. interpret.), osobenno so storony reformatov. No v dějstvitel'nosti, on vyskazyvaet liš' takoe učenie o predopredělenii, kotoroe ne vyhodit za preděly (terminus) pravoslavnago bogoslovija, čto vpolně jasno vystupaet iz sravnenija ego učenija s učeniem „Poslanija vostočnyh (orientalis) patriarhov". — „Učenie Avgustina možet byť prinjato kak obrazec istinnago pravoslavno-hristianskago učenija" (107, 8) etc.

[2]) Gratias maximas ago A. R. D. Fr. Hrbáček, professori in a. e. semin. oppidi Kroměříž, qui haec mihi liberalissime tradidit.

Auctor doctus, qui scribit de Austria anno 1904, nullam habet notitiam legis austr. latae 25. Mai 1868!

Non verius de orientali (orthodoxa) ecclesia in Austria: „... Quamquam, inquit, lege 21. Dec. 1867 lata libertas constitutionis concessa est, tamen ecclesia orthodoxa permanet in magna dependentia a lubitu rom.-catholici regiminis et ab impudenti propaganda rom-catholica ...“ (235).

Quod auctoritatem attinet, nonnulla capita sunt ad verbum translata ex Herderi „Kirchenlexikon“, neque hoc indicatur; sunt haec: Avsonij (148 — K. L. 1702) amput.; Alexandrijskij patriarchat (509 — K. L. 519); Alexandrijskaja škola (512 — K. L. 524) K. L. nominatur in conspectu litterarum: Antidikomarianity (795 — K. L. 926) contr.; Antiohijskij patriarhat (857 — K. L. 945) contract.; Antiohijskie sobory (860 — K. L. 960) contr.; Antiohijskaja škola (861 — K. L. 952) K. L nominatur in consp. litterarum; Apostolskie muži (969 — K. L. 1148). Sed quamquam haec capita — ne contracta quidem nimis — ad verbum translata sunt, tamen quaedam mutata sunt, non ut locus sit eis, quae vera sunt, sed ut servetur illud „interes pravoslavno-vostočnoj mysli“ ...

Saltem duo exempla apponere libet.

K. L. 519 (Patriarch von Alexandrien):	B. E. 510:
„..Längere Zeit verwaltete das Amt Demetrius; ihm folgte Heraklas (gest. 247), der seine oberrichterliche Gewalt in der Absetzung des Bischofs Ammonius von Thmuis und in der Einsetzung eines Nachfolgers ausübte. Hochgefeiert war der folgende Erzbischof Dionysius der Große; ihm succedirten Maximus, Theonas (282—300), der Martyrer Petrus I., Achillas, der den berüchtigten Arius zum Priester weihte, und Alexander, der würdig den kirchlichen Glauben vertrat und hierin nur noch von seinem großen Nachfolger Athanasius übertroffen wurde. Wie dieser hatte auch Petrus II. (gest. 14. Febr. 381) von den Arianern zu leiden, *und gleich ihm suchte er seine Zuflucht in Rom;* Timotheus I. (381—385) wohnte dem zweiten allgemeinen Concil bei“ u. s. w.	„Dolgo kathedru zanimal Dimitrij. Emu naslědoval Irakl (um. v 247 g.), kotoryj svoju verhovnuju vlasť projavil v nizloženii Ammonija, episkopa Tmuitskago, i v postavlenii emu preemnika. Bolšoju slavoj pol'zovalsja takže slědujuščij episkop Dionisij Velikij. Emu naslědoval Maxim, Thanaja (282—300), mučennik Petr I., Ahill, posvjativšij preslovutago Arija v svjaščennika, i Alexandr, kotoryj vystupil revnostnym zaščitnikom pravoslavija i byl v etom otnošenii prevzojden tol'ko svoim velikim preemnikom Athanasiem Velikim. Podobno emu prišlos' poterpěť ot arian i Petru II (um. 14. fevralja 381 g.). Timothej I. (381—385) prisutstvoval na 2-m vselenskom soborě“ i t. d.

Alterum exemplum, quod priore clarius hunc usum illustrat:

K. L. Patriarchat (von Antiochien) 948.

„ . . die Kreuzritter hatten kaum Antiochien erobert, so schrieben sie an Papst Urban II: „Christus habe der römischen Religion u. ihrem Glauben das ganze Antiochien zum Eigenthum übergeben.“ Weil aber der griechische Patriarch Johannes IV. sich noch zu Antiochien aufhielt, wählte man nicht gleich einen lateinischen Patriarchen, damit es nicht den Anschein gewinne, als ob gegen die Canones zwei Patriarchen einen und denselben Sitz innehätten. Der griechische Patriarch sah jedoch bald ein, daß es nicht rathsam sei, wenn er unter römischen Christen die Kirchenangelegenheiten führe, weßhalb er er die Stadt verließ und sich nach Constantinopel begab. Nun konnte ein lateinischer Patriarch gewählt werden. — Balsamon sagt, daß nicht allen antiochenischen Patriarchen, die zu Constantinopel residieren mußten, der Aufenthalt in der kaiserlichen Stadt gefallen habe“ u. s. w.

B. E. 858:

„ . . . Krestonoscy, zavoevav Antiohiju, pisali papě Urbanu II: „Hristos otdal vsju Antiohiju v sobstvennosť rimskoj religii i eja věry“. Hotja pravoslavnyj patriarh Joann IV. ešče ostavalsja v Antiohii, — no kogda latinjane naznačili tuda svoego patriarha, to on, ne nahodja vozmožnym prebyvať sredi rimskih hristian, ne stanovjas' v protivoréčie s kanonami, zapreščajuščimi prebyvanie dvuh patriarhov na odnoj i tojže kathedrě, ostavil gorod i udalilsja v Konstantinopol', gdě s togo vremeni sosredotočivaetsja vlasť naznačenija patriarhov dlja Antiohii. Valsamon govorit, čto ne vsěm antiohijskim patriarham nravilos' prebyvanie v imperatorskom gorodě“ i t. d.

Quibus fontibus scriptoribusque rerum innixus auctor illa immutavit? Non solus Hergenröther Kirchengesch. II., 408, sed etiam alii scriptores summae auctoritatis dicunt, patriarcham latinum (Bernardum Valentinum) electum esse demum post discessum Joannis IV. Latini scriptores ipsi laudant Joannem IV. ut „verum confessorem, qui, postquam milites rei christianae defensores ad Antiochiam pervenerunt, infinita ab aversantibus Christum pertulit supplicia, maxime quamdiu urbs obsidebatur“.

Num id quod interest alicuius religionis anteponendum est veritati historicae? Hoc non laudamus, neque laudare possemus, si quid simile ex parte catholicorum factum esset.

Nihilominus eadem bogoslovskaja enciklopedija ex alia eaque maxima parte magnum emporium doctrinae studiorumque theologicorum in Russia est, quod non solum russicae societati — praecipue clero — magni est momenti, sed etiam nobis. Volumus plenam — quoad fieri potest — acquirere notitiam omnium rerum ecclesiae orientalis, im-

primis litterarum theologicarum: ev bogoslovskaja enciklopedija plurima praebet nobis prorsus ignota: nam ad singulos titulos praeter litteras occidentales enumeratas etiam conspectus additur theologicarum litterarum Russorum. Qua de causa cara omnibus exspectataque venit bogoslovskaja enciklopedija: salvere eam iubemus etiam propterea, quod ex ea cognoscimus et amplius cognoscemus, quanto ecclesia graeco-orientalis propior sit ecclesiae rom.-catholicae quam protestanticae et anglicanae, etsi studia theologorum orientalium, quod dictu est difficilius, magis ad has quam ad illam . . . tendere videntur. Id tamen neminem deterrebit a studio hujus operis, qui sentit et scit, nihil nobis adeo necesse esse ut mutuam nostri cognitionem.

In Silesia, 11. Maii 1905. *M. Pavlík.*

Вѣчная жизнь какъ высшее благо. (Vita aeterna ut summum bonum.) Philos.-relig. bibliotheca, tom. III. a. 1903. Libellus habet „imprimatur“ ab eccles. censura datam 29. nov. 1902.

In censura huius opusculi ita procedere libet: primum reddemus praecipuas cogitationes auctoris quodque ex iis deducit, deinde brevissime explicabimus, in quo consistat vita aeterna secundum doctrinam scholasticam, secuturi eximium Lessium S. J., tum addemus quasdam animadversiones de opere auctoris. Hac de causa addidimus in prima parte numeros, secundum quos benevolus lector cogitationes auctoris et nostras adnotationes sequi possit.

I.

Cogitationes auctoris. 1. In qua re consistit vita aeterna? In chronologica aeternitate? Non! Haec quidem est eius characteristicum signum, sed vis vitae aeternae in ea non consistit. 2. Haec consistit in eo, quod sit contraria poenis aeternis, aeternae morti; ideoque (consequenter) consistit in infinita plenitudine beatitudinis. 3. Haec vita est vita vera et perfecta (respondet reapse simpliciter conceptui vitae); et in hac re consistit vis obligans nos, ut ad hanc vitam tendamus. Quia est vita simpliciter, vita perfecta, constituit pro nostra voluntate categoricum (i. e. absolutum) imperativum. 4. Sed etiam alia ratio adducit hominem, ut tendat ad vitam aeternam, scl. summa beatitudo huius vitae, quae homini per se ipsam desiderabilis est, ita ut non solum obligationem tendendi ad eam sentiat (haec fluit ex vita ipsa, ut dixit num. praeced.), sed etiam faciat, ut homo revera tendat ad eam, sciens se alioqui periturum in aeternum. 5. Alterum proprium signum vitae aeternae est ejus „transcendentia“. Vita aeterna est enim vita omnino alia ac vita in terra (Math. 22, 30) et poterit incipere demum postquam haec nostra terrena vita finita erit. Hoc esse transcendens apparet esse finem nostrorum operum.

6. Haec „transcendentia“ vitae aeternae ut finis nostrorum operum habet illam iuridicam cognitionem religionis christianae, qualis formaliter existit in Ecclesia catholica et practice saepe etiam in russica, quaeque ad extremum deducta morali vitae instituendae rationi affert crassitudinem quandam operae mercenariae atque opera humana privat

honestate. In tali aestimatione vitae aeternae iam non sunt opera bona moralia, sed opera tantum, pro quibus accipitur quaedam merces. Soli illi christiano, qui parum diligens est, potest haberi lucrum pro impulsu christianae industriae. Verus christianus a tali vernili modo aestimandi bona opera abhorret. Qui secundum eum agunt nihil aliud sunt nisi egoistae, quorum cupiditas a cupiditate bonorum terrenorum et quaestus tantum in hoc differt, quod amorem lucri in aliam vitam transferunt. Falsitas huius aestimationis vitae aeternae etiam clarius elucet, si consideramus ipsum conceptum vitae aeternae. 7. Vita aeterna consistit in cognitione Dei (Jo. 17, 3). Haec cognitio non est cognitio solummodo theoretica, subiectiva, quia haec nunquam in essentiam obiecti intrare potest, sed obiectiva cognitio, quia obiectum eius non est res mere abstracta, verum est vivum subiectum, persona. Cognoscere Deum est percipere eius praesentiam in nobis, quae praesentia divina homini facultatem dat, vitam aeternam immediate experiendi et sic re ipsa attingendi experientiâ essentiam divinam. Tali modo Deus homini non est solum infinita maiestas, quae absorbet hominem sicut oceanus guttam, non prima causa tantum, sed homo deinde revera cognoscet Deum, Deus transibit in interna eius, fiet principium hominem vivificans et sibi assimilans. Talis cognitio potest vere dici „vita“, quia non est solum operatio intellectus, sed sensus potissimum vitae divinae in animo. Similiter sanitas ut beatitudo quaedam non est cognitio, in quo sanitas consistat, sed est experiri in se sanitatem. Deus tunc non est theatrum seu spectaculum puro cordi, sed visio vitae divinae in se. Justus ex statu animae suae cognoscet, in quo consistat vita aeterna et qualis sit secundum substantiam suam, cognoscet iam, ut ita dicam, ex experientia. Vel aliis verbis, cognitio haec affert similitudinem cum Deo, plenam imaginem Dei in anima. Ita assequitur immortalitatem, vitam scilicet, quae unice est vera vita.

Sed hoc nondum sufficit. Quantumcunque homo in se imaginem Dei et vitam eius producit, haec vita eius, etiam si sit infinita tempore et bonitate, non erit summa beatitudo. Homo ut sola imago Dei etiamnum semper experiretur absentiam Dei atque desiderium eius, neque plene satiaretur, quia eo magis vitae suae imperfectionem sentiret. Haec similitudo insuper fit possibilis, quando Deus ipse est cum homine, quando haec similitudo evadit viva Dei cum homine communicatio. Subiectiva vita, scilicet τὸ vivere Dei in nobis debet habere adiumentum in obiectiva communione Dei cum homine. Hoc modo Deus erit non solum principium et causa operationis humanae, perfecta species ad excitandam operationem eius, sed viva familiaritatis communio (Io. 14, 23).

8. Similitudo non est status finalis; hic incipit, cum similitudo in communionem cum Deo transit. Cognitio et similitudo cum Deo pariter excurrit cum communicatione cum Deo.

Esset valde falsum, hanc vitam aeternam cogitare similem quieti (hic esset pantheismus). Vita aeterna est vera vita, (Deus est Deus vivorum non mortuorum), cuius progressus nunquam finietur. Hoc est omnino clarum. Quia Deus est infinitus, etiam similitudo in infinitum crescere debet (1. Io 3, 2) homoque infinito progressu ad moralem

perfectionem progredietur. Homo, positus in communicatione cum Deo non poterit non tendere ad maiorem in dies similitudinem cum eo. In infinita pulchritudine semper nova et nova deteget, quae in eius propria vita usque desunt. Ita inveniet sibi in pulchritudine divina nova semper proposita (fines) et indigentias (necessitates). Sed hunc progressum et hanc contentionem sensus non satiatus non comitabitur, quia hic progressus erit magis acceptatio bonorum quam investigatio eorum : nam Deus semper cum homine erit implens et satians desideria ejus.

9. Vita aeterna a nobis habetur merces, data pro nostris bonis operibus. Sed cur? Quia Deus ita statuit? Nequaquam. Tali modo homo respondet, qui internam coniunctionem inter duas has res nescit. Responsum, fundatum in hac ratione mere occasionalistica et iuridica, quaestionem non solvit. Quae in eundem sensum Scriptura et Patres dicunt, analogice sumenda sunt. Ex eo, quod de vita aeterna diximus, patet Deum a morali conscientia hominis haberi non solum Dominum, habentem ius dandi mandata, sed voluntatem sanctam, facientem quod ab hominibus postulet. Sancti estote, dicit Deus, sed non ideo, quia ego hoc postulo, sed quia ego ipse sanctus sum, unicus fons vitae. Ex hoc re ipsa solvitur quaestio, ideone aliquid sit bonum quia Deus hoc vult, an ideo Deus aliquid velit, quia est bonum. Haec famosa quaestio scholastica, uti auctor dicit, demonstrat, quantopere theologia scholastica a vero conceptu Dei aberraverit. Conceptus Dei verus et christianus est conceptus imprimis moralis. Deus non est primo loco metaphysicus conditor mundi et Dominus hominis, sed fundator et antistes moralis ordinis mundi, bonum infinitum, species perfecta et exemplar omnis perfectionis. Deus non potest aliud quidquam velle, nisi summum bonum idque, tanquam prototypus, non extra se existens, sed in se, quia bonitas naturam eius constituit. Ergo omne bonum est in Deo et qui ad bonum tendit, tendit ad similitudinem Dei. Peccata exuere est revelare imaginem Dei in se et praeparare se ad similitudinem et communicationem cum Deo. Ergo essentia vitae aeternae et principium beatitudinis est sanctitas. Homo erit infinite felix, quia erit sanctus et in communicatione cum Sanctissimo (Rom 14, 17). Homo non ideo intrat in caelum, ut fiat felix, sed ut fiat sanctus, sed haec duo inseparabiliter sunt coniuncta. Pro homine vere christiano non est alia felicitas nisi sanctitas. Si dantur ei felicitas et alia bona, haec omnia nihil sunt nisi quaedam accessoria, quae nihil valent.

Sed cur nominatur vita aeterna merces pro merito? Tantum ideo, quia homo coelum non cognovit. Homo in peccatis constitutus nominat felicitatem id, quod sui cupiditatem et necessitates explet. Sed honestum est opus difficile, exigens iacturas et labores. Ideo non videt, felicitatem et honestum esse idem, immo hoc sentit tanquam iugum sibi impositum. Quomodo possit igitur sibi vitam aeternam, quam animo sibi effingit tanquam summam felicitatem, fingere esse idem bonum, quod ei est difficile iugum? Illi felicitas ut merces pro superatis difficultatibus et honestum videntur esse duae res. Hoc respectu etiam Scriptura simili modo loquitur, scl. propter duritiem peccatorum. Sed hic modus loquendi nullo modo sumendus est ad verbum. Vero et incorrupto christiano

sanctitas et felicitas est idem; is bonum facit non propter mercedem, sed quia in bono invenit suam finalem felicitatem. Si ei in mentem occurrit, se tantum ita posse adipisci vitam aeternam, haec cogitatio non est causa, qua movetur, sed ad summum animi confirmatio, eum de vita aeterna, vita sua et de bono bene cogitare et non errare.

10. Essentia igitur vitae aeternae subiective est sanctitas, plenus effectus imaginis boni. Sed quia sanctitas est similitudo Dei, quae tantum in communione cum Deo possibilis est, invenimus, quod supra diximus, vitam aeternam esse unicam veram vitam simpliciter, habentem plenitudinem vitae et ideo aeternitatem et felicitatem esse vitam divinam, absolutam, cuius homo fit particeps, vitam, quae unica habet ius existendi et est omnium fons, quae sunt. In hac vita deificabimur accipientes effectum divinum, explentem omnes nostros defectus et imperfectiones. Vita aeterna igitur est vita sancta, deosimilis, consistens in vera, immediata communione cum Sanctissimo. Ex hoc eius summa aeternaque beatitudo.

Haec beatitudo pro homine est unica beatitudo, ita ut sine ea homo sit in aeternum infelix et mortuus. Id accidit ideo, quia solum in Deo per cognitionem et communicationem invenimus responsum ad quaestiones naturae nostrae, quae essentialiter Deo similis est. 11. Vita aeterna est igitur vita sancta et dein communicatio cum Deo. Quoad essentiam est status quidam animae, vel melius principium (fons) huius vel illius characteris huius vitae secundum hunc vel illum statum animae. Quoad essentiam haec vita nihil includit, quod impossibile sit in hac vita. Solis peccatoribus est impossibilis.

12. Ex hoc sequuntur haec: 1. Christiani in bonis operibus suis non ducuntur cupiditate sui, non moventur ratione adipiscendae mercedis aeternae; hoc est inhonestum. Bonum propter se ipsum eis est carum, peccatum propter se ipsum abominabile. In amore boni, non in spe praemii egoistica consistit beatitudo hominis et quaeri debet. Sic Deus apparet non ut Dominus, cui homo obtemperare debet, sed ut finis, ut responsum ad quaestiones naturae eius, ut ille, in cuius communione sita est summa beatitudo. Facere se similem Deo est illi possibile et quodammodo necessarium, quia in bono invenit felicitatem et alioqui se infelicem sentit.

Sequitur 2. Assecutio communicationis cum Deo cogitanda non est eschatologice i. e. demum in fine vitae concedenda ut effectus obtentae perfectionis. Ita sentit peccator dicens: communionem cum Deo in hac vita fieri non posse, ita Confutius et alii. Homo natura sua similis est Deo et ad communionem cum eo designatus. Sicut homo per lucem tanquam rem sibi connaturalem in communione est cum terra, ita in natura eius debet esse aliquid connaturale quoad vitam aeternam et beatitudinem, ad quam est vocatus, quod est, intellectus, sapientia, vita etc. Ita vitam aeternam non recipit tanquam finem suae vitae neque aptitudinem ad eam ipse sibi comparat, sed ipsa natura sua ad communionem cum Deo vocatus est, quia ut imago eius creatus, est ex familia divina. Ideoque Deus est non solum eius principium, sed etiam beatitudo eius.

Haec communio cum Deo est possibilis iam antequam homo ipse quicquam egit, quia consanguineus eius est. Homo potest, quia imago est Dei, tantum in Deo vivere, quia solum in Deo habetur vera vita, solvuntur omnes quaestiones vitae, invenitur beatitudo, et extra Deum relinquitur mors. Sed ideo communio cum Deo non potest incipere demum post mortem et esse tantum ultimus rerum finis. Si quis in hac communione non est iam in hac vita, stat extra finem suum et vitam et mortuus est. Ideo dicit Christus, sine se nos nihil posse facere. Ergo iam in hac vita homo sanctus est in immediata, viva communione cum Deo et Deus cum eo.

Sequitur 3. Vita aeterna tanquam communio cum Deo non potest esse propositum demum in altera vita assequendum, sed debet homini statim cum eius ortu concedi tamquam status, in quo vivere et agere incipit.

13. Deus est amor nec potuit dare homini solum desiderium communionis secum aut se manifestare tantum ut perfectam sanctitatis speciem et beatudinis, quia ita hominem ad passionem induceret. Deus ut amor debuit descendere ad hominem multo magis, debuit eum constituere in viva, personali, reali communione secum ipso. Hominis non erat facere se dignum amore, sed recipere amorem divinum (1. Jo 4, 19). Ita reapse factum est. Deus hominem posuit in paradiso (Gen. 2, 7). Paradisus erat vita aeterna. Ita homo factus est particeps vitae aeternae sine ulla cooperatione sua. Deus erat in intima communione amoris cum homine. Homo tantum respondere debuit amori divino, prius ei oblato. Ita amor hominis, quo respondet amori divino, nihil habet cupiditatis sui, quia homo non amat Deum ut suum bonum, sine quo vita eius nihil sit, sed amat Deum similiter sicut Deus amat hominem et ita amori divino et Deo se assimilem facere hic iam potest.

Vita hominis in paradiso erat viva coniunctio et communio amoris infiniti et amicitiae. In eo erat sita eius beatitudo. Homo amans Deum, habitans in amore eius fit similis ei, et haec est subiectiva pars vitae aeternae.

Sed si vita aeterna, quae est finis hominis, jam ante eum aderat et data est ei sine merito ex parte ejus, ad quid agere bonum? Sed etiam hoc est necessarium. Opera bona sunt tantum conditiones, ut vegetam vitam beatam agere possit. Vita aeterna necessario consistit in aeterno progressu morali ad similitudinem cum Deo. Vita aeterna est cognitio, similitudo, communio Dei. Cognitio cognoscit eum ut amorem, qui prius me amavit et quodammodo quaerit communionem mecum. Ideo homo necessario exardescit et ipse in amorem Dei fitque similis ei (Deus amor est et homo se facit etiam amorem). Amare Deum est intrare in communionem cum eo, quod et Deus vult. Moralis progressus consistet in crescenti perfectione huius amoris. Amare Deum est sacrificare se Deo: amor est sacrificium.

14. Lignum vitae, cuius mentio fit in paradiso Adami et dein in regno coelorum, novo Jerusalem, probat, vitam in paradiso fuisse eandem aeternam, ad quam Christus nos vocavit. Lignum hoc est imago vitae sanctae in Deo, testificans etiam Adamo, hominem sine Deo nihil

esse, nihil posse ne in paradiso quidem; ideoque amorem eius erga Deum augere debuit. Lignum boni et mali monebat eum, ne curam corporis et rerum corporearum, nimiam gereret, adducebat eum, ut desideria corporis substernerat animae, et largiretur ac devoveret ea communioni cum Deo (ut possit esse cum Deo, debet devovere corpus), vel, ut materiam spiritui traderet ancillam, quia finis eius non in ipso, sed in Deo, ad quem anima, eius amore ducta tendebat. Ita cognoscere debuit homo, vitam suam non esse sui iuris, sed in et sub Deo.

Utrumque lignum docebat igitur hominem tria: eum esse obnoxium Deo, Deum infinite eum amare, vitam veram non homine contineri, sed Deo. Discrimen inter duo ligna fuit in hoc, quod lignum vitae docebat positive et radicibus extrahebat superbiam (partem cupiditatis sui) alterum negative et radicibus extrahebat corporis voluptates. In utroque est: sacrificatio sui Deo.

15. Crescere in amore — vita aeterna; primus gradus eius consistit in sacrificatione sui. Ea apud sanctum hominem non est damnum in ulla re. Amor Dei erat homini omnino naturalis, necessarius sicut visio pulchritudinis Dei, veritatis, quia ad haec anima eius tendebat. Non amandi Deum et mandatum transgrediendi fuit mera possibilitas externa, ideoque vitare transgressionem nullam difficultatem ei involvebat. Nos sentimus iam quendam renisum, nobis videtur transgressio esse dulcis, sed ideo, quia iam conversus ad se quisque est non ad Deum. In primo homine hoc non potuit locum habere; mandatum tantum eo spectabat, ut homo manifestaret obtemperatione, amorem suum divinum omnia alia bona despicere. Hoc modo homo internum impetum ad Deum despectu aliorum bonorum firmabat augebatque.

16. Patet praeterea amorem, in quo consistebat vita primi hominis et consistet et nostra vita aeterna, debere esse actum totius animae, debere esse quendam affectum. Amor qua est affectus habet vim occupandi totum hominem. Amor hic non est mera consideratio mentis, qua homo Deum super omnia aestimat tanquam bonum necessariam et sibi bonum, sed est nisus animae ad Deum (Rom 8, 37 s.). Amor rationalis aestimativus, amor ex lucro vel ex cognita obligatione amandi non est vera similitudo cum Deo; amor intensivus et affectus internus oriens in intimo corde, affert veram similitudinem cum Deo. Quoad mandatum amoris maneat merum mandatum sit „echo“ animae nostrae, non habemus vitam aeternam in nobis, quia tunc beatitudinem quaerimus in nobis, nondum in Deo. Ad opera amoris possumus nos cogere, ad amorem non item. Hic affectus sit oportet, qui sponte sua oriatur: alioqui caret illa perfectione, quam exigit vita aeterna. Non negamus, dedito voluptatibus homini talem amorem videri esse aliquid supra naturam humanam, aliquid quod assequi non possit nisi auxilio gratiae divinae et magna rerum humanarum contemptione. Sed de hoc, in quo consistat perfectio et proprietas amoris christiani loquimur. — Itaque amor Dei non debet esse mandatum, sed ebrietas animae, totum hominem rapiens. Amor hic in suo progressu et perfectione nunquam ad finem pervenit, quia obiectum eius est infinitum. Quo magis homo in eo creverit, eo magis convertet eum ad se et faciet eum dignum Deo.

Sed in hoc aeterno progressu non erit aegritudo animi ulla neque carentia, sed summa beatitudo. Aegritudo illa locum haberet, si homo Deum quaereret ut bonum sibi. Sed talis non est verus amor. Omnis novus gradus procedentis monstrabit ei non impossibilitatem assequendi summam beatudinem, sed tantum veritatem, se parum amare eum et magis eum sibi amandum esse, manifestabit tantum fieri posse, ut etiam maiore felicitate fruatur.

Amor divinus est realis communio inter tres personas. Filius sacrificavit se, et ita in amore divino intimum principium amoris, sacrificium, habemus. (Alia, quae dicuntur de sacrificio unius personae in bonum aliarum intelligi non possunt.) Deus est amor, quia est trinus; aliter amor in Deo non posset cogitari. —

Ut amor hominis similis sit amori divino, debet amare et alios homines et sacrificare se pro eis, habere eos quasi pro parte sui esse. Pro Deo non possumus nos sacrificare, ergo debemus hoc facere pro hominibus. Tali modo homo manifestat eandem cupiditatem Dei et similitudem cum eo, ac si ad Deum ipsum tendit. Deus est illud, quod nos inter nos coniungit sicut etiam angelos. Quod omnes in hoc Deo similes sunt, non sufficit quidem ad hunc amorem producendum, sed est eius principium. Sed quia communio cum Deo est amor Dei propter Deum sine respectu ad se ipsum, et hic amor est negatio omnis egoismi, coniungit omnes in unum organismum. Homo amabit alterum ideo, quia et alter amat Deum, quem et ipse amat. Si Deum amarem ut „meum“ summum bonum, amor hominum inter se non consequeretur, quia ex hoc amore non manaret sacrificium unius in bonum alterius.

Hae sunt praecipuae sententiae auctoris de vita aeterna. Antequam censuram earum faciamus adducere libet brevem explicationem scholasticam vitae aeternae.

II.

Vita aeterna et beatitudo sita est in aliqua unione cum Deo, quia solus Deus est sufficiens obiectum beatitudinis *) Deus igitur est summum bonum nostrum i. e beatitudo obiectiva. Unio cum Deo, qua ipse nobis coniungitur nosque afficit, est beatitudo formalis. Nulla enim res a nobis distincta potest esse summum bonum nostrum, nisi nobis applicetur aut coniungatur.

Sed qualis est haec unio et quomodo fit? Haec unio non est dependentia, qua totus mundus dependet a Deo ut prima causa; non est penetratio, qua Deus omnibus rebus pro sua omnipraesentia praesens est: non est unio „formae adhaerentis“ ea, qua Spiritus s. nobis unitur in hac vita terrestri; non est unio formae stricte dictae (hypostatica), naturae divinae cum natura humana sicut in Christo: non est transformatio quaedam nostri esse in esse divinum neque vera cum exstinctione nostri esse neque tantum moralis sicut in extasi, nec est communicatio visionis increatae et amoris increati, quibus Deus se ipsum videt et

*) Obiectum beatitudinis est obiectum actuum possessionis omnium actu finaliter in voluntatem influentium. Actus voluntatis nempe sunt actus

amat, quia hoc impossibile est, ut ex ipso philosophandi modo eorum, qui hanc sententiam defendunt, emergit (Caietanus in 1. p. q. 12. a. 2 et 3. p. q. 9 a. 1).

Quid igitur est?

Videbimus Deum sicuti est. In visione Dei unitur Deus cum anima vera unione ita, ut quasi species impressa sit. Cognitio quaevis oritur a cognoscente et cognito simul; debet igitur obiectum uniri cum facultate cognoscitiva, ut cognitio fieri possit: potest uniri per se, potest uniri per speciem impressam. Iam vero non est species impressa, qua Deus cognoscatur; nihil restat, nisi ut Deus ipse uniatur cum anima. Cognitio autem oritur a cognoscente et obiecto simul: quod est actus vitalis, habet ex potentia, quod est repraesentatio huius obiecti, ex obiecto. Sic in visione intuitiva quod est actus vitalis, est ab intellectu informato lumine gloriae, quod est actus visionis Dei, est a Deo, qui id efficit non voluntate, sed natura. Cf. Thomas Aq. Qq. disp. De ver. q. 8. a 1., ubi simul docemur Deum in visione intuitiva esse formam late dictam, quae communicatione sui perficit, sed non constituit unum. Itaque Deus in visione beatifica coniungitur nobis sicut obiectum cum intellectu.

Est in visione beatifica etiam alter modus unionis. Sicut Deus unitur animae, quatenus est intellectiva, ita et cum anima quatenus est appetitiva; nam etiam amor postulat unionem rei amatae; unio est causa amoris (similitudo) et est effectus amoris; vel ipse amor est unio ordinis intentionalis; sed tendit etiam ad unionem realem, physicam, ad eam quae possibilis est et decet. (Quod restat sequetur.)

Вѣра и разꙋмъ (Fides et ratio) inscribuntur fasciculi (singulis annis 24 novem continentes chartae plagulas), qui maxime apologeticis commentationibus destinati sunt et Harkovii typis exscribuntur. Ex magno earum numero, quae anno proximo (1904) ibi editae sunt, duas, de quibus referri plurium interesse arbitramur, accuratius excutere in animo est, aliarum titulos argumentumque solum indicare neglectis omnino eis, quae minoris momenti sunt. In parte »ecclesiastica« fasciculorum positum est, quod Iv. Glèbov commentatus inscripsit: Istoričeskaja dostovèrnosť voskresenija Gospoda našego Iisusa Krista (De historica veritate resurrectionis J. Ch. D. N.).

Iv. Glèbov praemissa brevi praefatione, ubi fontes suae commentationis indicat (Joh. Gottfr. Herder, Sämmtl. Werke XI. Teil. Wien 1823 etc.; ex russicis: M. Sobolev, Dějstvitel'nosť voskresenija Gospoda našego Iisusa Krista. M. 1874 — I. Petropavlovskij in

---

prosecutionis et possessionis; nam bonum non desinit influere nec voluntas desinit agere, cum bonum externe apprehensum est vel etiam haec apprehensio cognita est, sed prior appetitus prosecutivus mutatur in actum possessionis; non beat formaliter praesentia obiecti, quae prius desiderabatur neque cognitio huius praesentiae sed gaudium. Beatitudo perfecta non adest, ubi adsunt etiam desideria; ideo diximus: omnium, quae actu appetuntur; nec adest, si bonum nihil influit in voluntatem; sed debet simul appeti et possideri vel potius debet cognosci ut appetibile et „possideri". Hinc dici potest etiam: obiectum beatitudinis est obiectum (bonum), quod praesens totum appetitum transmutat in possessionem (gaudium).

Čtenija obščestva ljubitelej duhovnago prosvěščenija), argumentum in sex divisit capita. Primo capite (I, p. 209—316) auctoritatem et fidem eorum, quae de Christi resurrectione in evangeliis exponuntur (maxime contra Tolstoj) tuetur. Evangelia universe ab eis conscripta esse, ad quos referuntur, a Troickij (O proishoždenii pervyh treh kanoničeskih evangelij. Kostroma 1878) et a N. Molčanov, Podlinnosť četvertago evangelija i otnošenie ego k trem pervym evangelijam. Tambov 1883) et ab Archim. Mihail (O evangelijah i evangel'skoj istorii M. 1870) demonstratum esse monet. Capite secundo (353—361) sententiam illam de fraude apostolorum dissolvit; ab ea probitatem apostolorum abhorrere, eosdem ob tantae conspirationis difficultates eam moliri non potuisse, nec inferendae potestatem eis fuisse. Addi potuit ex modo agendi Judaeorum (Act. 4, 16 ss.; 5, 28) colligi eorum explicationem fuisse mendacium; item ex testimonio Pauli, qui tunc erat adversarius. Tertio capite (361—369) eos, qui Christum visum esse mortuum in cruce nec tamen fuisse suspicati sunt, impugnat. Vere mortuum eum esse testantur omnes evangelistae (cf. 1 Pet. 3, 18; 2 Cor. 5, 14; Act. 2, 23), testati sunt milites (Jo. 19, 32), Joseph ab Arim. et Pilatus (Mc. 15, 42-45), inimici Judaei (Mt. 27, 63); idem patet ex eo, quod latus Christi perfossum est. Hic oportebat a Glěbov ea respici, quae hac de re praeclare scripsit Med. Dr. et prof. A. Šiltov, cuius librum Mysli o Bogočelověkě anno 1904 (Har'kov) iam tertio editum Glěbov omnino neglexit. Supplebimus hic quae ex eo hauriri poterant, quaeque eius excellentiam probabunt*). Šiltov l. c. p. 35—36 hoc modo in vim vulneris illius inquirit. »Lanceam alte penetrasse in corpus inde patet, quod sanguis et aqua effluxerunt. Si non alte descendisset in corpus, solus sanguis sine aqua effluere potuisset, posito Jesum illo tempore animo relictum fuisse. Ceterum vix admitti potest lanceae cuspidem inter costas non altius penetrasse in cavum pectoris nec pulmonem vulnerasse. Id, quod aqua provenit, facile explicatur ex saevitia ante crucifixionem et ex cruciatibus in cruce. Planum est pulmonibus vulneratis simul profluxisse et sanguinem purum ex venis pulmonum et liquorem aquaticum ex alveolis seu pusulis pulmonum (tumor pulmonum). Hoc modo origo sanguinis et aquae profluentium non in membranis sed in pulmonibus ponatur necesse est. E membranis solus sanguis provenire potuit non simul aqua, cum sanguis non potuerit resolvi brevi illo tempore post mortem ante latus lancea perfossum. Si ex vulneratis membranis provenisset, vulnus illud leve post paucos dies consanuisset nec intelligi posset Jesu discipulis alto lateris vulnere contacto septimo die post resurrectionem fidem factam esse... Quodsi quis etiam id ponat, aquam latere vulnerato non ex pulmonibus provenisse sed ex pleura et pericardio seu fuisse eam liquorem physiologicum, etiam ita certum est etiam sine ullo pulmonum tumore enervato corpori acrem ictum lanceae et altum lateris vulnus ad subitam mortem suffecisse. Dico acrem lanceae ictum, quia, si lancea latus levius icisset, et latus summum tantum vulneratum eset, non potuisset aqua ex vulnere fluere, quia ad hoc opus fuisset penetrata pleura. Ab externa pectoris superficie pulmones in linea papillari circiter 3 *cm*, in alari circiter 2 *cm* distant, nisi corium adipis sub cute sit auctum Magna cuspidis lanceae longitudine considerata dubitari nequit, quin non solum in pleuram sed in ipsam pulmonum substantiam descenderit.« p. 38: »Num ibi defectio animi potuit esse, ubi lancea pulmones — quos tumuisse vero propius est — penetravit? Notum est pulmonum tumorem ipsum vehementem esse morbum, multo vehementiorem, si homo langueat et multus sanguis profusus sit. Christo enervato et sanguine privato cum infandis ac velut infernis tormentis manuum pedumque perforatorum altum etiam

*) De eodem libro breviter relatum est in Museum 1904.

vulnus infertur viscerum haud mediocrium. Quis nisi medicinae imperitus in animum induxerit dicere tanta passum potuisse superstitem esse?

Cor lancea vulneratum esse minus probabile nobis videtur quam pulmonem alteriusutrius lateris.« Vulnus enim a latere inflictum est; cor autem solum in parte antica pulmonibus non tegitur. Tamen etiam eius vulneratio letalem exitum habuisset. p. 40: Nonnulli critici fieri potuisse negant, ut ex latere Jesu sanguis et aqua provenirent, quod sanguis non possit diu manere liquidus et partes aquaticae ex eo non prius separentur quam corpus exanimatum dissolvatur. Ad id respondeo corporis dissolutionem hic agi non posse, quoniam latus perfossum est paulo post mortem. Tamen sanguis cum aqua profluere potuit sive Jesus animo relictus sive mortuus erat. Quod facile intelligitur, si sanguinem et aquam non ex externis membranis, non ex cute, sed ex pulmonibus vulneratis provenisse consideratur. Et ex pulmonibus sanguis liquidus fluere potuit quocumque tempore mors facta est. Medicis notum est in aperiendis mortuorum corporibus e pulmonibus sectis liquidum fluere sanguinem et, si tumidi fuerint, simul aquam. Cum summa probabilitate poni potest e causis mortis Domini vulnerationem pulmonis et praecipue huius tumorem non fuisse ultimam. Tumor inde oriri potuit quod Jesus tormentis et verberibus usque ad plenam confectionem subiectus erat antequam crucifixus est; quodsi addas ingentes cruciatus in cruce, facile intelliges tumoris originem evenire potuisse directe ex debilitata actione sinistri ventriculi cordis, unde sanguis venose consistens et pulmonum tumor fieret.«

Vere mortuum esse Christum neque convalescentem sed redivivum apostolis apparuisse Glèbov etiam inde probat, quod cum psychologiae legibus componi non potest, ut eiusmodi Christi praesentia eis persuaserit Dominum ab inferis exstitisse. Addi oportebat sepulcrum inventum esse apertum et Judaeorum explicationem (Mt. 28, 13) mendacium fuisse; denique Christum ambulasse (Lc. 24, 15. 50) pedibus perforatis, cum tamen naturaliter demum post menses aliquot vel saltem hebdomades stare potuisset, quod Šiltov docet l. c. p. 37.

Quarto capite opinionem eorum qui solam speciem Christi a discipulis sive Deo eam offerente sive mente sola — conspectam esse copiose refellit. Prius (p. 405 - 425, 467—494) subiectivae speciei defensores refutat (Strauss, Renan, Noack, Hausrath, Holsten); et contra Renan quaedam notatu digna de eo, quod fieri non potuit, ut tot homines eandem speciem conspicerent, ex Russkaja Mysl nojabr 1893 et dekabr 1894 profert. Postea (p. 509—526) obiectivae speciei defensores (Th. Keim, H. Lotze, Fichte, de cuius opinione scripserunt A. Družinin in Věra i Razum 1884 t. I., č. 2, str. 41—58; 112—130 et N. Dobronravov in Pravoslavnoe obozrěnie 1891, g. IV., t. I., str. 679—695 aliosque) insequitur. Supplebimus iterum ex Šiltov, quae auctor neglexit, Christum (convalescentem) non potuisse per medium vel telepathice in conspectum discipulorum venire.

»Quicumque, inquit p. 44 l. c, in mediumismo saltem mediocriter versatus est, novit figuras materializatas, quae nonnumquam in consessibus spiritistarum, si medium validum adest, conspiciuntur, non posse referri in numero rerum solidarum vel spirituum sed esse imagines exiguum tempus manentes, quorum adventus a medio praesente omnino dependet. Si medium validum non adest, non apparent eiusmodi figurae, quia deest fons, unde formari possint.« p. 46 »Praeterea nunquam observatum est medium posse pro arbitrio figuram notae personae efformare, v. g. Mahometi, Caesaris, Napoleonis etc. Figurae materializatae solent esse vel medii simillimae vel omnino dissimiles nullique cognitae figurae humanae . . . Litteris dignis, quibus credatur, custoditum est exstitisse nonnumquam compares (dvojnik) variarum personarum. Inter alia loco quodam, ubi puellae alebantur

et docebantur, compar conspiciebatur pulchrae mulieris, quam omnes alumnae aliquot menses observabant*). Quodsi quis non Christum realem, sed eius comparem a discipulis conspectum esse dicat, necesse est hoc posito etiam verum Christum simul in vita fuisse; alias enim compares non apparent.« p. 47. »De visis vel speciebus telepathicis notum est ex maximo opere membrorum societatis psychologicae Londinensis Phantasms of the living« talia visa tempore mortis vel magni periculi apparere idque ita, ut plerumque a solo »percipiente«, i. e. ab illa persona, quacum persona propinqua calamitatem quae ei accidit, communicat, conspiciantur. Visum telepathicum est compar morientis vel in magno periculo versantis . . . Ab aliis praeter »percipientem« visum raro tantum conspicitur idque si inter eos, qui circa percipientem sunt, est subiectum quod tenuem habet nervorum temperationem (»sensitiv«); at ut a multis conspiciatur visum telepathicum, minime fieri potest. Restat autem quaedam categoria comparium, cui proprium est, ut visum pro arbitrio excitari possit. Ut res succedat, requiritur a parte inductoris seu agentis facultas cogitationes suas firmiter ad unam rem dirigendi, a parte percipientis magna capacitas alienorum impulsuum voluntatis et singularis ad visa percipienda natura. In hoc genere comparium experimentis excitatorum haud pauca credibilia in litteris psychismi tradita sunt Verum etiam hic visum ab illo solo conspicitur, de quo inductor cogitavit. Aliis verbis — visum inductoris seu agentis ex vehementi mentis intentione in spatium proicitur ac percipienti se ostendit. Quodsi ponamus Christum, cum in sepulcro ad sensum sui rediisset, quopiam secessisse, unde telepathice in discipulos ageret, potuit visum eius alicui ex eis, qui aptiore natura ad visa percipienda instructus erat quam ceteri, se ostendere. Nec tale visum telepathicum pro arbitrio excitatum praebet se ut quicquam vivi, ut res solida, sed ut umbra fluxa, quae brevi pallescit et evanescit. Quae cum ita sint, loqui aut cibum sumere visum non potuit.« — Capite quinto (p. 569—582) Glěbov, quid de opinione a Harnack proposita sentiendum sit, disserit.

Denique sexto capite (II, p. 145—163; 309—318) de vi resurrectionis exponit. M. Tarěev (Bogoslovskij Věstnik 1903 Maj) aggressus, qui solam vim moralem resurrectionis aestimat, Glěbov docet sine resurrectione Christi christianismum ne cogitari quidem posse; si in Christo peccatum non fuit, mors potestatem eius non habuit; si Christus de sepulcro non insurrexisset, mors hominum non esset peccati consecutio, sed vel imbecillitatis rerum creatarum vel decreti divini.

Cum Světlov (Značenie kresta v dělě iskuplenija. Kiev 1893 p. 429) dicit haec notatu digna de necessitate resurrectionis: »Irrisus, expansus Christus non alliceret homines ad se . . . ad Eius sepulcrum homo lacrimas suas effunderet — quibus deploraret bonum, deploraret hominem — et Salvatoris sepulcrum fidei eius, quam bono tribuerat, foret sepulcrum.«

In universum aestimanti diligens et accurata haec commentatio est; methodus tamen scholasticorum syllogistica, quae non eorum tantum dubiorum rationem habet, quae aliquando serio proposita sunt, sed etiam ea enervat, quae proponi possunt, longe praestitisset. —

In parte »philosophica« praeter cetera commentatio quam Victor Golubev scripsit digna est, quam accuratius inspiciamus; inscripta est: Bog, kak pervaja pričina bytija s filosofskoj i estestvo-naučnoj točki zrěnija (De Deo ut causa prima exsistentiae ex philosophia et ex physicis).

Golubev ipse in fine (p. II., p. 385) summam rationemque quaestionis suae his verbis indicat: »In hac quaestione ex philosophia de-

---

*) Exemplum antiquum habes in Aeliani Var. hist. l. 4, 17; 2, n. 26.

monstravimus ultimum fontem rerum mutabilium non posse esse mutabilem, rerum dependentium et imperfectarum non posse esse dependentem aut imperfectum. Ex empiria compluribus capitibus docuimus illud principium immutabile, absolutum, quo omnia continentur, non posse esse atomum, quae sive nullis proprietatibus activis praedita est, sive viribus physicis et energia — esto aeterna — instructa, inops est (si modo recta ratione utamur) ad multa particularia phaenomena physica et ad physicorum phaenomerum ordines quoque explicandos, velut phaenomenorum affinitatis chymicae et structurae molecularis corporum solidorum, liquidorum, spirabilium. Coniunctis utrisque — philosophicis et empiricis — argumentis conclusimus, originem illius processus mutationum, quem mundum appellamus, ponendam esse in ente absoluto, immutabili, perfecto, quo omnia continentur, qualis est Deus.«

Tota commentatio saepe obscuritate laborat; sed omnia examinari non expedit, solum antiquiora.

In introitu (I., 1—16) delegamur ad auctoris commentationem Mir kak process imějuščij načalo, quam a. 1903 in Věra i Cerkov' kn. I. edidit, et, quae ibi coegerit, docemur. Inde breviter argumentis philosophicis probat quaecumque mutabilia sunt, ab ente immutabili esse, quae finita et dependentia ab ente infinito et independente; id quod iam Anaximander cognovit.

Altero et tertio capite (I., 16—35; 49—67) argumentum teleologicum tractatur. Vituperatur (p. 17) 1. quod, si solum sit, non sufficiat; 2. quod petitio principii committi soleat, quatenus ponatur a natura anorganica fines appeti, id quod probandum sit; 3. alibi (II., 386) Golubev hoc argumento pantheismum aut aeternam materiam excludi non sentit.

Golubev (cum aliis Russorum apologetis, velut Nik. Pavl. Roždestvenskij, Hristianskaja apologetica [2] Spb. 1893 t. I. p. 335—345) duplex argumentum teleologicum discernere omittit. Verum duo sunt, quorum alterum quidem »cosmologico« argumento ut adminiculo indiget nec ab eo separari potest, sed in unum cum eo coalescit, alterum, licet proprie sit ex analogia — etsi maiorem vim menti nostrae inferat, quam quae argumentationi ex analogia tribuenda videtur esse, ideoque a L. Lopatin (Položitel'nyja zadači filosofii č. I., str. 62—66) ab argumentis ex analogia ductis semovetur — tamen totum ex se ipso aptum est et pantheismo quoque refellendo propria vi sua par, id quod maxime Wigand, speculator naturae insignis, in opere suo cuivis apologetae diligenter pervolvendo »Der Darwinismus und die Naturforschung Newtons und Cuviers (1874—77) II., 487 vario et praeclaro modo ostendit.

Ut obscuritatem, quae apologetas Russorum hic impedit, pellamus et quae nobis displiceant perfectius doceamus utrumque argumentum teleologicum a scholasticis excultum breviter et integre hic esse ponendum videtur.

Prius argumentum, quod haud scio an optime teleo-cinesiologicum appelletur, a scholasticis hoc modo proponitur: Ordo, ad quem producendum omnes res huius mundi conspirant *a*) multas determinationes contingentes supponit ideoque causam liberam exigit *b*) talem, quae in ordine producendo summa sapientia usa sit. Ergo exsistit aliquod numen praestantissimae mentis, quo mundus eiusque partes regantur. Illud, dico contingentiam motus in mundo corporeo, in qua probanda Russi in magnam difficultatem incurrunt (cf. Roždestvenskij l. c. p. 330*); nam quod nobis abstracte cogitantibus possibile apparet,

---

*) Roždestvenskij, qui admittit vim argumenti ontologici, ignorat ideologicum (sicut etiam henologicum). Permittatur nobis, ut hoc argumentum, etiam ab aliis minoris aestimatum, hic paucis vindicemus. Vera idealia (i. e. rationes universales secundum valorem earum obie-

re adaequate spectata impossibile esse potest), hoc modo probatur. In mundo corporeo multiplex motus (successivus) exstat. Atqui hic motus rationem sufficientem in viribus essentialibus aut substantia corporum non habet sed causam exigit liberam, a qua corpora saltem in mutatione accidentali (imprimis homo in vita conservanda) pendent. Quam causam Deum appellamus. Probatur minor: Corpora motum (localem; consequenter nec alios) producere nequeunt nisi ita disposita sint, ut suis ponderibus non sint quoquoversus librata. Atqui corpora ad varias dispositiones in spatio ex se indifferentia sunt; nam dispositiones eorum experientia teste a nobis libere mutari possunt ideoque contingentes sunt; et hinc illa firma persuasio nostra oritur non ea sola fieri posse, quae re ipsa fiunt. Ergo corpora non habent in se rationem sufficientem motus et postulant causam liberam — quia exsistentia motus eis contingens est —, a qua saltem in mutationibus accidentalibus dependent. Restat, ut alteram partem demonstremus: Ens liberum est ens spirituale; tale ens nihil potest extra producere nisi illud, quod mente concepit; non enim hominis instar organa habet ab intellectu et voluntate independentia Ergo tanti concentus ex dissimillimis motibus tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus causa omnino determinate illas dispositiones corporum in spatio concepit, quae admirabilem hunc ordinem constituerunt.

Alterum argumentum, proprie teleologicum, breviter ita proponi potest: Constat corpora huius mundi, imprimis nascentia, actionibus suis necessario producere bonum sibi vel aliis, velut acquisitionem nutrimenti, prolis originem et sustentationem. Nam quae constanter et in diversis adiunctis fiunt, non casu, sed necessario fiunt. Atqui haec actionum necessaria relatio ad bonum propter analogiam cum necessitate, qua nos bonum agimus, a nobis aliter intelligi nequit nisi ut dependentia a causa finali. Nam illi effectus omni ex parte similes suut effectibus quos efficere nos non possumus nisi causa finali influente; atqui effectus similes sub ea ratione, sub qua similes sunt, similes causas exigunt. Iam vero actiones a bono illo ut a causa finali pendere non possunt, nisi corpora ab ente intelligente producta et hac productione in finem directa sunt; bonum enim ut causa finalis non exsistit nisi in ente intelligente nec appetitus naturalis ab hoc bono pendere potest, nisi ipsa natura ab illo ente effecta est. Bonum enim causa finalis esse nequit, nisi ut bonum apprehendatur et intendatur; nam causa finalis (late dicta, de qua sola hic agi potest) est bonum quocumque modo intentum, quod qua tale in exsistentiam mediorum (sive immediate sive mediate) influit. Ergo exsistit aliquod ens, quod bonum illud intendit et potentias actionesque corporum in illud tamquam media in finem ordinavit. Tale ens ab omnibus vocatur Deus.

Hoc alterum argumentum menti auctoris nostri maxime obversari videtur; sed rationem suae argumentationis non reddit. P. 21- statuit actiones rei legibus constitutas, partes eius dispositas, i. e. coordinatas et subordinatas, denique totius pulchritudinem atque concentum signa esse rei arte factae. Rem ita propositam non satisfacere

---

ctivum spectatae; ea enim, quae conceptibus arboris, hominis etc. exprimuntur, qua talia in rerum natura non inveniuntur) Deum esse testantur. Nam rationem sui sufficientem nec in rebus exsistentibus huius mundi nec in intellectu (ea fingente) nec in utroque simul habent. Non enim sufficit similitudo rerum ad efformanda vera idealia, sed, saltem ne notiones arbitrariae a mente fingantur, requiritur „illustratio lucis divinae“ (Thomas Aq. Quaest. dispp. De spir. creat. a. 10 ad 8) „participatio lucis increatae“ (Duns Scotus, In l. 1 Sent. d. 3, q. 5) sive in speciali quodam intellectu agente sive in oratione (λόγῳ), quae quovis individuo prior est, ponitur.

ex ipsis variis naturae figmentis (velut ex pulchra imagine capitis puellae in achate sacrarii Karlsteiniensis) manifestum est.

Golubev nimis negligit ea, quae ab aliis de his rebus quaesita et scripta sunt, quae negligentia etiam aliis locis saepe sentitur. Unicum volumen, quod teleologiae dicatum est, allegatur: V. D. Kudrjavcev, Sočinenija t. III., vyp. 3.: Teleologičeskaja idea i materializm. Sergiev Posad 1894. Apte quidem monet nolle se probare in natura viva inter se omnia connexa et apta esse et consilio geri; nimirum nolle se ligna in silvam ferre; verum sic quoque ingens litterarum moles restabat, qua uti eum oportebat; dico v. g. ea, quae de sectione aurea in rerum natura frequentissima aliisque proportionibus scripta sunt, quorum exemplum egregium etiam in litteris bohemicis (in programmate gymnasii Tustensis a. 1881—2: J. Kovář, O poměrech přirozených) exstat.

Capite quarto (67—90) Golubev de vi et natura materialismi recentis et de eis, quae sententiae de mundo ab aliqua mente ut causa prima effecto opponuntur et de unitate materiae disserit.

Capite quinto (123—147) hypothesin atomisticam examinat; c. sexto (191—214) de lege periodica elementorum chymicorum exponit et de unitate virium physicarum inquirit. C septimo (215—234) fundamenta opinionis mechanisticae de rerum natura explicat: statum materiae, legem inertiae et translationis motus. C. octavo (273—288) summam motuum in mundo non esse semper eandem ideoque aeternitatem motus negandam esse probare conatur. C. nono (II., 277—292) de mechanismo virtutis attractoriae iudicat, item de mechanica caloris et cinetica spirabilium explicatione, quam materiam capite decimo porro tractat et absolvit (II., 325—336; 358—370).

In »epilogo« 382—392 inter alia materialistis concedit res ex nihilo creatas intelligi non posse; separata difficultae, quam phantasia ingerit, cum notiones formales negationis, temporis ut reales exhibet (esse post non esse, ex nihilo), comprehendi opinor bene potest rem (immediate) in Deo solo integram rationem suae exsistentiae habere, quae vera notio creationis est, minus autem, unde individualitas rerum creatarum orta sit vel oriatur.

Omissa obscuritate maxime copiam instrumentorum desideravimus, quae adhibenda auctori erant. Ex omnibus 50 tomis operis periodici Natur uud Offenbarung nihil omnino ei cognitum est, etsi iam in antiquioribus tomis plurima ipsi nova de quaestionibus, quas tractabat, invenisset: de unitate materiae deque hypothesi atomistica et dynamistica VI., 364—372; IX., 264—267; de origine atomorum et motus materiae VII., 506—516; quomodo ex nisu materiae ad momentum par turbatum restituendum temporalitas motus mundi probetur (IX., 11), de vi attractoria (VIII. 45) etc. Hoc malum vitiumque non paucarum commentationum a theologis Russorum conscriptarum eo molestius ferimus, quod sine inquisitione systematica, qua illud, quod investigatum ab aliis est, critice adhibetur nec propriis viribus omnia committuntur, non continget nisi maximis ingeniis, ut doctrinas augeant.

In ecclesiastica parte fasciculorum Věra i Razum collocatae sunt (praeter alias minoris momenti) etiam hae commentationes: I. A., V. S. Solov'ev, kak zasčitnik papstva po kn. »La Russie et l'église universelle« p. I., pag. 614—638; p II., p. 13—35; tractatur de V. Sołov'ëv defensore papatus. — J. Krasnitskij, Buddizm i hristianstvo p. II., p. 103—137; 180—198; 225—249. — D. S. Leonardov, Teorii vdohnovenija i proishoždenija Sv. Pisanija na zapadě v prošlom stolětii II., 285—308; 416—431; 529—570; 591—612; 651—680; refertur de sententiis theologorum occidentalium saeculi elapsi (Rothe, Schenkel, Dorner, Schweizer, Bleek, Gess; Hengstenberg, Gaussen, Vilmar, Rudelbach, Rohnert, Koelling, Dienemann; Beck, Philippi, Cremer, Franz; Ewald, Graf, Kuenen, Reiss, Wellhausen; Thomasius, Luthardt, Kahnis, Fr. Delitzsch; Hofmann, Volk, Grau, Frank, Kurtz, Harnack; Ritschl; —

catholicos nimirum ignorare licere putat) de inspiratione et origine sacrae scripturae. — T. Butkevič, Slovo v den' prepodobnago Antonija Velikago I., 73—80, qua oratione docemur, praecepta christiana de moribus non posse commutari autonomia. — Archim. Georgij, Stigmatizacija. Bogoslovsko-psihologičeskij očerk II., 623—634; stigmatizatio dicitur omnino concipi et explicari posse ut effectus mollis animi et fervidi ingenii passionem ac vulnera Christi considerantis (p. 629).

In parte philosophica eminent quae scripserunt Dimitrij Brjancev de Joanne Italo (»Joann Ital i ego filosofsko-bogoslovskaja vozzrěnija, osuždennyja Cerkov'ju I., 243—272; 305—336; 402—422; 435—452; II., 231—246; 255—276; 293—304; 306—324; 337—357; 371—381); Aleksandr Nikol'skij de B. N. Čičerin philosopho et N. K. Mihajlovskij positivista (»Filosofskija vozzrěnija B. N. Čičerina [r. 1828, † 1904 g.] i něskol'ko slov o značenii dějatel'nosti N. K. Mihajlovskago [r. 1843, † 1904 g.], kak pozitivista I., 453—474; II., 1—22; 43—64; 101—132; 203—219); S. B-ij de doctrina spiritistica Caroli Du-Prel (Dvojstvennost' čelověčeskago suščestva po učeniju Karla Dju-Prelja II., 133—152; 180—190); V. Davydenko de patrum doctrina de unitate animae (Svjatootečeskoe učenie o edinstvě duši pri raznoobrazii eja sposobnostej; duša i duh II., 153—166); V. Murav'ev de »novo homine« s. Pauli (Novyj čelověk — καινὸς ἄνθρωπος — po učeniju sv. Pavla. II., 519—528; 613—622). Quae accuratius persequi non vacat.

Věra i Razum multa continet et bona: sed theologiae catholicae ignorantia acerba est. Utinam res in melius mox mutetur!

— *l* —

Проф. Алексѣй Введенскій, „Религіозное обновленіе“ нашихъ дней. Выпускъ второй. Москва 1904.

Prof. Aleksěj Ivanovič Vvedenskij (* 1861) russicos legis christianae correctores insecutus iam secundum edidit fasciculum de ratione ac voluntate eorum. Sunt enim inter Russos quoque, qui ascetica indole legis christianae non intellecta, inimicitiis mundi cum regno Christi, quas evangelium praedicat, quam apostolorum litterae inculcant, quam patrum volumina clamant, quam denique tota antiquitas professa est, non cognitis — ideo, opinor, non cognitis, quod ipsi sub mundi potestatem cecidere — latiorem viam generi humano huius saeculi reservatam esse putent et, quae divinitus tradita sunt, corrigere moliantur. Qui conatus apud Russos non paucos sui studiosos habent, quorum extremi illa tradere ausi sunt, quae et constantissime ab eis dici mihi videntur et, quo descenderint, patefacere. Ex eo, quod huiusmodi studia factionem sibi compararunt, facile conicias theologiam a Russis non exerceri eo modo, quo melior desiderari non possit (p. 6).

Vvedenskij quo ea tendant bene perspexit. Cum Serafim episcopo polocensi et vitebensi commode monet (p. 33) illos aliam viam petere ac viam crucis, illos ingredi velle viam „odnih udovolstvij bez stradanij i žertv“ et legem Christi metiri aptitudine ad terrena ac fragilia haec bona subministranda (p. 15); ideo contra vitam asceticam bellum indixerunt (15). Commoda opesque, quorum cultus et humanitas copiam dant bonum absolutum esse arbitrantur et in numero notarum verae ecclesiae Christi ponere videntur, ut illis copiis augendis ducem se profiteatur; illum autem hominis cultum, qui lege Christi nobis propositus est — „donec formetur in vobis Christus“ — et quo ante mortem

defungetur nemo, ex memoria deposuerunt. Verum quidem est etiam rei christianae antistites nonnumquam officio suo defuisse: non post mercatores ingredienda erat India doctoribus christianis, nec atheis concedendum erat a theologis, ut primi coniectarent de rerum naturae nexibus et legem biogeneticam similesque verae idearum divinarum investigationi supponerent. Ne plura: multa neglecta esse constat, at sine dubio minime Spiritu sancto auctore sed spiritus mundi impulsu. Verum ad utilitatem voluptatemque terrenam augendam, ad amorum fabulas affabre conscribendas, ad nuditatem singulari arte depingendam Spiritus sanctus non hortatur.

Vvedenskij haec novorum consiliorum insignia exponit: 1. inordinata indigestaque proposita et complicatas notiones; 2. magisterii arrogantem usurpationem (cf. Vl. Solov'ev, Istorija i buduščnosť teokratii I. Zagreb 1887 p. 381: to ložnoe proročestvo, kotoroe hočet ot sebja vozobnovljať i ispravljať dělo Hristovo vměsto togo, čtoby ispravljať sebja i drugih po volě i zapovědjam Hristovym); 3. cupidinem libertatis a legis dogmatisque vinculis: 4. somnia de felicitate humana; 5. chiliasticas opiniones de fine mundi: denique 6. „erotičeskij panteizm," quo omnia ad venerem referuntur, quem Lenau his commode expressit versibus (in Don Juan): „Das Herz, in dem die Wesen alle gründen, der Born, worein sie sterbend alle münden, der Gott der Zeugung ists, der Herr der Welt, die er nie satt in seinen Armen hält." Haec proprietas maxime in Rozanov exstat.

De pantheismo ego quidem eum accusare non audeo; quae enim Vvedenskij hoc consilio allegat, sensum theisticum recipere videntur. At negari nequit ab eo vitam omnem ad sexum revocari. Rozanov legem christianam in crimen vocat, quod hominis sexum ignoret (Semejnyj vopros v Rossii II, 358); vult „seksualizacii teisma" (V mirě nejasnago i neréčennjago. 124); liberorum procreationem existimat opus esse Deo longe gratissimum (V mirě 199): quemvis ortum dicit esse legitimum (Sem. vopr. II, 38. 47).

Sua sponte quaestio oritur, num a theologis Russorum talia studia sententiaeque via ac ratione impugnentur. Certe quidem hoc potissimum tempore iterum ac saepius quid rebus venereis mali adhaereat exponunt. Verum perversa de peccato originali sententia tenti veram inhonesti rationem non assequuntur. Omnem veneris usum inhonestum esse et matrimonio solum tegi quodammodo putant. „Esli ne ostaetsja priraženie nikakoj grěhovnosti i plotskoj nečistoty v polovyh otnošeniah suprugov, to ne imějut dlja sebja nikakoj počvy trebovanija ot suprugov vozderžanija ot izlišnago sladostrastija. Apoštol govorit: vo izběžanie bluda každyj iměj svoju ženu i každaja iměj svoego muža (2 Kor. 7, 2). Otsjuda jasno, čto v osnově polovyh otnošenij ležit nečistota, kotoraja kak by zatuševyvaetsja pri vstuplenii v bračnyj sojuz, vslědstvie togo, čto v sem slučaě suprugi dobrovol'no osuždajut sebja na ograničenie svoih čuvstvennyh vlečenij". T. V. Barsov in Hristianskoe Čtenie 1903, II., 330—1. Luxuriam cum gula conferendi nullam cogitationem videntur habere. Quarum constat eandem esse rationem, nisi quod illa extra matrimonium est letalis. Nimirum improbum est, quid-

quid corpori indulgeatur obsequaturve quin honesto proposito ornatum sit. Oportet quidem corpori debitum persolvi ab homine: cibus potioque capienda, cum vita conservanda agitur; procreandi appetitus ei explendus, cuius liberos habere interest. At corpori cedere, ubi hae res honestae non petuntur, homine indignum est „est dělo protivnoe dostoinstvu čelověka". Vl. Solov'ev, Opravdanie dobra [2]. M. 1899, p. 85. Ad id Russi interdum prope accesserunt, velut S. Troickij in Strannik 1904 p. 300. Eadem est sententia sancti Augustini [1]). Tamen quot sententiae futiles commenticiaeque ab iis, qui de ratione vivendi disserunt, post eum hac de re non sunt propositae! Quae fere eaedem sunt atque illae, quibus turpitudo mendacii explicabatur [2]). Praesertim vero, si illae opiniones addantur, quibus culpae castitatis quocumque modo a caelibe neglectae gravitas vindicatur [3]), rationem humanam eo non posse laudari apparet, quod ecclesia in vera doctrina semper perseveravit. Ceterum Russi argumentum illud ex liberorum educatione disturbata ductum, quo a nostris theologis stupri turpitudo probari solet, ignorare prorsus videntur.

Quod omnino primum peccatum parentum generis humani in certamen vocant adversus Rozanovii sectam est comprobandum: tantum quod ratio naturalis, rerum inanium studio semel irretita, prius probationibus naturalibus ad veram doctrinam videtur perducenda esse. Speramus fore, ut illa perniciosa praecepta brevi reprimantur; quae satius est non aperte impugnare, sed fonte periculi obturato repudiare. *G.*

І. І. Жиловъ, Благоговѣйныя размышленія христіанина предъ причащеніемъ и по причащеніи святыхъ таинъ. (I. I. Žilov, Devotae considerationes ante et post communionem.) Spb. 1904.

---

[1]) De nupt. et concup. l. 1, c. 8: „Illo concupiscentiae malo utitur homo, non vincitur, quando eam inordinatis atque indecoris motibus aestuantem frenat et cohibet; neque nisi propagini consulens relaxat atque adhibet, ut spiritualiter regenerandos gignat, non ut spiritum carni sordida servitute subiciat". De moribus eccl. cath. c 21: „Habet igitur vir temperans in huiusmodi rebus mortalibus et fluentibus vitae regulam utroque testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitae huius atque officiorum necessitatem quantum satis est usurpet, utentis modestia, non amantis affectu".

[2]) „Est contra naturam" (cf. D. Scotus In l. 3, d. 38, n. 5); ex „semel-licito" (cf. J. Costa-Rossetti, Philos. mor. th. 100, not. ad confirm.; cui argumento — quod utique experimento numquam comprobari potest — in quaestione nostra etiam periculosum est nimis fidere; multis enim hac ratione nihil persuaderetur, itaque res non semel sed sescenties licita foret). Sed et illud, quod Viva posuit (Thes. damn., Prop. 8 et 9 Innoc. XI, n. 6) falsum est; cf. J. C.-Rossetti l. c. th. 26; Zeitschrift f. kathol. Theologie XXVI (1902) S. 678.

[3]) Matharan, Asserta moralia n. 151; Thomas Aq. Qq. disp.; De malo q. 15, a. 2.; Cardenas, Crisis theologiae, diss. 29, c. 3, n. 86. 88. 94 etc. — Verius C. Frick iudicat (in Zeitschrift f. k. Theologie 1889, S. 444), modo in illo ‚Zusammenhang jeder unkeuschen Regung mit der completen Sünde' intelligatur appetitum libidinis, qui qualibet indulgentia augetur et corroboratur, nisi a coniugibus licite satiari perfecte non posse. Cf. Lehmkuhl, Theol. mor. II[9] n. 745.

Considerationes in hoc libro compositae admodum diligenter selectae sunt. Nonnulla nova et bona hic invenimus, alia desideravimus. Etiam occidentalis auctor quidem consecutus est iustum iudicium, Thomas Kempensis, cuius quinque capita hic sunt collocata. Sed certe haec collectio insignior evasisset, maxime pars altera, si auctor nostras saltem »Preces ante et post missam« (Pustet[9] 1901) adhibuisset. Ex 17 considerationibus ante s. communionem 9 a Russis profectae sunt (1 a Demetrio Rost., 1 a Io. Serg. Kronstad.); e Thoma Kempensi optima quaeque libri 4. capita electa sunt (4, 4; 4, 16; 4, 3); quamquam in c. 3. n. 4 eximius ille locus O quam magnum . . . omissus est; etiam 4, 2 recipiendum erat. Meditationes post s. communionem minus apte electae videntur esse; eo tempore sensui magis est indulgendum quam in orationibus et sermonibus fieri solet de rebus divinis habitis. Neque Im. Chr. 4, 14 ibi suus est locus, potius ante s. communionem; 4, 13 aptius adhibitum esset. — *l* —

Libri russici a. 1905 editi.

E. P. Akvilonov, Naučno-bogoslovskoe samoopravdanie hristianstva. Spb. 1905 (VI + 434) 3 r. (Apologia christiana secundum artis praecepta.)

V. B. Bažanov, O religii[3]. Spb. 1905 (96) 0·30 r.

D. J. Bogoljubov, Pravoslavnyj protivosektantskij katihizis[3]. (0·15 r.) Spb. 1905. (Orthodoxae doctrinae summa adversus sectas.

V. M. Giljarovskij, Sobranie propovědej prot. V. M. G. t. I. (VII + 848) 2 r. t. II. (584) 1 50 r. (Orationes sacrae collectae.)

J. M. Gromoglasov, Novaja popytka rěšit' staryj vopros o proizhoždenii »Stoglava«. Rjazan' 1905. 0·25 r. (De novo conatu veterem quaestionem de origine »Stoglav« solvendi.)

Al. Il'in, Jezuity i ih vlijanie na istoriju čelověčestva. M. 1905. (79) 0·30 r. (De Jesuitis eorumque influxu in historiam generis humani.)

N. J. Ivanov, Nauka i biblija (Doctrina et libri sacri). Spb. 1905. 1·50 r.

Th. Jakovlev, Apokalipsis s očerkom žizni i učenija sv. ap. i ev. Ioanna Bogoslova[2]. Spb. 1905. (401) 1 r. (Apocalypsis cum imagine vitae doctrinaeque s. Joannis theologi.)

Ioann, ep. Smolenskij. O monašestvě episkopov (De condicione monachica episcoporum). Počaev 1905. (IV + 157) 0 50 r.

A. Klitin, Naučnoe i pedagogičeskoe značenie voprosov sovremennago bogoslovija. Odessa 1905 (Quaestiones theologiae horum temporum quid ad doctrinam et ad artem educandi valeant.)

A. P. Lebedev, Istorija vselenskih soborov[3]. I. (374) II. (343) Spb 1905 à 2 r. (Historia conciliorum oecumenicor.)

A. P. Lebedev, Brat'ja Gospodni (1 Kor. 9, 5. Gal. 1, 19). Istoriko-kritičeskoe islědovanie. M 1905 (122) 0:80 r. (De fratribus Domini.)

N. Lipskij, Psihologičeskija osnovy umstvennago i religiozno-nravstvennago vospitanija v doškol'nyj period. Nězin 1905 (191) 0·80 r. (Psychologica fundamenta educationis ad doctrinam et ad religionem honestatemque nondum missorum in disciplinam.)

I. Ljutostanskij, Talmud i evrei[3] kn. 3. (368) 4. (352) 5. (336) Spb 1905 à 2 r. (De praeceptis magistrorum Iudaicorum et de Iudaeis.)

Ep Nikanor, Tolkovyj Apostol č. I. Objasnenie knigi Dějanij sv. Apostolov i sobornyh Poslanij, Spb 1905 (639) 3 r. (Commentarius in apostolum p. I. Enodatio libri actuum apostolorum et epistol. cathol.)

I. V. Nikanorov, Istoričeskoe opisanie Nikolaevskoj v Vorobině g. Moskvy cerkvi i eja prihoda (Historia ecclesiae vorobinensis). M. 1905 1 r.

G. Orlov, Cerkov Hristova. Razskazy iz istorii hristianskoj cerkvi M 1905. (414) 0·60 r. (De ecclesia Christi. Relationes ex historia ecclesiae christianae.)

G. Orlov, Ustanovlenie Velikago posta[4] (32) M. 1905. (Praeceptum Magni ieiunii.)

V. S. Ornatskij, Slova, poučenija i rěči (1·20) Novgorod 1905 (Homiliae, catecheses, orationes.)

Aleksandr, ierom., Kritičeskij razbor Tolstovskago lžeevangelija v novoj brošjurě »Žizn' i učenie Jisusa« Spb 1905 (Censura pseudoevangelii L. Tolstoj in novo lib. »De vita et doctrina Jesu« propositi).

N. P. Kondakov, Licevoj Ikonopisnyj Podlinnik, tom. I: Ikonografija Gospoda Boga i Sp. našego Jisusa Hr. (143 fol. + 97 p. text.) Spb 1905 (Iconographia Domini n. Jesu Chr.).

J. S. Pal'mov, Manual'nik Vjačeslava Korandy, kak istočnik dlja harakteristiki religiozno-reformatorskih idej českago utrakvizma vtoroj poloviny XV. věka. (40) Spb. 1905. (Manuale V. Kor. ut fons notationis idearum de novanda religione apud Bohemos utraquistas saec. XV. descendente.)

K. Plotnikov, Istorija russkago raskola izvěstnago pod imenem staroobrjadčestva[5] Spb 1905 (203) 1·10 r. (Historia schismatis russici sub nomine veteroritualismi pervulgati.)

V. P. Popov, Vozvraščenie iudeev iz plěna vavilonskago i pervye gody ih žizni v Palestině do pribytija Ezdry. Kiev 1905. (De reditu Judaeorum in Palaestinam.)

E. Poseljanin, Russkaja cerkov' i russkie podvižniki 18$\frac{90}{}$ věka. Spb. 1905 (356) 1·50 r. (De ecclesia Russorum eiusque militibus saeculi XVIII.)

Jo. Il'. Sergiev, Sozercanija i čuvstva hristianskoj duši. Iz dnevnika za 1904. Spb. 1905 256) 1 r. (Meditationes et sensus animae christianae.)

Jo. Il'. Sergiev, Novyja slova. Kronštadt 1905 (141) 0·50 r. (Novae orationes sacrae.)

Ierom. Simeon, Russkaja literatura po voprosu o svobodě sověsti i pravil'naja postanovka etogo voprosa (Litterae Russorum de libertate conscientiae). Kazan' 1905. 0·20 r.

L. Sokolov, Psihologia grěha i dobroděteli po učeniju sv. podvižnikov drevnej Cerkvi. Vologda 1905. 0·50 r. (Psychologia peccati et virtutis.)

V. P. Sokol'skij, Evangel'skij ideal hristianskago pastyra. Kazan' 1905 (426) 2 r. (Pastoris christiani species evangelica.)

A. Spasskij, Obraščenie imperatora Konstantina Velikago v hristianstvo. Sergieva lavra 1905 (74) 0·50 r. (De Constantino M. ad Christum converso.)

B. V. Titlinov, Pravitel'stvo imp. Anny Joannovny v ego otnošeoijah k dělam pravosl. Cerkvi. (IX + 466) Vil'na 1905 (De Annae Joann. imperatricis moderatione imperii).

Th. I. Titov, Kritiko-bibliografičeskij obzor novějših trudov po istorii russkoj Cerkvi (Conspectus critico-bibliographicus eorum, quae de historia Ecclesiae Russorum nuper scripta sunt) Vyp. IV. Kiev 1905 (50).

Th. J. Titov, Russkaja pravoslavnaja Cerkov' v pol'sko-litevskom gosudarstvě. Kiev 1905. 3 r. (De ecclesia orthodoxa Russorum in regno polonico-luthuanico).

D. K. Trenev, Něskol'ko slov o drevnej i sovremennoj russkoj ikonopisi. M. 1905 (De russicis imaginibus sanctorum pictis priscae et huius aetatis).

J. Turkin, Prazdnik Rožděstva Presvjat. Bogorodicy. Sb. 1905 (47) 0.25 r. (Festum Nativit. ss. Deiparae).

Religiozno-filosofskaja biblioteka. Vyp. VIII. O cěli obrazovanija (De fine educationis ex N. Pigorov, L. Tolstoj, V. Nesmělov, A. Komenskij, K. Ušinskij) Vyšnij Voloček 1905 (84) 0·30.

Pamjatniki pravoslavija i russkoj narodnosti v Zapadnoj Rossii v XVII—XVIII vv. t. I., č. I—III. (XCVII + CLXIV + 1771 + CXIX). Kiev 1905. (Monumenta orthodoxiae et nominis Russorum in Russia occidentali.)

Učeno-bogoslovskie i cerkovno-propovědičeskie opyty studentov Kievskoj duhovnoj akademii LVII kursa (1904). (Tentamina commentationum theologicarum et sacrarum orationum ab alumnis academiae spir. Kijov. factae.) Vyp. II. Kiev 1905 (590) 2·50 r. (Ubi continentur: Pereverzev, Idea theanthropica in systemate Vl. Solov'ëv 1—131; Caritas erga Deum et proximum 135—234; T. Popov, Quae de morbis in libris sacris commemorentur 236—406; N. Ontlik, De vi sociali legis christianae, quam docet Th. M. Dostoevskij 407—564.)

Sistematičeskij ukazatel' statej, poměščennyh v žurnalě »Hrist. Čtenie« za 1821—1903 gody (230 + XXVI. st.). Spb. 1905 (Index commentationum operis periodici Hrist. Čt. ab a. 1821 - 1903

SERBICA.

„Bogoslovski Glasnik" VII 1905. Singuli fasciculi 80 pg.; pretio 12 K per annum. (Srem. Karlovci-Slavonia.)

Nr 1 2. J. Zeremski, Mazi sa istoka (Magi ex oriente; Mt. 2, 1—12.) p. 3—11, 81 87; porro tractabitur. — Kuljukin-Bogdanović, Suština hrišćanstva prof. A. Harnaka (Essentia religionis christianae) p. 11—26, 88—94 versio e lingua russica (Cf. [Slavica pg. 206] Slav. 1 th. pg. 28) continuabitur — Avtobiografija ep. Nikanora Grujića, pg. 27—37, 100—113; pars edita est a. 1904; continuabitur. — Evstratiadis-Pribićević, Carigradski patriarh Fotije i njegovo značenje u istoriji deobe crkava (Patriarcha Photius et historia schismatis) pg. 38—42, 95—99: versum e lingua neograeca; porro tractabitur. — V. Mirosavljević, Srpske veroučevne knjige u Avstro-Ugarskoj 1690—1902; pg. 43—47; tantum pars. — D. Ruvarac, Bukovinski episkop Evgenije Hakman pg. 114—119; continuabitur. — E. E. Golubinskij-Maksimović, Vera, moral i religijoznost kod Rusa u I. periodu (Religio et moralitas I. periodo historiae Russorum) pg. 120—127; versum e lingua russica; continuabitur. — V. Maksimović, Da li je u pravcsl. bogoslužbenim knjigama izraženo učenje o bezgrešnom začeću Bogorodice? — An in orthodoxis libris liturgicis doctrina de immaculata Dei Genitricis conceptione expressa sit? (pg. 48—59.)

Illmus. eppus. graeco-cath. Crisiensis (Drohobecky) in litteris pastoralibus, tempore iubilaei praeterito anno celebrati editis, de Immaculata Conceptione B. M. V. agens etiam liturgiam graeco-slavicam ut firmum documentum fidei ecclesiae orientalis adducit. (Litterae inveniuntur in Zagrabiensi »Katolički list« 1904. Nr. 49.) Hisce litteris auctor noster motus contra duo argumenta, quae a theologis occidentalibus pro Immaculata Conceptione adduci solent, exsurgit: *a)* contra argumentum traditionis ex liturgia comprobandae; *b)* contra argumentum ex festo conceptionis (9. Dec.) ductum. — Ad primum advertit vetustam alicuius dogmatis professionem tantummodo, si constet, scriptori librorum liturgicorum et poëtae ecclesiastico doctrinam ecclesiae illius aetatis perfecte notam fuisse, legitime demonstrari posse: atque praesertim cum de poësi sacra agatur, ab eo, qui res antiquas scrutatur, magnam cautelam requiri: in poësi enim sacra similiter atque in profana symbolum, allegoriam, hyperbolam, forte etiam licentiam poëticam inveniri. Nec ipsam personam aut adiuncta poëtae praetereunda esse: poësim enim propriam scriptoris naturam prae se ferre. Aliud quoque criterium historico dogmata scrutanti attendendum esse: utrum dogma ab ecclesia universa receptum sit an non; proinde historico tantum in dogma ab ecclesia universa receptum (»dogma

positivum«) inquirendum esse eique id unum agendum esse, in lucem ut proferat, quomodo olim homines senserint mentemque suam de dogmatibus, quae hodie in subtilem atque claram formam redacta proponantur, verbis expresserint (p. 49—50). Auctor nonnullos locos ex liturgia adducit, ut argumentationem catholicorum infirmet. Menaeum (Μηναία, mineja) enim die 9. Dec. habet: Dnesь iz korene Davidova carskaja porfyra prozjabši, ot Jesseja izrastiti načinaet cvět tainstvennyj, v nejže Hristos Bog naš procvěte, spasajaj dušy našja (Hodie e radice David regia purpura exorta, Jesse florem mysticum incipit germinare; in quo Christus Deus noster effloruit, qui salvat animas nostras). In verbis »in quo Christus D. n. effloruit« contendit auctor rationem inveniri, cur id, quod concipitur, »purpura regia« ac »flos mysticus« appelletur. Aliud: Novoe nebo vo črevě Anny zižďetsja Boga vsedětelja povelěniem, iz negože vozsijaet nevečernee solnce mir vesь prosvěščajuščee lučami božestva . . . (Novum coelum in utero Annae firmatur, Dei rerum omnium conditoris nutu, in quo Sol inocciduus illucescat, qui universum mundum divinitatis radiis illuminat . . . — Cathisma). Atqui, contendit, hoc loco id, quod est conceptum, vocari »novum coelum« propter »Solem« claraque esse ornamenta et symbola poësis ecclesiasticae, ideoque Dei Genitricem qua talem, minime autem ab Anna conceptam prolem (pg. 52—53). Alia quoque epitheta (»Čestnějšaja Heruvim i slavnějšaja Serafim« — Dignior cherubim et gloriosior Seraphim) eadem de causa B. V. tribui Poëtam B. Virginem ut dignum sit se non posse laudibus praedicare ob eam rem fateri, quod ad Dei Genitricis honorem evecta et Dei-Verbi incarnationi affinis facta sit. Auctor igitur contendit conceptionem B. M. V. in liturgia non qua talem sed, quatenus ipsa B. M. V. ad Christum referatur, laudibus summis celebrari. Ad quaestionem, quomodo B. V. peccato subiecta esse potuerit, Maksimović respondet verbis S. Augustini de nat. et gr. c. 36 n 42: »Excepta itaque s. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccato agitur, haberi volo quaestionem . . . « (ulteriora non citat). Secundum explicationem auctoris s. Aug. hic »non vult quaestionem haberi« de peccato, quod revera adfuerat, et id »propter honorem Domini« i. e. nè narrando de peccato matris filii honor laedatur, quod auctor confirmare vult verbis Gregorii Nyss. (oratio I. de beat.), qui generatim dicit filiis tacendum esse de iis, quae cum generatione arte connexa sunt, ne his parentes dedecorentur, sec. Levit 18, 7: »Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuae non discooperies« (! — pg. 54). — Festo die 9 Dec. Maksimović animadvertit ecclesiam conceptionem ipsam simpliciter non celebrare. Quod demonstrat imprimis ex titulo, quo festum inscribitur: »Začatie svjatya Anny, jegda začat presvjatuju Bogorodicu« (Conceptio s. Annae, quando concipit sanctissimam Deigenitricem); etenim si ipsa conceptio B. V. celebraretur, festum inscriberetur: »Začatie presvjatyja Vladyčicy našeja Bogorodicy i Prisnoděvy Marii« (Conceptio sanctissimae reginae nostrae Mariae, Deigenitricis ac semper Virginis). Sed in isto genere festum esset Deigenitricis ac festum maius nec in typico (ustav, directorium) signo festorum minorum primae classis signaretur, sicut revera signatur. Demonstrat idem 2° ex condacio (kondak, κοντάκιον): »Prazdnuet dnesь vselennaja Annino začatie byvšee ot Boga, ibo ta porodi pače slova Slovo rozdšuju« (Celebrat hodie mundus Annae conceptionem quae fuit a Deo [γεγεννημένην ἐν θεῷ], etenim ipsa Eam concepit, quae Verbum, supra quam dici potest, concepit); deinde ode I.ma canonis 1.mi: »Začatie dnesь bogomudraja Anno tvoe prazdnuem, jako vměstivšuju nigděže vměstimago začala jesi, neplodnyh otreššisja uz« (Conceptionem hodie tuam, Anna divina, celebramus; quoniam eam, quae nullis terminis circumscriptum comprehendit, sterilitatis vinculis liberata, concepisti). Ex hisce auctor concludit conceptionem Annae celebrari, quia sit de Deo, i. e. quatenus Annam Deus a »ste-

rilitatis vinculis« liberaverit, eoque magis (celebrari), quod eam, quae dignitate Deigenitricis ornata sit, conceperit. Argumentatur ultimo ex tota festi indole: troparii pars prima Annam non amplius sterilem esse annuntiat, altera vero de Deigenitrice qua tali (sc. non de eius conceptione loquitur; similiter in aliis hymnis laetitia, quod Deus ab Anna sterilitatis ignominiam amovit, exprimitur; procimenum (προκείμενον, prokimenъ) vero non est de Beata, sed de Sanctis (pag. 56—57). Advertit etiam verbis »bivšee otъ Boga« (quae [conceptio] a Deo erat) explicari, cur ad verbum »začatie« (conceptio) epitheta »svjatoe«, »preslavnoe« (sancta, gloriosissima) addita sint: conceptionem »sanctam«, »gloriosissimam«, quatenus conceptio *sanctae* (litt. inclin cur. auctor) Annae gratiae divinae donum fuerit (pag. 58. — Cf. de hoc festo Nilles: Kalendarium manuale pag. 348 sqq.). Ceterum ea, de quibus auctor tractat, non sunt unica, quae in liturgia, de conceptione agunt. Qui plura de hac re videre vult, adeat: »Toscani-Cozza, De immaculata Deiparae conceptione hymnologia Graecorum. Romae 1862. — — Pg. 143—149 accurate spectatur et laudatur liber: Dr. Virgil Grimich, Der Religionsunterricht an unseren Gymnasien. Wien-Leipzig 1903. *G. R.*

Glasnik pravoslavne dalmatinske crkve. 1905. — Operi edendo praeest Protopr. Dj. Popović. — Singulis mensibus editur fasciculus; Zadar (Zara), 6 K per annum.

Opus hoc publicum est. Dissertationes quae in disciplinis versantur, paucas continet. Tamen ab iis, qui rerum cognitioni student negligendum non est; maxime ideo, quod Nikodim Milaš, ep., qui merito inter viros doctissimos ecclesiae orientalis numeratur, commentationes suas et partes operum suorum arte conclusorum ibi emisit et adhuc emittit. Inter opera eius celebratissimum est: Crkveno pravo (Ius ecclesiasticum), 2. ed. Mostar 1901 (12 K), quod iam in linguas russicam, germanicam, bulgaricam translatum est. — Magni momenti sunt eius: Documenta pertinentia ad historiam orthodoxae dioeceseos Dalmatiae et Istriae a XV.—XIX saeculum, tom. I. Zadar 1899. et Pravoslavna Dalmacija (Dalm. orthodoxa), Novi Sad 1901 (pg. 603; pr. 6 K), opus vere doctrina excellens (etsi ratio anticatholica interdum nimis apparet), ubi historia Dalmatiae ecclesiastica (ritus orientalis) a saeculo I. usque ad XIX. tractatur. E fasc. 1—3. haec promimus: Ep. N. Milaš, Unijaćenje u Dalmaciji god. 1832—1835 (Unionis conatus in Dalm. a. 1832—1835), pg. 7—13, 22—26, 40—46. Materia a. 1904 instituta porro tractatur necdum absolvitur. Solum documenta (nr. 36—45) historica foras dantur. — Reliqua (De vaticiniis messianis; Praeco fidei — praeco verae humanitatis) ad laudem doctrinae non aspirant. — Pg. 49—50 † Ep. J. J. Strosmayer dicitur adversarius ecclesiae »orthodoxae« gravissimus et periculosissimus fuisse, cum nemo alliciendi »orthodoxos« ita sicut is peritus fuerit. Eundem post concilium Vaticanum fere sine intermissione omnibus modis unioni ecclesiarum dedisse operam; ecclesiam cathedralem a. 1882 eodem consilio eum consecrasse. Qua opera Romae gratiam eum sibi conciliasse. Eius mortem veritatis verborum »portae inferi — ecclesiae ‚orthodoxae' — non praevalebunt« testimonio esse. *G. R.*

Glasnik pravoslavne crkve u kraljevini Srbiji. — Hoc opus periodicum, cuius singulis mensibus editur fasciculus, publicum est. Tauruni (in Serbia) typis describitur; venit 12 fr. (extra Serbiam). Ineunte a. 1905, quo operi adornando M. Kovačević prof. praeesse coepit, quasi nova vitae eius fundamenta posita sunt ita ut nunc doctrina theologica omnia similia opera serbica superet. A. 1905 nr. 1—2.

S. Platon: Prvobitna pravednost po učenju Tridentskog sabora (Iustitia originalis secundum doctrinam concilii

Trid.) — pg 36—46; 134—139. Postquam auctor obscurius exposuit, quae bona primus homo habuerit, a quo initio doctrina catholica de iustitia originali profecta sit persequitur. A s. Augustino et eius cum Pelagianis controversiis exorsus, Scholasticos doctrinam suam de statu originali ex sententia Semipelagianorum excluisse contendit; cum enim distinguerent »imaginem« (obraz) a »similitudine« (podobije), collocasse eos hanc in maioribus partibus animi, illam in earundem progressu ad bonum (pg. 43). Fuse explicat doctrinam S. Thomae (pg. 44) et Scoti (pg. 45), et controversiam inter Thomistas et Scotistas in concilio Tridentino, propter quam concilium quaestionem, utrum homo in iustitia creatus sit (Thomistae), an ei postea ut »donum superadditum« addita sit (Scotistae) iniudicatam reliquit et illud thomisticum »creatus fuerat« ambiguo — »constitutus fuerat« commutavit (pg. 134—136). Sed nostris temporibus, Bellarmino iesuita auctore, doctrina scotistica iam communis evasit et etiam in catechismum romanum recepta est (pg. 137—139). — Quae ex fontibus latinis hausta sunt, imprimis decreta concilii, etiam latine, non tantum in lingua vernacula ascribenda erant.

S. M. Veselinović: Palestina u vremena Isusa Hrista. De Palaestina tempore Jesu Christi (pg. 17—26). Praemissis quae de terrae situ atque natura dicenda erant, auctor imprimis de variis historicis nominibus Palaestinae et diversis eius incolis exponit. Ex rebus historicis fusius tractandas elegit seditiones, quae post mortem Herodis commotae sunt; item factiones iudaicas tempore Christi — earumque doctrinas, studia etc.; ad extremum denique summam potestatem apud Judaeos: de synedrio aliisque tribunalibus ei subiectis. — Commentatio brevis est, sed accurata. Ad maiorem rerum iudaicarum cognitionem haud scio an, maximo usui fuerit, si auctor plenius atque uberius Romanorum in Judaeos potestatem civilem ac tetrarcharum et synedrii cum procuratore Romano rationem perscripsisset. Fons, unde plurima hausit, Josephus Flavius est. — S. M. Veselinović: Sv. apostol Varnava (S. Barnabas) pg. 105—114. De vita rebusque S. Barnabae, secundum »Acta Apost.« et varios libros apocryphos, maxime eum, qui »Acta et passio S. Barnabae« inscribitur. Novas quidem res auctor non profert, sed omnia ad eum, qui nunc est, disciplinae statum accurate exponit, litteris russicis et germanicis (etiam catholicis) copiose usus. Quo anno S. Barnabas mortuus sit, de hoc nihil affirmat, sed tantum varias coniecturas, quae inter a. 53—102 variantur, sine partium studio commemorat (pg. 113—114). *G. R.*

SLOVENICA.

Cerkveni spomeniki Lavantinske škofije. I. Dekanija Gornjegrajska (Monumenta ecclesiastica episcopatus Labacensis I. Decanatus Oberburgensis). Spisal *Avguštin Stegenšek.* S 162 slikami in 3 tablicami. V Mariboru 1905. Založil pisatelj. 239 pag. mag. 8⁰.

Magna cum industria colligere coepit Augustinus Stegenšek antiquitates et monumenta ecclesiarum, capellarum et monasteriorum aliarumque aedium sacrarum episcopatus Labacensis. Quod in aliis terris academiae scientiarum suscipiunt, suscepit iste solus propriis viribus et sumptibus. Fasciculus primus continet topographiam decanatus Oberburgensis, et quidem topographiam, quae artis christianae opera quoad stilum, antiquitatem, pretium aestimat. Insertae illustrationes necnon adiectae tabulae formas monumentorum, imaginum, aedificiorum e. a. ante oculos ponunt. Magni pretii sunt appendices, in quibus auctor

quasi summam pervestigationum suarum in conspectu ponit (excursus de cultu singulorum sanctorum, qualiter in numero ecclesiarum ipsis consecratarum apparet, historico-topographicus conspectus sacrarum aedium, consignatio alphabetica et biographica artificum e. a.)

QUAEDAM, DE QUIBUS THEOLOGI UTRIUSQUE ECCLESIAE DISSENTIUNT.

I.

Doctrina de ecclesia.

B. De membris Ecclesiae.

De membris ecclesiae theologi Russorum multa ne tractant quidem, in aliis plus minusve errant et solum tertia pars doctrinae nostrae ab eis diserte approbatur. Illa, in quibus nobiscum sentiunt paucis quidem absoluturi, tamen, ut tota catholicorum doctrina hac de re perspiciatur, ponere atque exponere libet: Membra ecclesiae actu et simpliciter esse omnes et solos valide baptizatos, qui, si adulti sunt et de revelata a Deo doctrina audierunt, triplici vinculo professionis verae fidei, obedientiae hierarchicae, communicationis ecclesiasticae inter se colligantur[1]).

Imprimis quid haec verba sibi velint, explicandum est. Membra sunt ii, qui coniunguntur in societate ad communem finem obtinendum; membra actu et simpliciter sunt, qui non solum potentia aut secundum quid i. e. secundum minorem partem sui (cf. Reeb, Distinctiones n. 65) membra sunt: veluti peccatores secundum quid sunt extra ecclesiam, quia a Spiritu s. (anima ecclesiae) non animantur (cf. Hieron., In Eph. 5, 24), tamen simpliciter sunt in ecclesia, quatenus omnes conditiones a Christo constitutas, sub quibus homines sint membra ecclesiae, implent. — Baptizati intelliguntur ii, qui per lavacrum aquae baptismum perceperunt: sunt qui negarint opus esse valido baptismo et dixerint sufficere existimatum (Palmieri); utrum opus sit baptismo cum fructu percepto necne vertitur in eo, quando (in percipiendo baptismo an antea) adulto habitus fidei infundi dicatur. — Ceterum fuerunt, qui omnes baptizatos membra ecclesiae esse putarent. Cf. Grafton, Pusey and the church revival p. 68. — Professio verae fidei postulatur a) saltem implicita, quatenus nempe in ecclesia a singulis membris nonnulla ignorari possunt, immo definita negari, dummodo admittatur vera regula fidei et teneatur quidquid ecclesia proponit (scilicet non solum: quidquid Deus revelavit). Cui igitur aliquid casu propositum non est, licet ecclesia id proposuerit, is etsi sit materialis haereticus, cum contrarium illius rei dicit, tamen, si modo admittit regulam fidei, est simpliciter et vere membrum ecclesiae. Professio verae fidei postulatur b) interna, quae naturaliter etiam extra se manifestat. Qua interna

[1]) Cf. Franzelin, De ecclesia Christi p. 379—424; Murray, De ecclesia disp. III.

fide opus esse negant Makarij (Pravoslavno-dogmatičeskoe bogoslovie [3] t. II [Spb. 1868] p. 204) et qui eum sequuntur et ex theologis catholicis Domin. Soto, Bellarminus, Perrone, Palmieri, Wilmers etc.; qui solam externam professionem vinculum necesssarium esse tenent, quam necessaria sit et quando, quoties facienda non exponentes. Utrum protestantes in ecclesia Christi insint necne vehemens est controversia theologorum Russorum horum temporum. Makarij in utramque partem trahi potest, cum non discreverit (l. c.) eos, qui regulam fidei negant et eos qui ea admissa de dogmate aliquo perperam iudicant. Silvestr in opere suo dogmatico (5 tomorum) eam quaestionem non tractat. Controversia est inter D. Bogdaševskij, A. Gusev, V. Kerenskij, V. Sokolov (ex hac parte) et P. Ja. Světlov (illinc). Quid sentiat, Světlov optime expressit in Bogoslovkij Věstnik 1904, I. 306. 307: „Ecclesiam orientalem esse ecclesiam universam seu esse ecclesiam catholicam quibusdam rationibus conantur probare. Ante omnia vocant nos ad id, solam ecclesiam orientalem veram fidem servasse omnino puram. Id affirmari potest ab eo solo, qui sua scientia omnia complectitur, sicut Deus. Quis mortalium audeat negare puram fidem inter occidentales quoque christianos esse posse? Quod ostendunt ecclesiam orientalem profiteri se universam Christi ecclesiam esse, nulla ratione fidem facere potest. Nam ecclesiae particulares non fient universales, si universales se iudicaverint ... Insuper ecclesiam orientalem ita de se sentire facta quaedam revincunt.“ — Item Bogosl. Věstnik 1905, I, 703: „Separatio in fide seu error dogmaticus, si rem ipsam spectas, non est separatio ab ipsa ecclesia; praeter unitatem fidei visibilem, quae unitate externae confessionis exprimitur, potest in ecclesia esse etiam invisibilis unitas. Unitas occulta in ecclesia manifesto divisa conservari potest partim visibili (velut in ecclesiis veterocatholicis et apud aliquos theologos anglicanos et lutheranos), partim invisibili societate vitae supernaturalis, pendente non ex confessione fidei externa, sed ex viva salutarique fide christiana. — Idem (in opere suo Opyt apologetičeskago izloženija pravoslavnago hristianskago Věroučenija [2] Kiev 1898—9, t. II str. 32—40) existimat (cum Filaret, Pravoslavnoe dogmatičeskoe bogoslovie [3] Spb. 1882, I, str. 6 § 4 et cum protestantibus contra alios Russorum theologos) discernenda esse dogmata „fundamentalia“, praecipua et dogmata levioris momenti. — Obedientia est debita relatio ad auctoritatem, sine qua, ut vinculo quodam, societas nulla esse potest; hierarchica refertur ad auctoritatem ecclesiasticam: cui obedientiae in capite supremo sane sola gubernatio respondet. Qui obedientiam hierarchicam detrectat, i. e. qui habitualiter seu ratione stabili firmaque non vult subiectus esse legitimae auctoritati, est schismaticus; non autem is, qui solum data occasione actu obedire recusat. Discrimen autem (simile atque inter haereticos supra statuimus) est inter schismaticos, qui negant ius i. e. romanum episcopum habere auctoritatem in universam ecclesiam, negant se in eius potestate esse, etsi eum optime cognoverunt et eos, qui illud concednnt, sed errant de eo, quis auctoritatem legitimam obtineat, ei parere nolunt, qui reapse episcopus

romanus est, quia eum romanum episcopum esse non putant; velut saeculo XIV., cum pars fidelium Urbano VI., pars Clementi VII. et utriusque successoribus adhaererent. Solum illos, non hos, negamus esse simpliciter (cf. Basilius, Ep. 188 ad Amphil. cn. 1) membra ecclesiae Christi. — Communicatio ecclesiastica est ius cooperationis et societatis bonorum ecclesiae a Christo traditorum. Id adimi potest excepta certissima iniuria, quae v. g. infantibus inferretur. Excommunicatio est primario vindicativa; sed simul etiam medicinalis; hinc definiri potest: vindicta per auctoritatem ecclesiasticam statuta, qua homines baptizati privantur bonis ecclesiae visibilibus, et quatenus cum eis connexa sunt, etiam spiritualibus. Cf. Dom. Viva, Quesnellianae theses. (Beneventi 1724). Prop. 90—93 (p. 323—334). — Inter Russos v. g. A. A. Kiréev (Bogoslovskij Věstnik 1904, I, 540) concesso ecclesiam schismaticos devovere posse, in quaestionem venire dicit „kakie razměry dajutsja etomu ponjatiju, kak ono vyražaetsja na praktikě i pri kakih uslovijah otlučenie prekraščaetsja.“ — Ex voce 'omnes' patet nos negare etiam sententiam Viclef, Hus, Calvin. ecclesiam esse coetum praedestinatorum, item donatianorum, homines flagitiosos esse extra ecclesiam (de quibus cf. Evg. Trubeckoj, Religiozno-obščestvennyj ideal zapadnago hristianstva v V. věkě. M. 1892, I, 109—114.).

Iam ad id, quod posuimus, demonstrandum accedamus.

I. Opus est baptismo. Homo fit membrum mystici corporis Christi, coniungitur alteri capiti generis humani per baptismum; 1 Cor 12, 13; Conc. trident., Sess. 14, c. 2. de poen. Ideo catechumeni a ss. patribus dicuntur „inserendi ecclesiae“: Cyrill. hieros., Procatech. n. 17. Cf. August., De peccator. mer. et rem. n. 39; ad Simplicianum l. 1, q. 2, n. 2. Iidem dicuntur esse in vestibulo (ἐν προθύροις): quos εἴσω γενέσθαι oportere: Greg. naz., Or. 40, n. 16. Cf. Cyr. hieros., Procatech. n. 1: Io. Chrysost., In Io. hom. 25, n. 3: Pacianus, De bapt. n. 6.: Optatus, De schism. l. 2, n. 10: Cn. laodicen. 48. — Denique in omnibus ecclesiis in precationibus sollemnibus de catechumenis baptizandis Deo supplicatur, ut „inter ecclesiae membra numerentur.“

Sed moneat quispiam, — unde re ipsa Světlov in sua causa argumentum sumpsit[2]) — extra ecclesiam salvari neminem posse: atqui etiam eos, qui baptizati non sunt, salvari posse. — Non salvantur, nisi saltem voto sint in ecclesia; id quod omnino sufficere potest. Ceterum ideo animos eorum Spiritus s. movet, ut eos attrahat ad ecclesiam. —

II. Opus est baptismo valido. Id patet ex controversia patrum cum donatianis. Cf. Optatus, De schism. l. 2, n. 12. — Sed quaeres, quemadmodum congruat, ut ii, qui baptismum invalidum perceperunt,

---

[2]) Bogoslovskij Věstnik 1905 I, 704: „Vně cerkvi nět spasenija. Spasenie soveršaetsja blagodat'ju. Vně cerkvi nět blagodati, nět tainstv . . . : potomu vo věki věkov, seznajus', ne ponjat' mně sočetanija v golovah adeptov srednevěkovogo vozzrěnija mysli o neprinadležnosti inoslavnyh k cerkvi s priznaniem dějstvitel'nosti blagodati ih tainstv!“

sint extra ecclesiam, si ecclesia est societas ideoque visibilis? Ecclesiam qua talem esse visibilem certe necesse est, i. e. maior pars eorum, qui ad eam pertinere videntur, debet reapse ad eam pertinere; verum singulos, hunc vel illum esse membra ecclesiae constare necessarium non est; ita, qui occulte et secreto haeresim ore protulit, non videri, sed esse membrum ecclesiae desiit. Sed quomodo constabit partem maiorem eorum, qui videntur esse in ecclesia, vera eius membra esse? Modo agendi hominum et promissioni Christi repugnat, ut maior pars hominum qui se credere, se baptizare velle vel baptizari, se ordinare velle vel ordinari, gratis et sine mercede sint mendaces. De singulis autem quod certum non est, iure sumitur.

III. Opus est fide. a) Fides ecclesiae una sit oportet (cf. Eph. 4, 3—16; Iren. l. 1, c. 10, n. 2; Tertull., Da praescr. c. 20; Epiphan., Expos. fid. n. 6; Io. Chrysost., In Eph hom. 11, e. 3). Atqui una non esset, si haeretici membra ecclesiae essent; qui enim negant doctrinam ab ecclesia iusto modo propositam, a magisterio authentico eiusque fidelibus discipulis et necessario inter se quoque dissentiunt. Ad consensum autem et unitatem sufficit, ut teneatur regula fidei: quidquid ecclesia credendum esse decreverit, verum esse. Cf. G. Wilmers, De Christi ecclesia p. 34—36.

b) De fidei saltem externae necessitate testimonia patrum creberrima sunt. Iren., Haer. l. 3, c. 3, n. 4; Tertul., De praescript. c. 37; Cypr., Ep. 73; Ep, 52, n. 24; Athanasius, Adv. Arianos, Or. 1, n. 1; Jo. Chrysost., In Eph hom. 11, n. 3. 5; August., De unit. eccl. c. 4; C. Petil. c. 3; De haer. c. 88; Serm. 181, n. 3; Siricius, Ep. 1. ad Himer. n. 2; Leo M. Ep. 167. ad Rust. n. 18; Pelagius I, Fragm. ep. ad Jo. Patricium; ad Viatorem et Pancr.; Optatus, De schism. l. 1, n. 11. 12; Fulgentius, De fide ad Petr. n. 79—81; etc.

c) Ratio ipsa docet fidem eamque internam cum natura membri ecclesiae esse coniunctam. Nam homo expers omnis vitae supernaturalis incapax est omnis actionis, quae conferat ad finem ecclesiae; atqui ubi exclusa est cooperatio, ibi desiit ratio membri societatis. Hinc Basilius (In Hexaëm hom. 5): Nos singuli, inquit, ecclesiae per fidem inserti palmites appellati sumus.

Sed etiam dissolvenda sunt conquisita ab adversariis multa in contrariam partem argumenta, ne alios quoque incautos moveant. Imprimis nonnullis locis sacrarum litterarum abuti solent. 1 Cor 15, 12 s. Paulus „Si autem, inquit, Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est“. Apostolus hic dicit quidem inter christianos esse etiam sadducaeos vel cerinthianos, sed hos membra esse ecclesiae non dicit. — 1 Cor 5, 13 idem s. Paulus negat quidem ab ecclesia iudicari eos, „qui foris sunt“, verum illos significat, qui numquam in ecclesia fuerunt ideoque nec actu nec debito ibi sunt, non haereticos; haeretici igitur sub ius et iurisdictionem ecclesiae subiuncti sunt, licet membra eius non sint. — Locus 2 Tim 2, 20, quem nonnulli opponebant — magnam domum cum s. Augustino (De bapt. 3, n. 26; 4, 12) ecclesiam interpretantes (cf. Ambros. in l. c.) — non est proxime nectendus

cum vv. 17. 18., sed cum v. 19. S. Augustinum vero nemo dicet pelagianos et donatianos membra ecclesiae verae duxisse. Haeretici ad ecclesiam pertinent secundum quid; multa enim ex ecclesia secum abstulere, debitum eorum est, ut in ecclesiam redeant, sunt in ecclesiae potestate. Cf. August., Enarr. in ps. 54; De bapt. l. 1, c. 15. — Rom 14, 1 („infirmum autem in fide assumite") non agitur de haeretico, sed de eo, qui nondum perfectam fidei scientiam assecutus conscientia erranti implicatur. — S. Joannes (1 Jo 2, 18, 19) dicit quidem haereticos exiisse „ex nobis"; sed id intelligendum est de aperta defectione. Itaque ideo „non erant ex nobis", quod veram fidem negabant et ea de causa exierunt, „ut manifesti sint, quoniam non omnes sunt ex nobis".

Deinde alia ex traditione opposuerunt. Cyprianum dicunt aliud sensisse ac Stephanum et tamen mansisse in ecclesia atque ut sanctum coli. Verum s. Cyprianus illam quaestionem videtur quidem habuisse dubiam etiam post decretum Stephani — proxime disciplinare — sed non fuit haereticus formalis, saltem ante mortem. Ceterum cf. Riess in Stimmen aus Maria Laach XIII, 348—351; Peters, Der h. Cyprian. Regensburg 1877; Fechtrup, Der h. Cyprian. Münster 1878; Cypr., Ep. 80, 1. — Concilio oecum. V., cum „tria capitula" damnasset, occidentales se opposuerunt nec tamen credi potest eos separatos esse ab ecclesia. Sed contra doctrinam nostram non est, si separati non sunt ii, qui concilium oecumenicum esse nec eius decreta concilio oecumenico IV⁰ adversari ignorabant. — Similiter iudicandum est de ratione, quam concilium francofordiense habuit ad concilium oecum. VII. — In verbis Pii IX. (in bulla, 'Ineffabilis Deus'): „Quapropter, si qui secus ac a nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint ac porro sciant se proprio iudicio condemnatos naufragium circa fidem passos esse; et ab unitate ecclesiae defecisse ac praeterea facto ipso suo semet et poenis a iure statutis subicere, si quod sentiunt, verbo aut scripto vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint" mutanda est interpunctio et incisum illud „et ab unitate ecclesiae defecisse" ad priorem partem trahendum.

Denique, si adversariorum argumenta ex ratione ducta consideramus, ad illud de visibilitate ecclesiae iam supra respondimus (p. I.). — Simile est argumentum de ecclesiae catholicitate; si haeretici membra ecclesiae non sunt, ecclesia non est ubique diffusa absolute, sed quantum necessarium est ad id, ut catholica vocari possit; ceterum infantes haereticorum baptizati sunt eius membra. — Episcopus, qui est haereticus occultus iurisdictionem, eamque ordinariam seu muneri proprio adnexam, retinet et eatenus caput quoddam ecclesiae — praesertim, si est romanus episcopus — manet; sed non eiusmodi caput, quod simul sit membrum.

IV. Opus est obedientia hierarchica. Nam, ut aliquis sit membrum societatis, opus est saltem habitualis animus conferendi aliquid ad finem societatis; et cum cooperatio regatur et gubernetur

per auctoritatem, habitualis animus subiciendi se imperio eorum, qu habent auctoritatem in ecclesia, seu hierarchiae. Cf. Cyprianus, Ep. 69 ad Florent. Pup.: Ignat. ad Smyrn. n. 8: Hieron., in Tit 3, 11: August., De fide et symb. c. 10.

V. Ad extremum opus est, ut ecclesia hominem membrum suum agnoscat.

Nam a) omnis societas ius habet privandi membra iure cooperationis ad finem societatis, quia saepe sanctio alia non sufficit: insuper cf. Mt 16, 19. Quae ademptio rata non est, nisi ius adimatur sine certissima iniuria. Cf. Wilmers l. c. n. 401 (p. 642—646).

b) Locus Mt 18, 17 „sit tibi sicut ethnicus et publicanus“ cum sequ. sententia „Quaecumque alligaveritis super terram, ligata erunt et in coelo“ non potest intelligi nisi de eiectione. Cf. Franzelin l. c. p. 392.

c) Accedunt patrum testimonia. Cf. Cyprian., Ep. 62 ad Pompon.; Origenes, In Iudic hom. 2, n. 5; Hilarius, In ps. 118 litt. 16, n. 5; Ambros., De poen. l. 1, c. 15, n. 78; Hieronym. In Ezech 17, 19; In Tit. 3; Jo. Chrysost., In 1 Tim. hom. 5, n. 2; Greg. Nyss., Oratio adv. cos, qui poenas ecclesiasticas graviter ferunt. — Cf. Makarij[3] II, 202—4.

VI. Praeter ea, quae statuimus, nihil aliud exigitur; nam necessaria esset aut sanctitas seu iustitia aut actualis animus conferendi ad finem aut caritas aut praedestinatio ad gloriam.

Atqui a) non est necessaria sanctitas (cf. Franzelin th. 25 [p. 438—460]; Makarij[3] II, 197—9). Id patres ex s. litteris et ex traditione probant contra novatianos et donatianos; velut Origen., In gen. hom. 2, n. 3; Cyprian., Ep. 52. ad Ant. n. 25; Greg. Naz., Or. 1. apol.; Hieron., Dial. c. Lucif.; Jo. Chrysost., In ps. 39; August., De unit. eccl. c. 13; Ad donat. post collationem n. 14; Fulgent., De fide c. 43, n. 84 s.; Greg. M., Hom. 11; 38 n. 7—14. — De Mt 13, 24—30; 36—43 cf. L. Fonck, Die Parabeln des Herrn. Innsbr. 1902, p. 140; et de Mt 13, 47—50 ib. p. 202. — Ceterum sensu quodam est verum peccatores membra ecclesiae non esse. Sane peccatores qua sunt peccatores non sunt Christi membra; sed neque peccatores, qui sunt peccatores sunt membra Christi secundum ideam ecclesiae, ut dici possint vere membra eodem sensu, quo Nathanaël „vere Israëlita“ a Domino appellatus est (Jo 1, 47). Cf. August. Ep. 43, n. 23; Cont. Petil. l. 2, c. 10 s.; De unit. eccl. n. 35; De bapt. l. 5, c. 3; l. 6, c. 3; l. 7, c. 51. 52; etc. Cf. Alticotius, Summa augustin. p. 3, q. 1, a. 3.

b) neque actualis animus conferendi ad finem. Nam in quavis societate humana accidit, ut qui praesunt aliquid imperent, quod subditi non faciant, quin membra societatis esse desinant.

c) neque vinculum caritatis, nisi caritatis socialis, quae conistit in obedientia hierarchica. Id constat ex traditione et communi consensu. Cf. Wilmers p. 647.

d) neque praedestinatio ad aeternam felicitatem. Alioquin enim potestas excommunicandi et excommunicatus recipiendi tolleretur. Cf. etiam Cypr. l. 3, ep. 3; l. 4, ep. 2; August., Tr. 45 in Jo; Contra Cresc. c. 34; Jo Chrysost., In 2 Tim hom. 6.

Quibus rebus expositis doctrina theologorum ecclesiae romanae de membris ecclesiae videtur facta esse manifesta ac perspicua. —*l*—

C De notis ecclesiae[1]).

Duo libellos russicos prae manu habemus, quae nostram quaestionem uberius — etsi non omnino secundum artis praecepta — tractant Alter ab Alexandro (ep. možajskij), qui antea Světlakov vocabatur, institutionis causa scriptus est „O neobhodimyh priznakah istinnosti sv. cerkvi“ M. 1891 ([2]M. 1894), alterius auctor est A. Lebedev (O priznakah istinnoj cerkvi Spb. 1890) Solov'evii celebrato libro „La Russie et l'église universelle“ ad concertandum motus.

Alexander ep. has notas occlesiae ponit: 1) nepreryvnost' cerkovnoj ierarhii, continuationem hierarchiae ecclesiasticae; quam (p. 3) positivam notam esse iudicat; 2) nepreryvnost' sedmeričnago čisla tainstv, continuationem septenarii numeri sacramentorum; 3) nepreryvnost' edinstva v učenii i neizměnnost' ego, continuationem unitatis doctrinae eiusque immutabilitatem: 4) vzaimnoe edinenie vsěh častnyh cerkvej vo vsem suščestvennom, neizměnnom i neobhodimom k ustroeniju cerkvi božiej, ecclesiarum particularium concordiam in omnibus, quae in ecclesia Dei componenda praecipua, immutabilia, necessaria sunt; 5) to, čto ona istinnyja ponjatija i zdravyja, spasitel'nyja suždenija vnosit i v žizn' věrujuščih, i. e. quod veras notiones ac salutaria iudicia ad vitae fidelium usum confert.

A. Lebedev enumerat notas alias: 1) sanctitatem cum miraculis, quacum notâ constantiam sentiendi, sanctitate ecclesiae fidei incolumitatem contineri (Jo. 7, 16—17), commiscet: 2) confessionem Christum sua ipsius actione fideles moventem primas in ecclesia partes agere (1 Cor 3, 5—7): 3) traditionis doctrinae ecclesiasticae [apostolicae] continuationem (velut de modo baptizandi, de azymis etc.); 4) errores evitatos [2]).

Doctrina theologorum catholicorum his comprehendi potest: Ecclesia Christi notis distincta est, quibus veritas

---

[1]) Suarez, De virtutibus theol. disp. 9; Regnier, Tractatus de ecclesia Christi in Migne, Theol. Curs. C. t. IV, 250—434: Franzelin, De ecclesia Christi p. 355—377; D. Palmieri, De romano pontifice p. 677—685; Englert, Zur Theorie der Wesensmerkmale der wahren. Kirche in Katholik 1897 II, 97. 245.

[2]) A. S. Glagolev in opere rerum referto, Sverhestvennoe otkrovenie i estestvennoe bogopoznanie vně istinnoj Cerkvi. Har'kov 1900, p. 408—414 tres notae verae ecclesiae statuuntur a) ut doceat vera (eja idealnaja pravda), b) ne ea, quae docet, inter se discrepent (eja soglasie samoj v soboj), c) continuatio historica eoclesiae (istoričeskaja nepreryvnosť cerkvi).

eius cognoscatur: coetus consortium cum romano pontifice, sanctitas moralis membrorum miraculis confirmata, coetus catholicitas sunt notae positivae: legitima origo, unitas socialis, fidei, liturgica, neglectus mundi huiusque consequens odium, propagatio inter gentes ad negativas pertinent. Quamquam dogma catholicum non est nisi esse revera ecclesiae Christi cognoscendae notas (Conc. Vat. 1. 3, c. 3) aut catholicitatem esse eiusmodi notam.

Nota a theologis catholicis definitur: id, quod cognitum ad subiectum, cui inest, certo cognoscendum ideoque ab aliis dinoscendum ducit. Ut aliqua proprietas ecclesiae possit nota verae ecclesiae esse, necesse est eam experimentaliter cognosci posse et immediatius notum esse, eam reapse proprietatem esse quam, coetum esse veram ecclesiam Christi; et, si est nota positiva, necesse est immediatius cognitum esse eam proprietatem non posse comunicari cum coetu alio. Nota negativa omne est, ex cuius defectu cognoscimus aliquid non esse illud subiectum, quod quaerimus; itaque ad id, ut proprietas aliqua sit nota ecclesiae negativa, sufficit, si constet ecclesiam veram ea proprietate carere non posse.

Ceterum notas ecclesiae cognoscendae necesse non est notiores esse quam ecclesiam separatim, seu in abstracto spectatam, sed tantum, quam ecclesiam definite seu in concreto; quatenus nimirum veritate vel etiam divina origine sacrorum librorum agnita sane ecclesiae Christi intelligentia aliqua haberi potest. Sed, cum ecclesia vera a coetibus, qui se veram ecclesiam esse simulant, debeat facile internosci posse etiam ab iis, qui nondum credunt quae a Deo revelata sunt, etiam pro his notae adsint necesse est. Id fieri nequit, nisi ratio ante fidem cognoscit, quid in natura societatis divinitus institutae, quae talem et nomine Dei docentem ac praecipientem se profitetur, positum sit vel quod certissimum indicium sit eiusmodi societatis: testimonium miraculorum.

Secundum ea, quae diximus, non omnis proprietas ecclesiae naturâ nota est. Apostolicitatis proprietas etiam successionem episcoporum complectitur; nota autem non est, nisi quatenus „romanorum pontificum successio legitima fuit, nec sunt in ecclesia episcopi, qui non a romano pontifice (ideoque a certissimo apostolorum successore) auctoritatem suam habeant.“ (Mar. de Boylesve S. J., Cursus philosophiae. Lutet. Paris. 1885 p. 518.) Apostolis enim tradita est quidem potestas ab ipso Christo, sed ita, ut Petro subiecti essent; apostolica igitur potestas transfundi non potest ita, ut episcopo romano obnoxia esse desinat.

Item ecclesia multis modis est sancta (de sanctitatis notione v. Zeitschrift f. kathol. Theologie 1899, 471—514 [J. Müller]); primum propter coniunctionem cum Christo capite; deinde propter coniunctionem cum Spiritu s., anima; tum propter finem propositum; denique propter sanctitatem privatam eamque ontologicam infantium et moralem adultorum, idque cum propter sanctitatis rudimenta in omnibus

adultis, quatenus membra omnia (cf. supra p. 594) habent saltem fidem, tum propter sanctitatem perfectam, gratiam sanctificantem, quatenus ecclesia propter talem sanctitatem multorum comparate membrorum sancta vocari potest, quippe quae instrumenta ac subsidia ad eam praebeat, ita ut ab omnibus membris comparari possit, modo eius liberalitate utantur. Verum notam ecclesiae ponimus tantum sanctitatem moralem eamque talem, quae ab omnibus approbatur velut temperantiam, misericordiam etc. Sanctitas ontologica non est nota nisi quatenus indicatur charismatis vel sanctitate morali.

Verbo catholicitatis non maximi membrorum numeri sed diffusionis per diversissimas gentes notionem subicimus. Russi ecclesiae ita propriam esse iudicant catholicitatem, ut 1) studia sua convertat non in unam gentem, sed in totum genus humanum („čto dolžna obnjat' svoeju missiej ne otděl'nyj tol'ko narod, a vse čelověčestvo"); 2) ut in ea omnia contineantur quaecumque ad hominem salvandum necessaria sunt („čto v nee, kak v bogatuju sokroviščnicu, složeno vse to, čto neobhodimo dlja spasenija čelověka"); 3) maxime, ut doctrinam teneat eam, quae semper et ubique et ab omnibus credita est, quamque ab apostolis repeti necesse est („čto ona soderžit učenie, v kotoroe, po principu Vikentija Lirinskago, věrili vsegda, vsjudy i vsě"). Cf. V. A. Kerenskij in Hristianskoe Čtenie 1903 (83) II, p. 712.

Unitas socialis ecclesiae in eo consistit, quod omnes partes inter se conspirare volunt tamquam membra unius corporis.

Odium mundi (mundus vel sunt rationes ac iudicia, quae ex corrupta natura humana nascuntur ideoque hominibus, ad quos ecclesia non pertinet communia sunt vel sunt homines, qui eis rationibus moventur) etiam a Metrophane Critopulo (ap. Kimmel, Libri symbolici. Appendix. Jenae 1850, p. 104) in notis ecclesiae reponitur.

Sed iam argumenta theologorum ecclesiae romanae promamus.

Ecclesiam Christi habere notas ita efficimus: Ecclesia Christi hominibus necessaria est (necessitate medii et praecepti) ad salutem consequendam. Atqui nisi ecclesia semper ac necessario visibilis esset ut vera Christi ecclesia seu a sectis falsis facile discerni posset, homines ei nomina dare non possent sine nova revelatione, quae non est via trita ad ecclesiam. — Idem discimus vel e vaticiniis V. T. (Is 2, 2 ss.; Mich 4, 1 ss.): „neque enim omnes gentes confluxurae ad eam dicerentur et alius alium invitaret, nisi quibusdam signis conspicua esset ecclesia et demonstrabilis." Cf. Franzelin, De eccl. Chr. th. 6, p. 65—76; Straub, De eccl. p. 188—203; Katholik LX (1880), II, 581; Stimmen v. Maria-L. XVII, 128. — Patrum praecipua testimonia sunt ap. Iren., C. haer. l. 3, c. 3; Augustin. Tr. 1. in Io n. 13. — Quod Russorum theologis nonnumquam videtur non posse idem credi quod ratione cognoscitur, nos movere non potest; concedimus enim tantum eatenus ecclesiam non cognosci ratione, quatenus videlicet obiectum fidei est. De Apc 12, 6. 14 autem cf. exegetas.

Communionem coetus cum romano pontifice, quam omnium oculis cerni ideoque notam esse ex hac parte posse nemo negabit, solius verae ecclesiae propriam esse constat, si — quod hic evincere nobis in animo non est — Christus primatum iurisdictionis concessit Petro, cuius successores sint romani pontifices. — Cf. etiam Ambros. In ps. 40, n. 30: Cyprian. Ep. 52 ad Anton. n. 1; Optat., De schism, don. l. 2, n. 5. 6. 9.

Sanctitatem miraculis confirmatam ecclesiae positivam notam esse hoc modo demonstratur: Externus virtutis cultus res est quae et sensibus et intellectu percipi potest: eodem sanctitas animorum quoque, ut non in singulis, ita universe in plurimis in conspectum datur; plurimos enim ex illis, qui virtutem extrinsecus colunt non posse non esse sanctos cognoscitur. Item virtus, quae editur, res est visibilis, et intelligibilis, qua auctoris vel illius coetus, ad cuius sanctitatem testimonio divino confirmandam miracula fiunt, sanctitas apparet.

Atqui sanctitatem miraculis confirmatam solius verae ecclesiae necessario propriam esse tum ratio tum libri divini (Mt 7, 16—20) docent. Cf. Ez 37, 21—28: Mt 13, 24—30: etiam Lc 1, 74—5; 12, 49; Io 15, 16; 17, 17; Eph 1, 3 etc., quatenus Christum propositum assecutum non esse teneri nequit; de miraculis cf. Mc 16, 17: Io 14, 12. —

Patres, qui sanctitatem in notis ecclesiae ponunt, sunt: Justin., Ap. 1, n. 15; Iren., Haer. l. 2, c. 32, n. 4; l. 3, c. 24, n. 1; l. 5, c. 6, n. 1; Tertull., Apol. c. 23. 44; De praescr. c. 43; Origenes C. Cels. l. 1, n. 47; l. 2, n. 8; Athanas., Or. de incarn. Verbi. n. 48. 51; August., De morib. eccl. cath. n. 65; De civ. Dei l. 10, c. 16, n. 1; Gregor. M., In evang. hom. 29, n. 4 etc.

Sed dicat fortasse quispiam etiam extra veram ecclesiam homines sanctos esse et miracula edi. Cui respondemus esse eos sanctos ecclesia hortante et iuvante, non per se neque eximie sanctos, et imprimis virtutem christianam κατ' ἐξοχήν veram erga homines caritatem (non meram humanitatem), humilitatem, mansuetudinem extra ecclesiam frusta quaeri; miracula autem, quae extra ecclesiam fiunt, fieri non posse ad confirmandam sanctitatem edentis sed tantum alicuius doctrinae particularis veritatem.

Etiam catholicitatem ecclesiae (adultae) notam positivam esse his planum fit: Catholicitas verae ecclesiae in eo consistit, ut eadem per diversissimas gentes diffusa (idque non sicut Judaei qui inspersi tantum gentibus sunt neque gentes ad sacra sua abduxerunt, sed ita, ut ex gentibus membra ecclesiae adiuncta sint) atque aliis coetibus, qui se christianos profitentur, amplior sit: id quod in cernendi sensum cadere manifestum est.

Eandem catholicitatem propriam esse verae ecclesiae docemur ap. Is 2, 2 ss.; Mt 28, 19. 20. — Praeterea catholicitas ecclesiae mundo exosae, in tot tantisque impedimentis obtenta, in tot tantisque

procellis vexationum conservata magnis miraculis excellentiam ecclesiae patefacientibus ideoque veram eam esse testantibus iure annumeratur; ipse enim instrumentorum naturalium ad tantum successum nullus responsus in notis positivis poni sine dubio potest. — Quid patres hac de re senserint disce ex Athanas. ap. Theodoret., Hist. eccl. l. 4, c. 3; Epiphan. Haer. 61, n. 2; Cyrillus hierosol., Catech. 18, n. 26; Pacian. Ep. 1 ad Sympron. n. 3. 4; Ep. 3, n. 25. 27; Hieron., Dial. contra lucifer., n. 14—15; August., De unit. eccles. n. 11—56.

Veram ecclesiam esse non posse eam, quae contra ius et fas (fraudibus vel iurisdictionis usurpatione) orta est, plane manifesto apparet.

In vera ecclesia necessariam esse unitatem socialem et ex eo, quod a Christo comparatur cum regno, civitate, domu, ovili (cf. L. Fonck, Die Parabeln des Herrn S. 220) et aliunde constat; cf. 1 Cor 12, 13; Gal 3, 27. 28; 1 Cor 10, 17; Eph. 4, 5. 11. 12. 15. 16; Rom 12. 4 ss.; Col 2, 19. — In schismate occidentali — ne quis eo implicetur, quod opponi solet — fideles capiti unitatis non definito sed infinito (seu in abstracto considerato) adhaerebant et per episcopos consentientes regebantur. Unitas tunc non per illum sustinebatur, qui tum episcopus romanus erat idque casu accidit, sed eis, quae priores pontifices decreverant.

Ab eadem ecclesia unitatem fidei abesse non posse patet ex Eph 4, 3—16: unitas autem rituum divinitus institutorum cum unitate fidei cohaeret. Ceterum societas cultus divini a Deo instituta necessario habet communes ritus a Deo institutos.

Item ad ecclesiam neglectum mundi et huius consequens odium pertinere et ex necessitate libertatis sponsae Christi[3]) et ex Io 5, 19; 1 Io 2, 15; 3, 13; Jac 4, 4 etc. constat; ad Mt 9, 16 s. et Lc 5, 36—38 cf. L. Fonck, Parabeln p. 235, 3; ad Mt 12, 25—30 et Lc 11, 17—26 p. 305, 1.

Denique necessariam esse propagationem inter gentes nec sufficere, ut collecta sint membra ex christianis patet ex Mt 28, 19 et ex fine ecclesiae. —*l*—

II.

Quid e s. libris N. T. probari possit de divortio ob adulterium.

Nihilo magis teneri potest interpretatio, quam V. V. Rozanov nuper (in period. Novyj Puť 1904, kn. 8, str. 134-8) proposuit, qui vocem *πορνεία* audit pro concubitu non naturali; errare eum P. V. Tihomirov in Bogoslovskij Věstnik 1904, III., 759-780 accurate demonstravit [7]).

---

[3]) De concordatis cf. J., Costa-Rossetti S. J., Synopsis philos. mor. p. 726.

[7]) Rozanov nec in V. nec in N. T. polygamiam adulterium vocatam esse exponit: sed adulterium fuisse quamvis desiderii libidinis expletionem, quae a ritualibus praeceptis abhorrebat (velut cum alieno tempore fieret); allegat Mišna, tract. Jevamot gl. IV.

Necesse igitur est illum sensum voci *πορνεία* servari, quem ei ss. patres tribuebant et qui contextu exigitur, ita ut *πορνεία* idem significet ac *μοιχεία*[8]).

Quo posito rursus variae extiterunt opiniones. Dreher verba *παρεκτὸς λόγου πορνείας* interpretatur verbis: ne loquar de causa adulterii. Assensione comprobanda est sententia Glubokovskii, hanc interpretationem philologice falsam esse (p. 21). Ad veram vocis *παρεκτός* vim probandam multa lexica profert (Schleusner, Bretschneider, Grimm, Thayer, Stellhorn, Green, Kuhne, Schirlitz, Hickie, Sophocles, Passow) et lectionem *χωρίς* (p. 6—7); nec vocem *λόγος* eo modo explanari permittit, quo Dreher voluit.

P. Schegg suspicatus est excepta causa adulterii nihil aliud exceptum esse nisi causam obitus coniugis; adulterium enim morte multabatur. Quaerat quispiam, cur Christus Dominus hanc exceptionem hoc modo protulerit nec dixerit simpliciter: nisi moriatur vel excepta causa mortis? Huius rei rationem Schegg existimat esse annominationem, qua Christus in responso suo uti voluit. L. c. p. 459 scribit: Übersetzen wir das *παρ. λ. π.* ins Hebr. zurück מלבד דבר ערוה, so bekommen wir ein höchst nachdrückliches und schlagendes Wortspiel, das für die Pharisäer nur zu verständlich war, dass ihnen die Ohren gellten. Der ganze Streit zwischen der Schule Hillels und Schammais bewegte sich bekanntermassen um das mosaische ערות דבר, welches verschieden ausgelegt wurde. Diesen Streitpunkt bringen nun die Pharisäer auch vor Jesus, dass er darüber seine Meinung abgebe, indem sie fragen: Ist jegliche Sache eine Ervah, um derentwillen man ein Weib nach dem Gesetze entlassen darf? . . Und Jesus antwortete: . . Ein Ervath dabar ist ein Debar ervah [דְּבַר עֶרְוָה]! . . Das war den Pharisäern mehr als genug.“ Schegg adeo persuasum habebat interpretationem suam esse veram, ut l. c. p. 198 scriberet: „Der Satz, wie Matthaeus ihn bringt, hat seine volle Richtigkeit, aber nur in dem Zusammenhange, wie er ihn bringt. Falls er daraus gerissen und für sich als Axiom hingestellt würde, wäre er unrichtig.“ Ad dubitationem Glubokovskii (p. 15—16) adulteras iam non esse solitas supplicio affici, Schegg responderet (p. 198): „Jesus redet vom Gesetz wie es lautet, nicht wie es gehalten wird. Er sagt ausdrücklich: „Euch wurde gesagt, ihr wurdet gelehrt, nicht: ihr thut so, machet es so.“

Verum certum est hanc interpretationem esse novam, antea inauditam.

---

8) Quae adulterii notio, quam late pateat, rursus inter se dissident. N. A. Zaozerskij (in Bogosl. Věstn. 1904, III., 440) arbitratur, corrumpi evangelium, si adulterium solum factum concubitus, testimonio eorum, qui coram oculis viderunt confirmatum, intelligatur: testimonium Mt 5, 28 profert, ubi etiam is matrimonii alieni corruptor appellatur, qui uxorem alienam concupiscit; item ad s. Basilium provocat, quem dicit divortium permisisse 1. ob „adulterium alterius utrius coniugis“; 2. ob „discessum (plus minusve diuturnum et perfectum) uxoris a marito culpae exsorte“; 3. ob „ignotam mariti absentiam morte eius coniectata“.

Explicatio alia, quae multis placuit, est: vel cum s. Hieronymo verba illa 'nisi ob fornicationem' referre ad verba 'qui dimiserit' et separare ea a posterioribus 'aliam duxerit' et aliquod praedicatum pro exceptione supplere velut: non licet dimittere, ita ut sensus sit: qui dimiserit uxorem suam — quod non licet facere nisi ob fornicationem — et aliam duxerit, moechatur; vel cum Maldonato sententiam in duas partes dividere: qui dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, moechatur (*μοιχᾶται = ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι?*) et qui aliam duxerit priore qualibet ex ratione dimissa, moechatur. Talem explicationem ex natura linguae hebraicae probabilem reddi.

Glubokovskij (l. c. str. 402) hanc quoque explicationem reicit: Reapse doctrina de peccato illius, qui uxorem suam solum expellit, a contextu abhorrere videtur; Christus interrogatus erat et respondebat de matrimonii insolubilitate. Bene etiam Nisius S. J. l. c. animadvertit: „Negari nequit utroque modo adhibito textum reddi valde implexum, rationem loquendi exhiberi valde difficilem et insuetam, dum in sententia contraria textus per se sit facilis et clarus, neque dici possit exceptionem debuisse grammatice poni demum post 'aliam duxerit'. Accedit, quod auditores Christi (Judaei, Pharisaei, Discipuli) verba sensu supra exposito vix potuerint intelligere, dum de imperfecta illa dimissione ne cogitarent quidem, dum verbum dimittere in quaestione posita (19, 3) prorsus de dimissione perfecta intelligerent, et in verbis Deut 24, 1 ita accipiendum esset. — Quodsi reponitur Christum saepe nova, mysterii plena proposuisse, quae postea demum intellecta sint, id verum est de rebus (parabolis), quae per se ut obscurae proponebantur; vix autem licuisse Christo videtur verba prorsus alio sensu adhibere, quam auditores accipere poterant, atque ita in errrorem gravissimum inducere".

Duplex modus textum s. Matthaei interpretandi adhuc restat, qui cum insolubilitate matrimonii (consummati) absoluta componitur. J. Grimm (Die Einheit der 4 Evangelien. Regensburg 1868. S. 258-316). A. J. Zagorovskij (O razvodě po russkomu pravu. Har'kov 1884 p. 38—39), alii exceptionem ex Judaeorum consuetudinibus et natura evangelii s. Matthaei explicant. Concedunt simpliciter Christum pro Judaeis in statu transitorio a V. T. ad N. hanc causam concessisse, approbasse, indulsisse. Ideo solum Matthaeum hanc exceptionem referre idque ubi Christum facit loquentem cum Judaeis (5, 32; 19, 9); Ap. Marcum (10, 11) Christum ad discipulos locutum esse. Primo aspectu haec interpretatio mira videtur esse. Verum Nisius bene eam defendit l. c.: „Haec secundum dicta ad Judaeorum tum praesentia instituta, tum usque ad novae oeconomiae introductionem futura limitari deberent. Neque haec limitatio arbitrario fingeretur, dum ex ipsa evangelica historia et indole Matthaei ratio discriminis a verbis Marci et Lucae apparet, dum non inepte progressus quidam in proponenda perfecta doctrina revelata intra tempora evangelica et apostolica admittitur, dum ipse textus Matthaei forma sua maiorem perfectionem adhuc manifestandam portendere videtur. Hinc Marcus et Lucas limitari non

possunt per exceptionem in Matthaei textu contentam, licet principium hermeneuticum sit verissimum, generales alicuius loquentis expressiones per se semper cum exceptionibus alibi manifestatis sumendas esse".

Idem Nisius aliam quoque explicationem affert eamque veriorem esse existimat: „Christum excipere casum adulterii, quin in praesentiarum aliquid in hunc vel alium sensum statuat, id alteri occasioni (Mc. Lc) et revelationis continuae explicationi (Paul.) reservando. Nihil statuendo autem de causa adulterii pro Judaeis status consuetus interim manebat, pro omnibus christianis specialis instructio danda erat, quae et vinculi indissolubilitatem statueret et imperfectam dimissionem permitteret. — Si logice propositio penes Matthaeum 5, 32; 19, 9 examinatur, non videtur aequivalere affirmationi ob fornicationem dimittentem uxorem et aliam ducentem non esse adulterum. Prona enim intelligitur quaestio audientis verba Domini, quid in casu adulterii censendum sit. Atque reapse verbum excipere non raro pro praescindendi conceptu ponitur, et excipere possum aliquid non solum a praedicato propositionis, ut contradictorium de eo affirmem (cf. similem casum in conc. Trid. sess. 5, ubi synodus includere non vult vel excipit beatam virginem a decreto de peccato originali, quin tamen de illa aliquid statuat). Quodsi vero ex adiunctis orationis haec arcta et subtilis verborum Domini interpretatio auditoribus rudibus nen accommodata diceretur, quid prohiberet hanc obscuritatem in verbis Domini admittere, quae Judaeis pro eo stadio non esset causa erroris, parceret Judaeorum innatis praeiudiciis, spatium relinqueret plenam revelationis doctrinam suo tempore proponendi?"

Interpretatio Nisii a Dreheri interpretatione in eo differt, quod conceptum, qui in s. scriptura est, non cum alio commutat sed accuratius inquirit, quid „in rigore" comprehendat.

Contra utramque hanc explicationem Glubokovskij nihil obicit, nisi ap. Mt 5, 32 difficile esse de particulari et transitoria lege cogitare; „alioquin eo modo etiam cetera praecepta sermonis Domini in monte concipienda essent, quod profecto absonum est" l. c. p. 12; cf. 370—371. Hoc ad summum ex priore modo interpretationis sequeretur — si ab omnibus adiunctis abstraheremus; ceterum etiam illud, quod in sermone eódem dictum est de 'raka' tempus et regionem particularem respiciebat.

Sed iam ipsi verba Christi a Matthaeo relata arripiamus inquisituri, num demonstrari queat, ea ex sententia eorum, qui defendunt solubile esse matrimonium ob adulterium, explicari non posse.

Etenim adversarii nostri in exceptione comprehendenda minime conveniunt. Quattuor modis in universum comprehendi potest.

1. Coniux, qui coniugem sine iure (i. e. excepta causa fornicationis) repudiat eoque repudiato novum matrimonium capessit, peccat; si iure coniugem repudiat, uterque coniux ad secundas nuptias transire potest. Id Theoph. Prokopovič docet apud P. Mihailem in Hrist. Čt. 1904 str. 674: „Vinovatoe lico ne bolěe svjazano sojuzom supru-

žestva poslě togo, kak on narušen i razrušen, čěm lico nevinnoe". Idem P. Mihail addit ad id l. c.: Certe, si res ita non esset, neque insonti coniugi secundae nuptiae licerent. Allegat etiam s. Basilium, Ad Amphil. cn. 37 (cum interpretatione Balsamonis) et cn. 9.[1])

2. Qui sine iure uxorem eicit, est culpa, si eiecta alii nubit; cumque ita nubere alias esset peccatum adulterii, ipse hoc peccatum committit: uxor autem, quae alii nupsit non est adultera, si sine iure eiecta erat. Qui iuste ab uxore discedit, aliam ducere potest: at uxorem eius nemo ducere potest sine peccato adulterii (non formalis, sed aequivalentis).

3. Coniuges qui contra ius fasque facto inter se divortio nova matrimonia contrahunt, adulteri sunt (cf. Basil. cn. 48); sed nec illi coniugi, qui iuste dimissus est, novum matrimonium inire licet. Quae opinio est Glubokovskii l. c. p. 30 (contra ep. Mihail, Tolkovoe evang. t. I. M. 1870. p. 346).

4. Idem valet quod sub 3), tantum quod solus maritus uxore iuste dimissa novi matrimonii copiam habet, uxor (dimisso iuste marito) non item. Cuius inaequalitatis rationes indicantur a Pollentio ap. s. Augustinum, de adult. coni. l. 1, c. 6 et a s. Jo. Chrysostomo, Serm. de libello repudii (Museum 1905 [39], 89[4]).

Contra hanc quartam opinionem ipse Glubokovskij (l. c. p. 33) ss. patrum testimonia profert (Hieron. Ep. 77 (30), 3. M. 22, 691; Augustin. De sermone Domini in monte l. 16, 43 M. 34, 1251), eorumque, qui matrimonii solubilitatem etiam in causa adulterii negant; allegat eos, ut mariti uxorisque paritatem hac in re probet.

Opinio secundo loco posita cum Mt 5, 32 pugnat; etenim post obscuram illam exceptionem sententia universalis legitur: *ὅς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήσῃ, μοιχᾶται;* atqui si is adulterium committit, committit dimissa quoque, etsi iniuste dimissa fuerit. Sed durius dixeris fortasse hoc iudicium! Iniuria sane haec est — ferenda tamen aeque atque aliae multae. Cf. August., De adult coni. l. 2, c. 10. Ceterum haec opinio ex necessaria consecutione confecta videtur esse, quia adulterio a viro commisso eo, quod uxorem insontem dimiserit, mulier iustam causam haberet nubendi alii.

Glubokovskii sententiam P. Mihail verbis antea allatis reiecit, quod sequeretur, ut ne insonti quidem coniugi novum matrimonium contrahere liceret.

Quodsi primam opinionem veram esse ponitur[2]), sententiam Christi vere falsam esse videtur consequens esse. Dicendum enim ei erat: qui

---

[1]) Sensum cn. 37 hunc subesse vult: Maritus, qui adulterio commisso aliam uxorem assumit, poenam adulterii sibi contrahit, verum novum matrimonium eius licitum est, non iniustum. Ad cn. 7. notat ideo uxorem venia indignam esse, quod secundae eius nuptiae legitimae non sint (propter impedimentum legis civilis). P. 680.

[2]) Ad hanc eandem refertur etiam recens consuetudo iuris ecclesiastici Russorum, et ut videtur, etiam antiquior. Certe N. Rozanov (Isto-

uxorem dimittit, adulter est: at qui uxore dimissa aliam ducit, non peccat — quia adulterium iam commisit. Praeterea quomodo verbis Christi ita conceptis discipuli mirati exclamassent (Mt 19, 10): „Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere!?" Omnia enim incommoda, omnes molestias a dilecto illatas caritas perpetitur, quoad de mutuo amore ei persuasum est. Discipulis Domini gratissimum futurum fuisse, si uxores sui diligentes ob quantacumque incommoda abigere potuissent, quis dixerit? Cf. Schol. vet. in Mt. ap. Migne P. G. t. 106. c. 1137.

Sunt qui illud quoque proponant, res adulterae meliore loco esse, quam uxoris insontis dimissae, si haec quarta opinio teneatur. Verum id quidem est: tamen magna vis huic rei tribuenda esse non videtur cum copiae novi matrimonii magna data sit merces peccati et iniuste dimissa eodem peccato idem assequi possit.

Nec illud argumentum adhibere libet eadem sententia omnibus omnique tempore viam aperiri ad nova matrimonia. Sine peccato enim id non fieret et — etiamsi ad eiusmodi peccatum multi facilius descenderent quam ad coniugis necem — tamen expedire non videtur discetare, in quo primum abusus gradu insistere incipiat legis naturalis prohibitio. Cf J. Balmes, El Protestantismo comparado con el Catolicismo c. 25; T. Barsov in Cerkovnyj Věstnik 1904, N. 2, col. 46.

Quae contra dictas quattuor explicationes attulimus digna esse, quae spectentur arbitramur. Unde manifestum est nos, quod ad verba Christi ap. Matthaeum attinet in meliore causa esse, quam initio videbamur.

Restat, ut quaeramus, nullone loco — nec 1 Cor 7, 10—11 — sacra scriptura insolubilitatis matrimonii absolutae (etiam in causa fornicationis) testis sit. Videbimus, cuiusmodi effugia tentanda sint, ut exceptio defendatur.

Ipsa s. Pauli verba sunt haec: *Τοῖς δὲ γεγαμηκόσιν παραγγέλλω οὐκ ἐγὼ ἀλλὰ ὁ κύριος, γυναῖκα ἀπὸ ἀνδρὸς μὴ χωρισθῆναι, ἐὰν δὲ καὶ χωρισθῇ, μενέτω ἄγαμος ἢ τῷ ἀνδρὶ καταλλαγήτω· καὶ ἄνδρα γυναῖκα μὴ ἀφιέναι.*

Inde patet primum 1) uxori non licere sine iusta causa a marito discedere; deinde 2) marito non licere sine iusta causa uxorem dimittere; ad extremum 3) uxori, quae iuste a marito discessit, saltem non semper licere (saltem secundum apostolum, si non secundum Dominum; est enim interpositio) denuo nubere.

---

rija Moskovskago eparhialnago upravlenija so vremeni učreždenija Sv. Synoda Č. II, kn. 1 M. 1870 str. 122 et al.) etiam nocentibus maritis nova matrimonia concessa esse refert. Mihail (l. c 685 eisdem noxiis novam uxorem ducere licuisse docet ante saeculum XVIII; primum id interdictum esse 16. Dec. 1726 in edicto ss. synodi.

Dirimus sub 1) „sine iusta causa“; nam ipse apostolus condicionis rationem habet, in qua uxori permittitur vel sine marito vivere vel marito reconciliari; exceptio igitur fieri potest. Idem sub 2) propter eandem rationem vel a fortiori diximus. Reliquum est, ut ostendamus vel a) apostolum nulla in causa concedere, ut uxor separata (quoad maritus vivit) novas nuptias capessat; et idem de marito; vel b) saltem in communiter contingentibus, id non permitti, et maxime causam adulterii non esse semper iustam causam.

Argumentum est hoc: Idem apostolus, qui iustam exceptionem a mandato priore statim tractavit — nullam tractat exceptionem a posteriore; ergo nullam saltem in communiter contingentibus — inter quae certe adulterium est — novit. Marito autem non tribuit maius ius in corpus uxoris quam uxori in corpus mariti; v. 4: *ὁ ἀνὴρ τοῦ ἰδίου σώματος οὐκ ἐξουσιάζει ἀλλὰ ἡ γυνή.*

Quibus sic occurrere solent: 1) S. Paulus non solet negligere diserte et plane id dicere, quae iura paria sint marito et uxori: semper quod de uxore dixerat de marito iterat: 2. 3. 4. 12–13. Quodsi hic idem non iterat, coniuges eodem iure non sunt.

2. Ne de uxore quidem verum est s. Paulum nullam exceptionem frequentiorem nosse. Loquitur enim in genere de nuptis, inter quas sine dubio multae virorum Christum aversantium uxores erant: quas s. Paulus certe non vetuit denuo nubere antequam prior maritus moreretur.

Respondemus ad 1) s. Paulum profecto non potuisse permittere, ut mariti in omni causa, in qua eis ab uxoribus separari concedit, novas ducerent uxores; quodsi in hac re in eos aliud valuisset, hoc tacendum non erat.

Ad 2) responderi posset apostolum ibi uxorum virorum Christum non agnoscentium rationem non habuisse, quia diserte dicit v. 12: *τοῖς δὲ λοιποῖς.* Sed demonstrandum nobis esset interpunctionem vulgarem esse veram. Nam Catharinus, Estius, alii (cf. Primasius in h. l. M. P. L. 58, 521, D) post *οὐχ ὁ κύριος* interpungunt idque ad non nuptas *(τοῖς δὲ λοιποῖς)*, de quibus apostolus antea agerat, referunt. Quae si ita sunt, probatione nostra etiam privilegium paulinum in periculum adduceretur. Cf. P. Jacobi, Indissolubitas vinculi matrimonialis. Moguntiae 1788, p. 68; Dessessart, Dissertation, où l'on prouve que S. Paul n'enseigne pas, que le mariage puisse être rompu, lorsqu'une des parties embrasse la religion chrétienne. 1759.

Attamen argumentum nostrum eversum non est. Ita enim instauratur: Apostolus de lege Christi loquitur ut suo mandato opponitur. Itaque legem Christi apostolis olim datam interpretatur. Interpretatio autem est haec: Illud, quod, Christus Dominus de uxore dimissa dixit, valet etiam de uxore, quae iuste, discessit: adultera est, si (vivo marito) ad secundas nuptias transit; ubi nulla addita est exceptio. —

Quid ad hoc adversarii responsuri sint, nescimus: fore, ut appareat, speramus. *A. Špaldák S. J.*

MISCELLANEA.

Iterum de transscribendis formis litterarum cyrillicis.

Beneficio P. Nilles S. J. libellum accepimus anno 1882 typis exscriptum, qui inscribitur „Memoria sulla conversione dell' alfabeto glagolito nel latino pei libri liturgici slavi di rito romano presentata dai sacerdoti delle diocesi di Spalato e Makarska al reverendissimo ordinario". Modus ibi commendatus cum eo, quem in superiore fasciculo proposuimus, congruit, nisi quod pro ъ et ь propria signa ȉ et ȉ suadentur, et — saltem specie — pro ѣ (cum Miklošič) ê, non ě. Sed hoc discrimen nullius momenti est. J. Bidlo (in Český časopis historický XI, 198) ê ut inusitatum ac superfluum vitandum esse existimat. Verum F. Žundálek (Vlasť 1905, 753) ê praefert. Non est, cur nos typographi arbitrio rem permittere dubitemus. J. Bidlo praeterea ɔ retinendum esse iudicat. Quamquam in „Memoria" in eius locum simplex e subrogatur —, ille modus, si rem ipsam spectas, videtur praeferendus esse. At cum idem (p. 199) litteram f duabus litteris ѳ et ф sufficit, secum ipse videtur dissentire, quippe qui statuerit ac praedicaverit (p. 197—8) id, quod etiam nostrum axioma est: „Při transskripci azbuky latinkou jest si počínati tak, aby transskribované slovo bez obtíží bylo možno napsati zase azbukou." Ex hac ratione pro cyrillico ѳ retinendum esse arbitror (cum „Memoria", Žundálek etc.) th; ubi, ne varietas libidoque decretorum nobis obiciatur, h sane non legeretur primimitus sicut germanicum h, sed potius sicut germanicum (non latinograecum!) ch (vel croaticum etc. h) *A. Š.*

De unctione infirmorum. Memoratu dignum videtur esse respectu eorum quae pag. 9. de unctione infirmorum dicta sunt, quod Latinis obiciebatur de unctione baptisma adaequante. In antiquo corpore canonum russico (ex »incun.«) legimus in tractatu, qui inscriptus est: »O Frjazěh i o pročih Latiněh« haec (n. ли = 14): крещенымъже вмѣру возраста дошедшим, и въ грѣхи впадшим, маслом помазуютъ во оставленіе грѣховъ, и дващи крещающе мними суть, i. e.: baptizatos adultos et in peccata lapsos oleo ungunt in remissionem peccatorum, quod alterum baptisma esse putant. Itaque illud obiciebatur olim, quo nonnulli dissensum tolli volunt.

EXTERNA, RES SLAVICAS SPECTANTIA.

Theologisch-praktische Quartalschrift. LVIII. H. 2. Die orientalische Kirchenfrage von Sr. königlichen Hoheit Prinz Max von Sachsen. E regali stirpe ortus auctor brevem conspectum adumbrare sibi proposuit de statu et conditione ecclesiae orientalis. Enarrat succincte historiam haeresium, quae magnam partem Orientis ab unitate ecclesiae avulserunt ita ut solummodo Graeci in fide vera manserint, unde etiam se ipsos »orthodoxos« appellaverint Attamen etiam haec pars Orientis lugubri schismate ab ecclesia defecit. Auctor exponit paucis, quibus de causis et quo modo schisma exortum est.

De nationibus Slavicis in peninsula Balkanensi, quae a Constantinopoli dependebant, dicit illustrissimus auctor, difficile statuendum esse, quonam tempore schismaticae fuerint et quando rectae fidei; tamen falsum esse opinari eas iam ab initio et per totum decursum historiae suae fuisse a romana ecclesia avulsas. Plurimae harum nationum etiam post schisma habuisse intervalla, ubi certe in unione cum romana ecclesia erant. Permultos sanctos harum terrarum in sanctorum numero revera habendos esse. Quod etiam de Russia valere auctor asserit, etsi non astipulatur Papenbrochio S. J., qui putat, Russiam usque ad XVI. saeculum schismaticam prorsus non fuisse. Sincere reprehendit auctor acerbitatem, qua ambae partes, romana aeque ac graeca in contentionibus dissensionibusque suis utebantur, neque silentio tegit iniurias Graecis illatas, praesertim tempore expeditionum cruciatarum. Odium inde exortum altissimis radicibus defixum mansit in animo populi Graeci, ita ut unio tandem aliquando inita mox iterum evanuit. Ex discordia Orientis cum Occidente suam occasionem petiit Islam, qui ulterioris detrimenti ecclesiae Orientali causa fuit principalis. Collatio dignitatum ecclesiasticarum in manibus regiminis Turcorum est et nonnisi erga solutionem grandis pecuniae exercetur. Ii, qui dignitates hoc modo adipiscuntur, damnum sibi compensant nimia exactione pecuniarum a fidelibus. Labentibus insuper cultu atque humanitate etiam pietas apud christianos orientales paulatim evanuit. Solum in Russia sincera pietas apud multos adhuc inveniri dicitur. Mores quoque magis magisque apud Orientales lapsi sunt. Fidem tamen cum laudabili tenacitate Orientales servaverunt, sicuti et praeclaras liturgias suas, quae originem ducunt ab antiquissimis, adhuc catholicis temporibus. Interna constitutio ecclesiae orientalis etiam mutationes magnas subiit. A patriarchatu Constantinopolitano singulae nationes paulatim se separaverunt; primi erant Russi saec. XVI., dein populi peninsulae Balkanensis e. a. Hoc modo multae ecclesiae exortae sunt, quae prorsus sui iuris sunt atque inter se solummodo quoddam benignum diplomaticum commercium habent.

Quae nimia divisio ecclesiae orientalis conatus unionis cum ecclesia catholica nequaquam faciliores reddit; hoc enim modo ecclesiae nationales factae sunt, atque conversio ad fidem catholicam proditionis loco fertur non solum fidei sed etiam patriae. At saltem pars christianorum orientalium cum ecclesia catholica unita est, de qua re praesertim Gallia optime merita est. Auctor delineat breviter unionem Ruthenorum unitorum, quorum numerus in Austria est 4,000.000. Etiam Rumeni, qui in Austriam immigraverant, unionem cum ecclesia catholica inierunt numero 1,500.000. Saeculo XIX. etiam in Bulgaria optimae spei nisus ad unionem excitabatur, sed Russia ei finem imposuit. Serbia et Graecia vetant propagandam catholicam in territorio suo Tamen etiam apud Graecos stricto sensu idea unionis radices egit, praesertim apud sic dictos Italo-Graecos, qui domicilium suum in Italia sibi constituerunt. In Italia est etiam illud a sancto Nilo conditum monasterium Grotta ferrata. Etiam apud Graecos per Orientem dispersos, apud Syros et Armenos unio a nonnullis recepta est. Numerus omnium Orientalium unitorum est 6,000.000—7,000.000. — Dein statuit auctor obligationem nostram erga unitos et non unitos. Uniti cum ecclesia arctissime iungendi atque ad maximam perfectionem evehendi sunt. Uniti enim suo tempore nobis operam suam commodare debent ad unionem cum schismaticis adipiscendam. Debemus ita nos gerere, ut uniti nobis confidant, debemus eis ostendere, eos in oculis nostris esse revera catholicos nobis pares. Debemus eis omnem dubitationem quoad conservationem rituum ipsorum tollere. Deinde nobis providendum est, ut eruditio subolis cleri uniti optima sit; itaque seminaria unitorum orientalium omnibus viribus sublevanda sunt. — De possibilitate unionis auctor judicium suum ferre non audet;

optimismo nonnullorum tamen minime assentit. Nihilominus cohortatur vehementer, ut catholici fiduciam in Deo collocantes indefesse laborent ad unionem amovendo opiniones praeiudicatas, operam dando litteris et artibus orientalibus etc. — Exoptandum esset, ut Graecis et Russis studium in theologicis facultatibus catholicis facilius reddatur; multi enim scientiarum cupidi Orientales in universitatibus protestanticis studiis theologicis vacant, ubi rationalismum combibunt. Magna pars superioris cleri russici rationalismo iam dedita est. Etiam pecuniâ sublevandos esse labores ad unionem spectantes, monet illustris auctor.

Bessarione. Publicazione periodica di studi orientali diretta a facilitare l'unione delle Chiese. Mons. Nicolò Marini, direttore proprietario. Anno IX. fasc. 82 et 83.: P. Aurelio Palmieri: La Chiesa russa nel 1904. (1. La Chiesa russa e la guerra. 2. Legislazione ecclesiastica. 3. La coltura religiosa. 4. Eparchie e monasteri. 5. Missioni.)— Idem: A propositio di una nostra lettera. Dicit, quaedam in literris ipsius in Russiam missis (cfr. pg. 32) minus recte translata esse e. gr. passus ille de facultatibus theologicis in Italia, acsi inferiores essent academiis russicis. In originali scripsit solummodo, academias russicas esse in meliori conditione externa quoad copiam librorum etc., cum in Italia facultates theologicae bibliothecis tempore revolutionis spoliatae sint. Caetera tamen, quae litterae eius continent, feliciter defendit. Ad extremum haec praeclara verba scripsit: »Siamo lieti di avere constatato de visu che si studia nelle Academie teologiche ortodosse russe. I progressi della coltura teologica nel grande impero del nord saranno sempre favorevoli alla causa del cattolicismo perchè contribuiscono ad avvicinare la Russia all' Occidente. Ed io mi auguro che un po' di calma nelle discussioni, e un giudizio piu equo di coloro che noi chiamiamo nostri nemici, e che S. S. Leone XIII. chiamava nostri fratelli dissidenti, gioverà a quella conoscenza e reciproca stima che serà il primo passo alla sospirata unione delle Chiese.“ — Cronaca del Unione: L' influenza russa in Galizia.

Échos d' Orient. Revue bimestrielle de theologie, de droit canonique, de liturgie, d' archeologie, d' histoire et de geographie orientales. Tome VIII, 2 et 3.: A. Ratel: Chronique religieuse de Russie. — Idem: La quaestion de l' union en Russie et en Amérique. J. Hamberger: Les écoles russes de Palestine et de Syrie. G. Bartas: A travers l' ortodoxie. — Bibliographie. (Porphyre Ouspenski: Alexandriiskaja Patriarchia, 1898; A de Maltzew: Oktoichos 1903—4.)

Österreichische Rundschau. Herausgegeben von Dr. Alfred Freiherrn von Berger und Dr. Karl Glossy. Band II. Heft 17. Prof. Dr. Matthias Murko: »Die slavische Liturgie an der Adria«. Auctor adumbrat breviter historiam liturgiae slavicae in litore maris Adriatici, novissimosque conatus, qui ad ipsam conservandam suscipiuntur. Cum laude attingit publicationes Academiae Veglensis, lectoribus nostris bene iam notas. Minime tamen assentit illis, qui linguae liturgicae nimium tribuunt qua adiumentum validissimum ad conservandam nationalitatem, affertque exempla, ubi ritus nationalis nequaquam ab amissione nationalitatis tuebatur (Armeni in Polonia), et ubi e contra liturgia latina ad conservandam nationalitatem auxilio est (Poloni in Russia et Germania).

Archiv für slavische Philologie. Herausgegeben von V. Jagić. XXVII. 1.—2. A. Leskien: Noch einmal ъ und ь in den altkirchenslavischen Denkmälern. — Ludwig v. Thallóczy und V. Jagić: Slavische Fragmente aus der Bibliothek S. Giacomo della Marca in Montepradone. In bibliotheca, quam sanctus Jacobus de Marchia,

strenuus oppugnator Hussitarum et Bogomilorum († 1476), reliquit, invenitur codex, in cuius involucro fragmenta manuscripti slavici in membrana litteris cyrillicis scripti agglutinata sunt. Sunt homiletici vel catechetici argumenti; exarata sunt verosimiliter in Bosnia saeculo XV. Utrum haec reliquiae librorum Bogomilorum sint an non propter exiguitatem ipsorum dici non potest. — A. Leskien: Zur glagolitischen Schrift. — Leop. Karl Goetz: Die Echtheit der Mönchsreden des Kyrill von Turov (св. Кириллъ Туровскій † saec. XII. exeunte). — E. von Dobschütz: Ein Schreiben des Patriarchen Gennadios Scholarios an den Fürsten Georg von Serbien. — M. Rešetar: Eine altbosnische slavisch-griechische Inschrift (e saec. XV.)

Revue Augustienne. Bulletin mensuel des maisons d' études des Augustins de l' assomption Rédaction Maison Saint-Augustin, Louvain. Administration Paris VIII, Rue Bayard 5. Prix d' abonnement: 10 fr. IV, 1.—6.: Liévin Baurain: La vie chrétienne en Russie. Les Fêtes. — Idem: Notes de théologie russe. Auctor dirimit sententias discrepantes P. Aurelii Palmieri, qui theologiam Russorum uberrimam esse dicit, et P. Martinez, qui in ephemeridibus hispanicis »Razon y Fé« Russos prorsus nullam theologiam habere affirmat. Russi carent quidem theologiâ scholasticâ, habent tamen sat locupletem theologiam positivam. De hac proposuit sibi auctor lectoribus interdum breves notas praebere. Etiam hic auctor meliorem mutuam cognitionem optimam viam ad componendas controversias esse putat: »Nous nous connaissons trop peu, catholiques et orthodoxes, et les uns et les autres, nous aurions grand intérêt à nous connaître mieux; nous ne nous comprenons pas, principalement parce que nous n' allons trop souvent à notre frère que comme à un adversaire, que pour découvrir et souligner malignement ses points faibles, ses vices congénitaux, signaler ce qui sépare plutôt que ce qui rapproche. Le première condition pour se connaître et comprendre mutuellement, c'est de s'aborder par charité et avec le désir de servir de quelque façon au régne de la vérité«. — E. Evrard: La vie chrétienne en Russie: Mariage mixte et divorce. Le Saint-Synode.

Zeitschrift für katholische Theologie. Innsbruck. XXIX., 2. et 3. Adolf Špaldák S. J. recenset opus professoris A. Bulgakov »O přinatii ešče odnogo novago dogmata v rimskom katolicizmè« (Kiev 1905), qui doctrinam de assumptione corporis B. M. V. in coelum oppugnat. — Dr. Lauchert ratione habita recensionis huius ostendit, non omnes theologos Russos idem cum Balgakov sentire, affertque exempla ex opere A. Maltzewi »Menologien der orthodox-katholischen Kirche des Morgenlandes«. — Anonymus quidam (Nilles?) demum apponit, etiam clarissimum hagiologum archiepiscopum Sergium, haud ambigue assumptionem B. M. V. quoad corpus propugnare.

Byzantinische Zeitschrift. Herausgegeben von Karl Krumbacher Leipzig, B. G. Teubner XIV., 1 et 2. Slavica tangit nonnisi tertia pars celeberrimae huius publicationis, ubi sunt recensiones nonnullarum dissertationum, quae praesertim in »Vizantijskij Vremennik« (M. Krašennikov, Vladimir Sacharov, B. Turajev, J. Kulakovskij), et in aliis foliis periodicis russicis publicatae sunt (J. Šljapkin, K. Istomin); mentio etiam fit de dissertationibus, quas A. Špaldák in »Zeitschrift für katholische Kirche« de immaculata conceptione respectu habito ecclesiae orientalis publici juris fecit, de opere Leopoldi Caroli Goetz »Das Kiever Höhlenkloster« (in recensione hac legimus: »Sehr beherzigenswert sind die Mahnworte des Verf. über die Notwendigkeit, an den deutschen Universitäten das Studium der slavischen Sprachen, besonders der russischen, und der osteuropäischen Geschichte mehr zu betonen«) e. a.

Der Katholik. Herausgegeben von Dr. Johann Michael Raich. 1905. Bd. XXXI. 2. Heft. Alphons Franz recenset librum Alexii Maltzew »Oktoichos oder Parakletike«.

Dictionnaire de théologie catholique. Fascicule XIII. In fasciculo hoc invenitur amplus et accurate scriptus articulus »Bulgarie« (col. 1174 - 1236), qui auctorem habet S. Valhé.

Rivista storico-critica delle scienze teologiche. Roma. 1905. 1. et 2. A. Palmieri: Pro teologia russa. — Idem: Il centenario di Alessio Stepanovitch Khomiakov.

Varii libri.

Historisch-politische Blätter 135, 6—10. Röhm: Verhältnis der russischen Kirche zu Altkatolizismus und Anglikanismus. — Die russischen Reformen bezüglich der katholischen Kirche.

Prugawin A. S.: Die Inquisition der russ.-orthodoxen Kirche. Berlin-Charlottenburg, Gottheiner. 123 pag. (2 Mk.).

Petrow G. S. Das Evangelium als Grundlage des Lebens. Aus dem Russischen. Hamburg, Rauhes Haus. 150 pag. (M. 1·80).

P. Marian Morawski S. J. Abende am Genfer-See. Grundzüge einer einheitlichen Weltanschauung. Genehmigte Übertragung aus dem Polnischen von Jakob Overmans S. J. VIII. et 260 pag. Freiburg 1904, Herder (M. 2·20).

Ma vie en Jésus Christ par le P. Jean (Sergieff) de Cronstadt, Archiprêtre de l'Eglisse Russe. 2. édition critique par Dom Antoine Staerk O. S. B. Paris, Lethielleux 1904. 8⁰ 277 pag.



Slavorum litterae theologicae.

Conspectus periodicus.

Dirigentibus Dr. Jos. Tumpach et Dr. Ant. Podlaha.

1905. Pragae Bohemorum. Nr. 4.

BOHEMICA.

Úvod do knih Starého Zákona. Napsal Dr. *Jaroslav V. Sedláček.* V Praze 1905. Str. 471. Cyrillo-Methodějská knihtiskárna a nakladatelství V. Kotrba. Cena 5 K. (**Introductio in libros Veteris Testamenti**. Conscripta a Dr. *Jaroslav V. Sedláček.* Pragae 1905. Pag. 471. ss. Cyrilli et Methodii typographia et librorum redemptio V. Kotrba. Pretium 5 Cor.)

Eximius et operibus suis iam notissimus professor universitatis bohemicae Pragensis edidit novum opus, cui est titulus supra indicatus. Quo opere gaudium maximum paravit hominibus bohemici idiomatis, nam est primum huius generis bohemico idiomate editum, in quo adhibiti sunt fructus modernae criticae catholicae.

In prolegomenis placebit lectoribus § 2. inscripta: „Biblicum studium Veteris Testamenti", in qua adductis adversariis V. T. tum veteribus, tum recentioribus ostendit, quam utile sit studium Veteris Testamenti.

Agens de versionibus praecipuam curam adhibuit auctor versionibus slavicis, nam de iis loquitur a pag. 89. usque ad pag. 138. discernens versiones slavicas veteres et modernas hasque catholicas et protestanticas. Quamquam doctissimus auctor hic congessit fere omnia, quae de gentium slavicarum versionibus nota sunt, tamen promittit se suo tempore editurum esse conspectum completum historiae versionum slavicarum. Pro hac parte operis Slavi maximas auctori gratias debent et certe solvent.

In introductione speciali auctor laudandus est, quod mediam viam tenet inter eos, qui modernae criticae etiam catholicae fere nihil concedunt, et inter eos, qui nimium concedunt. Lectores grati erunt auctori, quod historiam cum introductione litterali coniunxit et ita effecit, ut libri V. T. praecipue historici melius faciliusque intelligerentur.

Si consideramus, quantum laborem auctor in opus suum impenderit, non mirabimur aliqua minoris momenti correctione indigere velut p. 219. loco matce (matri) legendum est tchýni (socrui); loco „(David) odstraňuje nápadníka trůnu Isbosetha!" legendum forsan: „(David) jest zbaven bez svého vědomí a proti své vůli atd." (loco „(David) removet candidatum throni Isboseth!" legendum forsan: „(David) liberatur inscius et invitus a candidato etc."; p. 447, loco anni 727. legendus est annus 527. aliaque pauca.

Quia opus hoc doctissime scriptum est, juvabit multum alumnos operam dantes studio Scripturae Sacrae et quia bohemice scriptum est, potest magno cum fructu etiam legi a laicis bohemicis eruditioribus; propterea omnibus, qui adhuc Scripturam Sacram ut verbum Dei aestimant, opus hoc maximopere commendandum est.

Obořiště prope Příbram. P. *Franciscus Reindl.* C. SS. R.

Museum. Časopis bohoslovců československých (Museum, libelli periodici Bohemorum iuvenum theologiae studiosorum). N. 3—14.

A. Rajnoch. K otázce o pronásledování Neronově (Ad quaestionem de vexatis a Nerone christianis) 113—116. — J. Foltynovský, Ze severosemitské epigrafie (Ex epigraphia Semitarum septentrionalium) 117—119, 171—175. — A. Kordík, Vzniklo náboženství způsobem přirozeným? (Estne religionis origo naturalis?) 119—124, 192—195. —

Ferd. Šob, Epiklese v církvi východní (De epiclesi in ecclesia orientali) (p. 57—64, 138—143). Haec commentatio Ferdinandi Šob praematura morte exstincti, licet imperfecta relicta sit, multis conspicua est virtutibus. Quaestio ab eo sibi proposita est ex antiquissimis controversiis, etsi valor consecrationis in ecclesia romano-catholica factae agnoscatur ab adversariis (Cf. P. Kremlevskij, Nužna li cerkov' hristianinu? Spb. 1902 p. 151). E magna vi litterarum de hac quaestione, quae dispersae et dissipatae saepe sunt (velut Études 1898 p. 416; Theologisches Litteraturblatt 1866, Sp. 319 ff.; Zeitschrift f. kathol. Theologie 1880, S. 90; 1896, S. 47; Cosmos catholicos 1901, p. 248 s.) tantum quaedam occasione data afferuntur; tamen vel ita patet illum in eis versatum esse et conici potest etiam in solvenda quaestione scripta quae ad id pertinent (De Lugo, Scheeben, Stentrup, Henke, Marković etc.) consulturum fuisse.

Initium sumitur ab exponenda origine controversiae. Fundamenta eius iacta sunt a Nicolao Cabasila († 1317). Ex posterioribus libellis de ea re solus Marci Eugenici (Migne, P. G. 160, 1080—89) commemoratur et describitur: haud scio an iuverit etiam progredientem controversiam persequi (quae v. g. Jo. Komnenos scripsit *Περὶ το διὰ τίνων ῥημάτων γίνεται ἡ τοῦ μυστηρίου τῆς Εὐχαριστίας μεταβολή*). Deinde exponit ecclesiam occidentalem semper docuisse et docere consecrationem fieri solis Christi verbis.

Quibus propositis variae formae epicleseos variarum liturgiarum afferuntur. Ubi desideravimus locum illum ex missali palaeorussico, ex quo doctrinam antiquam Russorum cum doctrina ecclesiae romanae convenisse patet (Commentarius authenticus II. Congr. internat. Archeol. christ. [Rom.] n. 5.). Tum epiclesis confertur cum aliis precationibus liturgiarum orientalium — in ritu baptismi et chrismatis. Denique ex ss. patribus illi loci afferuntur, qui invocati ad consecrandum Spiritus s. testimonia dant.

His terminatur trunca commentatio scriptoris. Nos autem teneri non possumus quin id, quod nobilis ille ex doctrina Duchesne de hac controversia scripsit, afferamus (Quinzaine 1896, fasc. I. p. 34): „Ac-

cepter le système des Grecs actuels c'est admettre la nullité de la plupart de messes célébrées en Occident, depuis le quatrième siècle au moins". —

In fasc. 4. ex Vl. Solov'ev, Duhovnyja osnovy žizni. Spb. 1897 str. 24—54 ingeniosa explicatio precationis dominicae in sermonem bohemicum transferri coepta est. *A. Špaldák.*

Vlasť. Red. *Tomáš Škrdle.* Pragae. XXI., 4—12. Dr. Ant. Lenz: »Pryč od Říma. — Los von Rom.« Describitur vita Martini Lutheri, unde cernitur qualis sit natura et ingenium eius. — Jan Hendrich: Jaký byl vztah věrozvěstů slovanských Cyrilla a Methoděje ke stolici římské. (Quales se apostoli Slavorum Cyrillus et Methodius Sedi apostolicae praebuerint?) Auctor exequitur demonstrationem propositionis suae, de qua iam rettulimus. Inquirit in varias sententias aliorum (Pastrnek, Snopek, Lapôtre, a.). Defendit orthodoxiam ss. fratrum, ostenditque liturgiam slavicam, quam ss. fratres — consentiente et approbante Sede Apostolica — propagaverunt, magnum momentum fecisse non solum ad cultum et humanitatem, verum etiam ad rei publicae rationes Slavorum. — L. Bretšnajdr: V boji o náboženství (In contentione de religione). Percensetur opusculum sub eodem titulo nuper editum, in quo professor T. Masaryk negat revelationem, deitatem Jesu Christi, miracula etc., docet doctrinam et moralitatem ecclesiarum christianarum insufficientes esse, acriterque oppugnat praesertim ecclesiam catholicam.

Hlídka. Red. *P. Vychodil.* Brunae. XXII., 7—9. St. Souček: Paul Fredericq o účincích věrověstné činnosti Říma a Byzance. Recensetur oratio prof. universitatis Gandavensis (Gent) Pauli Fredericq, quam habuit 1903 in regia academia belgica »Les conséquences de l' évangélisation par Rome et par Byzance sur le développement de la langue maternelle des peuples convertis«. Fredericq demonstrare conatur, incrementa litterarum apud nationes catholicas tardata esse vi linguae latinae, ecclesiam orientalem autem linguas nationum in liturgiam suscipiendo litteras earum ad florem perduxisse. Souček ostendit infirmitatem huius doctrinae, atque sententiam, quae affirmat ecclesiam graecam linguis nationum magis favisse, prorsus erroneam esse dicit.

BULGARICA.

Cărkoven Věstnik. Nr. 4—20. — I. S.: Istočnicitě na hristianskata věra (Fontes religionis christianae) nr. 4, 8, 10, 11, 13. — Contra defensores theologiae protestanticae auctor solida demonstratione (e N. T., ex agendi modo apostolorum, praesertim S. Pauli) probat non solam S. Scripturam, sed etiam S. Traditionem verum esse fontem religionis christianae; utrumque fontem aequalis valoris canonici esse eundemque Spiritum S. auctorem habere.

Nr. 14. G.: De instructione publica in Bulgaria. — Magna pars magistrorum desiderat, ut instructio religiosa reiciatur ex scholis bulgaricis; atheismus in instructione publica iam valde progressus est. Auctor putat non solum populum, sed etiam maiorem partem eruditorum talia desideria magistrorum reprobare, quapropter imminens periculum adhuc praecaveri posse.

Nr. 15—16. — D. M.: Kъm vъprosa: Evtimij, Patriarh Tъrnovski, bil li e priznat za svetija ot Sv. Bъlgarska Cъrkva (Ad quaestionem, num Euthymius, Patriarcha Ternovensis ab eccl. Bulgarica sanctis adnumeratus sit) pg. 173—74. — Ex monumentis saec. XIV—XVI. (praesertim a docto Russo P. Syrku et nonnullis Bulgaris editis) patet Euthymium a monachis in monte Athone

usque ad saec. XVI. ut sanctum cultum esse. Etiam e saec. XVII. et XVIII. monumenta exstant, quae Euthymium sanctis adnumerant. Auctor desiderat, ut Euthymii Patriarchae memoria in libris liturgicis et ecclesiis bulgaricis innovetur.

Nr. 15—16. — Disputatio de primatu et infallibilitate R. P., habita in seminario theol. bulgarico Constantinopoli (initio a. 1905), pg. 184—86. Prof. Laskov disputationem inauguravit sermone de Eccl catholica eiusque capite Romano Pontifice. Eccl. catholica magna vi eminet, quae secundum Laskov neque mendacium (ut protestantes affirmant), neque veritatem (ut catholici dicunt) pro fundamento habet, sed veritatem corruptam, vitiatam, errorem totius populi Latini, cuius summa principia erant: »imperium in totum orbem terrarum« et »pro Roma omnia licita sunt«. Romae et papis praesertim superbiam et perfidiam politicam obicit, sed non demonstrat. Tunc secuta est disputatio de locis sequentibus: 1. Num praeter Christum, caput invisibile, ecclesiae necessarium sit caput visibile. 2. Constituitne I. Chr. Petrum caput Ecclesiae et principem apostolorum (exeg. in Mt. 16, 18—19; Io. 21, 15—17). 3. Num catholicis favent Lc. 22, 32; Act. 1, 15—26; 2, 14; 9, 32; 10; 15, 7—11. 4. Ap. Petri de seipso sentiendi modus (ex eiusdem epistolis) et ap. Pauli ad Petrum relatio (Gal. 2, 11—17). 5. Potuitne Petrus episcopus Romanae Eccl. esse, aut per 25 annos ut Baronius tenet? 6. Favetne catholicis historia 4 primorum saeculorum. 7. Potestne probari infallibilitas R. P. ex S. Scriptura. 8. Liberius, Honorius aliique damnati ut haeretici. 9. Vita privata Alexandri VI., Joanis XXIII. aliorumque.

Nr. 17 et 20. — G.: Ad quaestionem de origine religionis. — Auctor agit contra complura bulgarica opera periodica, quae sensum religiosum nil nisi errorem generis humani in periodo eius iuvenili, commenta et portenta, quibus solum vulgus incultum contentum esse possit, demonstrare conantur.

Nr. 19. — D. M.: »Propaganda catholica« in Bulgaria, pg. 220—223. — Auctor breviter, sed modo Eccl. catholicae valde inimico, tangit historiam relationis Bulgariae ad Eccl. catholicam. Anno 1860. unio cum Eccl. cathol. inter Bulgaros magnos progressus fecit, sed ad breve tantum tempus. Ultimis his annis sec. auctorem »propaganda catholica« audacior evasit; nunc scholae et ecclesiae catholicae etiam in iis urbibus erectae sunt, ubi catholici non sunt (e. g. Ternovo, Jambol, Slivan). Sec. auctorem iniuste nonulli dicunt principem Bulgariae nunc regnantem ut catholicum rem promovere; unicam causam crescentis audaciae missionum catholicarum apathiam nimiamque indulgentiam Bulgarorum esse. »Propaganda catholica etiam ad pagos se extendit. Ipse auctor vidit sacerdotem catholicum (natione Polonum) e pago Gadžilovo, ubi 4—5 familiae unioni adhaerent, vestitum omnino sicut sacerdotes Bulgari non uniti; in pago Soudžak, ubi 8 familiae unioni addictae sunt sacerdos catholicus natione Bulgarus habitat. Maxime vero auctorem inquietat, quod sacerdotes uniti in Bulgaria eodem modo ac non uniti vestiti incedunt, ut populum simplicem facilius »fallant decipiantque«; ipse metropolita catholicus (rit. lat.) Philippopolitanus ecclesias unitorum visitans vestibus metropolitae orientalis vestitus incedit. Hac in re auctor magnum periculum magnamque perfidiam »propagandae catholicae« cernit. Quapropter principem et gubernium civile appellat, ut ecclesiam bulgaricam tueantur a tali »periculoso proselytismo«. *G. R.*

CROATICA.

Katolički List. Izlazi svakog četvrtka. Cijema za Zagreb 10 kruna, poštom 12 kruna. Tečaj 56., godina 1905. Odgovorni urednik Dr. Josip Pazman, kr. sveučilišni profesor. Zagreb. — »Litterae Catholicae.«

Exeunt omni feria V. Pretium pro Zagrabia 10 coronae, cum posta. 12 cor. Tomus LVI., annus 1905. Numerus XVII—XXI. Dirigente responsabili Dre. Josepho Pazman, regiae universitatis professore. Zagrabiae. —

»Curate strenue, ne Ecclesiae castra defensoribus careant in regno Croatiae.« Quae sunt verba, a Ss. Leone XIII. papa ad dirigentem litteras hebdomadales »Katolički List« in brevi epistola anno 1900 scripta. Gaudio magno impleti sumus litteris his perlectis; nam optima conscientia declarare possumus, ecclesia croatica optimos defensores fidei possidet. Numeri praedicti hanc materiam pertractant: »Ss. Domini nostri Pii PP. X. litterae encyclicae ad sacros universi catholici orbis antistites de christiana doctrina tradenda,« quae lingua originali in lucem editae sunt. — »O drevnom dogagjaju nove misli.« Piše Mons. M. Stepinac (De casu priore cogitationis novae). Materia porro tractatur de actibus Sauli, qui rationalista et nationalista vocatur, et Davidis, qui semper animum quasi christianum erga inimicos suos prae se tulit et praecipue occisionem regis ut personae sacrosanctae perhorrescebat, quamquam personas privatas culpâ oneratas occidi iubere non verebatur. Auctor doctus parallelam intra actionem Davidis et occidentes regem Croatiae Zvonimirum in concione forensi fecit et hos, quia facinus maximum patrarunt, ex toto corde condemnat et infelicem fortunam nationis croaticae uti poenam divinam agnoscit. - »Listovi mladom dušobrižniku.« Prevodi Jankov s Dobre. »Epistolae ad neosacerdotem.« Transtulit Jankov de Dobra. In capitulo XV., »Dušobrižnik i oženjeni«, »Animarum curator et matrimonio coniunctus« inscripto res de officio sacerdotis agitur, coniuges admonere, ut iuramentum apud altare peractum etiam fideliter conservent. In capitibus sequentibus sermo est praecipue de cura sacerdotis erga liberos (Dušobrižnik i djeca) atque erga repetentes (Dušobrižnik i opetovničari), qui e schola exierunt et omni die dominica in religione christiana docendi sunt. Sunt autem articuli, qui quaestiones contemporaneas pertractant, exempli gratia: »Žuri im se«, ubi de decisione ecclesiae a republica Gallica agitur, »Dvije tri k preinaci vjerske obuke« — »Exempla aliqua transformationis religionis docendae« auctore Mirko Pacher, catecheta, «Unijati u Rusiji« — »Graecocatholici in Russia« auctore Francisco Suša et »Nova metoda apologetike« auctore M. Ettinger, qui novam apologiam religionis christianae, quae in eo consistit, ut fidem nostram cum cultura aevi hodierni concordantem faciat, ut non christianam contemnit. In omni numero »Vjesnik« (nuntius) res catholico-politicas et religiosas describit. Qua ex causa »Katolički List« rei catholicae in Croatia optime prodest et optandum est, uti etiam eventibus laboris sui gaudere possit. *Fr. H. Žundálek.*

Vrhbosna katoličkoj prosvjeti. Izlazi dvaput (5. i 20.) na mjesec. Godina XIX. Broj 3.-10. Izdaje kaptol Vrhbosanski. Uredjuje Dr. Ivan Šarić. Ciena na godinu 10 K. Sarajevo. — » Magnobosna culturae catholicae.« Editur (bis in mense (V. et XX.) Tomus XIX. Numerus III—X. Sumptibus capituli Magnobosnensis. Dirigente Dre. Joanne Šarić. Pretio annuo 10 cor. Sarajevo. —

Annos undeviginti haec bimensilis publicatio implevit, ad confirmandam fidem inter Croatas catholicos in terris occupatis Bosna et Hercegovina operans, summo protectore reverendissimo Domino Dr. Josepho Stadler, archiepiscopo Magnobosnensi optime merito, qui inter cooperatores ut scriptor peritus fungitur, clero suo bonum exemplum dans etiam in rebus litteralibus. Articuli materiam contemporaneam praecipuo modo pertractant; de quibus sequentes specialiter afferimus: »Okružnica svim vjernikom nadbiskupije vrhbosanske« (Josip, nadbiskup) — »Litterae pastorales omnibus fidelibus archidioeceseos Magnobosnensis« in quibus archiepiscopus Dr. Stadler de cultu Ss. Cordis Jesu augendo loquitur. — »Za katolički laikat.« Piše

dr. Ivan Dumujšić. »Pro laicatu catholico« auctore Dr. Joanne Dumujšić. Sermo autem est in hoc egregio studio de ecclesia et mundo, de catholicismi valore futuro. — »Pape i Hrvati«. Piše dr. Fran Binički. »Papae et Croati«. Scripsit Dr. Franc. Binički. Tempora et actiones Innocentii IV., Alexandri IV., Urbani IV., Clementis IV., Gregorii X., Nicolai III., et IV., Bonifacii VIII., Benedicti XI., Clementis V., Joannis XXII., Benedicti XII. et aliorum pontificum Romanorum, quae res croaticas spectant, afferuntur. — Stephanus Hartman characterizat in articulo »Naša banda« inimicos ecclesiae, praecipue Stephanum Radić, qui culturam hussiticam Pragae accepisse videtur, quia in mensili »Hrvatska Misao« contra Romam et ejus religionem pugnat, confessionem orthodoxam tolerantem esse affirmans, deinde fratrem eius Antonium, quos ambos Castorem et Pollucem nominat. Quod opus ex ea causa magni pretii est, quod adversarios ex ipsorum enuntiationibus condemnat. — De catholicismo in Japonia secundum fontes optimos refert Joannes Nep. Králiček S. J. et quaestiones, utrum Japonia catholica sit evasura, cur ibidem religio christiana celerius non crescat, solvere nititur. — De decisione ecclesiae a republica in Gallia secundum abbé Naudet articulus »Razslava Crkve i države« agit. — Dr. Joannes Košćak magni valoris esse litteraturam catholicam summopere protegendam affirmat in articulo »Za katoličku štampu« — Mors Josephi Georgii Strossmayer omnes Croatas et Slavos maximo dolore affecit, quem animum etiam Vrhbosna in lucem edit in eius necrologo, praesertim autem praestantissimo sermone Dris. Josephi Stadler super sepulcrum Strossmayerianum sub prelum dato — Dr. Marianus Zdziechowski, Polonus, professor universitas Jagellonici Cracoviensis, slavista optime notus, christiano animo gaudens, a quo ecclesia nostra in defendenda veritate adhuc multa exspectatura est, inexplicabili quodam casu in opere polonico, a H. Glück sub titulo »Pestis perniciossima« in linguam germanicam translato, contra croaticas litteras periodicas catholicas magno fervore pugnat, et quidem hac de causa, quod catholici scriptores croatici liberalismum toto ex corde detegunt, secundum eius opinionem amore christiano carentes. »Vrhbosna«in Nro. IX. articulum polemicum cum rei cognitione et amore revera christiano errorem huius docti viri explicat, hic loci non esse sermonem de re, sed de nomine liberalismi. — Praeterea inveniuntur in numeris supra dictis carmina et articuli prosaici ab Eugenia Šah (carmen supra mortem Dris. Stephanik Boroš, supra sepulcrum Strossmayeri, cui etiam articulus »Pa ipak« deditus est et Legenda), deinde carmina a Don Ilija Ujević in honorem archiepiscopi Štadler, »Drugomu Suncu« (Soli alteri) in honorem episcopi Stephani Pavlović-Lučić mortui, descriptio itineris Italici »Bilješke iz Italie« auctore Dr. Svetozaro Ritig et historico-geographicae memoriae anni elapsi: »Historičko-geografski osvrt na godinu 1904. — »Vjestnik« (nuntius), qui in omni numero adest, de rebus quotidianis catholicos spectantibus agit »Prosvjeta« (cultura) autem catholicos libros croaticos et slavicos critico animo deliberat. In Nro. IX., pag. 172., de »Časopis katolického duchovenstva« haec affert: »Quamvis haec publicatio iam multos annos exierit, anno currente etiam pro aliis nationibus slavicis et non-slavicis actualis facta est. Initio enim huius anni additum ei est supplementum »Slavica«, cui programma est: conspectum quam completissimum et optimum, in quantum possibile est, de operibus theologicis catholicis et acatholicis afferre.« »Quod linguam latinam attinet«, scripsit Vrhbosna, »optandum est, ut domini referentes linguam omnino correctam, sed facilem adhibeant. Classicismi studium hic loci nullum finem habet; et tunc valet et illud: Classicus esse studeo, obscurus fio, quod non raris vicibus conspeximus . . . « Summa cum laetitia Vrhbosna separatam editionem huius supplementi salutavit, sed conspectum hunc maximi pretii materialis esse declaravit. Quam opinionem nullatenus tenere possumus, quia 4 coronae, sicuti Vrhbosna

vult, nequaquam sufficiunt ad expensas solvendas; nam praenumeratio huius conspectus saltem initio sufficiens non est expectanda. Quae iam »Hrvatstvo« in numero 154. huius anni agnovit scribens; »Pretium 6. cor. omni modo parvum est. Si »Vrhbosna«, quae hanc publicatione :: recommendavit, pretium illud valde magnum esse declaravit, parva discrepatio est, quia fortasse hanc publicationem solummodo 34 paginas uti in fasciculo primo tenere cogitavit, dum revera nunc 64 paginas habet, et ita et futuro tempore, si necessarium erit, et plures. Si etiam deliberamus, quantas expensas directio cum emendis libris et publicationibus praesertim russicis habet, pretium parvum esse agnoscendum est.« — Sicuti supplementum exit liber I. partis alterius Logicae: Kritika ili Noetika. *Fr. H. Žundálek.*

POLONICA.

Ks. Włodzimierz Piątkiewicz T. J.: **Mistyczne ciało Chrystusa a charaktery sakramentalne. (De characteribus sacramentalibus ratione habita corporis Christi mystici.)** Kraków 1903 (pag. 79 in mag. 8⁰).

Vestigiis ingeniosarum pervestigationum doctoris Matth. Jos. Scheeben („Die Mysterien des Christenthums") atque patris Em. Lingens S. J. („Die innere Schönheit des Christenthums") insistens auctor pulcherrime disserit de quaestione, quam sibi proposuit. Characteres indelebiles, qui baptismo, confirmatione et ordine imprimuntur, considerantur hic relate ad mysticum corpus Christi i. e. ecclesiam. Modus, quo hic res considerantur, novum lumen adhibet huic admirando mysterio. Exoptandum est ex mente auctoris huius opusculi, ut tota disciplina theologiae dogmaticae ratione habita corporis Christi mystici construatur.

De autentia loci, qui in evangelio secundum s. Joannem inde a cap. VII. v. 53. usque ad cap. VIII. v. 11. legitur dissertatio critica auctore *Al. Syski,* s. Th. Mag. Varsaviae. Sumptibus redactionis „Przegląd katolicki" 1904 (pag. 82 mag. 8⁰).

In diligenter elucubrata commentatione sua auctor auctoritatem pericopae, quam titulus iudicat, defendit ab illis, qui eam reiciunt ex rationibus tum externis (provocantes ad testimonium codicum, versionum atque ss. patrum), tum internis (ex argumento, stylo atque contextu). In ultima parte dissertationis explicat, quibus ex causis pericopa haec in permultis, et quidem antiquissimis et praestantissimis codicibus omissa inveniatur. — Reticere tamen non possumus in dissertationibus scientificis sono orationis utendum esse tranquilliore, quam ille est, quem auctor nonnumquam adhibuit.

RUSSICA.

Вѣчная жизнь какъ высшее благо. (Vita aeterna ut summum bonum.) (Pars reliqua.)

Hic modus unionis, quo nobis unitur, in visione beatifica qua obiectum amatum, idem est atque is, quo nobis iam hic in terra coniungitur Spiritus s.; caritas quippe eadem, quae in patria habetur,

etiam hic nobis conceditur. At vices visionis gerit fides. Accipimus enim hic „arrhabonem“, non totum.

Utrumque, visio Dei et amor eius, tendit ad mentis creatae deificationem. Hinc patet etiam originem vitae futurae esse in nostra regeneratione, qua ex hominibus evadimus filii Dei, qua natura humana mutatur in divinam: nondum quidem „apparuit“ quid simus, sed apparebit. Quae regeneratio non fit nisi hic in terris sive baptismo sive poenitentia: quodsi hic facta non est, post mortem non fiet. Sitne haec elevatio in statu viae normalis et primario intenta necne, hanc quaestionem omittere placet; item quomodo id in angelis fuerit.

Sed effectus visionis et amoris divini consideremus. Duo imprimis gignit amor generatim: extasim et unionem cum amato. Duplici modo fit extasis: oblivione neglectuque sui creato et defectu virium inferiorum illato.

Prior modus extaseos (Dionys. Areop. v., De div. nom. c. 4 p. 1) est, si amans affectum suum in amatum transfert, atque sui et suarum rerum obliviscitur. Amans quasi ex se egressus est, versatur non in suo corpore, sed apud amatum, vivit non in se, sed quasi in amato. (Gal. 2, 20 vivo iam non ego, sed . . .) Apostolo vita ulla non est nisi Christo et eius causae inservire ita, ut commoda sua, honorem suum, denique omnia sua oblitus sit. Hic amor extaseos invenitur excellenti modo in beatis. Ita trahuntur cogitatione et affectu in Deum, ut ex se ipsis plane exeant, nihil de se aut rebus suis cogitent, nihil sibi appetant, sed id tantum cupiant, quod ad Deum pertinet et in eius gloriam est. Exuerunt igitur omnino omnes motus amoris proprii, sibi mortui Deo vivunt (recordare sis, quid dictum fuerit in 1. parte ab auctore russico de egoismo). Exuerunt vitam humanam, quae solum de se cogitat, et induerunt vitam divinam, quae est Deum contemplari et in omnibus amare. Neque contristantur de damnatis, etiamsi consaguineos inter eos videant, quia gaudent de iustitia et voluntate divina, quae ipsorum voluntas facta est.

Alter effectus amoris est unio cum dilecto, ita ut ex utroque quasi unum fiat. Hoc fit non solo affectu, sed, quia amor amantem impellit, ut amato se arctissime coniungat.

Amor divinus excitat etiam ad unionem 1. ad unionem per frequentem recordationem et memoriam. Qui de Deo raro cogitat, parum eum amat. 2. ad unionem per obsequium. Qui Deum amat, suis neglectis quae Dei sunt quaerit. Qui neglectus sui est quaedam demersio sui in abyssum divinitatis. 3. ad unionem per similitudinem vitae (non solius naturae). Inde magna perfectio et sanctitas sanctorum (Math. 5, 20; Rom. 13, 14; 1. Cor. 15, 49; 1. Pet. 4; Gal. 5, 24) 4. ad unionem per sublimem contemplationem, qua in hac vita Deo arcte conjungimur 5. ad unionem per demersionem in abyssum divinitatis, qua legimus aliquos sanctos, deditos contemplationi, a suo statu rei creatae quasi defecisse neque amplius se ipsos sensisse. (Descriptionem fusam videsis apud Scaramelli, Mystica theologia p. I, l. 2 n. 19 s.)

In beatis ex luce divina procedit lumen gloriae in mentem eorum, ex lumine procedit amor et rursus eos in Deum trahit, eos

ei unit et in illum quasi transformat. Ita ex summo bono viso procedit amor in mentem, qui rursus in Deum ducit. Quae res fieri numquam desinit. Vident beati, se secundum suum esse a Deo ut fecundissimo principio procedere et summis viribus conantur in illum vi contemplationis et amoris reverti. His actibus praesertim constat vita divina beatorum. Maior unio non est, quia est unio interna, non solum externa, quia est intima et inseparabilis, quia amans cum amato ita coniungitur, ut in illum transformetur et unus cum eo fiat spiritus.

Is amor est praeprimis amor amicitiae. Est enim velle alicui bonum, eo solo consilio, ut ipsi bene sit, velut, ut habeat honorem etc. Si cui volo bonum, ut mihi inde bene sit, magis meipsum amo quam alterum. Is amor non est verus amor. Beati habent verum amorem amicitiae. Exoptant Deo duplex bonum: omnes perfectiones eius internas et gloriam externam. Amor, quo beati Deo omnia bona interna volunt, est ipse amor beatificus, quia ea bona sunt increata et immensa. Amor quo gloriam ei exoptant, se extendit ad gloriam externam Dei ex hypostatica unione Christi, et ex omnibus laudibus beatorum, eorum donis et ornamentis, ex conversione peccatorum, operibus iustorum, ex Ecclesia, ex iustis poenis impiorum, ex magnitudine, pulchritudine et ordine universi, ex providentia divina etc. Hanc gloriam augeri in dies cupiunt.

Hic amor est stabilis et immutabilis et aeternus, certe quoad bona interna Dei, quia est necessarius neque iam subiectus est arbitrio, probabiliter et quoad gloriam. Patet ex eodem amore nasci aeternam gratiarum actionem beatorum. Patet etiam, beatos amare magis ea, in quibus gloria Dei magis apparet, ergo maxime humanitatem et incarnationem Christi, dein b. Virginem et sanctos secundum ordinem. Sed quomodo nos amare debemus, dum in terris sumus? Etsi amor erga nos omnis alius amoris fundamentum et radix est, ita ut omnis alius amor nihil aliud sit quam extensio quaedam amoris illius quo nos ipsos amamus, nihil tamen impedit, quominus Deum, in quo perfectiones illas, propter quas nos ipsos amamus, infinities perfectius et excellentius esse intelligimus, amore appretiativo magis quam nos ipsos atque adeo super omnia creata amemus; amor enim appretiationis nihil aliud est quam complacentia voluntatis in aliquo obiecto proportionata mensurae bonitatis obiectivae illius. Atque hoc amore post Deum maxime diligere debemus Christum in sanctissima eius humanitate, inter homines vero quemque eo magis amare amore appretiativo debemus, quo quisque magis vera perfectione, supernaturali imprimis praeditus est; neque fieri potest, ut amore appretiativo alium magis quam nos ipsos amemus. Aliter vero omnino loquendum est, ubi de amore effectivo agitur i. e de eo, quod ex amore alicui efficaciter optamus et volumus. Sic non possumus Deum magis amare quam nos, quia, quae est multum laudata christianae veritatis perfectio, nunquam fieri potest, ut verum bonum nostrum — in hac vita intellige — sive a gloria Dei obiective maiore, sive a voluntate Dei seiunctum sit: Nostrum bonum est Dei gloria et Dei voluntas, Dei gloria et Dei voluntas simul est nostrum bonum.

Ratio, cur alii homines amandi sint amore amicitiae est quia habent eandem naturam et — saltem destinatione — eandem gratiam seu naturae divinae participationem quam nos. Si quemvis hominem debeo amare, quia mihi similis et imago Dei est, magis amare debeo me-ipsum, qui mei non solum similis sed idem atque ego sum.

Qui maiorem gloriam Dei repraesentant, appretiative magis amandi sunt, scl. obiective, i. e. ex parte boni. Hoc modo beati magis amant beatiores se quam se ipsos, contenti sunt mensura suae gloriae, scientes hanc respondere iustitiae divinae. Eodem modo sentiunt de gloria aliorum, ita ut nulla invidia neque superbia oriri possit. Idem patet ex plena coniunctione eorum cum voluntate divina iustissima.

Complementum amoris est gaudium. Id provenit ex amore, et est ultima perfectio impetus amoris in obiectum. Amor boni, possidens bonum, parit gaudium de bono possesso quietam boni perceptionem. Gaudium sicut in comestione sentitur materialiter, ita in amore spiritualiter. (S. Thomas 1. 2 q. 31 a. 3). Hoc gaudium est neccessarium nec auferri potest.

Gaudium beatorum est supernaturale et sublime sicut lumen gloriae et amor beatificus. Qualis visio, talis amor, tale gaudium. Magnitudo gaudii sequitur triplicem causam. Primum magnitudinem boni. Quo maius bonum, eo maius ceteris paribus gaudium. In coelis est infinitum, complectens omnem pulchritudinem et dulcedinem. Deinde sequitur potentiam, quae bonum percipit eoque fruitur. In beatis est maxima, scl. intellectus lumine gloriae elevatus et voluntas dono charitatis confirmata. Talis potentia potest non solum Deum attingere, sed etiam quam perfectissimo modo. Tum sequitur amorem. Est summus. et sublimissimus; ergo etiam gaudium.

In qua re gaudent beati? Gaudent in bonis Dei (sanctitas, bonitas, pulchritudo etc.), in bonis Dei externis (gloria, quam comparant ei Christus, Maria, sancti, Ecclesia, universum etc.), de bonis propriis, quae sunt innumera, de aeternitate, de ornatu corporum beatorum etc.

Hoc gaudium est summum, quia beatitudo est tanta communio divinitatis, ut maioris perfectiorisve res creata non sit capax. Lumine gloriae et amore percipiunt beati perfectiones divinas perfectissimo modo et similes ei evadunt adeo, ut maior similitudo cum Deo concipi nequeat. Consistit haec similitudo vitae in visione et amore. Per ea similes processus habentur in beatis (analogice sane) atque in Deo, ita ut lumine gloriae anima fiat similis Patris, visione Filii, amore Spiritus sancti. Communis est sententia plurimorum, beatos gaudere de Deo ipso, non solum de visione Dei, quia delectantur propriis bonis Dei, non solum suis. Ergo non solum, quia eum vident, sed quia ipse tantis bonis est praeditus. Hoc gaudium est primum et praecipuum. Dein visio non est separati quicquam sicut calor a sole separatus est, sed est ipsa coniunctio cum Deo, eius apprehensio et possessio. Sicut homo immediate pecunia delectari potest, non sola eius possessione, ita beatus Deo ipso, obiecto beatitudinis suae gaudet. In quantum visio est aliquid sublime et supernaturale, potest sane gauderi de ea: sed praecipuum visionis est, quod nos Deo similes reddit et Deum nobis praesentem sistit et ostendit.

Beatos peccare non posse, constat apud omnes. Sequitur ex Apoc. 21, 27: 22, 3.: 21, 4: — Secundum s. Thomam (1. 2 q. 4 a. 4) et alios fit hoc vi visionis beatificae. Ex hac visione determinata est voluntas beatorum ad perfectissimum amorem, qui omne peccatum, etiam veniale, excludat. Visio proponit Deum et summum bonum ita, ut nulla offeratur ratio, cur velit ab hoc amore cessare. Ideo voluntas necessario amat, quia sola cessatio ab amore, sine ulla ratione, ut quae sola privatio sit, appeti non potest. Dein bonum aeternum, Deus, est infinitum, ideoque trahit ad se vi tanta, quae reapse sustineri non possit. Unde sequitur, amorem esse non liberum sed necessarium. Visio ipsa tantum omnipotentia divina auferri posset; beatus se ipse ea privare non potest. Libertas hac necessitate non laeditur vel ideo, quia beati libere voluerunt esse beati et propter hanc voluntatem divinae libertatis ab omni influxu causae (vel rationis) finalis (vel quasi finalis) quocum omissio volitionis componi non possit, participes evaserunt.

Beatitudinem esse aeternam patet ex Scriptura V. et N. testamenti.

Haec pauca ex Lessii excellenti opere de summo bono sufficiant. Quam admirabilis claritas et altitudo sententiarum! Redeamus iam ad auctorem russicum.

III.

De tribus rebus mirabitur qui libellum leget.

Primum quod auctor nullibi agit de statu supernaturali, sed bonitatem et sanctitatem dicere videtur mere naturalem, ethicam. Deinde quod negat et vitam aeternam esse vere praemium vitae huius operumque nostrorum, et nobis licere duci praemio et beatitudine etiam non excluso amore amicitiae. Tum quod modo inexplicabili Kantius auctorem auctoritate sua tantopere tenuit et duxit. Cui libello adscriptum est „imprimatur“ !

Quoad amorem doctrina catholica haec est: Duplex est amor Dei formalis *): benevolentiae et concupiscentiae, quatenus motivum est vel infinita Dei bonitas in se qua bonum Dei vel bonitas eius qua bonum nostrum. Amoris benevolentiae est igitur, velle Deo bonum, quia bonum Dei est. Amoris concupiscentiae obiectum formale est divina bonitas ut communicanda nobis. Quo amore in Deum ipsum directe ferimur, non spectantes eum ut merum medium pro alio fine (qui) obtinendo, sed in ipso nostrum bonum collocantes, appetentes igitur Deum ut ultimum nostrum finem cui. „Quamvis in hoc amore finis cui sit ipse diligens [et amor sit proprie nostri], non est tamen finis cui ultimus; etenim hic amor sui ipsius ordinabilis est per se in amorem, quo Deo tamquam fini cui bonum velimus: qui amor perfectior proinde ab alio non excluditur; sed in illo virtualiter continetur;

*) Amor materialis est is, quo volumus quidem id, quod Deo bonum est, sed propter aliud v. g. honorem Dei, ne puniamur. In hoc amore obiectum materiale est bonum Dei, obiectum formale seu motivum (seu finis qui formalis) bonitas a Deo distincta. In amore formali motivum est aliquid in ipso Deo, sive ut bonum Dei sive ut bonum amantis; finis cui formalis seu terminus amoris est vel Deus vel homo (prout amor est benevolentiae aut concupiscentiae).

volentes enim frui suo bono, volumus ipsum cognoscere, amare et glorificare, et cum nostra possessio Dei ad eius gloriam referatur, in Deum finem cui implicite tendimus, cum ipsum finem qui ultimum nobis amamus". Palmieri, De poenitentia th. 22, n. 2.

Uterque amor benevolentiae et concupiscentiae aeque atque caritas et spes coniuncti esse possunt, sicut habitu ita et actu. Cf. Schiffini, De virtutibus infusis th. 32. Nec ullum est fundamentum doctrinae contrariae Quietistarum, qui amorem Dei purum dicunt solum eum, qui est ex sola benevolentia erga Deum ut in se bonum, quaeque excludit concupiscentiam omnem in Deum ut bonum nostrum. Licet enim in actu dilectionis praescindi possit a desiderio fruendi Deo, tamen positive excludi hoc desiderium nequit: et licet actus caritatis elici possit hoc modo ut etsi Deo fruituri non simus, tamen eum propter infinitam bonitatem eius diligere vellemus, tamen cum haec condicio sit impossibilis, nequit absolute reici desiderium aut spes visionis Dei.

ad 1. Aeternitas non est elementum constituens vitae aeternae, si spectatur vita aeterna ut operatio vitalis vel praecise ut vita. Haec quidem absolvitur actibus vitalibus visionis et amoris. Sed in quantum est beatitudo, aeternitas est omnino necessaria. Beatitudo, de cuius aeternitate certitudo non adesset, non esset vera aut plena beatitudo, nam bonum, quod amitti potest, plene non beat. Ergo in aeternitate vitae beatae consistit maxima vis, quia si amitti posset, esset bonum sicut alia bona, quae amitti possunt, et omnes, quibus vita sancta difficilis est, facile dicerent ad quid est superare tantas difficultates, si et vita aeterna amitti potest. Ergo etiam ad nos vis eius nulla esset; immo dici potest, maxime propter suam aeternitatem movere ad desiderium sui et efficere ut difficultates vitae superemus.

ad 2. Vis vitae aeternae, ut contrariae inferno, sane magna est, ad multos maxima, sed ipsa re secundaria. Ad vitam aeternam obligamur ex voluntate Dei, infernum habet se tantum ut poena, ut sanctio legis aeternae si contra voluntatem divinam agamus. Auctor his verbis secum ipse pugnat, quia semper in sequentibus paginis perfectissimam vitam ut unicum motivum vitae sanctae pro nostra vita affert. Neque patet consequentia, cum dicit, ex poenis et aeterna morte sequi, vitam aeternam esse vitam infinitae plenitudinis felicitatis. Vita damnatorum non est mors vera quia etiam damnati vivunt et habent actus suos vitales. Nisi Deus nos ad supernaturalem statum finemque destinasset, ad visionem Dei, vita aeterna non esset summus gradus beatitudinis, sed solum status naturalis perfectionis et beatitudinis.

ad 3. Non potest teneri ideo, quia vita aeterna est vita vera, unica et perfecta, obligari nos, ut ad eam tendamus. Vita aeterna ut vita perfectissima movet sane hominem rationalem, ut ad eam tendat, quia homo rationem sequens magis id amat, quod est melius et perfectius. Sed obligatio in hoc non est. Potest homo saepe eligere et minus perfectum ita ut non peccet. Cf. Slav. litt. theol. p. 68. (Čas. k. d. 308).

ad 5. Quid ibi significet verbum „transcendentalis", satis non patet. An id tantum, quod incipit demum post hanc vitam? An signi-

ficat idem ac vox supernaturalis? Qua voce hic nullibi utitur! In posterioribus paginis demonstrat fuse. Vitam aeternam posse et debere inchoari iam huius vitae tempore.

ad 6. Qua in re consistat iuridica consideratio religionis christianae, qua honestas bonorum operum tollatur, non apparet. Num in hoc, quod vita aeterna sit praemium et merces sanctitatis bonorumque operum vitae huius? Hocne solum, quod homo agat etiam praemii aeterni causa tollere honestatem operis, a filio Dei rite facti? Miram doctrinam! Ex ea Kantius de novo triumphat somnians, quidquid non appetatur propter virtutem aut legem, inhonestum esse. Utinam essent omnes homines tales egoistae! Non essent ii quidem perfectissimi sed omnes animos salvarent. Quam pulchre auctor imitationis Christi, Thomas a Kempis loquitur l. III. c. 58., et in multis aliis capitibus, de vero amore Dei! Quodsi hic cogitavit de doctrina catholica, quae in Russia male audit, de merito de congruo et condigno, non apparet, quomodo haec res cum tractatu hoc cohaereat. Meritum de condigno nihil aliud dicit nisi, esse opera tanti pretii, ut eis ex iustitia praemium debeatur. Sed verba auctoris non sunt clara; itaque abstineamus ab ulteriore expositione.

ad 7. Demonstrari paratur falsitas et crassus egoismus amoris lucri aeterni ex notione vitae aeternae, quam explicat; sed demonstratur ad summum, agere solius Dei amore esse actionem perfectissimam et honestissimam quod nemo negat.

Alia ibi contenta videntur sat confusa esse. Nonne operatio intellectus vita est? Et quid est illud „experiri in animo vitam divinam“? Fitne alio modo nisi per intellectum? Estne intelligendum de aliqua commixtione essentiae divinae cum anima? Deus scit! Sed benevoli verba intelligamus de vitalibus actibus intellectus et voluntatis secundum Lessium supra allegatum. Sed quid significat pars huius capitis incipiens verbis: „Sed hoc nondum sufficit“? — Nonne demonstrat, scriptorem non intelligere, quae supra dixerat? Si enim Deus ita cum homine coniunctus est, ut homo experiatur vitam divinam in se, quid accedat necesse est? Nonne est maxime praesens, nonne haec est obiectiva communio cum essentia divina? Nonne essentia divina est ipse Deus? Si verba sequentia auctoris et id, quod infra de paradiso dicit considero, revera mihi in mentem venit, ipsum in hac „etiam necessaria personali communione obiectiva“ cogitare de conversatione, quam Deus et Adam in paradiso habuerunt!!

Sed etiamsi omnia in bonam partem accipere queamus, quanta obscuritas! Nec vero modus, quo cum Deo homo coniungitur, explicatur.

Quam clare Lessius loquitur de intellectuali coniunctione cum Deo luminis gloriae ope, quo fit (uti s. Thomas dicit) adaequatio intellectus cognoscentis cum re cognita, in hac re cum essentia divina: quam clare de vitalibus actibus, quibus Deus attingitur et possidetur. Addere liceat, non hominem facere se Deo natura similem supernaturaliter, neque hoc fieri ulla, nescio qua ethica bonitate, sed hoc fieri gratia, qua homo Deus evadit, et lumine gloriae, quod adaequat vires eius infinito obiecto. Lumine gloriae recepto iam videt Deum, amat eum ut summum bonum suum amore amicitiae et est beatus. Haec visio

et beatitudo est subiectiva, quia est in subiecto, quod est beatum (ipsa visio et possessio). Deus dicitur obiectiva beatitudo hominis, quia est obiectum, quo possesso homo gaudet. Visio tendit ad rem obiectivam, etiam amor, obiectum suo modo ad beatificos actus hominis concurrit, quae communio cum Deo sufficit, nec aliud quidquam opus est, quia ita habetur visio essentiae divinae et amor et gaudium ex infinito bono possesso. Neque potest Deus in vita aeterna appellari exemplar operationis humanae nisi improprie, quia est obiectum fruitionis, non imitationis. Sed pergamus.

ad 8. Similitudo et adaequatio in vita aeterna si passive spectatur, est gratia et receptio luminis gloriae, si active, omnes actus ex eo et potentia procedentes, scl. actus visionis et amoris. In his consistit etiam communio cum Deo. Visio est condicio ad hanc vitam necessaria. Gratia fit homo quidem deiformis, attamen cognoscit Deum solum abstracte, lumine gloriae fit talis adaequatio inter Deum et hominem, ut cognoscat eum visione. Haec vita non est quies, quia est vita, operatio vitalis. In hoc sensu nunquam finietur. Sed nequaquam crescet lumen gloriae aut similitudo. Lumen gloriae est praemium sanctitatis et meritorum, maius vel minus pro meritis et arbitrio divino: visio et beatitudo commensurantur claritati huius luminis, quia bonum amatur prout cognoscitur, et ex lumine gloriae, non ex intellectu humano, provenit maior vel minor claritas cognitionis essentiae divinae secundum sententiam probabiliorem. Sed etiamsi intellectum quoque ad maiorem vel minorem perspicuitatem pertinere ponatur, visio et amor non crescunt operationibus vitalibus, quia status vitae aeternae est status finalis, quo perfectioris homo capax non est nec altiorem meritus est. Ceterum neque homo fit magis homo operationibus vitalibus, nisi improprie. In coelis cognitione et amore facultas nostra assequitur supremum ac sublimissimum actum suum, ergo nullus progressus amplius, sed solum aeternus fructus, infinita successio beantium actuum vitalium. In terris progreditur similitudo, cum gratia augetur. Sed in vita aeterna neque gratia neque lumen gloriae augetur. Ad summum dici potest, scientiam speculativam experientia augeri. Neque in damnatis augetur malitia, neque actus meritorios ponere possunt. (De his vide Stufler, Die Heiligkeit Gottes und der ewige Tod.) Nihilo magis actus beatorum sunt meritorii. Auctor sensit difficultatem sententiae suae, iterum Kantianae (qui similem progressum infinitum statuit), et vexatur ea. Profecto vera quies et beatitudo haberi non posset.

ad 9. Sententia sapit Kantium et Jansenistas. Etiamsi Christus dixisset: sancti estote, quia . . . et ita internam rationem nostrae sanctitatis indicasset, tamen dixit hoc praecipiendo et vitam aeternam tanquam praemium clare proposuit. Deus cum hominem liberum creasset nec alio modo legem servandam curare posset nisi qui cum libertate hominis componeretur, ut unicum bonum hominis se huius menti ostendit, quo, nisi libertate abutitur, ad servandum legem movetur. Si multos ad vitae honestatem neque mandati vis, neque bonitas, neque inferni horrores adducunt, quomodo potest cum Kantio contra omnem antiquitatem christianam poni, unicum amorem

boni — eiusque abstracte cogniti — debere sufficere et revera sufficere ad vitae sanctitatem et salutem consequendam!

Illa quaestio, cur sit aliquid bonum (honestum), tractatur a scholasticis sicut alia eiusmodi, sed non est quaestio inter scholasticos controversa. Scholastici omnes docent, honesti ultima fundamenta esse in essentia divina. Honestum esse docent fere una voce id, quod convenit naturae rationali (adaequate spectatae); quae natura fundatur in Deo. Mandata divina praecipiunt vel quae sunt intrinsecus bona — ergo non faciunt bona — vel ea, quae alioqui sunt indifferentia; qui ea iussus facit, bonum opus facit, quia praeceptum implet.

Essentia vitae aeternae et principium beatitudinis est visio et amor Dei. Homo accipit vitam aeternam, quia est eo praemio dignus. Homo, qui iam sanctus est (gratia sanctificante) accipit ut praemium novam supernaturalemque „adaequationem" cum Deo lumine gloriae, quo Deum videbit et aeternum beatus erit. Potest moveri amore sanctitatis, sed potest moveri etiam spe beatitudinis, propter quam etiam necessariam condicionem sanctitatis implebit. Vita aeterna ut mercede Deus hominis vitam absolvi vult. — In multis iudiciis auctoris consequentiam non apparere, facile cuilibet in mentem veniat. Saepenumero id, quod verum est, praemissis non demonstratur. Velut in fine huius paragr. 9. Idem dicendum est de tota paragr. 10. Allata ex s. scriptura saepe non demonstrant id, quod demonstrandum est.

ad 10. Vita aeterna est perfectissima vita, cuius homo est capax, sed nequaquam ideo unica vera vita. Verum is, qui librum hunc scripsit, tantum Dei vitam esse veram vitam, ut sibi constet, dicere debet. Sed vita hominis beati, quam reapse dicit unice veram vitam, non est absoluta vita divina, sed solum vita deiformis. Ius exsistendi habet omnis vita, sane non a se, sicuti vita divina, sed a Deo; tamen ius hoc est verum ius, ideoque etiam vita humana vera vita. Ex eo quod secundum auctorem vita aeterna sola sit vera vita, obligatio ad eam tendendi, non sequitur nisi forte in confuso sensu Kantiano.

ad 11. Videtur agi de naturali sanctitate et virtute. Quo posito sanctitas huius vitae nullo modo est eadem ac sanctitas aeterna. Haec est omnino supra naturam. Si agitur de actibus amoris, potest quidem haec sententia sustineri; tamen scholastici fere docent amorem viae et patriae tota specie differre (Duns, In l. 4., d. 49, q. 5.; Thomas II. II. q. 24, a. 7, ad 3.; Caietanus I. q. 82, a. 2.). Caietanus probat id ex visione. Discrimen esse sicut inter Deum visum et non visum, ergo nullo modo inter „magis et minus in eadem specie"; s. Thomas non loquitur eadem claritate. De visione nullum est dubium. Aliud argumentum duci potest inde, quod actus amoris, qui in his citumis liber est, in coelo est necessarius: ergo differunt specie. Vita aeterna est necessario visio Dei, quam in hac vita nemo assequi potest; solus Christus eam habuit.

ad 12. Quod dicitur, bonum propter se ipsum esse christiano homini carum, falsum est, si in sensu Kantiano et naturali intelligitur. Bonus homo christianus, quaecumque agit, ad Deum refert, etiamsi de mercede non cogitet. Similitudine, quam accipit — non opere bono, sed gratia, quae ei a Deo datur —, Dei supra modum naturalem fit

similis: ad eam in vita aeterna accedit „adaequatio“ intellectus cum Deo, et amor fit necessarius. — Utinam „facere bonum et horrere peccatum“ esset nobis quodammodo necessarium! Sed, pro dolor, quotusquisque „cogitur“!

Similitudo, quam secundo loco auctor describit, videtur non esse similitudo gratiae, sed naturalis. Haec ad vitam aeternam non disponit. Sin intelligatur gratia, verum est, quod statuitur. Tamen vita aeterna etiam hoc posito est specie diversa ab hac vita. Si praeparatio est necessaria, vita aeterna est praemium praeparationis, et omnino licet moveri ratione adipiscendi hoc praemium, modo et Dei ratio habeatur. Summae beatitudinis plenitudo est praemium perseverantiae (August., De corr. et gr. c. 10.).

ad 13. Deus infundit vitam supernaturalem, sed non illam aeternam, homini in baptismo. — Paradisus non erat vita aeterna. Parentes generis humani non videbant Deum, ut est in se, neque Deus cum eis conversabatur alio modo nisi per speciem alienam. Gratia quidem fruebantur et ad vitam aeternam nati erant. Si habuissent illam, in qua beatitudo sita est, communionem cum Deo, non potuissent peccare. Amor primorum parentum fuit quidem amor amicitiae, sed nullo modo impediebat, quominus viderent in Deo etiam bonum suum. Amor aeternus non est sacrificium, quia homo nihil devovet, sed contra infinite perficitur et donis cumulatur.

ad 14. Omittamus id, quod dicitur de ligno vitae. Vitam in paradiso fuisse vitam eandem ac futurae beatitudinis non demonstratur. Arbor altera posita ibidem erat, qua primorum parentum obedientia probaretur, qua probata confirmati essent. Vel inde patet vitam illam non fuisse visionem, qua beatitudo continetur. Parentes illi absolute dominabantur in inferiorem partem hominis, concupiscentiam carnis aut rerum corporearum nullam sentiebant; ergo lignum boni et mali monuisse eos, ne curam corporis aut rerum corporearum nimiam gererent, dici nequit. Peccatum eorum fuit peccatum spirituale, peccatum obedientiae summo domino detrectatae, peccatum superbiae.

ad 15. Amor Dei fuit homini primo naturalis, non tamen necessarius, id quod ex peccato commisso patet.

ad 16. Amor, quo beatitudo continetur, est amor voluntatis, impetus voluntatis in Deum. Amorem saepe etiam ad sensus redundare patet; verum, si de amore Dei eo, qui est super omnia, loquimur, intelligitur amor aestimativus; alius quippe saepe physice impossibilis est. De amore satis diximus in secunda parte. Quae de amore ut sensu dicuntur, omnibus scholasticis admirationi erunt*).

Haec annotanda nobis visa sunt — plura annotari potuerunt, sed sufficiant! Libellus hic certe multas et pulchras sententias continet;

---

*) Res manifesto cohaeret cum tripartitione phaenomenorum psychicorum, quam recentiores statuere solent (phaenomena intelligentiae [um], sensus [čuvstvo], voluntatis [volja]) discernentes phaenomena, quae ducimus nuntios de relatione phaenomeni psychici ad phaenomenon psychicum a phaenomenis, quae ita ad extra referuntur, ut in rebus externis mutationem facere velimus et a phaenomenis, quae ita ad extra referuntur, ut res externas nobis repraesentent. *Red.*

sed melius rectiusque — Kantii et consortium loco — operibus scholasticorum operam dedisset. Apud illos ingenium, ars, elegantia, aliae virtutes, — sed subtilitas ac veritas apud hos. Hac sola ratione scripta eius evadent vere philosophica et — vere christiana. Adhibentur nonnumquam ss. Patres. Quam caute iis utendum sit in nostra re, cognosci potest ex Muratorii opere de „paradiso". Quicumque, dum de vita supernaturali et aeterna agit, elevatione naturae remota rem totam solum ex parte ethica considerat, vitam supernaturalem aeternamque numquam explicabit, sed in errores eorum, qui soli rationi omnia tribuenda esse statuunt (Kantii, Güntheri, Kuhnii, aliorum) labetur et de notione Dei et de doctrina de vita aeterna. *F. Žák.*

Церковный вѣстникъ (Církevní věstník) No. 6–15.

In universum agnoscitur et gravitas eorum, quae in Russia geruntur et cleri orthodoxi officium, ut in hoc discrimine rerum ecclesiasticarum vocem mittat, sincera verba faciat, operi suscipiendo sufficiat.

Ea mente consilia in omnibus numeris proponuntur, quae hic quidem non omnia possunt exponi, quorum tamen summa fere haec est: Ecclesia orthodoxa religiosae conscientiae libertatem non timet (О свободѣ религіозной совѣсти, No 6, p. 163), iure tamen postulat, ut modo, cum in eo sit, ut desinat esse reipublicae instrumentum alias sectas custodiendi easque opprimendi, ipsa libera fiat ab omni interventu saeculari et iisdem iuribus fruatur, quae aliis religionibus modo concessae sunt. Quaestiones de matrimonio ac divortio, de ecclesiastico iudicio in laicos et clericos, de temperatione muneris parochialis, de modo instituendi et eligendi clerum etc. in ecclesia orthodoxa sine interventu potestatis civilis, eodem libero modo quo in aliis ecclesiis dissidentibus solvendae erunt (О желательныхъ преобразованіяхъ въ управленіи правосл. Церк., No 15, p. 454). Sine huiusmodi libertate ecclesia esse potest, vivere, valere, augeri non potest.

Praesens certamen, quo Russia agitatur, certamen est duarum sibi contrariarum sententiarum de rebus humanis: alii — mundani — patriae amorem studiumque morum populi rem inutilem esse et in rationem obsoletam cadere et cum totius mundi amore commutandam existimant, contra alii — gentis suae amantes — eundem amorem studiumque pignus esse veri progressus humani, condicionemque sui iuris spiritalis et proprietatis persuasum habent (Культурное завоеваніе, No 7, p. 206). Cleri orthodoxi est hanc alteram sententiam resuscitare ac promovere.

Secundum opinionem amici patriae in Спб. Вѣд. emendatio primum a potestate civili oriatur oportet, discrimen cleri superioris et inferioris auferatur, dignitas patriarchalis tempore Petri Magni imperatoris suppressa renovetur. Церк. Вѣстникъ autem simul hiearchiae progrediendum esse monet vereque iudicat, restitutam dignitatem patriarchalem libertatis ecclesiasticae non esse sufficientem cautionem (Проектъ внѣшней реформы русской церкви, No 9, p. 260). Tantum papa saecularis cederet papae spiritali. Nihil inimicius secundo proventui ecclesiae est quam collata in unum omnis potestas ecclesiastica, constitutio ea ecclesiae, in qua summa imperii apud unum est, et id, quod omnia a magistratibus reguntur (»byrocratismus«). Contentio libertatis ecclesiasticae non est nisi conatus restituendae illius temperationis, quae canonibus designata est (О необходимости перемѣнъ въ русскомъ церковномъ управленіи, No 11, p 321). Accumulatio illa potestatis ecclesiasticae constitutione conciliorum et collegiorum tollatur. Non patriarcha cum s. synodo sed concilium canonicum ecclesiam regat. Concilia haec territorii, provinciae, sedis maximae partis negotiorum curam ad se recipiant, quae

hucusque a magistratibus senatus ecclesiastici et sola synodo gerebantur; id quod perimet illud malum, quod ecclesiae non minus quam reipublicae calamitosum est (Узкій и широкій взгляды на реформы церковнаго управленія, No 14, p. 426). In quibus conciliis semel vel bis in anno convocandis, ubi laici quoque audiantur, clerus habeat libere sententiam dicendi atque ius partem curae vitae ecclesiasticae capiendi (Единомысліе въ главномъ всѣхъ серьезныхъ проектовъ церковной реформы, No 15, p. 454)

Episcopus et sacerdos a clero et populo ad antiquam normam eligantur Ad quaestionem, quo modo canonicam libertatem ecclesia sit assecutura non est nisi unum responsum: concilium totius ecclesiae russicae (О выборахъ прихожанами священниковъ No 11, p 326). Similitudo horum conciliorum de emendandis rebus ecclesiasticis cum mutatione administrationis civilis in Russia desiderata facile conspicitur.

Item complurium de censura ecclesiastica commentariolorum (No 10. Къ вопросу о духовной цензурѣ, No 12. Цѣли духовной цензуры et Духовная цензура (No 12 et 13), No 15 О духовной цензурѣ) communis est persuasio, leges huc spectantes obsoletas esse; quapropter variae emendationes proponuntur. — De nostra ikonum pictura (О нашей иконописи) No 9 Mentio fit commentarii artificis (Rericha nomine) de iconibus. Auctor monasteriorum et collegiorum imaginum pingendarum esse existimat, ut conductis praeceptoribus ruri scholae aperiantur, quae sacerdotibus rectoribus imaginibus pingendis provideant. Tali modo imagines opificum Vladimĕriensium, quae ita sine mente ac ratione conficiuntur, ut ab alio oculi, ab alio solae manus, ab alio nasus pingatur summovebuntur dignioresque imagines in manus vulgi pervenient. — Relationes spiritualium academiarum Kioviensis, Moscoviensis et Kazaniensis (No 10). — In annalibus vitae ecclesiasticae extra Russiae fines (No 10) studium et industria Basilianorum, qua et orthodoxia et quae Ruthenorum sunt propria in Bucovina in periculum vocantur, describitur simulque eiusdem nationis res, quae ad cultum Dei pertinent et eae, quae ad prosperitatem publicam referuntur nigris coloribus pinguntur — Litterae de concione (Писма о проповѣди) No 6. Petropoli societas studiosorum artis dicendi constituta est In hac societate dictum fuerat, nullam esse artem concionis et arcanam eius vim in ipso oratoris animo latere et in sincera caritate erga eos, ad quos oratio habetur. I. Michail in aliquot epistolis de concione illud dictum in parte tantum verum esse iudicat atque ex artibus homileticorum illud potissimum diligentissime commendat, ut orator a sacris omnem falsum sonum evitet, linguam eorum, coram quibus dicere vult bene noverit, neve psychologiae sit imperitus. In No 8 supra notata aliqua ex parte temperantur. — Sac. I. Krylov titulo scripto »Quaestio maturitatem adepta (Назрѣвшій вопросъ) No 9, deliberat, quomodo evenerit, ut vulgus in recenti pugna pro iuribus suis civilibus recuperandis inita, sacerdotes suos neglexerit alienaeque et noxiae voluntati paruerit, quamvis animorum suorum moderatores de animorum vulneribus morbisque sincere adire et consulere consueverit Deliberationis hic est finis: clerus orthodoxus non aestimata iuste nisi parte muneris sui spirituali, in illis tantum rebus hucusque curam posuit, quae divini aliquid habent, eis, quae corporis et vitae terrestris sunt, prorsus neglectis Nisi auctoritate sua etiam in rebus cultus divini paulatim privari velit, clerus Russiae nunc civilis quoque rei partem capessat oportet. — B. Levickij in aliquot epistolis Roma scriptis de conventu Mariano Romae acto (No 9) internas atque externas, maxime eas, quae non ab artis praeceptis sed aliunde profiscuntur causas (visum illum Lurdis obiectum puellae et verba audita »ego sum immaculata Conceptio« Levickij non minimo fuisse momento arbitratur) exponit, quibus Pius IX. papam ad dogma de Immaculata Conceptione b. M. V. proponendum motus est. — In annalibus vitae ecclesias-

ticae extra Russiam in eodem numero mentio fit allocutionis Pii X. summi pontificis ad episcopos 12. Dec. anni superioris Romam congregatos, qua ad diligentiam in seminariis regendis et ad illos alumnos removendos admonentur, qui huius criticae aetatis more, quo ecclesiáe iudicia negliguntur, Patres eorumque doctrinam vilem habent. — In litteris Praga missis (No 14) dies 6 Martii 1905, quo 40 socii veterocatholicae ecclesiae bohemicae (Iška) ab erroribus suis damnata vetustate ad fidem orthodoxam transierunt, celebratur, quo laetior in historia ecclesiae orthodoxae pragensis non illuxerit. Litterae a conventu veterocatholico per occasionem conversionis Pragae publicatae, condiciones habent, quibus cum ecclesia orthodoxa coaluit: quae sunt: liturgia sermone bohemico peragenda, inducenda in liturgiam quaedam cantica Hussitarum, consecrandae virtutes magistrorum Joannis Hus et Hieronymi Pragensis, liberi orthodoxiae instituto educandi, lingua tamen bohemica: iidem simul ecclesiastica lingua et cantu instruendi. — — Bibliographia: Vladimirov Vas., Наставленіе въ Законѣ Божіемъ для начальныхъ сельскихъ училищъ. Tambov 1904. — Malinovskij I., Очеркъ православнаго догматическаго богословія. Kamenec-Podolsk 1904. — Krasnožen M., Краткій очеркъ церковнаго права. Jurev 1904. -- Arsenev K. K., Свобода совѣсти и вѣротерпимость. Spb. 1904 (No 6). — Spasskij A., Обращеніе императора Константина Великаго въ христіанство. Serg. Lavra 1905. Oratio in spir. academia Moscoviensi habita, iam in Bog Vèstnik edita. Breve argumentum iam supra attulimus. - Medvědkov A.. Всемирный потопъ съ научной точки зрѣнія. Spb 1904 No 9. — Karpinskij I., Хрестоматія по древне-славянскому и русскому языкамъ, Spb. 1904 — Butkevič T. I., Ренанъ и его сочиненіе »Жизнь Іисуса«, Moskva 1904. — Fišer Lorenc, Фридрихъ Ницше (Nietsche) — »антихристъ въ новѣйшей философіи. Moskva 1904. *Dr. L. Petr.*

Dušepoleznoe čtenie. 1904. — Hoc opus periodicum, cuius singulis mensibus editur fasciculus destinatum est ad fovendam religiosam vitam in vulgo. Continet permultas morales exhortationes, aliquot dogmaticas et liturgicas quaestiones, narrationes ex historia Ecclesiastica, vitas illustrium virorum, peregrinationes ad loca sancta et miscellanea.

Iam 45 annos editur. Apparet in ea reflexiva quam vocant indoles nationis Russorum. Apud nos morales illae considerationes haud facile nanciscerentur lectorem. Quod partem doctrinalem attinet, periodicus deficere videtur in re apud nos necessaria, in solida apologia ad sensum popularem vulgaremque accommodata.

Antiquiora capita hic indicamus:

De resurrectione mortuorum. II., 43—56. Integro capite agitur de exegesi I Cor. 15, 12—23, praesertim de corpore animali et spirituali. Distiguendum est inter animam et spiritum. Spiritus quippe dicitur anima in quantum movetur a Spiritu Sancto ad vitam supernaturalem, anima autem, ut est principium vitae naturalis. Distinctio ista correspondet nostrae inter partem inferiorem et superiorem. Corpus quatenus inservit animae appellatur animale, spirituale autem, ut perfecte subest spiritui viventi vitam supernaturalem. Illud seminatur, hoc resurget idque immortale, glorificatum, cum potestate, dominans nempe in certo gradu aliis creaturis. De proportione inter identitatem et diversitatem glorificati corporis cum praesenti agetur anno proximo.

Iv. Nikolin, De origine idololatriae. I., 121—126; 503—508 II., 257—262. Revelatio docet homines primitus coluisse Deum unum. Contra id quod evolutionistae dicunt omnes antiquas religiones esse polytheisticas adducitur monotheismus Hebraeorum et idea summi Dei apud gentiles. Caeterum Nigritos aliosque feros ipse Spencer concedit non esse typos primitivi hominis. Polytheismus ortus est ex monotheismo maxime duabus ex causis. Obscurata mente divinae

proprietates in plures divinitates divisae sun . Perversa autem voluntas, quae immersa est tota in sensibili mundo, adduxit homines ad imaginandos sibi deos in forma corporea. Secundo loco in causis ponuntur confusio linguarum, qua primae metaphorae sensum solidum nactae sunt, et v. g. animalia coepta sunt coli ut dii, et divisio populorum. Formae polytheismi sunt variae. Infima habetur in fetišismo, cui tamen antegressa est idea summi Entis. Comparatis diversis religionibus patet Christianismum non solum esse perfectissimam, sed etiam exhiberi in eo omnia, quae nationes quaecumque praesenserant velut remissionem peccati, Incarnationem immo etiam Trinitatem.

Prof. Lebedev, De fratribus Domini. — (I., 38—52; 407—425; II., 214—228; 363—370 III., 235—245; 377—396; 542—555. Evangelistae saepius quidem mentionem faciunt de fratribus Dñi, verum non ita honorificis verbis, itaque, ut videantur Dñum parvi pependisse. Tamen Christo ab inferis reduce in lucem facto credebant. Uxores habebant. Ad Apostolos non pertinuisse eos vero propius est; nam Act. 1. 14. et Mat. 12. separantur ab apostolis. Maxima quaestio est, qui fuerint.

Lebedev primum varias sententias, in quas alii venerunt, considerat, deinde promittit suam.

1. S. Epiphanius ad refellendam calumniam antidicomarianitarum, quod fratres illi fuerint veri B. V. filii, ponit haec: Beatus Joseph duxit B. V. in matrimonium aetate provecta, 80 annorum et viduus. Ex primo matrimonio habuit illos 4 filios et 2 filias. — Id tenent etiam posteriores quidam in Oriente. Opponitur totam opinionem hanc desumptam esse ex fabuloso libro apocrypho quem »protoevangelium Jacobi« vocant; senectutem et filios vel a priori repugnare muneri B. Josef.

2. Helvidius posuit fuisse eos veros atque qroprios B. V. filios. Nititur autem quibusdam verbis evangelii et eo, quod meliores sint nuptiae quam virginitas. De hac re inferius.

3. S. Hieronymus contra Helvidium defendit virginitatem utriusque s. sponsi et fratres illos dicit fuisse filios Mariae Cleofae, sororis B. V., quae stabat iuxta crucem (Joa. 19). Tres fratres Dñus adscivit inter Apostolos. Haec opinio vulgata est inter catholicos. Sed contra affertur B. V. nullam habuisse sororem. Siletur id in traditione et contrarium concluditur ex eo, quod ita nomen sororum fuisset idem.

4. Recentiores nihil novi protulerunt, quod est testimonium tarditatis ingenii pro Occidente. Lightfoot defendit s. Epiphanium iisdem ferme rationibus usus, quibus ille.

5. Zahn contra eum suscitavit Helvidium ob rationes has: In evangelio leguntur: — primogenitus — uxor — antequam convenirent — vir Mariae. — Praeterea: Illi fratres erant in magno honore apud fideles. — B. V. semper in una familia cum eis exhibetur. Denique: Primis duobus saeculis eadem opinio fuit communis. Quae argumenta confutantur hoc modo: In Deuteronomio sponsus et sponsa appellantur quandoque etiam vir et uxor. — »Antequam . . « est locutio hebraica. Primogenitus dicitur Christus iuxta Leviticum. — Apostoli in maiore honore erant quam illi »fratres«. — Sententiae isti videntur primis saeculis favere soli Tertullianus et Hegesippus; at loci, quorum ratio est habenda, valde dubii sunt. Saec. IV. reicitur ab omnibus. Contrarium, B. V. non fuisse matrem eorum probatur inde, quod ubique sine filiis conspicitur imprimis iuxta crucem, ita ut Dñus eam s. Joanni commendaverit idque in perpetuum »ab eo tempore . . « (Jo. 19).

6. Endemann defendit s. Hieronymi sententiam ea tantum immutatione facta ut Mariam Cleofae sororem B. Josef fuisse dicat — Sed argumentatio eius est valde infirma. Itaque nulla opinio allata satisfacit. Proximo anno Lebedev promisit se quaestionem ad exitum adducturum esse.

Theophanis episcopi responsa de precatione. (II. 305 - 313; 429—436; 604—609 III., 116—125; 264—271; 438—444.

Iam apud patres erat persuasio ad vitam internam plurimum conferre frequentem usum precum »iaculatoriarum«. Hoc tempore monachi magna industria incumbunt ad huiusmodi exercitia, adhibentes »precationem Jesu« quam vocant; quae est »Domine J. Ch. miserere mei peccatoris«!

In capite hoc eremita, qui nuper defunctus est, consilia dat iuxta interrogationes sibi factas a quodam monacho de usu illius precationis.

Ut precatio prosit, necesse est omnibus nervis connitaris ut bene preceris, cupiditates refrenes, ut humilitatem christianam et obsequium erga Deum tibi induas. Initio lente et accurate pronuntia verba, mens tua versetur hac una in re, usque dum Deo iuvante pervenias ad habitualem attentionem in precatione — hic est primus gradus. Secundus gradus est »precatio spiritualis«, quae est fixa attentio mentis ad Deum ubique praesentem. Tertius gradus est precatio cordis, si cum illa attentione coniunctus amor Dei cor ita replet, ut homini displiceat humana conversatio et quaerat solum Deum. Patres id appellant coniunctionem mentis cum corde.

Quidam precantur sic, ut premant partem pectoris supra cor, alii primam partem precationis dicunt spirantes et alteram respirantes etc., et sic sentire se dicunt quendam calorem. Sed hoc nihil est. Unica recta via est: Gratia Dei et attentio animi ad Deum. Reliqua omnia sunt aliena. Etiam praestat non alligare mentem certis imaginationibus v. g. crucis . . Bene est, si praefinias tibi numerorum precationum et inclinationum, licet non sint prorsus necessariae. — Vita interior ita est disponenda: Mane somno solutus percurre singula, quae in Symbolo Apostolico traduntur, ut excites animum ad Deum. In ea coniunctione cum Deo conare permanere per totam diem. Saepius cogita de novissimis. Exinde enim nascitur animus humilis, quem non respuet Deus. Ad vitandum animum vagum et ea quae eum avocant adhibe poenitentiae actiones et fuge saeculum. — Quid petimus precatione Jesu? — Id, ut Deus det »scintillam ignis coelestis«, donum precationis. Donum hoc distribuitur a Deo solo, augetur sacramentis. Id quod dicuntur homines tali exercitio mente alienati esse, potest accidere, si quis precatur conscientia dedita peccatis.

In fine sequuntur consilia pro illis, qui dicunt se videre diabolum, angelum etc. Signo crucis probentur ea visa et, si mala sunt, prorsus contemnantur.

Prof. Zaozerskij: De matrimonio et caelibatu. (I., 361—368; 522—531).

In quodam congressu philosophico D. Rozanov errores et dubia de matrimonio et caelibatu proposuit. Prof. Zaozerskij respondet, explicans doctrinam de matrimonio. Distinguendum est matrimonium active et passive sumptum. Active spectatum, seu actus benedictionis sacerdotalis, chirotonia, confert gratiam, quae saepe apparet in ipsa facie sponsorum. Ea gratia permanet cum eis usque ad mortem et est illa eadem, quam initio contulit hominibus Deus, cum eis benediceret »Crescite etc.« Ad matrimonium passive consideratum non pertinet sola generatio ut in bestiis, sed etiam educatio prolis et mutuum auxilium.

Fundatum autem est christianum matrimonium pariter atque caelibatus in amore Dei et proximi. Hinc non repugnat inter se, sed iuvant.

Caput prof. K. J. Kazanskij, quod inscribitur »Benedic anima mea Domino« est populariter scripta paraphrasis psalmi 103. Magnitudo Dei ostensa permultis exemplis desumptis e rerum natura.

In historia Moscoviae religiosae narratur origo patriarchatus Moscoviensis.

Patriarchae — antea metropolitae subiecti patriarchae Constantinopolitano, — crescente auctoritate politica secunda ceterorum patriarcharum voluntate proprii iuris evaserunt et postea eisdem approbantibus iis suffecta est s. Synodus. Ecclesia Russorum ab hoc tempore unum ex ramis unius Ecclesiae universalis tenet.

Plura narrantur miracula imprimis celebris anachoretae Sarovensis. Fuse describitur eius vita cum multis praeceptis de virtutibus; profuisset autem maior critices usus.

Veritatem visuum, specierum obiectarum defendit cl. Lepahin III., 313-319 contra hallucionistas afferens varia facta ex historia Russorum, ubi hostes saepe fugerunt, obiecta sibi specie B. Virginis. Qui certe nullam hallucinationem passi sunt. Argumentum stat, dummodo illa facta omnino indubia esse probetur.

Avide a nobis occidentalibus leguntur verba celebris Joannis de Cronstadt III, 310—313, quibus ipse naturam suorum operum explicat. Rogaverunt eum quondam, ut deprecaretur pro quadam infirma, quod cum ipse fecisset, illa recepit sanitatem. Cum eadem res brevi post iterum evenisset, coeptus est vocari in dissitas regiones, ad deprecanda mala et saepe preces eius auditae sunt. — Vitae rationes suscepit ex continua meditatione illius »nosce te ipsum«. Ceterum ascesin exercere non potest, etsi vellet; semper autem et ubique precatur. Sacerdotibus suadet, ut summopere studeant avellere se et alios a saecularibus cupiditatibus, quibus animi omnium toti dediti sunt, id quod simul est radix omnium malorum.

Haec sunt maioris momenti capita ad theologiam pertinentia; reliqua esse omittenda visa nobis sunt. *J. Pořický.*

Письма и донесенія іезуитовъ о Россіи конца XVII. и начала XVIII. вѣка. С. Прб. 1904. **Litterae secretae Iesuitarum, qui in Russia, Petro Primo regnante, fuerunt.** (382 pp. + 11.)

Habent sua fata libelli! Etiam in Russia, prout liber hic luculenter testatur. Iam ante 20 annos, nempe a. 1883 misit Franciscus Dvorský, archivi Regni Bohemiae Pragae director, copias illarum litterarum archeographicae commissioni, ut ab ea ederentur. Commissio archeographica commisit redactionem editionis commembro suo M. O. Kojalovič. Cura huius docti viri magna pars textus impressa erat una cum numeris hinc inde adiectis, notas indicantibus, quibus Kojalovič editionem suam in fine operis supplere in animo habuit. Post mortem eius († 1891) nemo — quod valde miramur — inveniri potuit, qui notas illas elaboraret, ita ut editio sine notis in lucem prodierit!

Editio haec praebet non pauca, quae magni sunt momenti. Inveniuntur hic in summa sexagenae litterae, quae a. 1698—1720 maxima ex parte a membris Societatis Iesu in Russia degentibus patri provinciali provinciae Bohemiae inscriptae sunt.

De rebus gestis missionariorum catholicorum Moscuae ante annum 1698 scripsit Ferdinandus Menčík in „Časopis katolického duchovenstva“ 1883, 610 sq. („Česká missie v Moskvě r. 1684“), quod paucis hic in memoriam reducere volumus. Imperator Leopoldus I. misit a. 1684 Moscuam legatos barones Žeranovský de Žeranov et Blumenberg, qui pacem inter Russiam et Poloniam componere atque missionariis catholicis aditum in Russiam patefacere debuerunt. Post multas disceptationes demum concessum est, ut pro catholicis exteris Moscouiae commorantibus missionarii sumptibus aulae caesareae austriacae consti-

tuerentur. Cum e rationibus politicis ad munus hoc sacerdotes poloni adhiberi non potuissent, decretum est, ut e provincia Societatis Iesu Bohemica missionarii Moscouiam mitterentur. Iam eodem adhuc anno 1684 venerunt Moscouiam P. Joannes Schmid et P. Joannes Albertus de Boye, qui in suburbio Moscouiensi idoneam domum emerunt. A camera aulica eis salarium 500 fl. assignatum est. Ambo hi viri omni ope atque opera enitebantur, ut receptum officium optime persolverent. P. de Boye iam a. 1686 mortem occubuit [1]), P. Joannes Schmidt verosimiliter a. 1688 in provinciam suam reversus est. Eodem anno Moscouiam missi sunt patres Georgius David et P. Tobias Tichovský, qui iam anno 1690 Moscoviâ abire coacti sunt [2]).

De ulteriori eventu missionis catholicae Moscouiae certiores nos faciunt hae ipsae „Litterae secretae Jesuitarum".

Post abitum dictorum patrum vocavit residens Poloniae Dovmont occulte e Lithuania P. Terpilowsky S. J., qui aliquamdiu Moscouiae delituit catholicis inserviens; sed deprehensus tandem a Russis inter trusiones et verbera trahis iniectus est et iterum avectus ad limites Lithvaniae, incassum contra protestante et iura legatorum allegante Dovmont. Plus anno catholici caruerunt omni sacerdote, intra quod tempus 12 personae perversae fuerunt partim ad Lutheri, partim Calvini haereses, partim ad schisma. Adveniens tandem internuntius caesareus Kurtz adduxit secum P. Koblitz Dominicanum, qui fere duobus annis communitati inserviit, usque dum submitterentur anno 1692 duo sacerdotes saeculares: decanus Kunstadiensis Franciscus Löffler et parochus Paulus Jarosch, qui usque in sextum annum inservierunt catholicis magno cum virtutis exemplo, cumque eorum tempus missionis expirasset, successerunt patres Societatis Jesu: P. Joannes Milan, qui nomen sum in „Franciscus Aemiliani" mutavit, et P. Joannes Berula.

Anno 1698 venerunt Moscoviam in comitatu legati caesarei Gvarient. Adventus eorum commotionem sat magnam excitavit. „Rumor hic fuerat" — ita scribit P. Milan [3]) Patri Francisco Dubský S. J. — „quod veniant Iesuitae. Ita Smolensci ad nos exploratum submissi fuerunt popae tres, at contrarium tum ex moribus, tum ex modo agendi prorsus dissimili edocti, amabiliori nos dein vultu intuiti sunt, patuitque nobis omnis aditus etiam ad templa et monasteria. Similiter hic Moscuae interpres linguae germanicae, natione Ungarus, quondam catholicus, nunc Ruthenus, invasit nos, quod occulti Iesuitae essemus — ita haec natio patres istos abhorret . . . Incredibile dictu est, quam malam de Societate habeant opinionem, aiunt de illis, quod nonnisi seditiones et turbas faciant; Rutheni ita de illis persuasi sunt ,ut putent 100 ulnis per clausam terram eos videre, et idcirco tales Argos, quod nolint ha-

[1]) P. Ioannes Milan scribit a. 1699 de P Boye: „qui hic in summis adhuc laudibus est". Письма pag. 244—245.

[2]) F. Menčik in „Časopis kat. duch." 1883, pag. 610 sqq.

[3]) Nomen „Geraldus a s. Cruce", quo litterae subscriptae sunt, est, ut opinio nostra fert, ipsius nomen fictum.

bere, qui se omnibus immisceant . . .“ Officium divinum peragebant missionarii in ligneo oratorio domus legati caesarei. Mox etiam Russi templum hoc catholicum accedere coeperunt, neque amplius horrebant missionarios, dicentes: „sumus fratres, unius matris filii“. Praesertim e clero russico „multi erant Nicodemi“.

Notatu digna sunt, quae missionarii in litteris suis de quodam diacono russico Petro narrant: „Invenimus hic sub adventum nostrum quendam Petrum, vere martyrem. Fuit is diaconus Ruthenus, quis scit, ubi s. ecclesiae Romanae occulte unitus[4]), qui multum fructificavit in populo pro veris sacramentorum formulis solicite laborans, ne plebs, quae potissimum materialiter schismatica est, privaretur viis salutis. Dixerat is concionem, in ea carpserunt quaedam aliqui et patriarchae detulerunt, qui hominem citavit ad publicum synodi consessum, ubi libere pontificem — caput ecclesiae, Spiritum sanctum a Patre Filioque procedentem etc. confessus est, caesus, catenis vinctus, domo et bonis exutus, in exilium pulsus est. Dicunt eum iam in miseriis expirasse, alii volunt combustum esse. Si ita est, utinam mei meminerit apud divinam misericordiam. Sancta et innocens fuit anima. . . .“ (pag. 215). Dein in posteriore epistola scribitur de hoc Petro: „Martyr noster Petrus diaconus, de quo alias scripsi, vivus nempe martyr etiamnum manet constans, licet in exilio in monasterio, nempe Archangeli ad littora vivat arcto pane et modica aqua, inclusus carceris subterraneo. Fecit actus constantiae multos et magna dignos historia“ (pag. 250).

Labor missionariorum terminis coloniae exterorum continebatur; erat enim Moscoviae suburbium „Sloboda“, ubi alienigenae degebant: Itali, Graeci, Dalmatini, Angli, Hollandi e. a. De hac colluvie diversarum gentium, pusillo grege suo, scribit missionarius: „Inter Anglos et Hollandos recenter advenas copiosos non numeramus fidei nostrae, nisi 40 circiter. Ex meis autem Italis, Graecis et Dalmatinis ad 80, praeclaros omnes et ferventes fidei cultores“ (pag. 215). Accurrente ex Italia, Hollandia et Germania populo praesertim nautico numerus catholicorum brevi in 400 accrevit (pag. 356).

De onere laboris conqueritur missionarius dicens: „In Moscoviae Sloboda vel quasi anteurbio, quod Germanorum vocant, invenimus campum laboris nostri, qui multo sudore et patientia eximia egebit multorum adhuc, si Deus faverit, missionariorum. Credimus experti, quod pie defunctus P. Tichovsky dicere solebat, dulcius esse in extrema barbarie laborare, hominem inferiorem spectando: ibi enim sola barbarie, hic vero et barbarie et exquisitissimis agitur fraudibus praeterea“. Nihilominus nequaquam animo se demittit, sed fortem sese praebet. „Hoc vero“ — ait — „animos hucusque (Deo gloria!) nobis prorsus non dejicit, imo auxit, ut eo fortius stemus pro partibus Dei, quo potentiores hic sunt vires diaboli“.

Exteri Moscoviae degentes, in quorum salutem missionarii initio omnes suas curas conferebant, omnes germanice sciebant, praeterea

---

[4]) Alio loco (pag. 356) dicitur a P. Tichovský ad unionem perductus esse.

tamen „quilibet ruthenicam adhibere et addiscere conabatur“. Erant hi extranei religionis diversissimae, praeter catholicos tamen solummodo lutherani et calvinistae habebant exercitium religionis publicum. Apud Russos quoad religionem utrique in odio erant.

Summum periculum missioni catholicae imminebat tempore seditionis strelitiorum, quorum intentio fuit excindere funditus Germanos (ita omnes advenas vocabant) et eorum Slobodam. Rebelles tamen prudentia et strenuitate generalis Gordonii caesi sunt.

Una cum legato caesareo etiam missionarii ad audientiam apud imperatorem admissi sunt, quod ad id tempus factum non fuerat.

Experientia edoctus optimam agendi rationem missionarius suscepit: „multa facere et pauca dicere, plausus Deo donare, qui, si pro gloria eius necesse fuerit, etiam hos donabit, interim solidum spectare fructum“.

Omnibus votis expetebant missionarii, ut loco parvi templi ex lignis maius lapideum exstruere ipsis concederetur. Ne hoc fiat inimici omnibus viribus impediebant. Unus e primariis bojarinis dixit missionario: „Oportet nos omni modo impedire, ne ecclesiam habeatis ampliorem et magis formatam, alias nostra evacuabuntur templa et omnes ad vestras accurrent cerimonias“.

Intellexerunt enim adversarii aliquo rumore, missionarios esse de Societate, hinc omnes machinas adhibuerunt, ut eos vel amoverent, vel ipsis infamiam aliquam aspergerent, maxime generalis Le Fort per litteras nomine Iesuitarum confictas (pag. 225, 356).

Inter Russos hostem maximum habebant missionarii principem Boris Alexiowitz Galleczin, de quo ita referunt: „Est enim in hac opinione, quod si non adessent sacerdotes catholici, plerique fierent Rutheni, neque multum fallitur, ipse enim in hoc est ingens apostolus, obit mare et aridam, ut vel unum faciat proselytam. Quot iam per eius blanditias perierunt! Caeterum veneratur sacerdotes romanos, utcunque nos iam invitavit aliquoties indirecte de facto autem necdum consultum videtur illi innotescere, usque dum sciamus bene ruthenice; solet enim semper movere discursus de pontifice, cui si non possit prompte responderi ruthenice, ut praesentes bene intelligant, timendum est, ne sibi triumphum faciat et victoriam fingat“.

(Reliqua deinceps persequemur.)

Странникъ (Strannik), opus periodicum (12 fascic. 2 tomi quotannis eduntur Petropoli, Nevskij Prospekt d 182; cum addimentis constat extra Russiam 11 rub., praeprimis clero parochiali destinatum. De quaestionibus in agendo positis maxime tractat multaque de vita religiosa Russiae et externarum terrarum affert in quibus capitibus studium conservandae vetustatis hucusque praevalebat. Modo ab ineunte anno 1905 in Strannik consilia liberiora apparent, conspectus vitae ecclesiasticae libere atque ingenue conscribitur — quae sane indicia sunt vitae novae in ecclesia russica, quae utinam religioni christianae et populo Russorum in bonum convertatur. Quaestiones ad doctrinam theologicam pertinentes ad commune iudicium popularemque intelligentiam accomodate tractari solent; tamen de nonnullis etiam subtilius quaeritur. Quaestiones »scientificas« tractando »Strannik« progressum scientiae theologicae non ignorat eam-

que praesertim ope additamentorum pretiosorum (quae parvo pretio veneunt) inter clerum etiam minus eruditum divulgare intendit. Pretiosa additamenta, quibus potissimum fructus studiorum populariter divulgantur: 1. Encyclopaedia theologica (hucusque 5 tomi), 2. Commentarius in S. Scripturam (t. I. in Pentateuchum), 3. Tractatus apologetici (hucusque 3 libri) et ad usum accommodatissima sunt nec a doctrina aliena. Hic solum conspectum commentationum doctrina excellentium ponimus:

Prof. S. S. Glagolev, Древность человѣческаго рода (De annis aetatis generis humani), I., 16—36. — Chronologiam biblicam historiae novae rerum gestarum non adversari ostenditur. Sive chronologiam biblicam sive scientiae pervestigationem sequimur, genus humanum non est plus 10.000 annis in terris (36).

A. Laskèev, Исламъ въ его полемикѣ съ христіанствомъ (De Islam concertante cum doctrina christiana), I., 776-788, 889-903. Scriptis P. Aurelii Palmieri (libro in Germanicum converso: Die Polemik des Islam. Salzburg 1902) et N. P. Ostroumov (Koran i progress, O koranĕ) maxime innixus auctor narrat de orientalibus et occidentalibus scriptoribus qui Islam oppugnaverunt; Inter quae maximi momenti sunt, quae auctor de libris russicis de hac religione et de eiusdem defensore russico Bajazitov exponit (p. 895—903). —

Vl. Ivanovskij, Психологическія данныя въ пользу библейскаго взгляда на членораздѣльную рѣчь, какъ особенность, исключительно свойственную человѣку (Psychologica, quae confirmant biblicam persuasionem, vocem articulatam propriam esse solius hominis). Auctor posito animalia quandam vitam psychicam habere, non sine eruditione docet ingens inter illa et hominem discrimen ex defectu orationis in illis.

V. Golubev, Христіанскіе императоры до Константина Великаго (Imperatores christiani ante Constantinum Magnum) II., 309-330, 443—452. — De imperatoribus Alexandro Severo et Philippo Arabe auctor multa ex antiquis rerum gestarum scriptoribus depromit historiam, quae nunc est, non negligens. —

A. Lotockij, Духовное образованіе въ Россіи (De Eruditione clericorum in Russia) II., 149—169, 331—350. — Variis commentariis peculiaribus et corporibus litterarum antiquarum innixus auctor eruditionis ecclesiasticae et scholarum in quibus condidati clericales educabantur rationem tradit. In Russia Kioviensi maximam vim ad eruditionem ecclesiasticam habebant scholae fraternitatum orthodoxarum et a saec. XVII. Academia Kioviensis. In Russia Moscovitica conditio eruditionis ecclesiasticae multo deterior erat; medio saeculo XVII. fundata est Moscoviae academia, initio XVIII. prima seminaria clericorum instituta sunt. — Auctor multas quaestiones historicas huc pertinentes praetervolat.

I. Malinovskij, Патерикъ печерскій (Πατερικόν monasterii kioviensis, cui nomen est Pečerskaja lavra. (II., 453—462, 596—608.) »Патерикъ« (πατερικὸν sc. βιβλίον) a saec. V. apud Graecos »vitae« monachorum vocabantur. In his prima erant ἡ πρὸς Λαῦσον ἱστορία περιέχουσα βίους ὁσίων πατέρων ep. Palladii circiter a. 420; — »φιλόθεος ἱστορία ἡ ἀσκητικὴ πολιτεία« Theodoreti ep. Cyr.; Joannis Moschi »λειμών« (pratum spirituale). Cum Rutheni (Russi) suscepto veri Dei cultu ad humanum quoque cultum civilemque a Graecis perducti etiam monachorum collegia eos imitati ascivissent, monachi vacabant studiis litterariis, maxime de vitis monachorum. Ita Kioviae magno monasterio (Печерская лавра) condito procedente tempore conscriptum est a monachis decessorum »πατερικὸν«, cuius exemplaria varia permansere. Патерикъ Печерскій solo proposito continetur: diversis enim temporibus conscriptus est dissimilique ratione. Propositum erat commonstrare pietatem collegii monachorum eorumque illustres vitas enarrare. Habenter hic epistola Simeonis episc. Vladim. ad Polycarpum discipulum et epistola Polycarpi ad Akindynum. Utraque epistola ex

saec. XIII. post praefationem vitas habet »ss. patrum-monachorum«, in priore constructio sacrae coenobii aedis describitur. Vita S. Theodosii et »Повѣсти временныхъ лѣтъ« (Historia antiquorum temporum), quae est de triplici re: α) de initio monasterii, β) de translatis reliquiis s. Theodosii et γ) de primis monachis. Vitam s. Theodosii certe Nestor conscripsit, — de aliarum partium auctore disputant. Utriusque origo cadit in saec. XII. Accedunt ad »πατερικὸν« ipsum minus pertinentia: laudatio s. Theodosii, responsa s. Theodosii data principi »Izjasłav« (»Ізяславу«) de religione latina, alia (velut historia vetus et antiqua Ruthenorum (Russorum). Exemplaria huius libri »Патерикъ Печерскій« typis exscripta vario modo consuta sunt ex partibus exempli primi idque pro diverso edentium indole. Codices scripti integriores manserunt hi: α) Арсеніевскій, β) Ѳеодосіевскій, γ) Кассіановскій 1., δ) Кассіановскій 2., ε) Aliqua exemplaria anonymi, ζ) Іосифа Тризны. Quod auctores libri »πατερικὸν« attinet, certum est: vitam s. Theodosii conscriptam esse a Nestore, — item de auctoribus epistolarum inter omnes constat, sed quaeritur, quis »повѣсти временныхъ лѣтъ scripserit. Antehac Nestorem auctorem esse opinio erat, verum nunc temporis auctore Glubokovskij magis existimant Silvestrum heg. haec composuisse. Librum hunc magni momenti fuisse vel ex eo cernitur, quod persaepe legitur, cuius causa repetitur inde, quod multa ad bene vivendi disciplinam pertinentia ibi tractantur et viri celebrantur gentis propriae. Auctor huius commentationis, ut multa et praeclara ministrat, ita in nonnullis laudandus non est. Negat cum aliis viris litteratis Nestoris esse primam partem nostri »Патерикъ Печерскій«, — cuius rei unicum idque non ita firmum affert argumentum. Deinde fides eius miraculis, quae in »Патерикъ« narrantur habita — omnia enim credit nullaque ei movetur de ullo dubitatio — iudicem litteratum dedecet.

Denique etiam illud reprehendi potest, quod de sola ascetica libri parte iudicavit, quae ad historiam pertinebant, omnino neglexit.

S. Runkevič, Епархіальные архіереи петровской епохи въ их перепискѣ съ Петромъ Великимъ (De episcopis aetatis Petri M. eorumque epistolarum commercio cum Petro M.) II., 490—502, 609—624, 771—784. — S. Runkevič est notus antiquitatis investigator russicus, qui maxime in historiam ecclesiae russicae a temporibus Petri M. incubuit. — Quae hic de quattuor episcopis narrantur, ceteroqui magni momenti non sunt sed solas res domesticas ecclesiae illius temporis illustrant; omnia e fontibus repetuntur. — P. Makkaveev, Религіозно — церковныя воззрѣнія императрицы Екатерины II. (De mente Catharinae II. imperatricis super religione et ecclesia). Auctor maxime ex scriptis litterisque Catharinae II. iudicat imperatricem, habuisse mentem, a pietate nationis russicae in rebus religionis omnino discrepantem. Res religiosas omnes imperatrix ad utilitatem solam referebat; spernendam quidem non esse religionem sed administrationem imperii nequaquam ea esse regendam. Ascetas a fanaticis non discernebat. Ad »orthodoxiam« russicam transiit, quod id non intellexerat, quid inter protestanticam doctrinam et orthodoxos praeter ritus interesset. Ritus orthodoxos non omnino contemnebat, peccata sua sacerdoti confitebatur, accedebat ad mensam Dominicam ieiunia servabat; auctor mentitam pietatem, quae ei propterea obiciebatur conatur purgare. Praeterea eadem ecclesiam sub rem civilem omnino subiciendam esse tenebat. Viros synodi dicebat esse ministros imperii curatorum, a quibus pluris aestimanda essent iussa principis quam lex evangelica. Capitis ecclesiae nomen sibi arrogabat et pro capite se gerebat.

In parte bibliographica singulorum fasciculorum censurae librorum theologicorum ponuntur etiam non russicorum. Inter alia N. N. Glubokovskij laudavit »Kalendarium utriusque ecclesiae« doctissimi P. Nilles — ut eis qui nostrum conspectum perio-

dicum legunt iam notum est, et eiusdem librum »Symbolae ad illustrandam historiam ecclesiae orientalis« (Oeniponte 1885), quem maiorem in modum commendavit ut fontem historicum omnino fide dignum et pretiosum (II., 997). — A. Lopuchin laudavit recentissimam encyclopaediam theologicam Gallorum (Vacant-Mangenot, Dictionnaire de Théol. Catholique) ut opus vere mirandum et doctrina quam maxime excellens; gratulatus est de creberrimis eius excerptis de rebus Russiae, quamquam aegre tulit quod non deesset ratio »latina« (I, 701—702). *G. H.*

Странникъ (Strannik) 1905. nr. 1—4.

E. A. L., O služenii bližnim i »svjatom egoizmě« (De officiis pietatis et de »sancto egoismo«) pg. 7—37; 195—217. In disceptationibus de officiis monachorum calamo sumpto primum magis ratione, deinde etiam usum spectans de vita et industria monachorum scribit. Quae nunc est vitae monasticae et monasteriorum in Russia temperatio, eam ad conferendum ad usum popularem et civilem pro condicione temporis nostri aptam non esse. Ideo novas societates, nova corpora, nova collegia constituenda esse; varias novasque formas piorum munerum cultusque Dei opus esse; quas etiam in ecclesia occidentali probari.

S. Runkevič, Preosvjašč. Aleksij (Titov) i ego perepiska s Petrom Velikim 39—48 — Tihon (Voinov), mitropolit kazanskij i sviažskij, i ego perepiska s Petrom Velikim. pg. 218—232, 384—400. — Aaron (Eropkin), episkop korel'skij i ladožskij, i ego perepiska s Petrom Velikim. pg. 580—597. Partes longae auctoris (Runkevič) commentationis de episcopis tempore Petri M. eorumque cum Petro M. litterarum commercio.

A. Petrovskij, Patriarhalnyj period v istorii naroda evrejskago (De periodo patriarchali in historia populi Israel) 58—64. — Sine docto apparatu auctor exponit, quomodo tempore patriarcharum populus Israel ab aliis gentibus segregatus adoleverit.

N. Kiparisov, Žizn' prav. duhovenstva po izobraženiju světskoj literatury 1904go goda (Quomodo vita cleri russ. a scriptoribus saecularibus a. 1904 descripta sit) 65—99.

Hr. Loparev, Blažennyj Jeronim (S. Hieronymus) pg. 233—241. Breviter de vita et operibus S. Hieronymi memoratur.

A. Guljaev, Pravoslavnoe bogosluženie kak faktor vospitanija voli (De liturgiae orthodoxae momento ad voluntatem excolendam) pg. 401—419.

V. Jablonskij, K voprosu o věroterpimosti (Quaedam ad quaestionem de indulgentia erga dissentientes in rebus divinis pertinentia. De legationibus doctrinae orthodoxae inter »staroobrjadcy« et sectas propagandae causa missis — pg. 442—462.

Iv. Rozanov, Religiozno-nravstvennaja žizn' v hudožestvennom osvěščenii Th. M. Dostoevskago (Vita religiosa et pia in operibus artisticis Th. M. Dostojevskii illustrata) pg. 555—579.

Th. S—kij, Religioznyj indifferentizm našego vremeni, ego pričiny i slèdstvija (De levi aestimatione sacrorum temporibus nostris, deque causis et eventibus eius), pg. 420—430, 598—618.

A. Jurikas, Čudesnoe prevraščenie žezla Aaronova v zmèju (De mira Aaronis virgae in serpentem conversione), pg. 619—632. — Commentarius in Exod. 7, 10—12, compositus secundum Vigouroux, La Bible, et les découvertes modernes (t. II. p. 299—304, 593—607) id quod pg. 619. indicatur.

In genere de »vita ecclesiarum extranearum« (p. 101—110) narratur de studiis protestantium coëundi in unitatem et de statu »veteris catholicismi«, quem sectatores eius »medium quiddam tenere inter pugnantes secum protestantismi et catholicismi romani doctrinas,

ob eamque rem eam fore religionem posteritatis« (p. 121); qua fiducia incaute moti Russi respicere nimis hanc sectam videntur.

In »Conspectu operum periodicorum« (p. 112—121) exponitur de optima theologiam dogmaticam tractandi ratione et de dogmatum progressione (sec. »Prav. Putevoditel'«, »Bog. Vèstnik«, »Hrist. Ctenie«), qua de re in nostro conspectu periodico alias, si Deo placet, tractabitur.

In parte bibliographica inter alia censura libri a Josepho Schulte conscripti »Theodoret von Cyrus, als Apologet«, Wien 1904. scribitur ab A. Bronzov professore. Is laudatis eis, quae a societate vindobonensi, quae »Leo-Gesellschaft« dicitur, edita sunt, praesens opus maxime sibi placere dicit, quod auctor diligentissime litteris usus est, quae in ea re versantur, etiam russicis cum aliis tum Glubokovskii singulari opere de Theodor. J. Schulte enim, cum ipse russice nesciat, ad id opera alicuius viri docti e Societate Jesu usum esse; »si minus in aliis rebus, saltem in litteris viros huius societatis cuilibet ad imitandum proponi posse« (p. 172). Schulte Glubokovskium in nonnullis rebus corrigere velle, quod fieri in rebus nullius momenti, argumentis exilibus, allatis indiligenter testimoniis (173) — A. Bronzov magnopere gaudet libro J. Schulte, quippe qui testimonio sit apud theologos occidentales ortum esse studium litteras Russorum theologicas cognoscendi eisque utendi; quapropter desiderat, ut »eiusmodi studium magis magisque augeatur maximo disciplinarum, theologicae potissimum emolumento« (173).

In eodem Strannik opus nostrum periodicum Slav. litt. theol. iam bis laudatum est atque commendatum. P. 536 et auctoribus et redemptoribus librorum animos advertendos ad id esse scribitur, ut libros et periodica opera censurae causa, vel permutationis faciendae mittant, quippe cum »eto simpatičnoe predprinjatie zasluživaet vnimanija i vsjačeskoj podderžki so storony russkih«. P. 692—693 censura fit fasciculi primi Slav. litt. theol.; brevissime expositis forma proposita et instituto »napisannoj s bolšim oduševleniem« et rebus, quae in eodem fasciculo tractantur, subiunctum est: Simpatičnoe napravlenie i cěl' etogo izdanija zastavljajut nas skazat' vměstě s redaktorami ego: Bog da blagoslovit predprinjatyj trud!« *F. G.*

Ѳ. Кургановъ, Наброски и очерки изъ новѣйшей исторіи румунской церкви. (Къ исторіи низложенія румынскаго митрополита-примата Геннадія Петреско.) Казань, 1904, ст. 1048 + XVI. 6 руб.

Kurganov, ut dicit Lebedev, „slavitsja mnogostoronnoju erudiciju, hotja ego naučnye vzgljady otličajutsja izlišnym rigorizmom i někotorym arhaizmom, bolěe vsego on posvjaščaet svoi trudy razrabotkě voprosa ob otnošenii cerkvi i gosudarstva na Vostokě i na Zapadě: čelověk očen' silnyj v oblasti kritiki" (Церковная Исторіографія. Спб. p. 548).

Kurganov, historiae ecclesiarum Balcanensium peritus, nec non operis „Устройство управленія въ церкви королевства греческаго. Казань 1871" auctor, ut ipse in praefatione fatetur, occasione remotionis Rumenorum metropolitae-primatis Gennadii Petresko 20ª maji (v. s.) a. 1896 peractae, factum hoc singulare illustrare internumque eius cum praecedentibus ultimorum decenniorum eventibus nexum proponere intendit. Factum enim hoc quasi „typica" ecclesiae Rumenorum status, cui et aliarum ecclesiarum Balcanensium status similis est, expressio iure merito haberi potest. Nequaquam autem haec omnia, ut quidam

volunt, ex Turcarum vel Phanariotarum iugo explicari possunt, sed alia causa adsit necesse est.

Quam causam operis decursu duplicem assignat: primam: rationalismum cum omnibus suis principiis, alteram vero in eo reponit, quod particularis ecclesia una post aliam a principali sese avellat et independentem (αὐτοκεφάλην) sese declaret (p. 5 sqq. et passim et p. 1048.) Licet autem auctor, ut ipse testatur (p. 4.), solum „наброски и очерки“ toto libro se propositurum dicat, insigne tamen historiae ecclesiae Rumenorum, etsi nondum finitum, opus in lucem edidit. Etenim „Наброски и очерки“ eius utpote opus systematice elucubratum documentisque, in quantum fieri potuit, plenum, a nemine, cui ecclesiae Rumenorum historiae operam dare in animo est, ullo modo praeteriri possunt.

Totum vero opus in novem capita dispescit:

In primo capite (p. 5—42)) miseri ecclesiae Rumenorum status qui nunc est causas enumerat: protestantismum nempe omnesque ex ipso tamquam rivulos ex fonte profluentes effectus, videlicet negationem sacramentorum, caesaropapismum, rationalismum et atheismum.

In secundo capite (p. 43—101) politicae et religiosae „regenerationis“ Rumenorum, quae maxima ex parte rationalismi principiis innixa, evoluta est, usque ad Valachorum et Moldavorum sub uno principe Al. Cusa anno 1859. peractam unionem. historiam tradit. Usque ad saeculi XIX[i] regenerationem, quam dicunt, Valachi et Moldavi sincere religionem orthodoxam profitebantur (p. 43), omnemque haeresim semper sollicite fugiebant: at cum magis magisve praecedentis saeculi initio politice sui iuris fierent, regenerationem suam cum magno Graecorum et Slavorum odio persequebantur magisque in dies rationalismi ideis imbuebantur.

In tertio capite (p. 102—134) amborum ducatuum politicam unionem sub Al. Cusa perfectam eorumque constitutionem describit. Secundum codicem ab eodem Alexandro Cusa editum non Deus, sed Rumenica natio omnium legum origo est (p. 117.). Ad principis potestatem et res civiles et ecclesiasticae pertinent. Omnis cultus potestati civili subditur, immo et ipsa ecclesia orthodoxa gubernio subiecta per leges declaratur (p. 118). Constitutio Alexandri Cusa, licet ipsa omni religione careat, omnes tamen Occidentis sectas protegit (p. 130), matrimoniumque sicut cetera suo foro adiudicat (p. 133); factiones autem, quibus ministerium successive constituitur, conservatistae nempe et liberales, cum atheismo faveant, omnem positivam religionem destruere conantur (p. 124).

In quarto capite (p. 135—291), quod in duas partes dividi potest, primo de bonis monasticis, secundo de quaestione agraria agitur.

Monasteria Molde-Valachiae duplicis erant generis: alia enim episcopis loci subiecta erant, alia vero utpote sacris Orientis locis dedicata ipsis obnoxia erant: haec ultima magna ex parte a Graecis administrabantur (p. 140), verum non ab ipsis, sed per conductores, qui ex bonis monasteriorum divites fiebant: monasteria autem ipsa, licet ex se opulentissima, aere alieno premebantur (p. 152 sqq.).

Potestas civilis iam inde ab an. 1821. omnibus viribus monasteriorum bona occupare conabatur. Anno 1844. collegium quoddam ad monasteriorum bona administranda a gubernio constituitur (p. 158). Paulatim tempore sequente bona supra dicta. non obstantibus episcoporum protestationibus, referuntur in aerarium (p. 170 sqq); „saecularisationis“ enim idea ex Occidente advecta suos germinavit effectus. Licet autem patriarcha Const. intercesserit principemque admoneri iusserit, metropolita tamen Ungaro-Valachicus Nifont, patriarchae mandatis obsecundare noluit: (p. 236) immo in suo responso ad patriarcham. Cp. plenam Rumenorum a patriarchatu C. seiunctionem minabatur (p. 236). Interim vero monasteriorum bona in aerarium relata sunt et licet patriarcha et gubernia-protegentia protestati sint, lis dirempta non est, quo in statu et post pactum Berolinense a. 1878. et post quaestionem hac de causa a patriarchis a. 1892. motam, res permansit (p. 274 sqq.).

Caput quintum tres habet partes (p. 292—521). In prima parte terrarum, quibus Rumenia hoc tempore continetur, cum patriarchatu Constantinopolitano antiquae necessitudines describuntur (p. 292—335). Usque ad dimidium saeculi quinti terrae nominatae patriarchatui Const., ut per se patet, subiectae non erant, sed solum post IV^{um} concilium Chalcedonense secundum can. 28. subiectio haec statuenda videtur (p. 293 sq.). Imperator autem Iustinianus M. archiepiscopo Iustinianae Primae (quam multi Bulgarorum Ochridam esse aiunt) independentiam donavit eique provinciarum „Daciae mediterraneae et Daciae ripensis, Triballeae, ac Dardaniae et Mysiae superioris, et Pannoniae“ (novell. 131.) episcopos, subiecit (p. 296). Cum autem Graeci Primam Iustinianam Ochridam fuisse dicant et cum terrae a Rumenis occupatae Bulgaris subiectae essent, hodiernam „Valachiam“ sub archiepiscopi Ochridae iurisdictione fuisse recte conicitur (p. 297). Leo III. Isaurus Ochridae independentiam ademit; saeculo decimo iterum Bulgarorum ecclesia sui iuris declarata quidem fuit sed solum in Iustinianae Primae limitibus (p. 298). Cum christianismi a Bulgaris apud Rumenos propagatione, intime quoque linguae Rumenicae progressus connectitur. Kurganov contra Palausov et Kautemir dicit Rumenos initio linguam slavicam habuisse, postea rumenicam introduxisse, post concilium autem Florentinum ex unionis odio iterum slavicam linguam usque ad sic dictam regenerationem habuisse, a quo tempore iam suam propriam adhibere (p. 299).

De ecclesiae Ungaro-Valachicae statu usque ad Valachici ducatus constitutionem a Radu Negru saec. XIII^0, nihil certi habemus. Radu Negru probabiliter simul cum ducatus constitutione dioecesim in Argeš erexit (p. 299.): a saeculo XIV^0 medio iam certa habentur documenta. Anno 1359. Ungaro-Valachicus vojvoda Alexander I. a patriarcha Const^0 cui Ungaro-Valachicae ecclesiae subiectionem spopondit, *πάσης Οὐγγρίας καὶ Βλαχηνῶν* metropolitam obtinuit, qui titulum *ἐξαρχος καὶ ὑπέρτιμος* habebat: anno vero 1370^0 alter metropolita: ‚*τοῦ μέρους Οὐγγροβλαχίας καὶ κατὰ τὸν Σεβερῖνον*‘, cum titulo *ὑπέρτιμος* constitutus fuit. Primus in Argeš residebat Valachiamque Orientalem regebat:

alter autem in Severin cum iurisdictione in Occidentalem Valachiam residebat (p. 300 sqq.).

Quousque hae duae dioeceses perduraverint, incertum est. Secundum Palausov patriarcha Iosephus (1416—1439) duos metropolitas: unum in Bucarest, alterum in Tyrgovišt, designavit. Qui episcopi Florenciae unionem subscripserunt, sed a populo (?) reiecti sunt (p. 301). Post Florentinum concilium una solum metropolis fuisse videtur eaque ad tempus, cum patr. Const. catholicus esset, Ochridae subjecta erat (p. 302). Anno 1393. Valachia a Turcis occupata est. Primum de Rumenorum ecclesia bene meritus est Radu IV (1493—1508), quem auxilio suo Const. Nifont ex-patriarcha adiuvit (p. 304 sqq.). Hic cum metropolita Valachicus esset, duas constituit dioeceses, erudiebat clerum (p. 308) intimeque Ungaro-Valachiam cum patriarchatu Const⁰ coniunxit (p. 310). Tempore sequente nexus his cum patriarchatu Const⁰ permansit, immo propter Turcarum super Valachos dominationem auctus est (p. 312); eundem statum et sub Phanariotharum iugo cernimus (p. 314).

Ducatum autem Moldavicum Bogdanus Dragoš circiter a. 1359 constituit, denuo vero constituerunt Alexander I. (1401—1432) et Stephanus IV. (1458—1504). Moldavorum historia ecclesiastica initio confusa est. Initio nullos Moldavi habebant episcopos, sed solum presbyteros, quos a metropolita Haličensi accipiebant. Postea patriarcha Cp. Antonius Moldaviensem metropolim erexit, at metropolita ab ipso missus Julio an. 1394ⁱ a Moldavis eiectus est (p. 316 sq). Demum a. 1401. novum acceperunt metropolitam Iosephum (p. 318). Quae de primis metropolitis tradita sunt confusa atque inter se pugnantia inveniuntur (p. 319). Eos patriarchis Constⁱˢ subiectos fuisse iure ponitur (p. 320 sqq.).

Post concilium Florentinum *), cum patriarcha const. cum R. Pontifice unitus esset, Marci Ephesini consilio metropolita Moldaviensis ab archiepiscopo Ochridae designatus est eiusque ad tempus subditus fuit (p. 324).

Veri simile est Moldavorum metropolitas initio in Sučava, postea in Iassi resedisse (p. 324). Ab anno 1456 Moldavia Turcis subiacet (p. 326).

Quando post concilium Florentinum necessitudines cum patriarchis Const. restitutae sint, ignoratur; tamen eas Basilii Lupul temporibus iam fuisse omnes consentiunt (p. 329).

Metropolita Moldavorum et Ungaro-Valachicus inter se obnoxii non erant. Eligebantur a clero et a populi proceris, a vojvoda approbabantur, a patriarcha Const⁰ confirmabantur (p. 355).

In secunda capitis noni parte (p. 336—440) leges Rumenorum ecclesiam temperantes ab Al. Cusa editae describuntur. Rumeni protestantismi principiis imbuti ecclesiam suam a patriarchatu Const⁰ divellere cupiebant, eorum desiderio Alexander Cusa a. 1859 dux electus,

*) Cf. Ch. Anner: La Moldavie au Concile de Florence. Echos d'Orient, 7 (1904), N. 49, p. 321—28; 8 (1905) N. 50, p. 5—12; N. 51, p. 72—77 (a suivre).

satisfecit. Inde enim ab a. 1863 ecclesiae Rumenorum reformatio incipit: qua in re gubernium ab episcopis (paucis exceptis) adiuvabatur (p. 337) 22. Octobris (3. Novembris) a. 1864 nova ecclesiastica constitutio approbata est (p. 339), qua Rumenorum ecclesiam ab omni extera (ξένης) liberam et sui iuris esse edicitur (p. 343); supremam potestatem ecclesiasticam generalis (γενικῆς) synodus habet quam princeps per summum praefectum rerum ecclesiasticarum et scholasticarum convocat quamque dimittit. Ad eam nequaquam pertinet libertatem conscientiae aut indulgentiam erga dissentientes in rebus divinis restringere (p. 344). Materia quoque consultationum ab eodem illo praefecto definitur (p. 344): decreta vero synodi solum post principis assensum pro legibus valent (p. 346). Eadem constitutione munus ac viri convocandi in synodum generalem et dioecesanem definiuntur (p. 344 sqq.), ita ut Rumenorum ecclesia tota potestati civili subiecta sit.

Brevi postea novum decretum, quo vita monastica ordinabatur, promulgatum est (p. 346). Collegio religioso accedere nemo potest nisi vir saltem 60 annorum mulier saltem 50 annorum; qui morbo incurabili laborat, prius ingredi potest (p. 347). 13. (25.) Januarii 1865 et a senatorum et a deputatorum comitiis nova lex de episcoporum electione approbata est (p. 348). Soli episcopi excepto metropolita Nifont, cui Alex. Cusa novum titulum „primatis Rumenorum“ indidit, comitiorum consessus coram omnibus reliquerunt consensumque ad legem edendam denegarunt (p. 348). Iuxta illam legem episcopi a solo principe eliguntur et a supremo iudicio civili in causis criminalibus iudicantur: solum si res mere ecclesiasticae sunt, a synodo in ipsius iudicium vocantur (p. 349). Breviter, si comparare rem licet, omnes leges ab Alexandro Cusa editae, gallicae illi „la constitution civile de clergé de France“ ex a. 1790 valde similes sunt.

Sed quod maxime dolendum est, ipse clerus, saltem major eius pars, legibus, ecclesiasticam libertatem destruentibus, edendis, plenum assensum concedere non erubuit (p. 352); qua in re metropolitae Ungaro-Valachici Nifont et episcopi Callinci, qui postea metropolita Moldavensis factus est, exemplum secutus est (p. 349 et 393). Nec tamen defuerunt, qui rem ecclesiae defenderent, maxime cum Sophronius patriarcha Const. aprili an. 1865 synodum extraordinariam convocasset, quae leges a Cusa editas communi iudicio subiecit (p. 358) suamque de iis, διαγνώμην edidit. Simul cum diagnome tres epistolae missae sunt: ad principem, ad metropolitam Ungaro-Valachicum, ad Moldavensem metropolim (p. 374). Peculiaris quoque delegatus ad Rumenicum principem missus est, qui tamen male a Rumenis receptus est (p. 392 cf. 416 et 435).

Episcopi, quamvis rei publicae curatorum consilia adiuverint nihilominus, cum princeps aequitatis terminos egressus esset, adierunt principem, ut communionem cum patriarcha Const⁰ restitueret (p. 426 sqq.). At Al. Cusa a via, quam ingressus erat, amoveri non potuit (p. 436 sqq.), sed adversarios suos omni modo reprimere conabatur. Antequam patriarchae responderet (p. 435), in variis ephemeridibus responsum publicavit, ut animos sibi conciliaret (p. 436).

Patriarcha, cum diutius responsum expectare non posset, epistolam ad liberas ecclesias orthodoxas misit consiliumque petiit (p. 437 et 449).

In tertia parte (p. 440—521) ecclesiae Rumenorum sors ulterior usque ad Alexandri Cusa remotionem, quae 10.(22.). Februarii a. 1866 facta est, describitur. Iam 3,(15.) Augusti a. 1865 contra Alexandrum Cusa rebellio facta est, verum crudeliter repressa est (p. 441).

Interim patriarcha Sophronius Alexandri Cusa responsum accepit, quod continet has sententias: ecclesiam Rumenorum sui iuris (αὐτοκεφάλην) esse idque ab antiquis temporibus, quod ex usu et ex 34. apost. canon. et ex novella 131 probatur; — synodi autem constitutionem esse legitimam ex synodis russica et graeca et ex usu Iustiniani concluditur: — episcoporum autem electionem canonibus respondere et consuetudo et novellae Iustiniani ostendunt; quodsi episcopi in causis criminalibus in iudicium civile cogantur, mirum esse ei non debet, qui consuetudinem Moldo-Valachorum et Justiniani usum in memoria tenet. Quod autem monachos attinet se ex amore erga ecclesiam processisse dicit (p. 446 sqq.).

Patriarcha convocavit extraordinariam synodum, quae 8.(20.) Octobris 1865 ‚ἀνταπόντησιν' ad Rumenorum principem misit.

Duae hae patriarchae epistolae simul cum Alexandri Cusa responso ad ecclesias sua iura habentes missae sunt (p. 471 et 484), quae patriarchae Const[i] agendi modum in omnibus rebus approbarunt (p. 497).

In sexto capite (p. 522—651) de Caroli Hohenzollern electione et de primis annis eius gubernationis exponitur. Notandum est legibus constitutum esse ut principes descendentes in religione orthodoxa educentur (p. 612).

Cecidit quidem Cusa, verum sententiae eius ultra vigebant (p. 521).

Donec Carolus electus et ab externis rebus publicis approbatus est, status ecclesiae Rumenicae miserrimus fuit (p. 614)

Novus princeps episcopos paulisper melius tractabat, unde metropolitae Ungaro-Valachicus et Moldaviensis, nequaquam sincere, necessitudines cum patriarcha Const. restituere studebant (p. 621 sqq.); sed patriarcham non fefellerunt (p. 624). Tandem post longam tergiversationem Carolus a sultano 12.(24.) Octobris a. 1866 investituram accepit (p. 626).

Secundum codicem sub Carolo editum eodem modo ac sub Cusa monasteriorum bona ad collegium rem publicam administrans pertinere dicuntur (p. 640); ecclesiam sui iuris esse; eius supremam potestatem apud nationalem synodum esse definitur. Quae synodus constat ex duobus metropolitis, episcopis, decanis facultatis theologicae, rectoribus seminariorum et singulis viris e singulis provinciis seu conventibus (p. 641); episcopos eligunt deputati, episcopi et protopresbyteri e conventibus. Synodum summus praefectus rerum ecclesiasticarum et scholasticarum convocat; leges vero a synodo editae principis consensu indigent, ut valeant. In singulis dioecesibus corpus (consistorium) tribus

saltem membris constans est; cuius corporis homines paris sunt episcopo iuris.

Si leges Alexandri Cusa et Caroli inter se comparentur, non multum differunt, nisi qood secundum prioris codicem episcopi a solo principe designantur, secundum posterioris codicem a deputatis et ab episcopis eliguntur et a principe confirmantur; et quod Carolina legislatio, licet alioqui canones negligat, ad ipsos tamen nonnumquam saltem provocat. In ceteris rebus idem rationalismus viget (p. 644 sqq.).

In septimo capite (652—756) ecclesiae Rumenorum fortuna ulterior narratur usque ad id tempus quo a patriarcha Const. ei suis legibus esse concessum est.

Cum domi Carolus nondum plenam pacem aequirere potuisset, convertit se ad Gregorium VI.um patriarcham Const. Is tria ab ipso postulabat: ut metropolita electus a patriarcha consensum peteret, ut liturgiae tempore patriarcha commemoraretur, ut chrisma ab ipso acciperent (p. 664).

11.(23.) Decembris a. 1872 novae — hodie quoque vigentes — editae sunt leges: episcopus eligitur a ceteris episcopis et a senatorum et deputatorum comitiis; synodus caput est ecclesiae rumenicae; quae synodus domestica e duobus metropolitis, sex episcopis et sex titularibus episcopis constat (p. 668), — praesidet metropolita Ungaro-Valachicus vel eius loco metropolita Moldaviensis. Singulis annis binae sunt synodi sessiones; legem a synodo latam a principe confirmari oportet (p. 669); — in singulis dioecesibus proprium corpus est (consistorium) cuius membra ab episcopo nominantur (p. 670); suus cuique episcopo adiutor episcopus est, pro quo synodus a patriarcha benedictionem petit; — monasteria et scholae ecclesiasticae episcopis subiecta sunt (p. 671).

A. 1875 Nifont mortuo metropolita Ungaro-Valachicus Moldavensis Callinicus Miklesko simoniacus creatur (p. 687), et episcopus Josephus, qui pro pecunia dioecesim accepit, Moldavensis metropolita constituitur (p. 686). Verum et alii pro pecunia dioeceses obtinebant (p. 688).

Pacto Berolinensi a. 1878 Rumenia a Turcis libera, immunis, suis legibus esse iussa est; mense martio a. 1881 princeps regis nomen accepit (p. 692).

Ut auctoritatem patriarchae penitus everteret, 25. martii (5. aprilis) a. 1882 metropolita ipse contra consuetudinem chrisma consecravit (p. 693), quod etiam maiores controversias inter patriarcham et Rumenos fecit (p. 695).

Ad Joachim III. patriarchae epistolam simili modo atque Al. Cusa ad ‚diagnome' synodus respondit (p. 697). Cum mense Octobri 1884 novus patriarcha Joachim IV., pacis studiosus, electus esset, Rumeni ut suam ecclesiam libertate ornaret, petierunt (p. 741). Joachim IV. convocata synodo 23. aprilis (13. Maii) a. 1885 per epistolam (*Τόμος Συνοδικός*) Rumenis beneficium petitum concedere dignatus est. Qua de re et alias ecclesias orthodoxas sui iuris certiores fecit (p. 754).

In octavo capite (p. 757—870) de ecclesia Rumenica, postquam sui iuris declarata est agitur. Cuius libertate a patriarcha probata, regni curatores episcoporum potestatem restringere coeperunt: episcopus in alterius dioecesim proficisci non potest sine summi collegii regni consensu: ut vero in alienas terras proficisci possit, regis ipsius consensus requiritur (p. 759). Quin etiam eadem civili potestate suo nomine et consilio festa, ut libet, abolentur (p. 765).

14.(26.) Augusti 1886. Callinicus Miklesko moritur: — metropolita Ungaro-Valachicus Josephus Georgian eligitur (p. 766).

Carolo regnante ulteriora rationalismo conceduntur: religio e scholis eicitur (p. 792): seminaria civili potestati omni parte subduntur (p. 795); monastica vita adeo difficilis redditur, ut monasteriorum numerus semper minuatur (p. 849). Tamen ut studia splendore augeantur, 4.(16.) Novembris 1884 facultas theologica in Bucarest erigitur (p. 807). Nova quoque decreta de parochis, clero, seminariis procuduntur, quibus potestas civilis super ecclesiam latius pateat (p. 841). A Novembri 1874 synodi ‚Biserica Orthodoxa Romana' editur qua in ephemeride maxime ultimis temporibus etiam doctrina plena et vere „scientifica" capita inveniuntur (p. 867).

„Titulares" episcopi, cum non habeant unde vivant, non sunt episcoporum adiutores, sed alia officia habent (p. 869).

In nono capite (p. 871—1040) late Gennadii Petresko remotio describitur. Cum enim mense maio a. 1893 Josephus Georgian volens-nolens missionem accepisset (p. 872), contra legem a. 1872. latam secundum quam quemvis metropolitam doctoris gradum adeptum esse oportebat metropolita Ungaro-Valachicus Gennadius Petresko nominatus est, homo sine eruditione (p. 879). Is videlicet a. 1871 achimandrita factus, a. 1875 pro pecunia ordinem episcopalem mercatus (p. 880), omnia ex potestatis civilis sententia peragebat (p. 880). Sed cum ipse omnia ad suum arbitrium sine synodi consensu ageret, et humilitate christiana careret, — synodum contra se excitavit (p. 883). Ad quod accessit et id quod factione ea, quae a libertate nomen habet, deserta a collegio vetustati propitio „conservatistis" metropolita designatus erat. Novo enim curatorum rei publicae collegio e „liberalibus" nominato ut missionem sponte peteret, ei significatum est. Alia quoque causa missionem eius maturavit (p. 893); nihilominus ipse nulla ratione sponte cedere voluit (p. 892 sqq.). 1. Maii 1896 sessio synodi verna incepit; — episcopi contra Gennadium Petresko rebellantes non venerunt: — et licet quattuor episcopos iurisdictione privaverit, nihil tamen effecit (p. 896); itaque a summo praefecto civili rerum ecclesiasticarum et scholasticarum ut synodi consessus vernus finiretur, petiit. Qui consessum synodalem dimittere et episcopos castigare, nequaquam solius primatis esse inverecunde respondit (p. 900).

17 maii idem praefectus novam indicavit sessionem, in qua metropolita Moldavensis praesidebat. Episcopus Ioannicius Flor cum actoris partes adversus G. Petresko obtinuisset (p. 901)., haec crimini ei dedit: primum eum in ecclesiae libertate et regni constitutione deliquisse, — novos in liturgiam mores induxisse, — episcoporum privi-

legia ademisse — ad suam dioecesim peregrinos clericos recepisse, — externas dioeceses circumeuntem episcopis insidiatum esse — ipsum loco synodi regnasse — potestatem disciplinarem et iudicialem usurpasse, — liturgiae tempore synodum non commemorasse (p. 901 sqq.): — alterum, quod ei obiciebat fuit, quod pecuniae cupidus quibus modis id assequeretur, dum sibi eam compararet, nihili habebat (p. 911 sqq.). Consultatione habita synodus decrevit: litem ei inferendam esse, eum omni potestate privandum et in monasterium condendum esse (p. 914, 916). 1. (13.) Iunii a. 1896. iudicium de Gennadio Petresko factum est. Cum autem tres e iudicibus simul essent actores, id quod legi ex a. 1872. repugnat, G. Petresko intercessionem fecit; — criminum quoque, quae ei obiiciebantur, metropolitae Moldavensi censuram suam porrexit (p. 917 sqq.). Synodus argumentis eius solutis omni eum potestate etiam sacerdotio privavit (p. 935) et in monasterium, ubi eodem loco quo simplex monachus haberetur, includi iussit (p. 971).

Tribus rebus Gennadii Petresko excellens exstitit: primum voluit, ut se saecularis causarum actor defenderet, deinde ut causa sua suprema iudicio civili traderetur, ad extremum se esse ecclesiae R. caput et ideo legitimum iudicium de se facere nequaquam synodi esse dicere ausus est (p. 955). Synodus autem ipsa in eo peccavit, quod celerius litem instituit et quod e duodecim episcopis-iudicibus tres iudices simul et actores fuere (p. 956).

De Gennadii Petresko remotione synodus alias ecclesias quae sui iuris sunt certiores fecit (p. 979 et 984). Ab ipso remotionis die autem multi G. Petresko causam defendentes variis in locis contra synodum et collegium regni curatorum seditiosa per coetus disserebant (p. 956 et 985); immo ipse Strudza unus e collegio curatorum regni confiteri coactus est idem collegium quoque eius dimissioni operam dedisse (p. 1010). Invitum igitur supremum collegium synodum convocavit, quae Gennadio Petresko dignitatem episcopalem restituit (p. 1012) et loco eius Iosephum Georgian primatem creavit (p. 1014). a. 1901 mortuus est Iosephus Ananiesko Moldaviensis metr., ei Parthenius Klinčan suffectus est (p. 1046). A. 1898. facultas theologica Iassis erecta est. Regni curatores nec postea a via inita destiterunt (p. 1024 et 1028).

Pauca de ipso opere dicenda videntur esse. Kurg. cum omnibus, quibus potuit, operibus usus esset immo et capita commentationesque variorum operum periodicorum, quae hac de re erant, perlegisset, omnia in unum collegit. Golubinskij et Kolokolcev, qui de Rumenorum ecclesia scripserunt, opiniones in notis additis diluit suasque opponit.

Opus ipsum multis documentis, quorum nonnulla plene ascribuntur et alia sensutenus allegantur, quid Orientales de ecclesia, de potestatis civilis ad eam relatione, de principis in res ecclesiasticas potestate, de iure canonico multisque rebus similibus sentiant, satis clare nos edocet.

Duo autem notanda videntur: Kurganov de ecclesia Rumena saeculo XIX. ascendente, licet historiam profanam huius temporis fuse tractet, pauca exponere et de ecclesia catholica minus recte sentire (cf. p. 38, p. 42 sqq. et 78, 133, 297.). — *M. H.*

Труды кіевской духовной Академіи. **Trudy kievskoj duhovnoj Akademii.** — 1905. Nr. 1. (Januar.)

A. J. Bulgarov, Zakonnost i dějstvitelnost Anglikanskoj ierarhii s točki zrěnija Pravoslavnoj Cerkvi (Num hierarchia Anglicana legitima et vera sit, quaeritur P. 1—24. Materia a. 1902 instituta porro tractatur necdum absoluta est. Auctor praesertim N. T. »Doctrinam duodecim Apostolorum«, Patres apostolicos secutus hic demonstrat ad veram et legitimam hierarchiam necessariam esse successionem apostolicam.

P. I. Linickij, O svobodě voli (De voluntatis libertate). P. 26—48 Commentatio nondum est absoluta

A. A. Dimitrievskij. Sergij, arhiepiskop Jaroslavskij i Rostovskij, kak vikarij Kievskoj Metropoli i predsědatel' Kievskago religiozno-prosvětitel'nago Obščestva. P. 49—105 — Auctor vitam, opera, mores Sergii archiepiscopi († 1904; nomen eius saeculare erat K. I. Lanin) describit eiusque virtutes laudibus effert. Praecipue laudat in eo curam animarum et eximiam facultatem religionis defendendae ostendit; auctoritate sua apud eruditos multum valuit ut praefectus »Kioviensis societatis religiosae culturae promovendae«.

V. Th. Pěvnickij, O voskresenii mertvyh (De resurrectione motuorum). 106—132. — Commentatio non est tam plena doctrinae, quam pietatem alere conatur.

P. P. Kudrjavcev, K voprosu o vvedenii v gimnazijah propedevtičeskago kursa filosofii (Sit-ne institutio ad philosophiam praeparandam in gymnasiis introducenda 133—148. — A. Giljarov, professor in litterarum universitate Kioviensi, de hac quaestione nonnulla scripsit in ephemeride »Kievljanin« (1904, nr. 331); cursum talem necessarium esse, sed professores carere libertate docendi quae velint, eosque, qui idonei sint, paucos esse.

»Ministerium culturae nationalis« consilium cepit, ut magistros qui studia in academiis theologicis absolverant, professores philosophiae in gymnasiis faceret. Giljarov hoc consilium improbat, Kudrjavcev, ratus philosophiam quamprimum introducendam esse probat et affirmat ad eam rem libertate docendi opus non esse.

2. K. Kemelidze, »K voprosu o vremeni prazdnovanija Roždestva Hristova v drevnoj cerkvi« (Quaeritur, quo tempore Nativitas Christi in priore ecclesia celebrata sit) 149—158. Festum Nativitatis Christi in ecclesia occidentali iam primis saeculis Christianis celebratur eodem, quo nunc, die (= 25. Decemb.); in Orienti autem usque ad saeculum IV. celebrabatur sexto die Januarii una cum festo Epiphaniae et Baptismatis Jesu in Jordane fluvio. S. Joannes Chrysostomus in oratione, quam in Nativit. Christi a. 386. Antiochiae habuit, demonstrat, hoc festum celebrandum esse d. 25. Dec.: »quamvis nondum sint 10 anni, ex quo natum sit festum eo die celebrandum esse«. Ex his verbis concluditur Nativitatem Christi non prius anno trecentessimo septuagesimo sexto (= 376) in Orienti d. 25. Dec. celebrari coeptam esse, prius autem Constantinopoli et Antiochiae huius diei erat festum.

In Aegypto autem usque ad saec. V., Jerosolymis usque ad saec. III. Nativitas Christi d. 6. Jan. celebrabatur (149—151).

Ad haec omnia, quae dicta sunt, demonstranda scriptor usus est libro, »Proishoždenie i značenie prazdnika Roždestva Hristova« (Kiev 1883), quem scripsit Th. Smirnov. Quam commentationem secutus, auctor affert novum documentum, ex quo apparet, quo die Nativitas Christi in ecclesia Jerosolymitana celebrata sit. Ecclesiasticum et archaeologicum »museum« urbis Tiphiis continet in manuscripto georgiano (gruzinskij) epistolam Justiniani imperatoris ecclesiae Jerosolymitanae missam, in qua mentio de celebratione Nativitatis Christi facta est. Forma litterarum ostendit hunc membraneum codicem, qui

Patrum scripta homiletica et hagiologica, et deinde Justiniam epistolam continet, esse e saec. VIII. vel IX ; (eadem epistula invenitur etiam in manuscripto georgiano saeculi decimi . Quamquam de scriptore huius epistolae dubitari potest, tamen est veri simile eam saec. VI. esse scriptam Qua epistula manifestum fit ecclesiam Jerosolymitanam pristino more Nativitatem Christi constanter d. 6. Jan. celebravisse et demum auctoritate Justiniani adductam esse, ut morem tota fere ecclesia vulgatum introduceret. Etiam »Epistola ad Armenos Gregorii episcopi Arcruniev e Jerosolymis« scripta lingua Armena (quam publicavit prof. N. Marr in opere Teksty i razyskanija po armjano-gruzinskoj filologii, l. I., Peterburg 1900) ostendit Jerosolymis eum diem festum die 25. Dec. celebrari coeptum esse a. 560. imperatore Justiniano auctore Hic scriptor edit russicam versionem epistolae Justiniani (p. 153–158), quae inscribitur »Lectio de festis Annuntiationis et Nativitatis, Praesentationis et Baptismi, scripta Hierosolymis ab imperatore Justiniano«. Scriptor, huius »lectionis«, S. Scripturam et ss. Patres secutus, ostendit nexum inter haec festa earumque verum celebrationis die. Secundum Lc 1, 26 ss. Annuntiatio B. Mariae Virginis facta est ab angelo mense sexto post conceptionem Joannis B., qui conceptus est circa d. 25. Septembris, (s. Joannes Chrys. dicit ritum, qui Lc 1, 9–11 describitur, secundum ll. Leviticum et Numerorum adhibitum esse mense Septembri (p. 157) et paucis diebus post Joannes B. conceptus est. Id verum esse videmus ex eo, quod festum Nativitatis Joannis B. ab omnibus Christianis die 25. Junii celebratur quod comprobatum est etiam testimonis manuscripti Georgiani (saec. VIII. vel IX.), quod invenitur in Bibliotheca Imperatoria Publica Petropolitana (Nr. 11). Sequitur, ut Annuntiatio B. M. V. incurrat in 25. diem Martii et Nativitas Christi in d. 25. Dec. »Etiam hoc, quod Praesentatio J. Christi (Purificatio B. M. V.) 12. Februarii celebratur iam in pristina ecclesia, demonstrat Christum die 25. Dec natum esse, quia praesentatio 40 diebus post nativitatem fieri solebat (158). »Lectio«, quam prius commemoravimus, affert opiniones ss. Gregorii Naz. et Nyss., Basilii et Augustini, qui eadem sentiebant. *F. G.*

Византійскій Временникъ издаваемый при императорской академіи наукъ подъ редакціею В. Е. Регела, Члена-Корреспондента Академіи. Томъ X. Выпускъ 1—2. Санктпетербургъ, 1903. Annales Byzantini. Quibus edendis ab imperatoria academia liberalium artium praeest V. E. Regel', cum Academia litterarum commercio iunctus. Tomus X., liber 1—2. Petropoli, 1903. XXIV 356 et 114 pag. lex. form. — Sicuti nos, catholici ritus romani, opera nostra lingua latina edenda esse sentimus, ita etiam fratres nostri slavici, Russi orthodoxi, libros suos religiosos etiam lingua graeca edendos curant, ut hoc modo coniunctionem cum ecclesia graeca prae se ferant. Qua ex causa iam titulus huius editionis periodicae lingua illa inscriptus est: BYZANTINA XPONIKA, sicuti etiam totus index ita redditur; etiam nonnulla capita graeca ibi adsunt.

Capita haec ibi continentur: V. Istrin, Одинъ только переводъ Псевдокаллисѳена, а древне-болгарская енциклопедія X. вѣка — мним го. Unica et sola versio Pseudo-Callisthenis et palaeobulgarica encyclopaedia quae X. saeculo orta esse existimatur (1—30). Istrinъ contra Šahmatovъ duas versiones sic dictae Alexandriae ponentem unicam et solam esse demonstrat; encyclopaedia palaeobulgarica saeculo X. non est composita sed tempore posteriore; attamen partes eius

aliquae iam illo saeculo in Bulgaria fuisse possunt. N. Suvorov, Къ исторіи нравственнаго ученія въ восточной церкви. De historia doctrinae moralis in ecclesia orientali. Suvorov de decem modis animae salvandae et contritionis confessionalis secundum vetus manuscriptum Monacense agit (31—63). — J. Kulakovskij pertractat castra Byzantina ex fine X. aevi secundum scriptum latinum (63—90), — Chr. Kučuk-Joannesov autem epistolam Joannis Cimischii, imperatoris Byzantini ad Armenorum imperatorem Ašot III. in Russicam versam secundum Matthaeum Edessenum saeculo XII. prosequitur (91—102). S. Papadimitriju explicat lingua graeca poema Theodori Prodromi e codice Marciani saeculi XII. (102—163). — In parte critica (164—279) novissimorum librorum, qui sunt de rebus ecclesiasticis byzantinisque, accuratissima solet fieri censura.

Eam partem annotationes parvae excipiunt, imprimis lingua francogallica scriptae „Les études byzantines en Italie“ a P. Aurelio Palmieri (281—303). Aliqua de Russico archaeologico instituto Constantinopolitano (a. 1902) exponuntur, recensentur opera professorum universitatis Petropolitanae anni elapsi, acta consessuum collegiorum doctorum excerpuntur. A. P. Popovъ anno 1903 disputationem habuit in Academia clericorum petropolitana de latino patriarchatu Jerosolymitano (tempore „cruciferorum“), in qua demonstrate conabatur, catholicos instituto catholico patriarchatu iura patriarchae orthodoxi laesisse. Causam occasus patriarchatus latini orator parvum sensum iuridicum esse existimat (pag. 339—340). — Siméon Vailhé O. S. A. (Assumpt.) adnotat diligenter lingua francogalica annales byzantinos in Palestina (343—356).

In appendice (pag. 1—113) quae inscribitur: „Actes de L' Athos“ edita sunt „Actes de Xenophon“ par R. P. Louis Petit, des Augustins de l' Assumption. Quae acta sunt de claustro Xenophonte in Monte Sacro Athone, ubi multa monumenta nondum edita latent. Materia omnis in Atho monte inventa, plurima ex parte graeca, per partes edetur, quod maximi pretii est. *Fr. H. Žundálek.*

Bogoslovskij Věstnik (1904).

S. Glagolev: Коранъ (Koran) I, 248—241. Secundum Glagolev Muhamedus suae doctrinae non composuit certam quandam formulam: pro opportunitate enim suam proponebat doctrinam, veteribusque nova addebat, non inquirens multum, utrum haec cum prioribus cohaereant necne.

Itaque auctor ipse ad rationem revocare coranum conatur eumque a discrepantiae crimine defendere; tamen ut et Glagolev ipse fatetur, multas adhuc in corano invenire possumus difficultates.

Idem: Šariat (Шаріатъ) II, 640—663.: In Šariat auctor inquirit de legibus quarum fundamenta posita sunt in Koran: Koran enim nihil aliud est quam decretorum ac praeceptorum liber: „Koranus voluntatem legum Muhamedanarum praebuit, verum minime verba ac litteras“ (p. 640). Corpus igitur legum quae in Koran innituntur, vel potius earum congeries Šariat vocatur. Quae in hoc codice praecepta contine-

antur, enumerat auctor eaque explicat et quomodo in usu vitaque communi observentur, addit.

Idem: Секты ислама возникщія въ спредніе вѣка (M. sectae mediae aetatis) II, 404—457. Секты ислама, образовавщя ся новое время (Muhamedanorum sectae recentioris memoriae) III, 1—40.

Hisce in capitibus auctor inquirit, in quantum Muhamedanorum vita ad legis normam expressa sit. Proponit nempe variarum sectarum inter Muhamedanos exsistentium historiam. In priore capite de mediae aetatis sectis tractat, in posteriore de sectis nostrorum temporum. Sectas generaliter in duas dividit classes: politicam et religiosam. — Auctores quidem russicos, qui hac de re scripserunt, frequenter allegat.

In eo autem reprehendendus est, quod opera, ex quibus doctrinam suam hausit, raro indicat. Mirati vero sumus cum in opere, ceteroquin bono, haec legeremus: „Doctrina de moribus in corano contenta cum rei publicae prosperitate componi potest; nec quae ibi observanda in religionibus proponuntur (usu separato) quicquam superstitionis habent".

N. Kononov: Разборъ нѣкоторыхъ вопросовъ, касающихся Стоглава (Quarundam quaestionum ad ‚Stoglav' pertinentium disquisitio) II, 663—702. Kononov illuminare vult ‚Stoglav' quod synodi a. 1551. genuinum censetur esse decretum.

Praeter alia, inquirit, quomodo referatur ‚Stoglav' ad „nakaznye spiski" quae vocantur. Ex eis, quae explicavit haec concludit: „nakaznye spiski" (mandata) ad clerum parochialem directa non sunt ex Stoglav excerpta, sed Stoglav inserta sunt (p. 700). Qui Stoglav composuit usus aliis quoque documentis (p. 700), saepe sine iudicio egit, et quaecumque congerere potuit, in unum conflavit (701).

Quod synodum a. 1551 ipsam attinet „nulla probabilis causa est, cur conventus ecclesiastico-oeconomicus habeatur".

S. Šumov: О взаимныхъ отношеніяхъ духовныхъ училищъ и семинаріи (Ecclesiasticarum scholarum et seminariorum mutuae relationes) I, 702—718.

Scholae ecclesiasticae, in quibus instituuntur illi, qui ordini clericorum ascribi volunt, a seminariis gubernantur. Quae gubernatio cum multa genuerit incommoda, auctor malis inde manantibus expositis suadet, ut illae scholae de seminariorum iurisdictione exemptae collegio ex seminarii et ex suis professoribus constanti subiciantur.

A. Vvedenskij: К вопросу о методологическ ій реформѣ православной Догматики (De methodica orthodoxae dogmaticae reformatione) II. 179—209.

Occasione ex libro a Malinovskij edito „Православное Догматичное Богословіе" sumpta Vvedenskij de methodo dogmatica disserit. — Qua de re in hoc conspectu periodico infra tractabitur. — Quae dissertatio etiam separatim emissa est.

V. Sokolov: Современное папство и соціальный вопросъ (Hodiernus papatus et questio socialis) II, 209—229. — Paupertate, et inopia, ad quam in Occidente maior hominum pars redacta est, sub oculos subiecta, socialismi de nostrorum temporum condicione desideria conatusque describit et quae ei iam contigerunt, enarrat.

Rerum publicarum curatores conati quidem sunt socialistarum studia cohibere, sed qui neque oppressione (in Germania) neque legibus pauperum gratia latis (in Anglia) quicquam effecerunt. Opus igitur fuit, ut homines eriperentur e paupertate, socialistarum doctrinae doctrinam aliam solidiorem opponere et ad luctandum cum iis non physicas, sed religionis vires arcessere (p. 117).

Quod cum multi perspexissent, oculos in R. Pontificem, ab eo auxilium petentes, converterunt (p. 217). Tunc auctor Leonis XIII., „kotorago pečat' odnodumno provozglašala odnim iz veličajšich dějatelej XIX. stolětija" (p. 220), conatus inde a primis eius pontificatus annis, fuse describit. Quos conatus cumulo auxit a. 1891 celebri encyclica „Rerum novarum". Cuius argumentum et effectum uberius idque incorrupte pertractat (p. 222 sqq.).

Occurrentibus adversariis, Leonem XIII. in ea conscribenda calliditate civili usum esse, respondet, se non negare id factum esse, verum in eo encyclicae momentum non verti (p. 226) unde concludit: „а потому какъ-бы небылъ величественъ выступающій предъ нами образъ папы-дипломата, онъ во всякомъ случаѣ не въ силахъ заслонить собою у затмит гараздо болѣе величественный образъ папы-христіанина" (p. 217).

Insuper novus papa, qui non est vir civilibus artibus praestans, encyclicam edidit, qua praecipuas Leonis XIII. sententias de quaestione sociali, repetiit easque omnibus consociationibus catholicis normam esse voluit (227).

Ad extremum Leonis XIII. ideis se omnino consentire profitetur. Id unum in laudato auctore reprehendo, quod Pii IX. aures ad catholicorum preces de quaestione sociali solvenda, surdas fuisse, immo damnasse eum omnem socialem progressum; et quod ab eodem Pio IX. iudice scilicet infallibili reiectum erat, Leonem XIII. sua auctoritate in honorem adduxisse iudicat. (p. 220 et 221.)

V. Sokolov; Папа Левъ XIII. (очеркъ его жизни и дѣятельности) (De Leonis XIII, vita et actis) I, 601—640. Sokolov in hoc capite materiam de Leonis XIII. vita institutam porro tractat. Integre ceteroqui iudicans id unum peccat, quod nimiam Leoni XIII. honorum contentionem affingit, velut cum: „Tribus inquit annis variis negotiis consumptis (scl. Beneventi) delegato jam tempus esse videbatur ut ad maiores transiret honores. Itaque ut sui memoria renovaretur, ipse Romam petiit" (p. 614).

I. Popov: Религіозной идеалъ св. Аѳаназія (Quae religionis species in mente s. Athanasii insederit.) I. 448—484, II, 91—124. Popov studia sua Athanasiana longius prosequitur. Hic, primum de naturae humanae deificatione disserit, idque tertia paragrapho de deificatione naturae humanae in primis parentibus (I, 448—463); quarta in Christo Jesu (I, 463—469); quinta in hominibus a Christo redemptis (I, 469-481); deinde scribit de Verbi Natura paragrapho sexta (II, 91—97); tum septima paragrapho de vita monastica (II, 97—124).

Totam s. Athanasii doctrinam ad artem redegit. Fundamenta eius doctrinae Popov in dogmate de coniunctione Verbi cum natura

humana posita esse existimat; dogma enim hoc s. c. s. Athanasium omnia quasi in unum connectere. Singularum deificationum ex operibus s. Athanasii erutarum causam naturam proprietates ex s. Athanasii sententia exponit. Illud, quo s. Athanasius ab aliis, praecipue a. s. Irenaeo differt, uberiorem et platonicam soteriologiae explanationem esse Popov arbitratur (p. 483). Platonicum esse illud Popov videtur, quod s. Athanasius naturam humanam Christi existimat ita esse universalem ut sit in unoquoque nostrum (473 sq.); quod ad primorum parentum deificationem attinet, in eo s. Athanius aliis excellit quod ea, quae in sacris libris de paradiso et rebus in eo gestis et rebus felicitatem primam et peccato hunc subsecutis narrantur philosophorum more explicat.

Quod s. Athanasius alias Christum assumpsisse certam naturam humanam, alias universam ita ut nos omnes insimus in Christi humanitate, participesque eius corporis evaserimus docet, — hac ratione conciliat, quod hanc communitatem de Christi in nobis iustificatis praesentia explicat. Sententias de Verbi natura, in hanc s. Athanasii formam redigit: Si Verbum creatum, est quomodo potest creare? Si non est Deus, quomodo potest (nos) homines redemptione deificare? Si Verbum creatum est nonne quam praedicavit religionem mutabilem esse necesse est?

Quae de vita monastica scribit, ex „Vita s. Antonii“, deprompsit, quam s. Athanasii esse iudicat.

Ad extremum advertendum est Popov obscura quaedam tradere de adoptatione nostra (cf. p. 452, 453, 494); neque illa intelligi possunt, quae de Platonica doctrina ad s. Athanasium pertinente scripsit.

Догматъ о Святоій Тройци и подное знаніе (Dogma de ss. Trinitate et perfecta cognitio) II., 355—404 III., 1—40.

Duo imprimis notanda sunt, quae etiam is, qui huic operi periodico adornando praeest p. 355 annotavit: auctorem non esse theologum professione (богословъ-спеціалистъ), eiusque dicendi modum parum emendatum esse et, ut omnia scripto mandarentur nullo mutato verbo, eum petiisse.

Omissa eius de cognitionis processu opinione, quae plena erroris est ad hoc solum animum intendimus: auctorem dogma ss. Trinitatis merae rationis lumine demonstrare velle eiusque commentatione placita Kantii Hegelii Güntheri aliquantulum immutata repeti. Accipe, quomodo dogma explicet: Pater cognoscendo se, producit Filium (p. 3. 4.), considerando autem secum actum proprium producit Spiritum S. (p. 13) Unde Pater sit, nescimus. — Filius et Spiritus S. cognoscendo non producunt, quia cognoscentes iam nascuntur. Immo nec Pater cognoscendo Spiritum S. novam personam producit, quia haec cognitio nullomodo differt a reflexa suipsius cognitione (p. 13).

Spiritus S. non generatur, sed producitur, quia ille non per se ipsum sed per Filium a Patre cognoscitur. Catholicam de Spiritus Sancti processione doctrinam oppugnans nihil novi in medium profert.

N. A. Zaozerskij. Злонамѣренное оставленіе однимъ супругомъ другаго какъ основаніе расторженія брака (Coniuge ab

altero coniuge malitiose derelicto positne solvi vinculum matrimonii) III., 318—342, 422—446.

Cum secundum orientalis ecclesiae canones (?) imperatorumque Graecorum leges, immo et secundum ecclesiae russicae decreta usque ad finem saeculi XVIII. non solum ipso adulterio commisso, verum etiam coniuge ab altero coniuge malitiose derelicto (p. 318 sq. et 422 sqq.) matrimonium solvi potuerit Zaozerskij probare conatur, revera etiam ob hanc alteram causam matrimonium dirimi posse. Eo consilio triplici utitur argumento:

1. Imprimis cum de sacramento agi bene perpexerit, ad ecclesiasticas leges provocat: Allegat s. Basilii 9, 35 et 46 canones (p. 319 sqq.), quos, interpretibus usus Balsamone et Aristene, secundum propositum suum explicat (p. 320 sqq). Canonem 46um sic explicat, ut de muliere, quae maritum ipsius assensu dereliquerit agi existimet (вѣроятно съ его согласія) (p. 321); qui canon his verbis scriptus est: „Quae viro ad tempus ab uxore derelicto insciens nupsit, ac deinde dimissa est, quod prior ad ipsum reversa sit, fornicata quidem est sed imprudens. A matrimonio ergo non arcebitur, sed melius, sic permaneat (M. 32, 730). Canone vero 35 et 9 Zaozerskij statuere arbitratur vel coniuge ab altero coniuge malitiose derelicto matrimonium dirimi (p. 321); — quodque mulier, quae virum suum dereliquerat, alteri nupsit, rem culpam solum augentem ducit (ibidem): hts enim verbis 9. canon est scriptus: „ . . . . Quare, quae reliquit, est adultera, si ad alium virum accesit, qui autem relictus est, venia est dignus (addit hic: если вступить во второй бракъ“) et quae cum eo habitat, non condemnatur . . .“ (Migne 32, 679).

Sed quid, si vir in causa fuerit, ut eum mulier derenlinqueret? (Pars reliqua sequetur), *M. H.*

J. L. Gondal. S.-J., **L' Église Russe**[6]. Paris 1905. (p. 62).

Quod libellus hic iam sexies editus est, testimonio est catholicis Galliae res ecclesiae orientalis cordi magnopere esse. Consilium, quod cl. auctor sibi proposuerat: cognitionem historiae ac status ecclesiae russicae pervulgandi, idonea ratione impletum est. Etiam nobis certe eiusmodi liber opus est. Sed in Gallia reconciliationem ecclesiarum separatarum magis fovere videntur quam apud nationes Russis propiores.

SERBICA.

Bogoslovski Glasnik 1905. Nr. 1—5. J. Zeremski, Magi ex Oriente, pg. 161—170 (pars reliqua). — Descripta intima pericopae huius cum scopo dogmatico evangelii s. Matthaei connexione, ad singula transit. Radix vocis »magi« ad linguas indoeuropeas pertinet (sanscr. maha, mahat; neopers. mog; μέγας magnus); magi ergo Indoeuropei, non vero Semitae fuerunt, probabilissime e Babylonia, quae hic nomine »Orientis« intelligitur (reginam Sabae in Arabia autem ipse s. Mt. reginam austri appellat) (1—8) Arcanum stellae phaenomenon in coniunctione Jovis et Saturni reponit; talis extraordinariae stellae ostentum decembri a. 749 usque ad febr.-mart. a. 750

a. u. c. revera in tabulis astronomicis Sinensibus (a Touquet a. 1774 editis) memoratur. Cum magis Danielis prophetia de tempore adventus Messiae vix ignota fuerit, talis stellae prodigium, Messiae nativitatem indicare eis potuit (9—10). Stellam nihilominus mirabilem fuisse ex Mt. 2, 9-10 apparet (162—165).

A. Živanović, Veronauk na gimnazijama (Instructio religiosa in gymnasiis) pg. 209—217, 363—366. — Auctor disserit de materia in scholis tradenda et de libris in usum earum scriptis; novum schema, quod materiam aptius secundum singulas classes disponat, desiderat.

V. Pribičević, Srbi pitomci kijevske akademije Serbi alumni academiae Kioviensis a. 1721—1762) pg. 248—252. — Censura de commentatione prof. academiae Kiov. N. I. Petrov 28 Serbos in acad. Kiov. hoc temporis intervallo studiis vacantes enumerat, putat vero eos multo plures fuisse. Pribičević putat in archivis serbicis fortasse plura de hac quaestione adhuc inveniri posse.

Pg. 307—310. M. Grujić recensens novam editionem libri Dr. J. Silbernagl, Verfassung u. gegenwärtiger Bestand sämmtlicher Kirchen des Orients, ostendit folia germanica hanc novam editionem nimiis laudibus extulisse cum praesertim de eccl. Serbica multa falsa vel inaccurata contineat.

Commentationes (versionesve) scriptorum Kuljukin-Bogdanović, Eustratiadis-Pribičević, V. Miroslavjević, D. Ruvarac, E. E. Golubinskij-Maksimović continuantur.

Glasnik pravoslavne Crkve. 1905 Nr. 1—5.

R. T. Ružičić, Tolstoj kao psiholog i moralista, pg. 60—67, 161—166, 252—256, 348—354.

Dr. B. Petronijević, Lajbnicova Teodiseja (Leibnitzii Theodicea), nr. 1—5; porro tactabitur.

M. N. Milutinović, Pastirsko služenje starozavetnih proroka (De V. T. prophetarum munere pastorali), nr. 2—5; p. tractabitur.

S. Domentijan, Začeci i razviće religioznih arhitekturnih spomenika (De monumentorum architecturae religiosae initiis et progressu) pg. 225-234. — Commentatio instrumento »scientifico-critico« caret.

S. M. Veselinović, Poslanica sv. apostola Varnave u patrološkoj kritici (De S. ap. Barnabae epistola in iudicium vocata a studiosis criticae patrologiae), pg. 198—212. —

Contra historicos recentiores (Gieseler, Neander Fessler, Bardenhewer e. a.) auctor cum Nirschl et cum scriptoribus christianis primorum 4 saeculorum defendit sententiam, S. Barnabam esse huius epistolae auctorem (198—204). Epistola scripta est mox post urbem Hierosolymam dirutam (post a. 70 p. Chr.), sed ante a. 76., in quo anno communiter s. Barnabae mors ponitur (204—206). Utrum epistola haec iudaeo-, an ethnico-christianis destinata sit, incertum est; constat autem eam contra christianos iudaizantes scriptam esse (209—212). Auctor in litteratura huc pertinente bene versatus est; praeter auctores germanicos, gallicos et anglicos etiam nonnullos Russos (Čeljcov, Gusev, Preobraženskij) allegat. — In appendice fasciculi huius (3.) pars versae in Serbicum epistolae s. Barnabae edita est; procedente tempore omnium Patrum apostolicorum scripta ad criticam rationem translata sub directione S. M. Veselinović edentur.

A. Vujičić, Vaviloni Biblija (Babylon et Biblia), pg. 283—290. — Status quaestionis huius in Germania bene describitur.

I. Ivačković, Simvoličke knjige pravoslavne crkve (De eccl. »orthodoxae« libris symbolicis), pg. 303—325. — Commentatio occasione libro I. Michalcescu, Θησαυρὸς τῆς ὀρθοδοξίας, Leipzig 1904 (cf. Slav. l. theol. pg. 98) oblata conscripta est. I. Iv. desiderat, ut I. Mich. momentum symboli nicaeo-constp. et extraordinarium librorum

symbolicorum in eccl. orientali momentum magis praedicaverit. Ex professionibus fidei privatis solas »Professionem orthodoxam« Petri Mogilae et homologiam Dosithei (Confessio Dosithei) »oecumenice« recepit; quapropter Michalcescu fidei professionem privatam patriarchae Genadii et partim inaccuratum opus Mitrophani Kristopuli minus recte libris symbolicis adnumerat (pg. 325).

I. Bojović, Vaspitanje (De educatione), pg. 376—383.

A. M. Popović, Uzvišenost hrišćanskog braka (De matrimonii christiani sublimitate), pg. 383 400.

S. Domentijan, Hrišćansko i talmudističko učenje o Bogu (De christiana et talmudica de Deo doctrina), pg. 401 - 414.

G. R.

SLOVENICA.

Katoliški Obzornik 1905. Nr. 1—2. Dr. A. Ušeničnik, Na potih vere (In viis fidei), pg. 105 121. Analysis operis a Brunetière conscripti, Sur les chemins de la Croyance Paris 1905); annotantur quaedam de doctrinae »positivae« (certae) positivismi ad fidem relatione.

Dr. J. Krek, Jakobinska svoboda (»Libertas iacobinica«) pg. 122—142. De oppressione ecclesiae in Gallia saec. XIX et proximis annis. — Dr. A. U. »Pestis perniciosissima«, pg. 199—282. Recensio libri prof. M. Zdziechowski de catholicis libere sentientibus de ecclesia (de »liberalismo catholico«) Warszawa 1905.

Dr. J. Gruden, Akvilejski patriarhi za dobe sv. Cirila in Metoda in njih razmerje do slovenskega bogoslužja (De patriarchis aquileiensibus tempore ss. Cyrilli et Methodii; quomodo habuerint se ad liturgiam slavicam.) pg. 9—20.

Haec quaestio magni momenti est et hucusque parum explorata. In historia ss Cyrilli et Methodii patriarchae aquileienses fere a nemine respiciebantur, cum communis esset persuasio, eis cum ss. fratribus commercium nullum fuisse, quam opinionem falsam esse prof. Gruden ostendit. Potestati patriarcharum aquileiensium magna pars populi slovenici (sensu restricto) et pars Croatiae (et Dalmatia) subiecta erat; missionarii Aquileienses usque in partes Panoniae et Croatiae s. Methodio subditas, immo usque in Moraviam perveniebant (p. 10). Vicissim ss. fratres Slavos meridionales patriarchatui Aquileiensisi subditos non mediocriter iuvabant. Iure igitur hinc colligi potest patriarchis aquileiensibus cum ss. fratribus rationem intercessisse. Revera nonnulli historici russici (Golubinskij, Mališevskij) ex vitis ss. Cyrilli et Methodii coniciebant eos ante iter romanum ad patriarcham venetianum se contulisse et inde demum Romam accersitos esse. Hic patriarcha »venetianus« non potest esse alius nisi aquileiensis (pg. 12). Patriarchae aquileienses auctoritati Graecorum apud Slavos favebant, patr. Valpertus (875—901) etiam ad schisma Photii transiit (pg. 20). In Dalmatia tunc liturgia slavica praesertim sub Theodosio metropolita late divulgabatur, tecta praesidio patriarcharum aquileiensium. — Tota commentatio aliquid inchoati et trunci prae se fert neque perfecta dici potest. Commentarios rerum regionis auctor bene cognitos habet, sed litterarum monumenta de ss. Cyrillo et Methodio, slavica potissimum nonnihil negligit. Quae cum ita sint, quaestionem tantum historicam proposuisse dicendus est diligentius alias tractandam.

Dr. J. Gruden, Glagolica v akvilejski metropoliji in njen pomen za slovensko slovstvo (Litterae glagoliticae in metropolia aquileiensi quid momenti habuerint ad litteras slovenicas) pg. 141—157. Divulgari litterae glagolitice in Carniolia, quae terra inde a saec. XI. usque ad XVIII. cum Istria coniuncta erat, certe iam saec XIII. coeptae sunt. Saec. XIV. eisdem diffundendis Carolus IV. imperator una cum patriarchis aquileiensibus favebat; a saec. XV. multi sacer-

dotes e terris Slavorum ad meridiem spectantibus, quae a Turcis oppressae tenebantur, in Carnioliam abibant, qui lingua slavica in liturgia utebantur. Quae omnia constantia quadam fiebant. Saec. XV. et XVI. usus librorum liturgicorum glagoliticorum iam consuetudine legitima confirmatus erat. Atque episcopi labacenses etiam XVI. sacerdotes inaugurabant, qui »idiomate glagolitico« sacrificium faciebant. (pg. 153). Permulta fragmenta glagolitica, hac recentiore memoria variis Carnioliae locis inventa (pg. 143—147), ostendunt, quantopere libri glagolitici liturgici percrebuerint. Litterae glagoliticae etiam in usum saecularem venerant. Ex quibus omnibus efficitur litteras glagoliticas vehementer ad litteras nationis Slovenorum proprias pertinuisse et fundamenta fuisse futuri communis Slavorum meridianorum sermonis in scriptis adhibendi. Sed per scriptores protestanticos saec. XVI. hic usus interruptus est. — Prof. Gruden hac commentatione historiae litterariae et ecclesiasticae novas rationes patefecit et ea, quae exposuit, Slavorum australium historiam ecclesiasticam et saecularem illustrant.

Voditelj v bogoslovnih vedah. 1905. 2—3.

F. Kovačič, Anicij Boetij in njegovo modroslovje (De Anicio Boëthio eiusque philosophia) pg. 121—137, 272—298. (Pars reliqua sequetur).

A. Čižek, Stigmatizacija, pg. 137—150 (continuabitur).

Dr. A. Medved, Zgodovina cerkvenega govorništva (Historia eloquentiae sacrae) pg. 150—161 (pars tantum).

A. Stegenšek, O grbih na cerkvenih predmetih v konjiški dekaniji (De generis insignibus [Wappen] in ecclesiis decanatus Konjice) pg. 161—167. Auctor in rebus archaeologicis optime versatus hic nonnulla tradit quae postea in tomo II. »Monumentorum eccl. dioecesis Lavantinae« eiusdem auctoris publicabuntur.

V. Preglej, Arhivalni izpiski za zgodovino lavant. škofije (Excerpta ex archivis ad historiam dioec. Lavant. illustrandam) pg. 168—176.

J. Markošek, Razlaga sv. psalmov v kompletoriju (Explicatio psalmorum Completorii) pg. 249—272 (pars reliqua). — Explicatio valde accurata usuique apta, textum originalem semper respiciens. Litteraturam exegeticam abundanter adhibet, etiam auctores bohemos (Sedláček, Mlčoch).

J. Kavčič, Simbolika ali znamenstvo (Symbolica) pg. 298—307 (continuabitur).

F. G. et F. K. Ecclesia orientalis pg. 130—131 (Pars russica in bibliotheca Vaticana; A. Palmieri in Russia); pg. 346—348 (Disciplinae christianae in eccl. russica correctio [reforme]).

PALAEOSLAVICA.

Glagolitica. Publicationes palaeoslavicae Academiae Veglensis. Annus fasciculus I.: Liber Ruth. Ex codice bibl. palatinae Vindobonensis transcriptum notis bibliographicis in eundem codicem ornavit *Ioseph Vajs*. Veglae 1805. Pag. 32 in 8⁰.

Laetamur de hoc novo fructu studiorum indefessi auctoris, qui in lucem profert monumentum primo aspectu quidem exiguum, sed magni momenti.

Glagolitica versio libri Ruth, quae hic publici juris facta est, extat in apographo saeculi XIV., in codice nempe, qui. a. 1396 scriptus est a quodam Vito, scriba de Castromusculo in usum capitularis ecclesiae s. Bartholomaei in castelo Roč in Istria, nunc autem

in bibliotheca palatina Vindobonae asservatur. Post diligentem pervestigationem et collationem textus doctus editor hanc propositionem statuit: „In glagolitico textu libri Ruth contineri partem slavicae versionis s. Scripturae secundum aliquem codicem graecum comparatae, quae antiquioribus textibus, qui dicuntur Pannonici, appropinquat". Quum textus glagoliticus, etsi generaliter sequatur textum Vaticanum (B), tamen saepius ab eo discedat, indicat auctor, nos codicem, qui glagolitico textui pro archetypo erat, nondum nosse. Versionem glagoliticam auctor summopere laudat, asseverans ipsam „summa excellere fidelitate, ita ut non solum res alicuius momenti, sed minutissimas quoque particulas, quae si in alium locum transferantur vel etiam omittantur, sententiam minime laedant, suis locis ad verbum interpretetur ita tamen, ut translatione servili minime laboret".

Dein ostendit auctor, textum glagoliticum ceteris textibus slavicis aetate anteire, atque hanc sententiam notatu dignam profert: „Res cum ita se habeant, vera est propositio nostra, glagoliticum textum libri Ruth indicia ostendere, quae eum textibus cyrillianis praeferunt eumque antiquioris slavicae versionis s. Scripturae partem esse demonstrant. Quibus probatis nemo sane fuerit, qui nobis adversetur, quin textum hunc literariae haereditati ss. Fratrum probabiliter adscribamus. . . . Ex quo iam sequitur textum nostrum haud parvi momenti esse in historia ipsius slavicae versionis s. Scripturae, quam novissimis temporibus nonnulli in suspicionem vocatam esse volunt, nisi contrarium probetur".

Ipseque statim ostendit, quid ex vetustissima hac versione concludere liceat. Statuit enim et explicat thesim: „Versio s. Scripturae a ss. Fratribus Slavorum Apostolis confecta non solum Evangelium, Apostolum, Psalterium cum textibus, qui dicuntur paroemenici, continebat, sed ad alios quoque textus extraliturgicos sese extendisse videtur".

QUAEDAM, DE QUIBUS THEOLOGI UTRIUSQUE ECCLESIAE DISSENTIUNT.

III.

Quomodo theologi ecclesiae romanae et theologi ecclesiae graeco-russicae locum Mt 16, 18 [1]) interpretari soleant.

Notum est inter praecipua argumenta, quibus primatus iurisdictionis sedis romanae in ecclesia Christi superstruitur, locum esse illum Matthaei, quo a Christo promissum esse beatum Petrum verum ac proprium ecclesiae universae superiorem fore contenditur. Hoc igitur argumentum undique considerandum statuimus, quo quid valeat, unde laboret patere et a criticis ostendi facilius possit. Itaque supposita loci genuinitate [2]) demonstrari intenditur ita hunc locum explicandum esse,

---

[1]) Graece: Κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.

[2]) Cf. Stimmen aus Maria Laach 1896. I., 129. 288. 375.

ut I. illa verba ad Petrum a Christo directa esse intelligantur, eumque ut personam a reliquis distinctam, non collegii apostolici vel ecclesiae repraesentantem; ut II. Simon dictus sit esse petra, petra ea, in qua Christus fundaturus sit ecclesiam: ut III. nomine ecclesiae hic ecclesia Christi universa (membra, quae actu, non ea, quae voto ad ecclesiam pertinent), ne apostolis quidem exceptis significetur: ut IV. sensus huius incisi sit: Christum Simone usurum esse in ecclesia eo modo, quo petra adhibetur ad aedificium superstruendum (sive Petrus habuit iam qualitatem, vi cuius esset ad tale munus aptus, sive petra nominatur per anticipationem a munere, quod sine speciali aptitudine naturali erat accepturus); denique ut V. haec relatio relationem primatus iurisdictionis seu superioritatis exprimat:

Iam quomodo hae singulae partes probari soleant videamus.

Ad I. Christum verba illa 'Tu es Petrus' etc. ad Simonem direxisse eumque ut a reliquis distinctum imprimis *a)* obvius est sensus huius loci. Dicit enim Christus: dico tibi. tu, tibi dabo, ligaveris, solveris. Sed si quis communitatem alloquitur etsi mediante aliquo ex ea, dummodo tota adsit, utitur plurali; sicut ipse interpres voluntatis communitatis dicit nos. Cf. Mt 19, 27; Jo 6, 69.

b) Verba illa certe referuntur ad eum (vel eos), qui confessionem divinitatis Christi edidit; nam loquitur ad illum, qui ita respondit, et sicut ille dixerat: tu es Christus, ita *(κἀγὼ δέ)* dicit: tu es Petrus. Atqui unus Simon, non dependenter ab aliorum delegatione, nec eorum nomine dixit: tu es Christus, etiamsi ceteri quoque apostoli hanc veritatem ante cognoverint. Nam 1. Christus beatum dicit Simonem Bar Jona, ergo certe non ut repraesentantem apostolorum i. e. apostolos in ipso, idque non quia Deus revelaverit ipsi, quid apostoli sentiant (nam hoc Deo indignum fuit), sed quia ipsi revelavit veritatem, quam protulit. Atqui, si Simon locutus esset nomine apostolorum, apostoli omnes beati dicendi erant. 2. Nequit supponi vel Simonem prius interrogasse singulos, acsi Christus idem non iam fecisset sua interrogatione: vel Simonem putasse se posse pro aliis ex sua notitia respondere, licet sciverit Dominum etiam humano modo illos melius nosse quam se; et hoc responsum Christum acceptasse.

c) Kephas nomen fuit Simonis a Christo ipsi singulari inditum. Ergo non potuit Christus saltem sine ambiguitate illud applicare ad collegium apostolorum.

d) Eidem, quem allocutus est hic, promittit saltem v. 19 Christus omnimodam potestatem; iam si non ipsi ut ab aliis distincto tradita est, tradita est apostolis aut collective aut distributive sumptis. Hoc est absurdum, sc. ut 12 homines absolutas auctoritates in societate acceperint: illud vero non potuit fieri, nisi modus accuratior determinatus sit. Verum talem determinationem saltem postea factam (nisi dicas Petrumesse primatem factum huius collegii) nec ex scriptura nec ex traditione constat; ergo negandum est.

e) Christus, filius Dei praevidit sane hoc sensu accepta fore haec verba per longum tempus a maxima parte fidelium: seduxisse dicendus esset eos in errorem, si aliud intelligi voluisset. Cf. Hilarius, In Mt

14, n. 17; De Trin. l. 6, n. 37; Optatus, De schism. don. l. 7, n. 3: Cyrillus hieros., Catech. 11, n. 3: Ambrosius, In Lc l. 6, n. 97; Asterius amasen., Hom. 8 in Petrum et Paulum; Basilius seleuc., Or. 25, n. 4: Afrem, Serm. 4 in hebdom. s., n. 3. (Hymni et serm. ed. Lamy I, 412); Origenes, In Mt tom. 13, n. 31; Basilius M., Prooem. de iudicio Dei n. 7; Leo M., Ep. 10, c. 2; Theod. Abucara (Bessarione a. 8. fasc. 78, p. 311); Graecorum liturgiae testimonia cf. ap. N. Nilles, Kalendarium manuale [2] I., 72. 194; La Terre Sainte 1897 (23e année, t. XIV.) p. 106 etc.; Syrorum testimonia cf. ap. Ebed-Jesu Khayyat, Syri orientales et romanor. pontificum primatus. Romae 1870. — Behnan Benni, The tradition of the Syriac church of Antioch concerning the Primacy of S. Peters etc. London 1871.

Ad II. Subiectum immediate designatum voce *πέτρα* est idem atque illud, quod vocabulo *πέτρος* designatum fuit.

Etenim 1. in contextu sive antecedente vocem petrae sive consequente ad Petrum et de Petro sermo est; unde sunt verba: ei, repetitum es, repetitum tibi, tu, ligaveris, solveris. Ergo et incisum intermedium „et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam“ de Petro pronuntiatum esse intellegi oportet.

2. Pronomen 'hic' non potest referri ad subiectum ignotum. Iam subiectum proxime nominatum et exhibitum ut petra est ipse Simon; immo aliud nec praecedit nec subsequitur, ad quod referri pronomen tale possit. Digito autem Christum aliam petram demonstrasse *a)* gratis supponitur; *b)* digito demonstrasset aut se aut alium apostolum, aut aliquam petram materialem; non petram materialem, tum quia vox ecclesiae significabat coetum fidelium, tum quia Christus aedificium materiale non exstruxit ideoque se tale exstructurum esse promittere non potuit; non alium apostolum; nam alioquin huic debuisset indere nomen petrae, non Simoni; et saltem sequeretur aliquem ex apostolis accepisse primatum. Nec se ipsum: alioqui debuisset adhibere particulam adversativam, non copulativam '*καί*'; deinde promissum magnum aliquod de Petro proferendum *(κἀγὼ δέ σοι λέγω)* inepte interrupisset per incisum 'et in hac petra . . .', aut totum illud magnum in mutatione inani nominis constitisset. Neutrum sane dici potest.

3. Simon dixerat: Tu es Christus, et recte, siquidem hoc ipsi a Patre revelatum fuit. Christus Simoni dicit: tu es saxum (Kephas aramaice). Illud nomen Christi determinatam significationem habebat, tamen a Simone explicatum est verbis Filius Dei; hoc Petri nomen valde indeterminatum est; si igitur etiam Christus *(κἀγὼ δέ)* vult dicere Simoni quis sit, debuit illud determinare, quatenus, qua relatione sit saxum; alioqui nec novi quicquam dixisset. Optime autem determinavit, si illud „et in hoc saxo . . .“ etiam ad Simonem refertur. Nec dici potest ex ipsis circumstantiis satis patuisse eum vocari petram, nempe ob constantiam suae fidei; nam si hoc patuisset, Cbristus nihil magni novique dixisset.

Ad III. Nomine ecclesiae in sententia de qua agimus a Christo

ecclesiam Christi universam ne apostolis quidem exceptis intellectam esse his docent rationibus:

1. Christus non dicit solum: „ecclesiam", sed „ecclesiam meam" i. e. ecclesiam Christi, eamque cum articulo: *οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*. Atqui talis non est tantum pars ecclesiae, sed ecclesia universa seu omnes collecti in societatem a Christo fundatam.

2. Nomine ecclesiae aut intelligitur coetus apostolorum, aut coetus reliquorum fidelium, aut pars aliqua horum tunc non determinata, aut universi fideles. Si primum, consequenter universa ecclesia comprehenditur; si alterum, apostoli aut essent simul cum Petro fundamentum aut extra coniunctionem cum fidelibus; sed solum Petrum Christus dicit fundamentum ecclesiae, apostolos autem nec fundamentum nec membra ecclesiae fuisse quis dixerit? Tertium non potest statui, quia nulla pars determinata in ecclesia Christi habet in se specialem rationem, ob quam simpliciter ecclesia vocetur, vel etiam ob quam in Petro fundamentum habere dicatur: nam unica ratio hoc dicendi, quae cum aliqua probabilitate afferri possit, est aliquam ecclesiam a Petro fundatam esse; sed multae ecclesiae a Petro neque tamen ab eo solo, sed simul cum aliis sint fundatae. Ergo restat quartum.

Ad IV. Ad probandum iudicium theologorum catholicorum sensum huius partis sententiae esse: Christum Simone usurum esse in ecclesia eo modo, quo petra adhibetur ad aedificium superstruendum (sive Petrus habuit iam qualitatem, vi cuius esset ad tale munus aptus, sive petra nominatur per anticipationem a munere, quod sine speciali eius naturali aptitudine Christus ei traditurus erat), haec afferri solet ratio:

Exprimitur verbis illis ecclesia in aliqua relatione ad Petrum a Christo ponenda, qui quasi architectus vel dominus sapiens fundamentum firmum eligit aedificandae ecclesiae. Quae relatio est certe fundamenti ad fundatum, suppositi ad superstructum; alioquin enim non potuisset dici „in hac petra".

Ad V. Restat, ut probetur hanc relationem esse relationem primatus iurisdictionis seu superioritatis in universam ecclesiam. Ad hoc praestandum ita procedunt:

Fundamentum aedificii quadruplicem vim habet: est prima pars domus, est pars, quae firmitatem et stabilitatem aedificio tribuit, „aedificium sustinet" (Afrem l. c. Serm. IV.), est pars, extra quam aedificium vel eius pars esse nequit et est pars, quae universas partes aedificii sustentat easque in unitate continet. Ex his proprietatibus ipse Christus Dominus alias (Mt. 7, 24.) ad secundam certe respexit.

Christus hic certe respexit saltem etiam ad proprietatem secundam fundamenti. Nam alioqui dicendum esset unicam rationem, cur Simonem vocaverit potius Petrum quam *τεμέλιον* (fundamentum), fuisse blandae hyperbolae studium. Accedit, quod additum est: *καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς* concordanter cum Mt. 7, 24. Nam etsi demus hoc significare tantum: erit adeo firma sicut mors, quod a modo loquendi Christi videtur alienum et ipsi notioni verbi *κατισχύω* communi minus respondet, tamen etiam ita firmitatis ratio exprimitur certe in relatione ad fundamentum.

Deinde prima proprietas fundamenti (esse primam tempore partem aedificii) sola certe hic non potest intelligi. Nam *a)* tertium comparationis non esset sufficiens ad comparationem illam instituendam: (nec enim allegari potest forte Mc. 3, 17., ubi nec vere impositum est nomen proprium, nec tanta sollemnitate prolata comparatione, qua tamen siccior est comparatio nostra): praesertim cum primum membrum societatis numerosae potius primo lapidi quam toti fundamento comparandum esset. *b)* non est verum Simonem primum hominem vere christianum fuisse. Cf. Lc 1, 31. ss.: Jo 1, 15. 30. 36. — Iam vero et secunda et tertia et quarta proprietas fundamenti in relatione ad societatem aliquam (et sermo est de una) pertinent solum ad auctoritatem supremam, a qua universa societas (omnes collective sumpti) pendet et regitur.

Nam *a)* et experientia docet et a priori patet nisi omnes, qui ad ecclesiam pertinent, etiam collective sumpti ad Petrum sequendum eique praecipienti adhaerendum obligati essent, nullam unitatem posse obtineri vel conservari. Atqui sine unitate nulla stabilitas aut firmitas. *b)* Aliud quidquam, quod munera illa vel eorum aliquod gereret, esset aut primatus honoriis vel auctoritatis, aut primatus praedicationis prae universa ecclesia. Atqui de primo docet experientia v g. in parlamentis (senatibus); alterum aut intelligitur eo sensu, quod doctrina Petri sit fundamentum, tunc non Petrus esset fundamentum, sed eius doctrina, ipse vero architectus; aut intelligitur eo sensu, quod Petrus primus praedicavit Christum et eatenus certe non praestat illud, quod petra; praesertim cum Ecclesia sine hoc actu transeunte Petri etiam potuerit aedificari et talis prioritas in praedicando robur ad portas inferi superandas addere non potuerit. Nec patribus istud explicationis unquam venit in mentem.

Restat, ut et altera pars audiatur. Et quia a priore stamus, huic concedendum videtur esse, ut verbis non mutatis quae statuunt proferamus.

Primam quidem graecarum epistolarum generalium interpretationem cognoscere non alienum videtur esse. In epistola data 6. Maii a. 1848 [3]), § 11. legimus: „Nisi ecclesia Christi aedificata esset super firma petra confessionis Petri [non ipsius Petri: contra II.]: ‚Tu es Christus, filius Dei vivi‘ (quod fuit commune responsum apostolorum ad quaestionem illis positam: ‚Vos quem me esse dicites‘ [Mt. 16, 15. 16.; cf. I., *b.*], ut divi patres orientales et occidentales exponunt), ipse Kephas infirmum esset fundamentum, multoque infirmius papa, qui quomodo clavibus regni caelestis sibi sumptis usus sit, ex historia notum est“.

In epistola „magnae“ ecclesiae constantinopolitanae data mense Augusto a. 1895 [4]) n. 14. Anthimus VII. haec dicit: „Illud ipsum, quod papa romanus allegat: ‚Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam‘ (Mt. 16, 18.), ut ipsi papistae norunt, primis

[3]) Okružnoe poslanie edinoj, svjatoj, sobornoj i apostol'skoj cerkvi ko vsěm pravoslavnym hristianam. Spb. 1850 p. 18–19.

[4]) Otvět velikoj hristovoj cerkvi konstantinopol'skoj na encikliku papy rimskago L'va XIII. o soedinenii cerkvej. M. 1896 str. 13.

ecclesiae saeculis ab omnibus patribus sine ulla exceptione omnino aliter sensuque orthodoxo explicabatur metaphorice firmam illam petram, super quam Dominus ecclesiam suam aedificaturus erat, cuique portae inferi non praevalebunt accipiendo de Petri vera confessione: ‚Tu es Christus Filius Dei vivi' (Mt. 16, 16.) [contra II.]. Hac confessione ac fide salutaris evangelii praedicatio continetur omnium apostolorum eorumque successorum".

Sed iam Russorum exegetas consulamus. Optima commentaria evangelii secundum Matthaeum habentur opus compositum a M. Barsov ex variis scriptoribus (Sbornik statej po istolkovatel'nomu i nazidatel'nomu čteniju četveroevangelija [2] Spb. 1893) et liber ab episcopo Mihail conscriptus (Tolkovoe evangelie kn. I[6]. Kiev 1899).

In priore opere (t. II., p. 22—4) ad locum nostrum exscripta est pars orationis a Filaret, metropolita mosc. habita 6. Sept. 1825 (invenitur in eius Sočinenija t. II., 407—9: etiam in Hrist. Čtenie 1895 II., 80—2). „Ut recte intelligatur, qua ratione super hanc petram, quae est Petrus apostolus aedificata sit ecclesia, ante omnia illud axioma tenendum est, fundamentum universale, altissimum ac primum lapidem angularem aedificii ecclesiastici non esse alium atque Jesum Christum, Filium Dei vivi (1. Cor. 3, 11.; Eph. 2, 20—2.). Ideo Petrus non prius positus est ut fundamentum, quam ipse Christus fundamentum posuit. Prius Petrus dixit Domino: ‚Tu es Christus, Filius Dei vivi; eo dicto iam Dominus Petro: Tu es, inquit, Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam'. Observate illud quoque Dominum promittere quidem Petro se super eum ecclesiam aedificaturum esse: ‚super hanc petram aedificabo'; sed non promittere ecclesiam fore eius, verum suam a Christo appellari: ‚aedificabo ecclesiam meam'. Qua ratione super illa petra, quae est Petrus apost. ecclesia Christi aedificata est? Cum Jesus Christus in mundum venit, stabat ecclesia Judaeorum, sed christianae ne fundamenta quidem apparebant; fundamenta intelligite ea, de quibus nunc locuti sumus. Quorum fundamentorum mysterium Petro primo revelatum est non a carne aut sanguine, i. e. non ab homine nuntiatum, sed a Patre, qui in coelis est revelatum (Mt. 16, 17.). ‚Tu es Christus, Filius Dei vivi' dixit Petrus et revelata sunt fundamenta ecclesiae christianae. Petrus primus ea vidit et primus in eis hic lapis impositus est et primus ex apostolis Petrus promissum accepit, in se ipso aedificium esse exstruendum. ‚Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam'. Reipsa aedificari super hac petra coeptum est, postquam Spiritus s. super apostolos venit. Spectate etiam tunc Petrum primum fundamenta prius posita, quae sunt Jesus Christus, ponere idque firmissime. ‚Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis' (Act. 2, 36.). . . . Iam videtis sine dubio et intelligitis qua ratione supra petram, quae est Petrus ap. aedificata sit Christi ecclesia. Aedificata est praeconio [contra V.] Petri et ceterorum apostolorum [contra I.], baptismo ab eis dato, etc.".

Mihail l. c. p. 313—314 verba Christi hoc modo explanat: „'Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam': Imago petita est

ex consuetudine utendi firmis lapidibus in fundamentis iaciendis (cf. 7, 24—5). — Ecclesia significat consortium arcessitorum vel coetum christianae legis studiosorum, ubicumque sunt, ubicumque vivunt. Super hanc petram: haec verborum immutatio ab aliis aliter explicatur. Alii[5]) petram interpretantur apostoli confessionem [contra II.] Jesum Chr. esse Messiam, Filium Dei et totam Christi sententiam hoc modo reddunt: Tu est Petrus et super hanc tuam adamantinam (petrae instar) confessionem, me esse Filium Dei, aedificabo ecclesiam meam: haec tua confessio fundatio erit fidei coetus illius, quem ego constituo (Jo. Chrys., Epiph., Theodoret., Theophil.) Alii[6] lapidem interpretantur ipsum Jesum Christum [contra II.], qui in libris sacris non raro hoc nomine appellatur (Is 28, 16: 1 Petr 2, 8) et Christi sententiam ita reddunt: Tu es Petrus et super verum immobile tamquam petra, quod elocutus es: me esse Messiam... (Hieron., August.) Alii petram ipsum Petrum apostolum interpretantur, confessum Jesum Christum esse Filium Dei (Tert.,[7]) Orig. Greg. M.), certe non eo sensu, quo romani catholici Petro apostolo primatum super ceteros apostolos et papae, ut eius successori, totius ecclesiae christianae principatum vindicare volunt [contra V.]; nam ii, qui illo modo locum explanant, aperte contra dicunt (v. g. Origenes), et id, quod Petro apostolo hic promissum est (v. 19), postea promissum est etiam omnibus apostolis (Jo 20, 22—3). Denique alii petram interpretantur omnes apostolos [contra I.] [8]), quorum verbis Petrus ap. fidem confessus est (Orig., Hieron., Theodoret.). Quamcumque interpretationem sequimur, in nulla ratio invenitur, qua vindicatum ob hanc sententiam a papa romano capitis ecclesiae fastigium nitatur."

---

[5]) De his cf. Ballerini, De vi ac ratione primatus romanorum pontificum ed. Migne, Theologiae cursus completus t. III. c. 984—1000. Dom. Palmieri, De rom. pontif. p. 250—255. Nimirum sicut s. Hieronymus (Ep. 61 ad Pamm.) dicere non dubitavit super aquas Petri corpus non ambulasse, sed fidem, ita illi, qui Petro primatum iurisdictionis promissum esse credebant, petram Petri fidem interpretari potuerunt. Nam praeter explicitam nostram interpretationem aliae implicitae et ex analysi rei per verba significatae colligendae veritate non carent.

[6]) Hic afferri solent: Hieronymus, In Mt 7, 24: Augustinus, Serm. 13 de verbis apostoli; tract. 124 in Jo; Retract. l. 1, c. 21; Theodoret., In 1 Cor. 3; Beda, In Mt 16; Paulin. aquil., C. Felicem l. 1; Rhabanus Maurus, De univ. l. 4, c. 1; Anselmus, P. Lomb., Coelestinus III. (ep. 13), Innoc. III. (Sermo 2 de consecr. pontif.). Sed Hieron., Paulin. non loquuntur de petra Mt 16, 18; Beda, Rhaban. M., Anselmus, P. Lomb. secuti sunt Augustinum, qui s Ambrosio suam interpretationem tantum ut probabilem opposuit, ad quam pervenit quia „contra donatistas agebat, qui sacramentorum vim in ministrorum sanctitate collocabant" Natalis Alex. H. E, diss. 4, s. 1, § 3; denique Theodoretus, Coelestinus, Innocentius solum docent ecclesiam esse Christi, quod nemo negat. — Ceterum notentur verba auctoris op. de vocatione omnium gentium l. 2, c. 28 Petrum ex principali illa petra communionem accepisse et virtutis et nominis.

[7]) De Tertulliano cf Katholik. Mainz. 82 (1902) p. 193 220.

[8]) Petrus a patribus vocatur os ecclesiae vel apostolorum (cf. Jo Chrysost., In Mt hom 54 (al. 55) n. 1; August., Serm 76, c. 1, n. 1; Hieron., In

Ut polemicas quoque litteras consulamus, N. Běljaev (O katolicizmě. Kazan' 1889, p. 77) „Maior, inquit, pars patrum magistrorumque, quorum numerus est 44 petram interpretantur non Petrum apostolum, sed ipsum Dominum Jesum Christum vel fidem divinitatis Christi, quam Petrus professus est.“ Ipse sententiam suam eodem modo proponit eodemque argumento utitur (p. 82), quo A. Lebedev. (O glavenstvě papy. Spb. 1887, p. 236): dictum esse a Domino 'Tu es Petrus (masc.) et super hanc petram (fem.) aedificabo ecclesiam meam'; ergo verba illa Domini ad Petrum referenda non esse et annominationem adhibitam esse [contra II.] [9]). Ceterum loci nostri accuratam explicationem enodationemque etiam in libris polemicis frustra quaeres. I. Truskovskij (Rukovodstvo k obličitel'nomu bogosloviju 1899) omnino satis habet circuitione quadam argumentari. P. 40 enim „In s. libris, inquit, clare significatur Salvatorem neminem apostolorum eis ducem praeposuisse nec apostolos Petrum apostolum principem suum existimavisse“ [10]) Nec in eis libris polemicis, qui peculiari modo quaestionem de primatu episcopi romani tractant, multa hac de re, quae nova sint, inveniuntur. Tamen quae Avd. Vostokov (Ob otnošenijah rimskoj cerkvi k drugim hristianskim cerkvam i ko vsemu čelověčeskomu rodu č. I. Spb. 1864, p. 36—39) habet, exempli causa exscribimus.

Mt 16, 15. 16) quatenus confessus est quod apostoli confiteri debuerunt (et tota ecclesia, si adfuisset); non repraesentavit apostolos pure symbolice; iuridice autem nec actu nec potentia, sed quadam designatione divina. Cf. Palmieri, De rom. pont p. 230. Nec licet argumentari: apostolos eandem fidem habuisse ac Petrum, ergo idem eis donatum esse. „Deus est enim suorum donorum dominus et ratio ultima collationis eorumdem est semper Dei bonitas liberalis“. Palmieri, l. c. p. 229.

[9]) Cf. La science catholique t. IV. (1890), p. 281: „Parceque le texte grec porte πετρος dans le premier membre: »tu es Pierre« et πετρα dans le second »et sur cette pierre je bâtirai« ils (les théologiens russes) veulent que πετρα se rapporte à Jesus-Christ, qui est la pierre angulaire de l'édifice du salut . . L'argumentation porte donc simplement sur une différence grammaticale. Mais cette différence n'existe qu'en grec et en latin; elle n'existait pas dans la langue de Palestine, dont se servait Notre-Seigneur, comme elle n'existe pas non plus en français. Le Sauveur a dit: »tu es Céphas et sur cette Céphas«, comme nous disons: »tu es Pierre et sur cette Pierre« [psl. ty esi petrъ, i na semъ petrě Evang. Asseman. ed Črnčić p. 169]. L'argumentation repose donc sur l'ignorance de la langue araméenne. D'ailleurs le pronom démonstratif »cette«, ainsi que le futur »je bâtirai«, ne permettent pas de rapporter le mot »pierre« à Jésus-Christ“. T. J. Lamy. Cf. 1 Cor 9, 5. Palmieri, l. c. p 236. Ratio, cur graecus textus habeat πέτρα, non bis πέτρος est, quia πέτρα erat vox usitatior maxime in hac saxi significatione.

[10]) Verum est apostolos (Mt 18, 1; Mc 9, 33; Lc 9, 46; 22, 24) adversus haec Petro promissa contendisse, quis maior futurus sit in regno coelorum. Sed etsi demus, contendisse eos non de magnitudine in regno coelesti seu in aestimatione Christi, verum de primatu in ecclesia, potuit eorum scientia obscurari desiderio, immo potuerunt ea — per se clarissima — non plene intellexisse (cf. Mt 15, 6; 16, 11; Lc 9, 45; 18, 34) vel illorum obliti esse. Sunt qui censeant ipsam Christi promissionem Petro factam causam aemulationis fuisse. – Neque Gal 2, 9 aut

1. In hac sententia Christus comparat se cum architecto et Petrum ap., si opinionem aliquorum ss. patrum et scriptorum romanorum sequi volumus, cum lapide in fundamentis ecclesiae posito aeque ac ceteri apostoli (sec Eph. 2, 20. Apc. 21, 14.)[11]) ibi positi sunt. Quae cum ita sint, quem sententia Christi, quam consideramus, ostendit regere ecclesiam? Architectumne, Dominum n. Jesum Chr., an lapidem, qui aeque atque alii lapides in fundamentis positus est? Profecto ipsum Dominum et Salvatorem nostrum. . . . Nonne audaciae est dicere Jesum Christum, qui dum vitam in terris degit arundinem quassatam non confregit, linum fumigans non exstinxit (Mt. 12, 20.) ecclesiae a se conditae et temperatae principem praefecisse, cuius libido pro legibus habeatur?

2. Nam fundamentum ad constructionem dispositionemque aedificii in eadem ratione est, in qua cuiuscumque imperii principium vel fundamentum ad incrementa rerum et institutorum. Aedificii fundamenta magnam partem in terra ponuntur, quo fit, ut saepe sensum oculorum effugiant. Sane quidem fundamenta necessaria sunt, eaque firma opus sunt: sed solum propterea ponuntur, quod sine eis domus exaedificari nequit quippe cum finiri non possit quod coeptum non est. Paulo apostolo et Joanne theologo testantibus apostoli aequaliter omnes, principatu nulli delato, a Jesu Christo in fundamentis ecclesiae positi sunt, unde singuli suo loco aedificio ecclesiae id contulerunt, quod rationi a Christo, summo architecto institutae respondebat; quae fundamenta adeo firma facta sunt, ut aliis opus non sit: quare Dominus in eis aedificabit neque aedificare desinet priusquam terminus sit huius mundi. [In nota adiecta Vostokov haec posuit: Nec si demus petram vocari dicto loco ipsum Petrum ap., illico sequitur etiam episcopos romanos in fundamentis positos esse.[12]) Hoc tunc tantum sequeretur, si forma ecclesiae

---

11 plus efficiunt. Illic enim nomen s. Petri medium ponitur inter alia duo non, acsi s Paulus s Petrum non primum saltem dignitate, honore habuerit (cf. 1 Cor 1, 12; 9, 5), sed certe ex alia ratione; quia in quaestionibus ritualibus magni faciebat, quod Jacobus, episcopus Judaeorum, ei dedit societatem; — hic vero nihil aliud agitur quam correctio fraterna, qua Petrum — qui ingenti sua auctoritate „cogebat“ solo exemplo gentes iudaizare — admonuit.

[11]) Secundum Eph 2, 20 non apostoli, sed eorum doctrina est fundamentum, quod ideo appellatur apostolorum, quod ab apostolis positum est; secundum Apoc 21, 14 ecclesia innititur doctrinae, praedicationi 12 apostolorum; cf. A. Straub, De ecclesia p. 79. Verum est s August., In ps 86, n. 2. 3; Theodoret., In ps. 86, 1, alios apostolos vocare ecclesiae fundamenta; sed eatenus, quatenus etiam apostoli et episcopi habent auctoritatem, non acsi eandem ac Petrus habeant vel Petro non innitantur.

[12]) S Petrum perenniter (perennitate morali, non physica) habere in primatu singulares successores theologi catholici ex nostro loco hoc modo conficere solent: Ex Mt 16, 18 constat primatus Petri etiam ut singularis hominis finem si non unitatem, saltem firmitatem fuisse: quem non fuisse finem primatus Petri singillatim sed primatus generatim patet ex eo, quod s Petrus ipse paucas occasiones habuit, hac potestate utendi. Cf. Hieron. et Rufin. vertentes Origenis, In Jer hom. 11, n. 3, qui Origenem de pontifice summo locutum eo loco esse sup-

administrandae, non Petrus, petra vocata esset, a qua interpretatione etiam romanae ecclesiae theologi dissentiunt. Si hoc loco etiam episcopi romani comprehensi essent, sequeretur quovis eorum exstincto exstingui fundamenta, everti aedificium ecclesiae et novo episcopo creato aedificium denuo inchoari. . . .] Sed si Jesus Christus loco, de quo quaeritur, Petrum apostolum ecclesiae universae praefuturum significare voluisset, non petram in fundamentis positam sed potius fastigium vel tholum [kupol'] ecclesiae appellasset, quippe qui speciem moderantis aedem praebeat. Quare principes regnare incipientes in solia escendere dici solent non eis substerni [voshodjat na carskie prestoly, a ne polagajutsja pod nimi] . . . .

3. Omnis societatis humanae fundamenta iustissime habentur mores: velut in Russia, cum a. 1612 nemo esset rerum publicarum rector, leges vix ullae adessent, patria hostibus commissa, a barbaris adeo vexata ut periisse dici possit, — excitans animos civium fides, orthodoxiae studium constantissimum Russos erexit, copias comparavit, barbaros eiecit, ad Michaelem Romanov imperatorem eligendum movit: unde Russorum imperium conditum est". *A. Špaldák*

IV.

De ratione stndiorum theologicorum scholastica.

Dolendum sane est, quod inter viros etiam optimos tam multi inveniuntur, qui praeiudiciis impediantur, quominus de ratione studiorum scholastica secundum veritatem iudicent. Operae igitur pretium facturum me esse existimo, si de theologia scholastica ac philosophica paucis disseram.

I.

1. „Scholasticae" nomen, a „schola" derivatum, ab humanistis ad contemptum inductum, eam studiorum philosophicorum ac theologicorum rationem significat, quae inde a s. Anselmi († 1109) tempore in scholis catholicis perpetuo in usu fuit. Humanistarum dicteriis iam pridem impetita, a „reformatoribus" acerrime oppugnata, dum ab acatholicorum scholis exsulare coepit, in scholis catholicis post concilium Tridentinum simul ac theologia positiva ad novam vitam refloruit. Magnae revolutionis tempore cum communi rerum omnium ruina involuta esset, elapso tandem saeculo „neo-scholasticae" nomine a viris catholicis praestantissimis summa diligentia summoque scientiae solidae incremento denuo excoli coepta est.

2. Negari quidem nequit, nunquam defuisse, qui sano iudicio destituti, scholastica methodo ad sophisticam de rebus inutilibus disceptationem abuterentur: verum id non rei sed personarum vitium fuisse, id quisque prudens facile concedat: annon rerum utilissimarum abusum fieri

ponunt, Leon., Serm. 2 in annivers. assumpt. c. 2. 3 etc. — Vostokov putare videtur non sufficere, ut primatus Petri sit moraliter perennis; sane forma regiminis sit physice perennis necesse est, sed monarcha non item; forma autem monarchici regiminis etiam defuncto pontifice perseverat. Cf. Palmieri l. c. p. 445—446.

quotidie videmus? Nec profecto est, qui scholasticam ab imperitorum obiectionibus et invidorum obtrectationibus vindicaturus, haec personarum vitia sive negare sive etiam defendere statuat.

Ad veram autem scholasticam, qualis a summis eius doctoribus usque in hanc diem semper intellecta et in usum deducta est efficaciter vindicandam et omnibus scientiae solidae studiosis commendandam, satis esse potest, ea afferre, quae a supremis scientiae christianae custodibus, summis pontificibus in eius laudem et commendationem per tot continenter saecula prolata sunt. Adde intimum illud huius scientiae cum toto magisterio authentico connubium, ut scilicet naturaliter et magistri ecclesiae authentici fere idem sentiant ac magistri eorum, theologi scholastici, et theologi ipsi nefas sibi semper duxerint, a ductu magisterii authentici vel latum unguem discedere. Ex quo fit, ut, saltem in iis quae ad fidem et mores propius accedunt, theologia scholastica, suo utique modulo, participare aliquatenus dicenda sit specialem illam Spiritus Sancti providentiam, qua, ecclesiae semper praesens, eam contra omnem in fide errorem efficaciter praemunire dignatur.

3. Maxime vero ex ipsa scholasticae natura manifestum fit, quam merito et theologi ipsi hanc potissimum studiorum rationem semper praeelegerint, et tantis eam summi pontifices prae ceteris laudibus exornaverint. Neque tamen est haec genuina scholasticae natura in eo quaerenda, quod sive systematico ordine, sive philosophia Aristotelica sive syllogismo utatur, neque in eo, quod veritates revelatas ex earum cum rationis principiis consonantia conetur demonstrare. Nulla enim scientia est, modo scientiae nomen mereatur, quae aut systematico ordine careat aut syllogismo non utatur; neque statim philosophus scholasticus est, quisquis Aristotelem sequitur; veritates autem revelatas omnes simul ex ratione probari posse, scholastici potius diserte negant. Quodsi scholastici nonnullas veritates revelatas etiam ex fontibus naturalibus demonstrare conantur, id summo iure faciunt; si enim quidquid certo in scriptura vel traditione continetur, veritas revelata dicenda est, quid theologum prohibere possit, existentiam Christi quae ab evangelio credenda proponitur, ex Tacito scriptore profano, aut distinctionem essentialem hominis a bruto, quam singulae revelationis paginae credendum proponunt, ex philosophica consideratione hominis confirmare? Trinitatem vero personarum in unitate divinae naturae ex nullo fonte mere naturalis cognitionis confirmari posse, sed tantum propter Dei revelantis auctoritatem esse credendam, scholastici unanimiter ultro fatentur.

4. Vera scholasticae natura ex eius comparatione cum theologia positiva dignoscitur; relatio autem inter theologiam scholasticam et positivam similitudinem habet cum relatione inter ius naturale et ius positivum vigente. Ius enim naturale seu lex naturalis illa est, quae in ipsis rerum naturis fundatur, ex quo fit, ut ex earundem naturarum consideratione detegi possit: ius vero positivum seu lex positiva est ea lex, quae homini in sua natura iam plene constituto supervenit, quae ei a Deo praeter legem iam in eius natura fundatam, etsi convenienter ad eandem naturam, imponitur; ex quo fit ut haec lex, in hominis na-

tura non contenta, ex eiusdem naturae consideratione inveniri nequeat. Haud absimili modo theologia positiva, sive scripturistica, sive patristica sive quocumque modo historica, tota est in veritatibus revelatis de manu Dei fideliter suscipiendis, iisdemque secundum rationes obvias clare definiendis et circumscribendis atque in iis in systematicum ordinem redigendis. Theologia vero scholastica, quae fere ibi incipit, ubi theologia positiva desinit, conceptus eosdem veritatesque easdem, nobis a divina revelatione oblatas, in seipsis atque secundum profundiores earundem et altissimas rationes considerat seu speculatur, cum ut conceptus ipsos, sub quibus nobis revelatio offertur, quam clarissime et distinctissime apprehendat et exponat, tum ut quaenam de quibusnam a divina revelatione asserantur, quam accuratissime definiat. Quodsi inter veritates revelatas aliquae sunt, quae etiam ex fontibus naturalibus, nominatim ex rationibus philosophicis demonstrari possunt, ut sunt veritates de existentia Dei, de immortalitate animae, easdem ex ratione demonstrandas theologia scholastica suscipit. Si quae vero rationis lumine demonstrari nequeunt, at mysterium adorandum sanctissimae Trinitatis, haec ex ratione demonstranda quidem non sunt, nihil autem impedit, quominus tum illud momentum, quod rationem humanam superet, ab aliis eiusdem veritatis momentis clare secernatur, tum veritas supernaturalis tota ex veritatibus naturalibus, cum quibus quandam analogiam habet, illustretur, tum ut uni mysterio per aliud mysterium iuxta positum lumen maius affundatur. Sic ut exemplo utar, totum mysterium sanctissimae Trinitatis quantumcumque est, videri possit, in eo ultimatim pro nobis consistere, quod intellectio divina verbo realiter a dicente distincto contineatur: quod si semel ex fide cognitum supponas, cetera quae de sanctissima Trinitate scimus, secum trahat necesse videri possit. Potest idem mysterium inde illustrari, quod ex iis, quae conceptus patris et filii in rebus creatis involvunt, ea omnia quae Deo sive ex ratione sive ex revelatione repugnare non videantur, ad Deum Patrem et Deum Filium transferantur; talia sunt: quod inter Deum Patrem et Deum Filium intima aliqua relatio intercedat, quod haec relatio maioritatem aliquam seu praeeminentam Patris prae Filio involvat, quod haec praeeminentia in eo sit, quod Filius a Patre in aeterno „hodie“ generetur et sic porro. Tandem sine ullo dubio mysteria revelata nova eaque clarissima luce illustrantur, si attendas filiationem hominum adoptivam in filiatione naturali Verbi suum exemplar habere, quae ipsa filiatio naturalis tantum supposita in una Dei natura pluralitate aliqua personarum aliquatenus intelligi potest. Praeclaram etiam operam theologi scholastici circa mysteria eo navarunt, quod illa ab apparentibus contradictionibus vindicabant, in alterutro contradictionis apparentis membro ea indicando, quae ad veram contradictionem adesse deberent nec tamen adsunt.

5. Neque sistit scholastica in conceptibus indiciisque a Deo revelante propositis singulis, eorumque altioribus rationibus considerandis, sed, altius assurgens, ad rationes pluribus conceptibus iudiciisque revelatis communes, alias veritates ex aliis, sive naturalibus sive revelatis, confirmat illustrat mutuos veritatum omnium nexus ostendit easdemque

veritates ordine systematico perfectissimo, utpote in altissimis rerum rationibus fundato, componit. Qua in re systema theologicum positivum, in obviis tantum rerum rationibus fundatum, ad systema theologicum scholasticum omnino eodem modo se habet, sicut systema botanicum a Linné propositum se habet ad systema botanicum naturale, cui stabiliendo iam optimus quisque inter rerum naturalium cultores insudat.

6. Qua perfectissima, quantum in hac mortali vita fieri potest, rerum divinarum intelligentia supposita, difficultates plurimae, quae ex revelatione non satis accurate intellecta oriri solent, quasi seipsis evanuerunt, aliarum autem difficultatum solutiones, maxime earum, quae ex altioribus rerum rationibus petuntur, hac demum sola via fiunt possibiles.

7. Illud etiam imprimis scholasticae in magnam laudem vertendum est, quod ratione hac vere scientifica non tantum unam alteramve quaestionem tractare solent, sed potius semper eo tendant ut studiosi eius singuli systema speculativum integrum calleant, utpote in quo omnia, quae in regno idearum alicuius momenti sunt, et tractentur et inter se harmonice concilientur. Unde exsurgit systematis scholastici, adversariis eius toties probata firmitas, cum singulae veritates se invicem non illustrent tantum sed etiam roborent.

8. Habent praeterea scholastici suum res tractandi modum formamque externam, cum diligenter cavere soleant, ne discipuli magistrum splendide dicentem admirentur quidem quin ipsi vere intellegant aut proficiant, eoque potius cuncta dirigant, ut discipulos ipsos omnibus modis vere scire et intelligere faciant. Hinc frequens ille nullo dicendi ornatu tectus usus syllogismi, hinc perpetuum illud studium ut et argumentationis cuiusvis fundamenta discipulis omnino perspecta sint et probata, et argumentationis tota evolutio ita eorum oculis obversetur, ut et facile perspici et de eius rectitudine continuo iudicari possit.

II.

9. Multa sunt, quae scholasticae vitio verti solent, quae tamen omnia cum ex falso scholasticae conceptu, tum ex ignorata eius usque in hunc diem historia et ex aliis praeiudiciis originem ducunt [1]). Reprehendunt imprimis eius „tendentiam falsam, omni vita carentem“ [2]), quasi scilicet, obsoletis semper intenta, exigentiis praesentis temporis fructibusque scientiae progredientis parum attendat. Quodsi aliquando locum habeat, quod negare nolumus, id aliquorum tantum, non vero plurimorum, multo minus omnium, personarum, non rei vitium esse quisquis aequus iudex est, facile nobis concedet. Ipsi Societatis Jesu theologi, qui nonnullis omnium maxime antiqui tenaces esse videntur, diserte cavere iubentur, „ne adducant opiniones inutiles, obsoletas, absurdas et manifesto falsas, nec illis refutandis nimis immorentur“. (Reg. 7. prof. facultatum superiorum): et iam ipse s. Ignatius, cum pro

[1]) Vide Ep. Sil'vestr, Opyt pravoslavnago dogmatičeskago bogoslovija [3] I. (Kiev 1892), § 21, p. 127–148.

[2]) Sil'vestr l. c. p. 167 „fal'šivago, bezžiznennago i bezplodnago napravlenija“. Cf. A. J. Vvedenskij, K voprosu o metodologičeskoj reformě pravoslavnoj dogmatiki. Svato-Troickaja Sergieva Lavra 1904, p 11—12.

sui temporis consuetudine magistrum sententiarum explicandum esse decrevisset, haec verba attentione dignissima addidit: „Sed si videretur temporis decursu alius auctor utilior futurus, ut si aliqua summa vel liber theologiae scholasticae conficeretur, quae his nostris temporibus accommodatior videretur, . . . praelegi poterit". (Const. p. IV. c. 14. L. B.). Quam rationem procedendi usque ad hunc diem servari videmus.

10. Nec profecto quisquam sine manifesta iniuria omnium modernorum scholasticorum opera meram repristinationem earum rerum esse contendat, quae ante ipsos alii dixerint. Quamvis enim moderni scholastici ab antiquorum principiis tum noëticis, tum methodicis, tum materialibus, utpote omnium firmissimis et probatissimis plerumque sine ingenti et irreparabili verae scientiae iactura recedi non posse sibi persuasum habeant, tamen quisquis eorum opera attente considerat, ingentem prorsus ubique scientiae progressum animadvertet. Unusquisque enim modulo suo enititur, ut quae e. c. s. Thomas suis aequalibus verbis s. XIII. usitatis bene dixerat, iam suis nunc aequalibus verbis praesentis temporis propriis dicant; ut ad conceptus suos illustrandos imaginibus potius ex moderno culturae statu desumptis quam antiquis si quidem hae obsoleverint, utantur; ut antiquis veritatibus ope scientiae modernae positivae, scripturisticae imprimis et historicae novam lucem affundant; ut quaestiones novas, quibus progrediens tum scientia tum universa cultura originem dat, probatissima sua methodo examinent conclusionesque sic inventas systemati suo harmonice inserant, ut denique scholastica moderna sit speculativa scientia non earum rerum, quibus saeculi XIII., sed saeculi XX. positiva de Deo rebusque divinis cognitio constituitur.

11. Si quis vero a scholasticis illud sibi postulandum existimet, ut eorum, qui fuerunt ante nos, speculativis principiis conclusionibusque neglectis, pro se quisque quasi primus in principia omnia conclusionesque inquirat, is nec solidaritatem et continuitatem scientiae cognovit, nec progressum scholasticae, sed omnis verae scientiae internecionem imperite postulat. Si ab eo qui hodie de certo themate scribere cogitat, merito postulatur, ut ea prius inspiciat, quae de ea re alii ante ipsum scripserunt, quanto minus humanum genus ea impune contemnet, quae per tot continenter saecula a tot viris summo ingenio praeditis praeclare inventa sunt.

12. Reprehendunt item scholasticam, quod scientias positivas, biblicas imprimis et historicas parum excoluerit [3]). De nonnullis id fatendum quidem est [4]), at nec de omnibus, nec de pluribus nec de scholasticis qua talibus, ut etiam Melchior Canus diserte testatur. [5]) Et pro

---

[3]) Sil'vestr, l. c. 146.

[4]) Cf. Jo. B Stufler S. J. Die Heiligkeit Gottes u. d. ewige Tod. Innsbruck 1903. S. 16.

[5]) De loc. theol. l 8. c. 1. „Sed in omni oratione memento, lector, me eam defendere scholae doctrinam, quae sacrarum litterarum fundamentis constituta sit. Ex quo id efficitur, quod ego magno cum assensu omnium dicere me video, miserrimam esse scholae doctrinam,

medio quidem aevo nemo miretur, scholasticam, subsidiis infinitis moderni temporis destitutam, non eam his scientiis diligentiam adhibuisse, ad quam aequales nostros feliciores conditiones scientiae ducunt. Cum vero haec tempora in melius mutari coepissent, nonne scholastici fuerunt, qui etiam modernis mediis felicissime usi sunt, ut Maldonatus et Petavius? Ne quis vero in moderna scholastica diiudicanda longe a veritate aberret, semper prae oculis habendum est scholasticos suam theologiam supremam quidem existimare, at non unicam, quippe quae theologiam positivam, sive scripturisticam sive historicam praesupponat. Ceterum cum hodie idem studiosus theologiae non successive duas theologias audiat primum positivam, dein speculativam seu scholasticam, sed statim theologiam dogmaticam scholasticam audire incipiat, etiam in theologia scholastica non nudae conclusiones theologiae positivae assumi solent, sed simul cum fundamentis earum scripturisticis et historicis brevi conspectu exhibentur. Fateturque iam Melchior Canus, summam se sacrae scripturae cognitionem ex theologia dogmatica hausisse [6]).

13. Mirum est, quod etiam hodie reperiuntur, qui serio existiment, theologiae scholasticae essentiam in meris argutiis consistere, Maldonatumque, his argutiis infensum, cum eorum loco elementa exegetica et historica in theologiam induceret, theologiam „a scholastica purgare“ in animo habuisse [7]).

14. Scholasticos ab antiquis patrum ecclesiae principiis theologicis recessisse [8]), is tantum affirmare potest, qui aut quaedam rationalistarum inventa, quae gratis tamquam patrum principia venditant, nimis credule accipiat, aut Lombardi, Thomae, aliorumque scholasticorum commentaria tam parum attente legerit, ut non animadverterit, ipsis patrum dictis principiisque totam scholasticam esse superaedificatam.

15. Multis etiam ostendere conantur, funestissimum scholasticae errorem in eo esse, quod fidem prae ratione nimis depresserit [9]), autonomiam fidei ignoraverit [10]), fidem rationi subiecerit [11]), denique rationem et fidem foede commiscuerit [12]). Omnes veritates fidei ratione demonstrari posse sententiam esse, quae omnino immerito scholasticis attribuatur, iam superius diximus. Nonnullas veritates revelatas etiam ex ratione demonstrari posse, pariter supra ostendimus: estque praeiudicium rationalisticum ex Kantiana hypnosi proveniens, si quis existentiam Dei ex ratione certo demonstrari posse infitiatur. Quae vero hic praeterea scholasticae obiciuntur, ex falso eoque rationalistico revelationis conceptu proveniunt. Nefas existimant, categorias Aristotelicas veritatibus revelatis applicare: at quid tandem differentiae causa esse possit? Si Tacitus de Christo loquitur, auctor profanus, licet mihi ad hunc ho-

---

quae se titulis magistri defendat, miserrimam etiam, atque haud scio an multo magis, quae detracta scripturae auctoritate, syllogismis contortis de rebus divinis philosophatur, immo ne de rebus divinis quidem, sed nec de humanis, verum de his, quae nihil ad nos attinent“.

[6]) l. c. — [7]) Sil'vestr l. c. p. 141. „očistit katoličeskuju teologiju ot sholastiki . . .“ Cf. 143. — [8]) Sil'vestr l. c. p. 167. 127. — [9]) Sil'vestr l. c. p. 132. — [10]) Sil'vestr l. c. p. 132. — [11]) Sil'vestr l. c. p. 127–8. 129. — [12]) Sil'vestr l. c. p. 128. 138.

minem categorias Aristotelicas applicare, licet dicere, quis, qualis, quantus sit, quo tempore et loco vixerit. Loquitur de eodem Christo scriptura: et categorias applicare iam non licebit? Canon ille de non applicandis categoriis ad veritates revelatas pertinet ad verba illa „volantia“, quae a doctorum grege nimis credule a magistris suis accipiuntur. Verum quidem est, Deum ideoque etiam Christum Dominum secundum naturam divinam categoriis non contineri; verum nec ex hoc sequitur, categorias ad Deum nullo modo, neque per quandam analogiam applicari posse. An quia Deus non est sapiens per accidens, ideo nullo modo de Dei sapientia loqui fas est, quantumvis simul urgeas, esse sapientem non per accidens aliquod sed per suam essentiam?

16. Fugit sane illos theologos, quod tota revelatio, sive in Scriptura sive in Traditione continetur, veritates revelatas prorsus omnes nobis praesentet sub formis id est verbis et conceptibus ex rebus creatis acceptis ideoque categoriis subiectis. Et quomodo Deus, nisi velit novas species mentibus nostris infundere, nobis loqui potest, nisi nostra lingua utatur. Et si Deus Pater infinities excellentiore modo „pater“ est, quam quivis pater creatus, num ideo non vere pater est, num ideo pater non recte vocatur? Sine ullo dubio summa veritatum revelatarum veram unitatem cum veritatibus naturalibus efficit, unitatem scilicet veritatis, eiusdemque, etsi diverso fonte acceptae, tamen eodem modo analogico conceptae; conceptus enim nostri de Deo, sive ex consideratione naturali mundi hauriuntur, sive nobis a Deo per revelationem communicantur, semper eodem modo sunt analogici, ideoque nulla ratione apparet, cur omnes cognitiones de Deo sive ratione sive revelatione acceptae in unum homogeneum scientificum systema coniungi nequeant. Salvatur omnino autonomia fidei, eo quod theologi scholastici obiectum fidei formale i. e. auctoritatem Dei loquentis tamquam propriam causam certitudinis harum veritatum agnoverunt, nec unquam suum in has veritates assensum a praevia perspicientia dependentem fecerunt, nec naturalem demonstrabilitatem alicuius veritatis revelatae tamquam condicionem posuerunt, ut talem veritatem suo systemati insererent.

17. Sunt demum qui s. Thomae aliisque scholasticis vitio vertant, quod veritates dogmaticas a veritatibus moralibus non accurate secernere curaverint [13]). Est rationalistarum hoc praeiudicium, quod rei inspectione facile evanescit. Quid enim est dogma? Est veritas revelata. Quid est veritas revelata? Est veritas omnis, quae certo in revelationis fontibus continetur. Num igitur in revelationis fontibus non continentur veritates morales i. e. veritates, quae ad vitam hominis ita ordinandam pertinent, ut homine et filio Dei adoptivo digna sit? „Non moechaberis, non furtum facies, non homicidium facies“ „diliges Deum ex toto corde tuo“ „diliges proximum sicut teipsum“, „diligite inimicos vestros“: haec omnia dicit Christus Dominus, aeterna veritas, haec omnia leguntur sine ullo dubio in scriptura, at haec eadem profecto ad hominum vitam ordinandam pertinent, ideoque sunt profecto

---

[13]) Sil'vestr l. c. p. 138. 145,

moralia". Ergo etiam veritates morales plurimae, utpote revelatae, sunt vere dogmata! Iure igitur scholastici quod dogma est, etiam dogma esse dicunt, errant vero rationalistae Lutheranis praeiudiciis imbuti.

Verum haec omnia persequi longum est. Dicere quid scholastica vere sit, quid esse velit, est eam probare, laudare, commendare. Est autem scholastica, ut omnia paucis comprehendamus, „ex principiis revelatis et fide creditis discursiva scientia".[14]

Pragae 20. Sept. 1905. *P. Sinthern.*

EXTRANEA, RES SLAVORUM SPECTANTIA.

L'empereur Alexandre Ier est-il mort catholique? Par le *P. Pierling* S. J. Paris, Plon 1901. p. 48.

In hoc libello doctus sacerdos S. J., qui iam antea tres tomos diplomaticorum de Russia et Sede apostolica studiorum „La Russie et le Saint-Siège" edidit, primum narrat Alexandrum I. imperatorem a. 1825, 19. Nov. (sec. Kalendarium Russorum) Taganrogi ad Paludem Maeotis (mare Azov.) morbo frigore contracto naturae debitum pie et tranquille suoque tempore sacramentis munitum reddidisse: qua de re Elisabetham uxorem Mariam Theod. matrem his certiorem fecisse verbis: „Angelus noster in coelum discessit". Deinde quaestionem historicam tractat de animo eius in rem catholicam propenso, de quo — nuntiis Taurinensi, Romano, Petropolitano satis confirmato — multi historici silent. P. Pierling verbis, quae scripta sunt, ipsis usus quattuor testimonia affert et auctoritate eorum examinata rem exploratam habet catholicum fuisse Alexandrum I., cum moreretur, pertinentem ad ecclesiae romano-catholicae animam, etsi ritu externo eidem ecclesiae non aggregatum, quod, sicut etiam consilium nationem Russorum in sinum ecclesiae catholicae reducendi morte immatura prohibitum esset. Simul idem P. Pierling exponit Alexandrum I. ex homine religionis negligenti vere christianum factum paulatim filium papae, Christi vicario, oboedientissimum evasisse. Ex modo, quo P. Pierling omnia tractat, sobrie iudicat et cribrat emergit veram esse eius conclusionem, quae est haec:

Alexander I. aliquot mensibus antequam moreretur, cum a. 1825 iter Taganrogianum pararet comitem Michaud de Beauretour, hominem fidelem et sincere catholicum qui toti exercitui praeerat Romam ad Leonem XII. pontificem maximum misit, cui imperatoris animum deditum oboedientemque ut capiti ecclesiae catholicae, quae vere est Christi, significaret, et a quo imperatoris nomine legatum sacerdotem impetraret, qui mandata haberet ipsum in ecclesiam catholicam reducendi et in reducendo populo Russorum adiuvandi. Idem Alexander I. a P. Sokolski, priore monasterii s. Dominici Petropolitani petiit, ut legato pontificio locum in monasterio appararet ad habitandum. Comes Michaud mandata explevit, Leo XII. P. Orioli O. S. Francisci legatum creavit, morte tamen Alexandri I. eius consilia vana evasere. Itaque Alexander I. catholicus fuit, cum moreretur, pertinens ad animam, non ad corpus ecclesiae.

Żelivae 15. Julii 1905. Ph. Dor. *Eug. Kadeřávek.*

---

[14]) H. Hurter, Theol. dogm. comp. [11] I. p. 4.

Slavorum litterae theologicae.

Conspectus periodicus.

Dirigentibus Dr. Jos. Tumpach et Dr. Ant. Podlaha.

1905. **Pragae Bohemorum.** **Nr. 5.**

BOHEMICA.

Pav. Vychodil, **Apologie křesťanství. (Apologia religionis christianae.)** T. II p. 318+546. Brunae in Moravia 1893—1904.

Argumentum primae partis huius operis sunt capita, quae inscribuntur principia vitae (sub quibus rationibus vita hominis spectanda sit) p. 5. Quomodo veritas investiganda sit p. 9. Propositum, obstacula et adiumenta p. 27. Apologia eiusque historia p. 31. Quomodo procedendum sit. p. 64. Principium causalitatis p. 66. Naturalis cognitio Dei p. 78. Argumentum pro existentia divina ex principio causalitatis p. 87. Argumentum ex motu vel varietate rerum p. 91. Argumentum ex contingentia rerum p. 102. Argumentum ex varietate rerum p. 106. Argumentum ex ordine p. 111. De notione Dei p. 161. De creatione p. 179. Hexaëmeron p. 191. Vita p. 198. Formae vitae p. 211. Plantae et animalia p. 237. Animal et homo p. 243. Anima humana p. 269 Deus conservator p. 300. De libera voluntate p. 308.

In parte secunda tractatur: De religione p. 5. De notione religionis p. 7. Partes religionis p. 11. De precatione p. 26. De sacrificio p. 41. De divulgatione religionis p. 44. De origine religionis p. 52. De religione et doctrina morali p. 72. De fine religionis p. 92. De fine hominis p. 103. De natura et supernaturali p. 116. De revelatione p. 139. De mysterio p. 144. De possibilitate revelationis p. 159. De revelatione immediata p. 162. De necessitate revelationis p. 187. De cognoscibilitate revelationis p. 258. De miraculis p. 314. De prophetia p. 389. De fide p. 427.

Opus dr. P. Vychodil eximium est; maxime excellit crebritate sententiarum et ratione, quam habet disciplinarum earum, quae naturae investigatione continentur atque exceptionum omnium huius temporis contra religionem christianam. Quaecumque nunc hominum animos tenent, modo claro et accurato exponuntur et illustrantur. Vix est inter apologias latioris sensus opus, quod critico et claro modo ita spectaret quaecumque a philosophis et physicis opponuntur, sicut opus nostrum.

Ita argumenta, quibus Deum esse docemur, de quibus hic doctissimus scriptor etiam alias praeclare scripsit, non solum philosophica subtilitate et constantia excellunt, sed etiam notionum novarum ratio semper habetur. Argumentum ex ordine mundi amplectitur p. 111-161. Vel inde apparet, quippe cum huius scriptoris non sit verbositas, quam accurate sit expositum. Disciplinis, quae in corporum naturam inquirunt,

abunde utitur. Argumentatio aptata est tempori nostro eiusque quodammodo libero et imaginibus rerum oblectanti modo cogitandi et scribendi; unde tamen nonnunquam factum est, ut punctum saliens, quod vocant, obscuretur et delitescat. Cf. v. g. Slav. litt. theol. p. 136. (Čas. k. d. 584-5).

In argumento ideologico proponendo videtur ex abstractione inferri exsistentia Dei. Sane sine Deo non posse haberi essentiam rerum non ex solis notis nobis constat, sed aliunde. Ut argumentum ex limitatione rerum huius mundi verum sit, videtur ita proponendum esse, ut ab argumento ex contigentia rerum huius mundi vix differat. Huius enim fundamentum et caput est: Res inter se similes non habent in se rationem sufficientem, cur exsistant potius quam non exsistant; continent enim fundamentum reale abstrahendi essentiam ab exsistentia; ergo ut indifferentes ad exsistendum supponunt aliquid aliud, quod rationem sufficientem suae exsistentiae in se habet. Illud autem argumentum sic necessario proponendum esse videtur: ens a se non habet essentiam abstractam ab exsistentia ideoque est unicum et infinitum. Atqui res huius mundi sunt in pluralitate nec sunt finitae; ergo non sunt a se et supponunt infinitum, a quo pendeant. Itaque duo haec argumenta differunt tantum in eo, quod in argumento ex contigentia rerum huius mundi concluditur exsistentia entis a se et ex huius essentia implicite eius infinitas, in altero autem prius ex essentia entis a se explicite eius unicitas et infinitas, deinde ex limitatione rerum huius mundi quoad essentiam earum contingentia et dependentia ab ente infinito. Ita autem reapse proponendum esse hoc argumentum hinc concluditur: Perfectionem limitatam supponere perfectionem positive infinitam (non tantum notionem communem praecisive infinitam) eiusque participationem esse et ab ea productam, non est immediate evidens, sed probandum. Iam ratio alia non videtur reddi posse nisi quod ens improductum necessario unicum est, quia essentia eius tamquam ab exsistentia (exercita) abstracta recte concipi nequit. Scilicet nulla notio primaria ex eis, quibus substantias huius mundi inter se distinguimus, notio primaria entis a se esse potest; ideoque ut talis notio sola exsistentia remanet. Quae cum ita sint, haec per philosophicam reflexionem aliter concipienda est ac per primitivam abstractionem, nempe ut radix omnis perfectionis aliarum rerum eminenter consideratae. Iam vero essentia, quae ut notio primaria identica est cum exsistentia exercita, identica est etiam cum sua individualitate; non potest igitur ut multiplicabilis concipi, sed natura sua iam individua ideoque unica est; nec in hac re obstat sententia Scotistarum naturam ut actu exsistentem esse priorem singularitate. Ipse enim Lychetus (In Scoti l. 2., d. 3, q. 1, n. 111) expresse docet: „Deus ex sua ratione formali est singularis, ita quod ex natura rei de necessitate est in ultima actualitate et ut sic non potest dari quidditas prior ex natura rei singularitate et per consequens nihil de ipso potest praedicari in quid ut prius eo; sed non sic est in creaturis, quia non omnia, quae pertinent ad essentiam alicuius, sunt in ultima actualitate, et sic multa potentialia praecedunt pertinentia ad quidditatem". Haec fusius explicavimus, quia res latius patet.

Ut alia quoque promamus particularia, erudite exponitur de origine vitae. Discrimen inter materiam vivam et mortuam fuse explicatur.

Vitam corporum vivorum ponit in eo, quod se nutriunt per intussusceptionem, qua facultate carent omnia corpora viva ab hominibus confecta. Antequam contingat, ut haec facultas assimilandi producatur, origo aut essentia vitae non explicabitur. In discrimine inter plantas et animalia exponendo p. 239 sequitur Michelis (Gesammtergebnis des Naturerkennens) et Schanz (Apologie des Christentums[2] I S. 270).

In capite de animali bruto et homine conspectus datur historiae doctrinae de origine hominis. Sententiis discrepantibus apte iunctis et iuxta compositis iam diffidentia variorum systematum atheorum excitatur et animi non ad intelligendam solum sed etiam ad sentiendam doctrinae christianae de creatione hominis excellentiam praeparantur. Hic modus procedendi in libro, qui non tantum ad studendum et discendum, sed etiam ad legendum et consulendum destinatus est, valde probatur, quia non modo intellectui persuadet verum etiam animum quo diximus modo movet.

Scribendi genus non quidem tanto verborum splendore conspicuum est, quanto Hettingeri apologia propiusque ad sermonem communem accedit; quamquam praestantiam quandam maiestatemque prae se fert admirationem sui cuivis inicientem. Modus procedendi scriptoris nostri est empiricus in omnibus quaestionibus, quae hunc modum admittunt, estque modus adversariorum. Ei, qui librum legit, copia datur accuratiore modo cognoscendi sententias adversariorum, geneticam connexionem, qua errores inter se apti sunt seque mutuo excipiunt, et persequendi eos usque ad ultima consectaria, usque ad confutationem.

Hac ratione praecipue in prima parte, quae maxime cum rebus et disciplinis naturalibus coniuncta est, scriptor hic procedit. Magnam litterarum huius temporis copiam, imprimis opera periodica, consulta esse legenti apparet. Tamen raro indicatur, ubi res ab aliis scriptoribus tractentur, ubi sententiae allegatae inveniantur; multo minus ea, quae adversarii eis de rebus scripserunt, enumerantur. Cf. v. g. de origine orationis, ubi nec mentio fit eorum, quae bohemice ea de re scripta sunt (a Kovář, Šercl, Gebauer). Saltem illud dolemus, quod ita difficilis redditur discentibus perfectior inquisitio. Etiam magis dolendum est, quod operi deest index „realis“. Auctoritas eximii scriptoris maxima et in dies crescens, ingens quaestionum vis ab eo tractatarum, modus, quo veritates ad vitam applicantur et ex ea saepe deducuntur aliaeque virtutes excellentis operis exigere plane videntur eiusmodi indicem. Eo apposito opus permulto maiori emolumento esset sacerdotibus et laicis. Singulorum capitum inscriptiones vix adumbrant summam rerum, quae in eis continentur. Quae tamen omissa tanto operi valorem adimere certe nequeunt.

Haec pauca sufficiant de opere, quod primum sermone bohemico totam materiam apologiae christianae via ac ratione tractat. Ita perfectum opus P. Vychodil (O. S. B. sacerdotis) tantum ideo evadere potuit, quod apologiae aliis linguis conscriptae exempla erant, quae sibi ad imitandum proponeret. Nihilo minus hic in rebus omnibus suo iudicio utitur et maxime eorum, quae ad Bohemos pertinent, rationem habet. Inter apologias slavicas opus hoc primatum tenet. Neque enim magna Roždestvenskii apologia (Hristianskaja apologetika Spb. 1893) in universum aequari ei potest. *F. Žák.*

Zd. Bretšnajdr, **Pryč od Říma a Husova církev národní. (Signum illud ‚Separemur a Roma' et Hussii ecclesia nationalis.)** Pragae 1904: p. 120: typis „Vlast".

Libelli natura est altercans et particularis. Incipiens demonstrat auctor, vir doctissimus, quid Hussius in Bohemia auctoritate valeat. Non est dubium, quin vir patriae amantissimus fuerit operamque dederit, ut in universitate pragensi Bohemia restitueretur. Neque merita eius de litterarum formis ignota sunt. Quis enim nesciat Hussium non quidem invenisse, sed constantius adhibuisse ac paene perfecisse simpliciores litterarum formas, quibus nunc Bohemi et naturam verborum perspicientes utuntur. Si autem de his Hussii meritis gloriantur ii, qui catholicam religionem reiciunt, Thomas de Štítný magis laudandus est, qui iam ante Hussium eximia volumina de philosophia conscripsit sermone bohemico et Hussio multo perfectius. Hus fere latinitate usus est. Eques de Tomek, vir excellenti ingenio, in opere suo, quod „Historia urbis Pragae" inscripserat III, p. 541 ostendit Thomam de Štítný sententiis graviorem fuisse Hussio et sermone magis perpolito usum esse.

Hussius fuit integris moribus et Deo maxime deditus. Quanta igitur temeritas, cum Hussium maxime homines Deo abalienati colant et cum protestantes et veterocatholici ita se gerant, quasi Hussii filii sint, — qui B. V. Mariam admodum verebatur, confessionem et Eucharastiam acriter defendebat et commendabat, qui unam modo ecclesiam eamque catholicam probabat. Hus protestans aut veterocatholicus minime dici potest.

In prima parte subtiliter ostenditur, quomodo haeresis et perturbationes rerum hussiticae penitus cognosci possint. Veritati sit locus, non partim gloriationi partim contemptui. Omnia igitur ad historiae fidem explanare sibi proponit.

In parte secunda agitur de ecclesia, quomodo divinitus exsiterit, de reformatoribus, qui vocantur, de abusibus in ecclesia, de schismate. Illud primum cum magna perspicuitate demonstratur, quae magna admiratione nos afficit in auctore laico. Abusu non tolli ecclesiae a Christo conditae veritatem docemur. Reformare est reformatorum, non destruere vel abusu abuti ad mala facienda. Quomodo Hus hanc viam depravatam ingressus sit docte exponitur. Persuasum est huic, Hussium numquam id fuisse facturum, si eventus providere potuisset.

In parte tertia agitur de Viclef et Hus, de Hussii praedicatione, de levitate eius doctrinae, de eo, fueritne veterocatholicus, quid de caelibatu sacerdotum, de protestantismo iudicaverit. Cum Viclefii haeresis in Anglia vix ullo detrimento ecclesiae fuisset, auctor existimat eiusdem errores in Bohemia sparsos non fuisse unicam causam motuum eversionumque omnium rerum. Hus in defendenda doctrina Viclefii argumento utebatur, hunc non esse damnatum: sed brevi apparuit epistolas, quas attulerat, esse falsas. Itaque Hussius ipse in errorem incidit. Atqui ipsi theologo, quamvis theologiae bacalaureo, Viclefi doctrina vitiosa perspicienda fuit. Hus res et causas leviter admodum pertractabat nullaque praecepta constituit: homo vehemens, quem inconsiderata teme-

ritas, non ratio in mala devocavit. Cum institutae sunt processiones ad indulgentias impetrandas, Hussius ipse adiungebat se piis christianis, confitebatur, pecuniam dabat ad hanc rem. Ad Hussium nihil est horum, qui ecclesiam his temporibus contemnentes Hussium signiferum quasi libertatis concelebrant. Summo ingenio et indole praedicatoris erat. Mores sacerdotum acriter vituperabat; sed, dixeris, ad auras populares sibi captandas; non tum adeo perditos sacerdotes fuisse auctor demonstrat. Extra Pragae terminos eius impetus non perferebantur et ludibrio Romam praedicatum mittebatur. A Deo sibi imperatum esse, ne oboediret, simulabat. — Dissentientia, quae in Hussii libris reperiantur, enumerantur. Contra apostatas, protestantes, liberos catholicos eum fuisse ex scriptis eius ostenditur, doctrinam eius omnino eorum haeresibus, velut de missa, caelibatu, ecclesia, opponi. Communio sub utraque specie non Hussii inventum est, sed Jacobi de Misa. De hoc tantummodo cum eis consentit, quod memoriam seu „traditionem" quam vocant negavit esse veram, auctoritatem ecclesiae detrectavit. — Haec illustrissima pars continet quaedam, quae contra haeresiarchas bohemicos scripta sunt; argumenta ex ipsis rebus bohemicis sunt allata; ideoque breviter rem absolvimus.

Pars quarta condemnationem Hussii continet, libertatem in rebus divinis quae dicitur, quomodo Hussius de haereticis iudicaverit. Hussium iure damnatum et crematum esse probatur legibus, quae tum erant, quod etiam clare demonstratur ex Rittero, Friedbergo, Kirchhoffo, aliis. At patres concilii a caesare Husii vitam exorabant. Hussius ipse mortem poenam haeresis esse in scriptis suis docuit et defendit. Sed superbia evictus cedere noluit et temere dignitatem suam reputans, potissimum duxit mori. Patres concilii se mitissimos Hussio praebuerunt. Refutantur quaedam Flajšhansii. Etiam haec pars videlicet est contra indigenas falsatores historiae ecclesiasticae.

In parte quinta demonstrantur miserrimi motus hussitici. Ex optimis scriptoribus bohemicis testimonia afferuntur, quibus omnibus hi motus patriae infestissimi convincuntur. Taboritae brevi in errores processerunt, Eucharistiam sine confessione accipiebant, gladios cruentos in manibus tenentes, festa B. V. Mariae et sanctorum generatim reiciebant, patriam furore suo devastabant. Doctrina Hussii confutata est. Haereses in diem crescebant, quae omnes inter se infestissimae erant. Bohemia ipsa illis temporibus atrocissimum caedis conspectum dabat, cum artes litteraeque ante florentissimae, abiectae erant, populi autem libertas et cultus oppressus. Hi incredibiles motus omnium ex hussitismo orti cum summis calamitatibus populi bohemici compressi sunt. Hussius haud dubie erat novarum rerum avidissimus. Inde nihil aliud nisi novas res sequi necesse erat. Quid sunt magni bellatores contra haec? Quae omnia auctor fuse, clare ostendit, cum perturbationes rerum divinarum tum in litteris, sociales, politicas, idque e fontibus. Talibus argumentis expositis nihil restat nisi ut doleamus de iis, qui non desinunt abuti Hussii nomine ad impetus contra ecclesiam. Ex iis elucet haereticos et liberos, qui nunc sunt, agere et pugnare non ex reverentia erga Hussium, sed habere rationes omnino alias.

In parte sexta demonstratur contra eos, qui Hussitas comparare volunt cum Russis et ecclesia orthodoxa, quasi illi religionem quam orthodoxam vocant renovaverint, hanc opinionem esse falsam. Demonstratio iterum fit cum inopina claritate et eruditione. Non potest quicquam opponi contra eius argumenta. Hi contionatores non verentur semper affirmare s. Joannem Nepomucenum excogitatum et confictum esse ad evertendum festum Hussii. Falsum et inane huius opinionis evincitur cum summa perspicuitate.

In parte septima rationes explicantur, cur Hussius a liberis celebretur et a protestantibus et ab haereticis aliis. Sunt qui falso cognitas res habeant, alii proposita habent particularia et ambitiosa (politica et similia); plurimis maxime hominibus turbulentis satis est, quod Hussius Romam oppugnavit. —

Libellum auctoris huius puto optimum esse, doctissimum et summa perspicuitate scriptum in re hussitica. Vertendus esset, ut virtutes eius omnes patescerent. *F. Žák.*

SS. Cyrill a Method v upomínkách památek starožitných na Moravě. (SS. Cyrillus et Methodius in commemomarationibus antiquorum monumentorum Moraviae.) Sebral dr. *František Přikryl*, farář v Týně u Lipníka. Str. 110 vel. 8⁰, 21 obrazů v textu a dvě mapy. Cena 1 K 80 h. Nákladem vlastním. Tiskem Jindřicha Slováka v Kroměříži. 1905.

Certe unusquisque lector gratus erit auctori huius opusculi, quo non parum idea Cyrillo-Methodiana, de qua hodie tam vivide loquuntur, promovetur. Auctor pretiosas investigationes, quas ipse, in persona propria in loca, quae clara testimonia apostolici laboris ss. Cyrilli et Methodii continent, itinera faciens, collegit. Opus in octo partes divisum est iuxta vias illas magnas „hradské“ (arces coniungentes) nominatas, quibus ss. Apostoli Moraviam peragrabant et deinde in Bohemiam, Silesiam, Hungariam iverunt. Has vias auctor diligenter sequitur, investigat et ex populo eiusque narrationibus de ss. Apostolis quaerit, quanam iverint, ubi praedicaverint, ubi quieverint vel sacella et ecclesias condiderint, et ubique pretiosa monumenta benedicti laboris ss. Cyrilli et Methodii invenit, uti cruces, lapides crucibus signatos, ecclesias et multa alia. Etiam de origine Velehradii, loco ubi steterit, ejusque historia et pristina gloria pulcherrime auctor disserit.

Vindobonae. *Franc. Hruda.*

BULGARICA.

Hristo Tančev: **Ekzarhijskij ustav (Constitutio [instituta et leges] exarchalis),** — Liber hic in fine a 1904. Sophiae editus et a s. synodo et a „ministerio“ civili commendatur. Auctor collegit constitutiones et leges s. synodi, „ministerii“, summi iudicii (kasacionen sâd) res ecclesiasticas tangentes earumque explicationem addidit.

Cъrkoven Věstnik 1905. (Contin.; v. p. 171 [739]). — D. M.: Liturgia slavica pro Graecis, qui sunt in Bulgaria

— nr. 21 (pg. 246—248). — In Bulgaria iam ante eius a iugo Turcarum liberationem tres metropoliae: Plovdiv (Philippopolis), Anhialo et Varna, existebant et hodiedum existunt. Graeci metropoliis his subditi numero paucissimi sunt, ita ut auctor miretur, quomodo gubernium bulgaricum talem rerum statum tolerari possit. Ipsi Graeci bulgarici Bulgaris iam se assimilaverunt, bulgaricas consuetudines bulgaricaque carmina sua fecerunt. Dialectus, qua utuntur, semibulgarica est; lingua graeca artificialiter a scholis sustentatur. Metropolitae et omnis clerus advenae sunt ex regno Graeciae vel ex Turcia, eruditi et educati antibulgarico spiritu ferventis hellenismi. Ipsi curant, ut populus simili spiritu educetur, nec linguam bulgaricam in scholis admittunt. Graecos bulgaricos linguam graecam nullatenus, slavicam autem bene intelligere, auctor ex propria experientia scit. Gubernium civile, quod talem statum in finibus Bulgariae tolerat, — iuxta auctorem — conditiones populi profecto non habet cognitas.

G.: De statu litterarum theologicarum in Bulgaria nr. 26. — Litterae theologicae in Bulgaria in miseris versantur condicionibus (cf. Slav. l. th. pg. 51—52). Nulla existit publicatio periodica scientiae theologicae inserviens. Publicationes, quae nunc existunt, rarissime quaestiones theologicas »scientifice« tractant. Auctor fundationem talis publicationis praeprimis commendat; ad quam sustentandam opus erit, ut confraternitates sacerdotum, monasteria et ecclesiae opibus suis succurrant. *G. R.*

PALAEOSLAVICA.

Ex patrum litteris in Slavorum usu versatis.

Fragmentum, cuius partem edere nobis in animo est, in bibliotheca S. J. Pragae ad s. Ignatium asservatur; in scedula addita notatum legitur inventum id esse in vetere quodam canone ecclesiae russicae, empto a domu Pragensi S. J.; P. Martinov S. J. (qui Pragae fuit circ. a. 1882) iudicasse duo illa folia palaeobulgarica vel palaeoserbica saeculo XIII. scripta esse. Ex notis in margine adiectis discimus fragmentum nostrum a. 1795 versatum esse in manibus Augustini Petrovič hegumeni, et Jo. El. Milkovič nuomonachi [1].

Hoc fragmentum est ex illis litterarum monumentis, quibus commentarius quidam in psalmos, nondum typis exscriptus, fere s. Athanasii nomini addictus (cf. Migne, Patrol. gr. t. 27, col. 817; Starine, Knjiga IV. [Zagreb 1872] p. 30) ad nos pervenit. Exempla graeca Kopitar (Hesychii glossographi discipulus. Vindob. 1840, p. 34) in bibliothecis vindobonensi (Theol. gr. 311), venetiana (Justinianea), mediolan. (Ambrosiana Cod. B. 134), Uffenbachiana (cod. A. 1574) esse annotavit.

In linguam slavicam versus conservatus est *a)* in psalterio bononiensi saec. XIII., unde editi sunt psalmi 1. 2. 9. 50. 56. 65. 73. 79. 87. 96. 103. 108 ap. I. I. Sreznevskij, Drevnie slavjanskie pamjatniki jusovago pis'ma. Spb. 1868; ps. 3. 8. 10. 12. 85. 86. 97. 98. 101. 137 ap. A. Chodzko, Grammaire paléoslave. Paris 1869. Quod

[1]) De nuomonachis v. N. Nilles, Symbolae II., 616.



E fragmento Psalterii palaeoserbici.



E Psalterio bononiensi.

manuscriptum ab a. 1866 in bibliotheca universitatis bononiensis asservatur, quo cum aliis libris bibliothecae canon. regul. O. S. A. (ad s. Salvatorem) translatum est; *b)* in mscr. publicae bibliothecae petropolitanae (antea fuit Pogodini) saec. XII.; unde editi sunt ps. 1. 2. 103 ap. eundem I. I. Sreznevskij l. c.; *c)* in mscr. Eugenii metropolitae (palaeoruss.) saec. XI., unde idem Sreznevskij foras dedit ps. 85, 5—11; 88, 4—9; 95, 11—13; 96; 97; 98, 1—6; 102, 19—22; 103; *d)* in mscr. (palaeoserb.) Mladenovicii, bibliothecae monasterii bistritensis (in Rum.), a. 1346 scripto; unde Miklošič (in Starine Knj. IV. [1872] p. 37—55) psalmos edidit 1. 2. 3. 8. 10. 17. 97. 103. Cf. etiam Al. Vostokov, Opisanie russkih i slovenskih rukopisej Rumjancovskago muzeuma. Spb. 1842, 331. — Opisanie rukopisej Soloveckago monastyrja nahodjaščihsja v bibliotekě Kazanskoj duhovnoj akademii I. II. Kazan' 1881. 1885. n. 124—127. 149. — A. Gorskij et K. Negostruev, Opisanie slavjanskih rukopisej Moskovskoj sinodal'noj biblioteki I. II., 1—3. III., 1. M. 1855, 64. 70.

Notae palaeographicae nostri fragmenti praecipuae sunt: ratio scribendi je ⲓⲉ, non ⲓⲉ, ⲓⲟ non ⲓⲟ, th ⲑ non supra versum productum; quae indicat saeculum quarto decimo prius; ratio scribendi ž ⲓⲭ (in: sela bo božija) vel ⲓⲕ (oltaru božiju), quae indicat saeculum XIII. et o ⲟ (non ⲱ) quae idem exiens significat. Praeterea animadvertendum est numquam scribi ъ, sed eius loco ь (serb. propr.; velut contra in psalt. bonon. eodem loco tantum bis ь legitur); pro věrnyi poni —ii (serb.; cf. Jagič, Quattuor evangelior. versionis palaeoslovenicae codex marianus glagoliticus 1883. p. 426), duplicari i, g formari ⲅ (nec ⲅ nec ⲗ) in vocabulo externo. Alia (v. g. formae rom. serot.) facile in descriptione phototypica spectari possunt. Solum id notandum restat primas versuum litteras (maiores) aeque ac signa sinistri marginis colore rubro scriptas esse.

E notis grammaticis sunt u vicarium palaeoslovenici ǫ, e vic. ę, mollitia sonantis post mollem consonantem (otьcju, pištju etc.; cf. Gebauer, Histor. mluvnice j. č. I. 1898. § 209.) etc.

Age iam — parte phototypice descripta — psalmum 42. fragmenti nostri exscribamus formis latinis eisdem, quibus I. Črnčić evangeliarium Assemanianum edidit (Cf. Assemanovo izbornô evangjelje. V Rimu 1878. p. VI.), litteras, quae in exemplo supra vocabula positae sunt uncis includentes, deinde eundem psalmum palaeobulgarice redditum cum aliis exemplis, quae nobis praesto erant (Psalt. sinait. ed. Geitler. Zagreb 1883, Codex Hval. biblioth. universit. bononiensis n. 3375, B., mss. collata ab Amphilohij archim. in l. Drevneslavjanskaja Psaltir' XIII—XIV. věka s grečeskim tekstom iz tolkovoj Theodoritovoj psaltiri X. v. Psalt. bonon.) comparaturi — addita etiam psalterii bononiensis paginae phototypica descriptione — et graecum exemplum cum latina interpretatione bibliothecae ambrosianae (beneficio rev. Dom. Dris Ach. Ratti) adiecturi.

1. Sudï mï be ï rasudï prju moju o(t) jez ıka neprêpo(d)bna ·:·
H(s)ь kь ѡcju · ѡ jezъcê žïdovьscê jako neprêpodobnê · pьre vьzïskaše · jako zla [2]) nanь pomъšlьšemь ·:·

---

[2]) Post a sequitur in membrana littera oblita, quae legi nequit.

Otь čl(o)vka nepravedna ï lьstïva ïzbavï me ·:·
Gltь že ubo ѡ dïjavolê · gltь že ï ѡ ljudê · jako lьstь kovaaše vь sr(d)cï ·:·

2. Jako tъ ï jesï be krêpostь moja ·:·
Čl(o)vkь gltь kь bu · jako dêlo ruku tvojeju jesmь · po čto me prêdalь jesï vragu ·:·
Vьskuju ѡ(t)rïnu me ï vьskuju sêtuje hož(d)ju · jeg(d)a stužajet mï vragь ·:·
Jeg(d)a bo naleže mnê dïjavolь · vsakoje radostï (li)šïhь se r(č)e čl(o)kь ·:·

3. Poslï svêtь tvoï ïstïnu tvoju ·:
Sï rêčь · da prïdetь uže h(s)ь · gleï azь jesmь svêtь ï ïstïna · ï da svobodïtь čl(o)vka ѡ(t) sьdručenija dijavola ·:·
Ta me nastavïsta ï vьvesta me vь goru stuju ·:·
Samь h(s)ь ѡbratïvь čl(o)vka · prïvede na vêru · gora bo vêra jestь · jako nepodvïžima · ilï jako samь sebe h(s)ь prïnesь na goru golьgotha ·:·
Ï vь sela tvoja ·:·
Crьkvï gltь · sela bo bžija crkvï sutь · tu bo vьvede čl(o)vka jako vь prïstanïšte ·:·

4. Ï vьnïdu kь ѡltaru bžiju ·:·
Prï ѡltarïihь bo juže preb..vajutь vêrnïï · ѡ(t) tudu pïštju ïmušte taïnuju ·:·
Kь bu veseleštumu junostь moju ·:
Veselije bo čl(o)vku besmrьtno · nova taïna · ježe jestь têlo ï krьvь h(s)va ·:·
Ïspovêmь se tebê vь guslehь be be moï ·:·
Guslï sutь jez kь čl(o)včь · jako r(č)e neupražnajetse kto mu ïspovêdae ·:·

5. Vьskuju prïïskrьbna jesï dše moja · ï vьskuju smuštaješï me ·:·
Bu bo prïšьdšju · ï pečalï · ï meteža goneze vêrnïï človkь ·:·
Upvaï [3]) na ba jako ïspovêmse jemu ·:·
Upvanïjemь bžïïmь · utvrьž(d)ajutse [4]) čl(o)vkь ·:·
Spsnije lïcju mojemu bь moï ·:·
Spsnïje ï bь lïcju člvčju b (s) · prïšьstvije ha ba ·:· sl(v)a ·:·

Palaeobulgarice.

1. Sǫdi mę [5]) Bože i rasǫdi pьrjǫ [6]) mojǫ otъ języka [7]) neprěpodobьna.
Hrьstъ kъ otьcu o języcě židovьstě, jako neprěpodobьně [8]) pьrję vъziskaše [9]), jako zъla na njь pomyšlьšemь [10]).
Otъ [11]) člověka nepravьdьna [12]) i lьstiva [13]) izbavi mę.
Glagoljetъ že ubo [14]) o dijavolě: glagoljet že i [15]) o ljudě, jako lьstь kovaaše vъ srъdьci.

---

[3]) U quomodo scriptum sit v. in exemplo. [4]) l. ju legi potest etiam je. [5]) mi iam in Psalt. sin. et fere in omnib. mscr. [6]) Ps. bonon. prę [7]) Ps. bon. ǫzyka [8]) Ps. bonon. negotrêvъnï [9]) Ps. bon. vъzъïskaaše [10]) Ps. bon. pomyslъšemъ [11]) I otъ: cod. Hval. et nonnulli textus russ. ap. Amphil. [12]) Ps. bon: nepravedna; Ps. sin.: nepravedъna; Cod. Hval. nepravedu. [13]) Hval. lastyva [14]) Ps. bon. omitt. že ubo [15]) i omitt. Ps. bon.

2. Jako ty i [16]) jesi [17]) Bože krěpostь [18]) moja.
Člověkъ glagoljetъ kъ Bogu, jako dělo rǫku tvojeju jesmь; po čьto mę prědalъ jesi vragu?
Vъskǫjǫ otrinǫ mę i vъskǫjǫ sětuję [19]) hoždǫ [20]), jegda sъtǫžajetъ [21]) mę vragъ?
Jegda bo naleže mьně dijavolъ, vьs(j)akoję [22]) radosti lišihъ sę reče člověkъ.
3. Posъlji světъ tvojь [23]), istinǫ tvojǫ [24]).
Si rěčь: da pridetъ (j)uže Hrьstъ, glagoljęjь „azъ jesmь světъ i istina" i da svoboditъ člověka otъ sъdrǫčenьja dijavola [25]).
Ta mę nastaviste [26]) i vъvěste [27]) mę vъ gorǫ svętǫjǫ [28]).
Samъ Hrьstъ [29]) obrativъ člověka privede na věrǫ; gora bo věra jestь, jako nepodvižima; ili [30]) jako samъ sebe [31]) Hrьstъ prinesъ na gorǫ Golъgotha.
I vъ sela [32]) tvoja [33]).
Crъkъvi glagoljetъ: sela bo božija crъkъvi sǫtъ: tu bo vъvede člověka jako vъ pristanište.
4. I vъnidǫ kъ olъtarju [34]) božiju.
Pri oltarjihъ [35]) bo (j)uže prěbyvajǫtъ věrьniji, otъ tǫdu [36]) pištǫ imǫšte tajьnǫjǫ.
Kъ Bogu veselęštujemu [37]) junostь mojǫ.
Veselьje bo člověku besъmrъtьno nova [38]) tajьna, ježe jestъ tělo i krъvь Hrьstova.
Ispověmь [39]) sę tebě vъ gǫslьhъ [40]), Bože, Bože mojь!
Gǫsli sǫtъ językъ člověčь jako reče neupražnjajetъ sę kъto jemu [41]) ispovědaję [42]).
5. Vъskǫjǫ priskrъbьna jesi duše [43]) moja, i [44]) vъskǫjǫ sъmǫštaješi mę?
Bogu bo prišьdъšu [45]) i pečali i męteža goneze věrьnъjь [46]) člověkъ.
Upъvaji [47]) na Boga, jako ispověmь [48]) sę jemu.
Upъvanьjemь [49]) božьjemь utvrъždajetъ [50]) sę člověkъ.
Spasenьje [51]) licu [52]) mojemu [53]) Bogъ mojь.

[16]) i deest in reliquis mss. [17]) jesi deest in Čjud, ps. saec. XI. [18]) aliquot mss.: drьžava (Hval. etc.) [19]) Ps. bon.: sětujǫ: Ps. Sev. Sobr. sětuju. [20]) etiam Sin. hoždjǫ; Hval hoždahь [21]) Ps. saec. XIII—XIV. typogr. synod.: smuščaetъ [22]) Ps. bon loco gen. habet accus. (vsêkǫ [l. vьsjakǫ] radostъ [23]) in aliis mss. (praeter Hval.) sequitur i [24]) Sin. rectius svojǫ. [25]) Ps. bon. rectius dijavolja (adi. poss.) [26]) —sta mss. russ. et serb. [27]) Ita Ps bon; Hval. vьvedosta et sim omn. mss. russ. [28]) Ps. bon. add. (j)ego; rel. add. tvojǫ. [29]) Ps bon. add. ante Hr.: bo. [30]) Ps. bon. li [31]) Ps. bon. ordine inverso: H. sebe. [32]) alq. psalt. palaeoruss. sêni [33]) Ps. bon. tъvoja [34]) Ita Ps. bon.; Ps. sin. altarju. [35]) Ps. bon. oltarih. [36]) In Ps. bon. sequitur bo [37]) Ps bon. veselęštoomu (mendum videtur ex describendo exemplo glagolit. ortum esse); Cod. Hval veseleštumu; al. vesel j)ę-tjumu. [38]) Ps. bon. novaja. [39]) Cod. Hval. ispovymь [40]) Omn. mss gǫslehъ [41]) Etiam Ps. bon. mu [42]) Ps. bon. —jǫ l. —ję [43]) Ps. Čjud. saec. XI. duša. [44]) Deest in quodam ms. saec. XIII XIV. ap. Amphil. [45]) Ps. bon. prišedъšu [46]) Ps. bon. věrъnyi [47]) Ps. bon. Upьvai [48]) Cod. Hval. —ymь [49]) In Ps. bon. sequitur bo. [50]) Ita Ps. bon. (sine ъ in fine) [51]) Spasenie usque ad mojemu deest in Ps. Sin. ed. Geitl. [52]) Ps. Čjud. (XI. s.) lica mojego; rel. licu m. [53]) In Ps. Čjud., Ps. Sev. Sobr. Čět. sequitur i

Spasenьje i Bogъ [54]) licu člověču [55]) bystъ prьšьstvьe [56]) Hrьsta [57]) Boga.

Slava . . .

Graece. (Cod. β—134 Super. Fol. 118.)

1. »Κρῖνόν μοι, ὁ θεός, καὶ δίκασον τὴν δίκην μου ἐξ ἔθνους οὐχ ὁσίου.
ὁ Χριστὸς πρὸς τὸν πατέρα περὶ τοῦ ἔθνους Ἰουδαίων, ὡς ἀνοσίου τὴν δίκην ἐπιζητεῖ, ὡς κακὰ ἐπ' αὐτὸν λογισαμένων.
»ἀπὸ ἀνθρώπου ἀδίκου, καὶ δολίου ῥῦσαί με.
λέγει μὲν περὶ τοῦ διαβόλου, λέγει δὲ καὶ περὶ τοῦ Ἰούδα, ὅτι τὸν δόλον ἐτέκταινε τῇ καρδίᾳ.
2. »ὅτι σὺ εἶ, ὁ θεός, κραταίωμά μου, ἱνατί ἀπώσω με.
ὁ ἄνθρωπος λέγει πρὸς τὸν θεόν, ὅτι ἔργον τῶν χειρῶν σου εἰμὶ, διὰ τί παρέδωκάς με τῷ ἐχθρῷ;
»καὶ ἱνατί σκυθρωπάζων πορεύομαι ἐν τῷ ἐκθλίβειν τὸν ἐχθρόν; ἐν γὰρ τῷ ἐπικεῖσθαί μοι τὸν διάβολον πάσης χαρᾶς ἐστέρημαι, φησὶν ὁ ἄνθρωπος.
3. »ἐξαπόστειλον τὸ φῶς σου, καὶ τὴν ἀλήθειάν σου·
τουτ' ἔστιν ἐλθέτω λοιπὸν ὁ Χριστὸς λέγων, ἐγώ εἰμι τὸ φῶς καὶ ἡ ἀλήθεια, καὶ ἐλευθερωσάτω τὸν ἄνθρωπον ἐκ τῆς τυραννίδος τοῦ διαβόλου.
»αὐτά με ὡδήγησαν, καὶ ἤγαγόν με εἰς ὄρος ἅγιόν σου.
αὐτὸς γὰρ ὁ Χριστὸς ἐπιστρέψας τὸν ἄνθρωπον, ἤγαγεν ἐπὶ τὴν πίστιν· ὄρος γὰρ ἡ πίστις ὡς ἀσάλευτος ἣ καὶ αὐτὸς ὁ Χριστὸς ἑαυτὸν προσενέγκας ἐπὶ τὸ ὄρος τοῦ γολγοθᾶ.
»καὶ εἰς σκηνώματά σου.
λέγει τὰς ἐκκλησίας, σκηνώματα γὰρ θεοῦ αἱ ἐκκλησίαι.
ἐκεῖ γὰρ ἤγαγε τὸν ἄνθρωπον, ὡς εἰς λιμένα.
4. »καὶ εἰσελεύσομαι πρὸς τὸ θυσιατήριον τοῦ θεοῦ.
τοῖς γὰρ θυσιατηρίοις λοιπὸν παρεδρέουσιν οἱ πίστοι ἐκεῖθεν τὴν διατροφὴν ἔχοντες τὴν μυστικήν.
»πρὸς τὸν θεὸν τὸν εὐφραίνοντα τὴν νεότητά μου.
εὐφροσύνη γὰρ τῷ ἀνθρώπῳ ἀθάνατος τὸ νέον μυστήριον, ἔστι δὲ τὸ σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ.
»ἐξομολογήσομαι ἐν κιθάρᾳ ὁ θεός μου, ὁ θεός μου.
κιθάρα δέ ἐστιν ἡ γλῶσσα τοῦ ἀνθρώπου, ὥστε φησὶν οὐκέτι ἀργεῖ ἐξομολογουμένη.
5. »ἱνατί περίλυπος εἶ ἡ ψυχή μου, καὶ ἱνατί συνταράσσει με.
θεοῦ γὰρ παρόντος καὶ λύπης καὶ ταραχῆς ἀπελλάγη ὁ ἄνθρωπος ὁ πιστός.
»ἔλπισον ἐπὶ τὸν θεόν, ὅτι ἐξομολογήσομαι αὐτῷ·
τῇ ἐλπίδι γὰρ τῇ εἰς θεὸν ὠχύρωτο ὁ ἄνθρωπος.
»σωτήριον τοῦ προσώπου μου καὶ ὁ θεός μου.
καὶ σωτηρία καὶ θεὸς τοῦ προσώπου τοῦ ἀνθρώπου ἡ παρουσία τοῦ Χριστοῦ καὶ θεοῦ.

---

[54]) i Bogъ deest in Ps. bon. [55]) etiam Ps. bon. —ju l. u; sequitur ibid. Bogъ. [56]) Ps. bon. – šestvie. [57]) In Ps. bon. seq. i.

Latine. (Cod. B 134 fol. 117 verso. 119.)

1. »Iudica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta.
Haec Christus ad Patrem de Iudeis velut impiis, iudicium poscens ut qui mala contra eum machinati fuerint.
»ab homine iniquo et doloso erue me.
Loquitur de diabolo et Iuda, qui dolum moliebatur in animo.
2. »quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti?
Haec homo ad Deum, ac si diceret, quoniam ego opus manuum tuarum, quare me tradidisti inimico.
»et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?
Imminente mihi diabolo, inquit homo, omni laetitia destituor.
3. »emitte lucem tuam, et veritatem tuam.
Ac si diceret, veniat tandem rogamus Christus, qui dixit[58]), ego sum lux et veritas, et liberet hominem a tyrannide diaboli.
»ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum.
Ipsemet Christus convertens hominem deduxit eum ad fidem, mons enim fides ut inconcussa et immobilis semper; atque adeo ipsemet Christus seipsum deduxit in montem Golgotha.
»et in tabernacula tua.
Ecclesias dicit, ecclesiae enim tabernacula Dei, eo duxit hominem, ut in portum.
4. »et introibo ad altare Dei.
De caetero nunc operantur fideles altaribus, et inde accipiunt alimentum Sacramentale mysticum.
»ad Deum qui laetificat iuventutem meam.
Immortale gaudium fidelibus[59]) novum sacramentum, estque Corpus et Sanguis Domini.
»confitebor tibi in cithara Deus Deus meus.
Cithara est lingua hominis, ut dicat, nunquam desituram linguam confiteri Deo.
5. »Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?
Sed praesente Deo liberantur fideles omni tristitia et conturbatione.
»spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi.
Spe in Deum confirmatur homo.
salutare vultus tui, et Deus meus.
Praesentia et adventus Christi Dei et hominis salus, atque adeo Deus vultui hominis. *A. Špaldák.*

POLONICA.

Dr. *Józef Bilczewski* (nunc archiepiscopus Leopoliensis r. l.). **Eucharystya w świetle najdawniejszych pomników piśmiennych, ikonograficznych, epigraficznych (Eucharistia in luce monumentorum litterariorum, iconographicorum, epigraphicorum).** Kraków, 1898, pag. 328.

---

[58]) Joh 14, 6. [59]) In graeco est allusio inter νέον et νεότης.

Excellentissimus auctor suo operi hunc scopum proposuit, ut eucharistiae nostrae identitatem cum eucharistia primorum christianorum ostenderet, secus ac totus rationalismus nostri aevi opinari solet. Consilium suum per quattuor partes prosequitur.

I. parte adducuntur testimonia imprimis scripturistica, deinde patristica, incipiendo a Doctrina duodecim apostolorum, Clemente Romano, Ignatio, Iustino etc. usque ad Cyprianum et Liturgiam Constitutionum Apostolicarum. Analysi testimoniorum, quae adducuntur, doctrina ecclesiae catholicae de sanctissimo sacramento, de reali praesentia, transubstantiatione, sacrificio missae etc. solide comprobatur.

II. parte doctissimus archaeologus [1]) exhibet monumenta iconographica, praesertim ex catacumbis romanis, quae pari modo de fide christiana primorum saeculorum luculenter testantur.

III. parte eadem doctrina comprobatur epigraphis, praesertim Abercii Hieropolitani et Pectorii Augustodunensis, quorum epigraphorum etiam historia, character christianus, valor dogmaticus fuse describitur.

IV. parte denique, quae est totius operis syntetica, quasdam conclusiones dogmaticas et liturgicas auctor deducit, quarum nonnullas saltem attingere liceat. Itaque gravissimam quaestionem de Epiclesi multis in locis per decursum operis tractat. In Scriptura sacra ne vestigium quidem invenitur epiclesis, seu orationis deprecatoriae, qua Christus vel Apostoli Spiritum sanctum invocarent, ut panem in Corpus et vinum in sanguinem Domini converteret, nihilominus, iudicio auctoris ipse Salvator probabiliter initium epiclesi posuit, cum convertendo elementa verbis sic dictis institutionis gestum quendam seu extensionem manus simul adhibuit, in qua apostoli et post eos ecclesia tota invocationem Sanctificatoris seu tacitam epiclesin viderunt. Reapse huiusmodi manus impositio etiam in aliis sacramentis invenitur tanquam tacita invocatio Divinae Virtutis, ut ritum externum effectu interno comitetur, quam intentionem etiam oralibus precationibus adiunctis Ecclesia exprimit. In missa romana eiusmodi precatio habetur in verbis Quam oblationem, quam olim cum impositione manuum sacerdotum episcopo concelebrantium coniunctam esse excell. auctor noster opinatur; in aliis vero, praesertim orientalibus liturgiis epicleses habentur iam post consecrationem. Quo fine? „Si in memoriam revocabis verba Christi a sacerdote prolata in tantum valere transubstantiationem efficere, in quantum vi suae sacramentalis efficaciae super elementa divinam consecrationem attrahunt, non aegre rationem invenies, cur transitoriam et momentaneam formulam consecrationis ritibus et precationibus liturgia circumdederit, quibus invisibilem consecrationis vim fidelium oculis, auribus, intellectui obviam ponat.“ Simul admittitur ab excell. auctore altera explicatio epiclesis, a Bessarione iam proposita, iuxta quam rogatur Spiritus Sanctus ut eucharistia in suis effectibus subiectivis revera fiat Corpus et Sanguis Christi.

---

[1]) Auctor edidit solidum opus: Archeologia chreścijańska wobec historyi Kościoła i dogmatu. Kraków, 1890, pag. XX+338.

Quod attinet materiam eucharistiae, in epocha ante Constantinum magnum adhiberi solitam, iudicium est auctoris fuisse in usu tum panem azymum tum fermentatum et quidem tum in ecclesia orientali tum in occidentali. Vinum adhibetatur utriusque coloris. Peculiari additamento excluditur hypothesis Harnackii de missis celebratis in sola aqua.

Ultimo tractat auctor de ministris tum consecrationis, tum distributionis, de ritibus communionis, de cultu eucharistiae. In quaestione de essentia sacrificii missae, auctor theoriam Lugonis et Franzelin amplectitur.

Opus hoc ornatum 50 circiter imaginibus, similitudines monumentorum exhibentibus, dignum est, ut inter solidissima theologiae positivae opera connumeretur. *J. Urban.* S. J.

Ks. Włodzimierz Piątkiewicz T. J. **Mistyczne ciało Chrystusa, a charaktery sakramentalne. (Mysticum corpus Christi et characteres sacramentales).** Kraków, 1903, pag. 80. [1])

Definita est doctrinae catholicae pars de impressione in tribus ecclesiae sacramentis cuiusdam in anima characteris indelebilis, qui vetat deinde eadem sacramenta iterari. Si vero ulterius interroges, quid sit character ille in sua intima essentia, quid animae praestet, quis eius proprius finis, statim quaestionem ingredieris pariter subtilem ac difficilem prae penuria fontium theologicorum. Scientia theologica hucusque potius negative, quid non sit, quam positive, quid sit character sacramentalis, respondere potuit.

Auctor studii dogmatici, de quo in praesenti, vestigiis Dr. Scheeben et Lingens S. J. inhaerens, scopum sacramentalium characterum ex doctrina de Corpore Chhristi mystico — Ecclesia — illustrari posse sperat idque efficere conatur.

Imprimis pulchre disserit de Ecclesia, ut Corpore Christi mystico, analogiis paulinis aliisque Scripturae locis innixus, ex quibus demonstrat ideam Corporis Christi mystici socialibus tantum Ecclesiae nexibus minime absolvi, sed multiplicem iugemque Christi-capitis in suam Ecclesiam singulasque animas influxum vivificantem complecti. Christus est enim non solum causa meritoria sanctificationis, sed simul causa efficiens (moralis) tum repraesentando sua merita, tum applicando ipsa in sacramentis per ministros suos, quibuscum una moraliter persona efficitur. Apicem coniunctionis Christi cum Corpore suo et vivifici in illud influxus eucharistica praesentia et communio praestat. Regulariter loquendo vivificus in animas influxus non datur sine cooperatione Ecclesiae, quacum Christus unam mystice coniunctam totalitatem constituit.

Quid characteres sacramentales praestant in vita Corporis Christi mystici? Si gratiam sanctificantem et gratias actuales ad physiologiam mystici illius Corporis referes, characteres ad anatomiam eiusdem Corporis spectabunt. Mediantibus ipsis Corpus mysticum Christi ex singulis individuis, quasi ex materia remota, adaptat et assimilat sibi novas

[1]) Huius operis quidem iam mentionem fecimus, nihilominus hanc subtiliorem censuram libenter cum lectoribus communicamus. Red.

cellulas nova efficit organa, vitae supernaturalis participandae proxime idonea, et quidem diverso gradu. Charactere baptismali sibi impresso homo mirabili quodam modo accipit similitudinem cum Capite Ecclesiae, Christo, fit eius membrum, subiectum capax aliorum sacramentorum et acquirit ius ordinarium ad gratias, quibus vita supernaturalis absolvitur.

Sed organizatum corpus non potest constare materia homogenea cellularum eiusdem omnino qualitatis. Organismo opus est quibusdam membris firmioribus, ad speciales functiones destinatis. Idem dicas de Ecclesia. Et ipsa opus habet „membris firmioribus, magis evolutis et ad id destinatis, ut similiter ac in eminentioribus nostri corporis partibus vis vivifica animae, ita in his mysticis plenius ac uberius vivifica virtus Christi se manifestet; ut per ipsa, quasi per sua instrumenta, Ecclesia agere et reagere ad extra possit finesque suos sublimiores obtineat". Hoc obtinetur a charactere confirmationis, qui est quaedam realis in anima similitudo virtutis Christi.

Quid adhuc deest Corpori Christi mystico? Si licet extendere analogiam, ab organismo vivo desumtam, mystico Corpori Christi inesse debent organa, quae non solum participent, sed etiam aliis membris deferant vivificam virtutem Capitis-Christi. Huiusmodi organa, sacerdotium ecclesiasticum in tribus suis gradibus, formantur et destinationi suae idonea redduntur non per gratiam, quae ipsis regulariter datur ad convenienter dispensanda mysteria Dei, sed per characterem sacerdotalem, qui praeter duos priores gradus similitudinis cum Christo, novum stigma est, assimilans animam ordinati Summo et primo Sacerdoti. In genere, characteres sacramentales sunt quasi extensio quaedam et participatio, analoga utique, illius divini characteris, quem humana Christi natura nacta est per hypostaticam unionem cum Verbo.

Studium P. Piątkiewicz non solum gravitate quaestionis, sed etiam soliditate argumentorum pariter ac elegantia sermonis, multum commendatur. Magnam etiam lucem infert tractatui de membris Ecclesiae, illumque forte paulisper corrigit ac modificat. Si enim characteres sacramentales sunt, qui Corpori Christi mystico, Ecclesiae, structuram praestant intrinsecam ac firmitatem, dicendum videtur etiam haereticos ac schismaticos non solum ad animam Ecclesiae (si nimirum in bona fide exstant et insuper gratia sanctificante ornantur), sed etiam vi characterum sacramentalium ad Corpus pertinere Ecclesiae, quamvis in foro externo, ob defectum visibilis coniunctionis cum unitatis ecclesiasticae centro, censeantur et exstent extra Ecclesiam, iuridice, prout est societas visibilis, consideratam. Imprimis, dum de Orientalibus agitur, doctrina de characteribus sacramentalibus posset catholico theologo non exiguam afferre lucem ac solatium. *J. Urban* S. J.

Ks. Antoni Nowowiejski, **Wykład liturgii Kościoła Katolickiego (Expositio liturgiae Ecclesiae Catholicae).** Tom. I. Warszawa, 1893, str. 1332. in 4⁰; tom. II. Warszawa, 1902, str. 682. in 4⁰; tom. III. Płock, 1905, str. 516. in 4⁰. Cena 17 rb.

Tres editi tomi non sunt nisi una ex sex partibus vastissimi operis liturgici, quod doctus professor seminarii dioecesani plocensis

publicare intendit. Tractat haec prima pars de mediis cultus divini, dum partes ipsius cultus, ut officium divinum, sacrificium missae, sacramenta aliaque remittuntur ad partes sequentes.

Praemissa introductione totius operis (p. 1—98), in qua notio liturgiae sacrae, eius obiectum, genera, historia exponuntur, de symbolismo liturgico pulchre disseritur, auctoritas fontium liturgicorum vindicatur, — per decursum trium tomorum auctor tractat tomo I⁰: de personis liturgicis et de locis cultus eorumque ornatu; tomo II⁰: de paramentis et vasis liturgicis: tomo III⁰: de libris liturgicis, de musica et cantu ecclesiastico, de lingua liturgica, denique de quibusdam actionibus liturgicis.

Omnium harum rerum exponitur historia, practica ratio, symbolismus, legesque ecclesiasticae et praescriptiones huc pertinentes. Tractando de locis cultus divini, fuse auctor describit omnes classicos stylos architectonicos, eorumque praecepta exponit; tum singillatim de altaribus, ciboriis, lumine, de pictura et sculptura, de cruce, reliquiis et reliquiaribus, de floribus, de omnibus partibus templi, de campanis etc. fuse disserit.

Valoris specialis sunt ea, quae tomo III⁰ continentur, nimirum tractatus historico-iuridicus de libris liturgicis et alius de musica et cantu ecclesiastico, deque lingua liturgica. Praeter ea, quae in aliis auctoribus inveniri possunt, multa hic inveniuntur de libris liturgicis in Polonia olim et nunc usurpari solitis, v. c. de valore Ritualis petricoviensis, eiusque discrepantia a Rituali romano. In tractatu de cantu et lingua habita est ab auctore ratio novissimarum ecclesiae praescriptionum. Cum auctor nonnisi occidentali liturgia ex professo tractet, hinc de rebus orientalibus pauca tantum hic illic apponit, v. c. de lingua slavica (t. III., p. 309—312).

Opus hoc maximam et solidissimam eruditionem atque obsequentissimum amorem legum ecclesiasticorum in auctore luculenter manifestat. Ornatur 932 illustrationibus, quae archaeologica praesertim monumenta repraesentant, ex quibus multa sunt polonica. Utinam doctissimus auctor ceteras partes suae Liturgiae quam citissime in mundum edat! *J. U.*

Libri polonici recentiores.

Adamski St. Substancyalność i nieśmiertelność duszy ludzkiej, Warszawa, 1905 (str. 432). (Substantialitas et immortalitas animae humanae).

Czapla Bruno. Visitationes episcopatus Culmensis a 1667—1672 factae. Societas litteraria Torunensis 1904 (191). Latine.

Chotkowski Wł. dr., Historya polityczna dawnych klasztorów panienskich w Galicyi (1773—1848). Kraków, 1905 (431). (Historia politica veterum monasteriorum monialium in Galicia.)

Chodyński St., Seminaryum Włocławskie. Włocławek, 1905 (Seminarium Vladislaviense, studium historicum).

Gerstman Ad., O skrupulatach. Lwów, 1901 (51) (De Scrupulosis).

Idem, O zadoszćuczynieniu sakramentalnem. Lwów, 1904 (110) (De satisfactione sacramentali).

Idem., O grzesznikach nałogowych, nawrotowych i pozostających w okazyi do grzechu. Lwów, 1905 (208) (De peccatoribus habituosis, recidivis et occasionariis). Hi tres libri potius ad pastoralem theologiam pertinent.

Gelski Al., Znaczenie sławy ludzkiej ze stanowiska chrześcijanskiego, studyum etyczne. Warszawa, 1905 (15), (Christianum iudicium de gloria humana, studium ethicum).

Kopyciński Ad. dr., O sakramencie Pokuty. Przemyśl, 1904 (535) (De Sacramento Poenitentiae).

Knapiński dr., Teorya O. Hummelauera o formacyi Pentateuchu. Warszawa (33) (Theoria P. Hummelauer de formatione Pentateuchi).

Mieszkis Fel., Katolicyzm a reforma, studyum religijno-społeczne. Warszawa, 1904 (98) (Catholicismus et reformatio, studium religioso-sociale).

Nojszewski Ant., Liturgia Rzymska. Warszawa, 1903 (378) (De Liturgia Romana).

Nowodworski M., Encyclopedya kościelna, tom XXVIII., Szpital-Toul. Warszawa 1905 (632) (Encyclopaedia ecclesiastica, tomus XXVIII-us).

Potkański K. dr., Konstantyn i Metodyusz. Krakow, 1905 (146) (Constantinus et Methodius).

Plater Cecylia, Cywilizacya w swietle chrystyanizmu. Warszawa, 1905 (31) (Civilizatio in luce christianismi).

Podlasiak P. J. K*), Męczeństwo Unii na Podlasiu. Kraków, 1905 (375) (Martyrologium Unionis in Podlachia).

Podręczna encyclopedya kościelna. Warszawa. Tomy I-VI. (Manualis encyclopaedia ecclesiastica).

Sieniatycki M. dr., Wniebowzięcie N. Maryi Panny, studyum teologiczne. Lwów, 1904 (123). (Assumptio B. Mariae V., studium theologicum.

Vondrak W. dr., Zachodnio-europejskie postanowienie pokutne w języku cerkiewno-Siowiańskim. Kraków, 1904 (67) (Statutum poenitentiale in lingua ecclesiastico-slavica in Occidentali Europa).

Wołyniak, Lista opatów bazyliańskich w Grodnie. Kraków, 1905 (60) (Conspectus abbatum basilianorum Grodnensium).

Załęski St. T. J., Jezuici w Polsce tom. IV. Kraków 1905 (1880 p.), (Jesuitae in Polonia).

Żukiewicz K. M., Sw. Jacek Odrowąż. Lwów, 1905 (138) (S. Hiacynthus Odrowąż).

Libri occasione iubilaei B. M. V. Immaculatae editi.

Chotkowski Wł. dr., Walka szatana z N. Panną w dziejach Kościoła. Kraków, 1904 (31) (Pugna diaboli contra B. Virginem in historia Ecclesiae).

Fridrich Al. T. J., Historye cudownych obrazów N. Maryi Panny w Polsce. Kraków, tom I, 1903; tom II., 1904. (Historiae imaginum miraculosarum B. Mariae V. in Polonia, duo tomi).

Adamski St., Hołd Niepokalanej Dziewicy Bogarodzicy. Poznań, 1904 (p. 402).

Maryański Br., W hołdzie dla Maryi, studyum historyczno-ascetyczne o Rozańcu. Warszawa, 1904 (p. 144) (De Rosario, studium historico-asceticum).

---

*) Eiusdem auctoris sunt etiam alii libri historiam suppressionis Unionis in Podlachia spectantes, nimirum: 1) Janów biskupi czyli podlaski, Kraków, 1897; 2) Historya zjawionego i cudownego obrazu Matki Boskiej w Leśny, Kraków, 1897; 3) Kodeń Sapiehów, Kraków, 1898.

Objawienie się, i cuda w Lurd Najświętszej Maryi Panny niepokalanie poczętej. Kraków, 1904 (314) (Apparitio et miracula B, M. V.in Lourdes).

Skarga Piotr T. J., (celeberrimus concionator polonus saeculi XVI.) Kazania o Przenajświętszej Bogarodzicy Niepokalanej Dziewicy. Kraków, 1905 (p. XIX. et 155). (Conciones de B. M. V. editio nova.)

RUSSICA.

П. Юнгерокъ, Общее историко-критическое введеніе къ священнымъ ветхозавѣтнымъ книгамъ (Generalis historico-critica introductio in libros sacros Veteris Testamenti). Казань 1902 [1]). Pag. XV.+591. 2 rub. 50 kop.

Doctus et litterariis operibus copiosus [2]) russicus biblista V. T. locupletavit theologicam litteraturam novo et huius generis — exceptis nonnullis studiis in periodicis publicationibus et manuali introductione in S. Scripturam a Vigouroux [3]) — primo opere in lingua russica. Liber divisus est in quatuor partes, in quarum prima (p. 1—46) pertractante historiam originis et authenticitatis sacrae V. T. literaturae perscribit varios modos et monumenta, quibus incorruptibilis traditio in electo populo per generationes asservabatur, solvit quaestionem scripturae apud Hebraeos et perscribit occasionem, tempus originis, auctorem et breve argumentum uniuscuiusque libri proposito fine apologetico. Non possumus assentiri maxima ex parte annis, qui hac occasione plena cum certitudine adducuntur. Per Esdram et Nehemiam canonem librorum V. T. clausum esse putat auctor, qua de causa omnes superstites libros post eorum aetatem scripti—quos appellat non canonicos (p. 43. неканоническая) — pertinentes ad Biblia non possunt esse canonici carentque inspiratione. Ad quos numerat librum Baruch et epistolam Jeremiae, opera composita saec. IV. ab incertis auctoribus, Sapientiam Jesu Sirach e fine saec. IV. aut principio saec. III. Sapientiam Salomonis, Tobiam et Judith a saec. III., primum, secundum et tertium librum Maccabaeorum, secundum et tertium librum Esdrae, Psalmum 151., orationem regis Manassis et fragmenta Estheris et Danielis. In secunda parte (p. 48—218) continente historiam canonis librorum s. V. T. primordia, evolutionem et pervulgationem canonis usque ad tempora Esdrae et Nehemiae illustrat; praesertim perspicua argumenta adducit, docens,

---

[1]) Tantum per exceptionem huic censurae libri antiquioris locum hic dedimus, in posterum non recepturi nisi novorum censuras librorum. Red.

[2]) Idem auctor edidit: Книга Есѳиръ и внѣбиблейскіе памятники. (Liber Esther et extrabiblica monumenta) 1891 p. 30 cop. Книга пророка Михея. Библиологическое и екзегетическое изслѣдованіе. (Liber prophetae Micheae. Biblico-exegetica discussio) 1890. pr. 2 rub.

Псалтирь и ея значеніе въ связи съ заключающимся въ ней вѣроученіемъ. (Psalterium eiusque significatio in connexione cum doctrina eodem contenta) 1894. Вѣроученіе псалтири, его особенности и значеніе въ общей системѣ библейскаго вѣроученія. (Doctrina Psalterii eiusque individualitates et significatio in universali systemate biblicae doctrinae.) 1897. pr 1 rub. Omnes isti libri typis editi sunt Kazanii.

[3]) Cfr. Čas. kat. duch. p. 312. (Litt. Slav 26).

locis plurimis citatis e S. Scriptura quomodo posteriores libri priores supponant. Nonnullis autem locis nimiam fidem attribuit traditioni talmudicae, qua nixa argumenta carent solido fundamento, quare deductiones minus evidentes et certae videntur esse. Item incredibile et inconcessibile est, ut Thora (Liber Moysis) reperta ab Helcia tempore Josiae non solum totum Pentateuchum, sed omnes libros V. T. hoc tempore existentes (Josue, Jesaiam, Micheam) continuerit (p. 72.). Prouti omnes russici auctores pertractantes eandem materiam etiam Jungerov vult demonstrare, canonem V. T. per Esdram, Nehemiam et Magnam Synagogam clausum fuisse. Adducit etiam sententias contrarias, sed sine critica discussione. In capite secundo et tertio eiusdem partis pertractat historiam canonis postquam clausus est: canonem palaestinensem et alexandrinum. Admittit hypothesim LXX olim continuisse solummodo (proto)canonicos libros et Judaeos alexandrinos numquam agnovisse canonicitatem non (deutero) canonicorum librorum. Omnes locos ex V. T. in N. T. reducit praecipue ad libros (proto)canonicos. Patrologia graeca et syriaca a saec. I.—II. ex disputationibus et perpetuo contactu cum Judaeis scit et confirmat canonem mutilatum, cuius ignari patres latini contenti prisca latina versione Bibliorum, in qua indiscriminatim miscebantur libri canonici cum non canonicis, omnes libros numerabant ad S. Scripturam. Sequentibus tribus saeculis Oriens retinebat (proto)canonicos libros, Occidens sequens doctrinam s. Augustini in conciliis et in scriptis agnoscebat etiam libros non (deutero) canonicos; qui status — dantur exceptiones — pertinebat in utraque ecclesia usque ad saec. XVI. — Какъ восточная церковъ была вѣрна ранѣе установленному въ ней ученію о канонѣ, такъ и западная церковъ въ своихъ оффиціальныхъ соборныхъ и папскихъ опредѣленіяхъ оставалась вѣрною постановленіямъ своимъ, даннымъ въ предъидущіе періоды (p. 183). — Concilium tridentinum apud catholicos omnem dubitationem sustulit, apud orientales scriptores autem praevaluit sententia Origenis, Melitonis, s. Hieronymi et ceterorum similiter sentientium. Praecipuus fons ad hauriendam doctrinam traditionis horum temporum est ei Loisy (Histoire du canon de l' A. T.), minus Cornely (Introductio . . .) et Trochon (La Sainte Bible). Ecclesia russica hucusque non possidet definitivam decisionem quaestionis de canone V. T. a competenti auctoritate, sed theologi russici sequentes metropolitam Philaretum defendunt sententiam mutilati canonis librorum protocanonicorum, deuterocanonicos adnumerantes quidem ad Biblia sed in inaequali auctoritate, negantes eorum inspirationem.

In tertia parte (p. 219—353) pertractante historiam textus N. T. perscribit auctor primum materiam et formam hebraicae scripturae, dein historiam hebraici alphabeti et punctationis. Quaestionem, quomodo Hebraei verba et litteras a se seiunxerint, solvit: eos ad disterminanda verba in continua scriptura usos esse certis signaculis, quorum auxilio universali cognitione S. Scripturae imbuti facile eam legere potuerunt; in scriptura quadrata litterae finales lectionem adiuvabant. Attentione dignus et perspicuus est articulus continens divisionem librorum V. T.

in textu hebraico in maiores minoresque partes et interiorem historiam eiusdem textus.

In quarta parte (354—591) perscribitur historia versionum V. T., et quidem primo loco LXX., cuius auctoritas apud Russos magni aestimatur „quia LXX. potest spectari tamquam speculum textus hebraici, qualis erat 200 annos ante Chr. N.“ et quia ex ea vulgaris slavico-russica versio S. Scripturae profecta est. Perscribuntur dein versionum antiquarum occasio, locus, tempus originis, relatio ad originalem textum, eorumque auctoritas et character. Speciali diligentia usus est auctor in illustranda origine vetero-slavicae versionis eiusdemque historiae textus in manuscriptis et editionibus typis editis. Etiam laude digna est pertractatio de versione S. Scripturae in linguam russicam eiusque fatis, ubi adducit auctor omnes factores, qui operam dederunt perfectis editionibus et amplissimae propagationi S. Scripturae in Russia.

Totus liber systematice ordinatus conspirat in unam sententiam auctoris, nempe demonstrare ecclesiae russicae fidem in authenticitatem, inspirationem, canonicitatem et integritatem librorum V. T. eandem esse ac iudaicae traditionis et christianae ecclesiae. Quadecausa omnes quaestiones aspicit in fide russici theologi, in cuius favorem easdem etiam (e. g. de canone, authenticitate Vulgatae et LXX,) solvit. Quamquam auctor nonnullis locis solummodo compilavit sententias aliorum gravium scriptorum, tamen totus liber prodesse potest etiam occidentalibus biblistis, praesertim in biblicis, quae pertinent ad russica. Apologeticum scopum S. Scripturae intendit assequi defendendo in quaestionibus controversis rigorose conservatismum. Etiamsi liber modo historico-critico et scientifice materiam propositam pertractat, tamen propter perspicuitatem styli omnibus utilis esse potest, qui bibliis student. *Adolf Jašek.*

Архимандритъ Андрей, Какъ понимать человѣко-образныя представленія св. Писанія о Богѣ (Quomodo intelligendae sint humanae repraesentationes Dei in Sacra Scriptura.) Казань 1904. Изданіе журнала „Пѣтелъ“. (Hermeneutico-exegeticum opusculum, in quo auctor nixus et fretus interpretationibus ss. Patrum explicat usum loquendi athropomorphismorum Dei in Sacra Scriptura. Deficientem terminologiam de hominum repraesentationibus de Deo totaque Eius oeconomia explent sacri auctores perfectissimis repraesentationibus et actibus humanis. Quapropter Sacra Scriptura ostendit nobis etiam culturam psychologicorum idearum illorum temporum. *A. J.*

Th. I. Titov, **Критико-библіографическій обзоръ новѣйшихъ трудовъ по исторіи Русской Церкви (Conspectus critico-bibliographicus operum recentiorum de historia ecclesiae russicae).** Fasc. I. II. Kiev 1901; fasc. III. Kiev 1904; fasc. IV. K. 1905. Pg. 22; 43; 84; 50 20, 40, 80, 60 kop.

Th. I. Titov, professor (extraordinarius) historiae ecclesiae russicae in academia theol. Kioviensi, iam per nonnullos annos in historiam ecclesiae in Russia occidentali inde a saec. XVI. specialiter in-

quirit. Hoc anno edidit magni pretii et magni momenti opus: Pamjatniki pravoslavja i russkoj narodnosti v zapadnoj Rossii v XVII.—XVIII. vv. — Monumenta orthodoxiae et nationalitatis russicae in Russia occidentali saec. XVII.—XVIII. tom. I. partes I. II. III. Kiev 1905. Pg. CLXIV+XCVII+1772+CXIX. — Eum etiam in litteratura historica recentiore bene esse versatum praesentes fasciculi ostendunt.

I. fasc. praebet brevem conspectum recensionemque excellentis operis E. E. Golubinskii, Historia eccl. russicae. tom. II. p. I. (Moskva 1900), de qua publicatio nostra alias referet.

II. 1. Primo loco (pg. 3 10) recensetur opus S. Golubevi, Kievskij metropolit Petr Mogila (a. 1632—1646). Tom. II. Kiev 1898. Pg. 524+498, cuius t. I. iam a. 1883 prodiit. S. Golubev 25 annos in libro hoc componendo consumpsit, propterea opus praeclarum conscripsit. Tota 2. pars libri (498 pg.) documenta historica continet, quae accuratissime secundum varia manuscripta redacta sunt — 2. K. Harlampovič, Zapadno-russkija pravoslavnyja školy XVI. i načala XVII. věka. (Scholae orthodoxae Russiae occidentalis saec. XVI. et initio XVII.) Kazan' 1898. Pg. 524+LXII. Prima pars (pg. 1—140) agit de scholis catholicis, de institutis iesuitarum, de seminariis clericalibus, de divulgatione fidei catholicae in Russia occidentali. Sequitur (pg. 141—184) brevis narratio de scholis protestanticis (lutheran., calvin., socinianis). Pars tertia (pg. 185—476) de proprio operis obiecto (scholis disunitorum) tractat. Ultimo loco (pg. 477—524) auctor de scholis unitorum agit. Auctor litteraturam huc pertinentem accurate novit eamque in prooemio enumerat multasque notitias omnino novas praebet. — 3. D. Sčepuro, Vilenskoe Svjato-Duhovskoe bratstvo (Confraternitas S. Spiritus Vilnensis saec. XVII. et XVIII.). Kiev 1899. Pg. 182. Auctor diligenter collegit, quae hac de re hucusque publicata sunt; liber nonnullos errores historicos continet (pg. 13—17). — 4. S. Bělokurov, K istorii duhovnago prosvěščenija v Moskovskom gosudarstvě XVI.—XVII. vv. (Ad historiam eruditionis spiritualis in imperio Moscovitico saec. XVI—XVII. Utrum libri ecclesiastici an profani in bibliotheca imperatorum Moscoviae saec. XVI. reconditi sint). 2 Moskva 1899. Pg. 386+LXXIII. — Bělokurov iam multas et praeclaras monographias ex historia eccl. russicae conscripsit. Opus praesens magnam copiam notitiarum historicarum et bibliographicarum praebet. Ex ceteris operibus eiusdem auctoris praesertim notanda est monographia de celebri sacerdote (catholico) Croata Georgio Križanič (Jurij Križanič v Rossii. Moskva 1901. Pg. 206+130), qui saec. XVII. in Russia degebat ibique inter cetera negotia etiam ad unionem promovendam multa conabatur, quod Bělokurov secundum nova documenta primus praeclare ostendit. — 5. A. Dmitrievskij, Arhiepiskop elassonskij Arsenij i memuary ego iz russkoj istorii po rukopisi Trapezuntskago Sumelijskago monastyrja. Kiev 1899. Pg. 234. Arsenius archiepiscopus initio saec. XVII. Moscoviae degebat; eius memoriae, quae historiam turbulentae aetatis imperii et

ecclesiae russicae respiciunt magni momenti sunt pro historia ecclesiae russicae. Dmitrievskij, in historia Orientis versatissimus, has „memorias" invenit et magno cum apparatu scientifico in hoc libro publicavit (pg. 19—21). — 8. N. D. Izvěkov, Istoričeskij očerk sostojanija pravoslavnoj cerkvi v Litovskoj eparhii za vremja 1839—1889. g. Moskva 1899. Pg. 522. De historia ecclesiae disunitae in eparchia Litthuaniae iam multa sunt conscripta (maxime a Kiprianovič); praesentis libri elaboratio scientifica valde imperfecta est, obiectivitas historica et scientifica deest (pg. 26—32). — 9. V. Ejngorn, Očerki iz istorii Malorossii v XVII. v. I. Snošenija malorossijskago duhovenstva s moskovskim pravitel'stvom v carstvovanie Aleksěja Mihajloviča (Relatio cleri parvorussici ad imperium moscoviticum regnante Alexio Mihajlovič) Moskva 1899. Pg. 1104. Auctor magnam copiam novae materiae historicae collegit ex fontibus nondum typis editis: quapropter opus eius magni est pretii. — 10. A. Papkov, Bratstva (Confraternitates). Očerk istorii zapadnorusskih pravoslavnyh bratstv. 1900. Pg. LXIV+291+XXXIX. Confraternitates ecclesiasticae in Russia occidentali praecipua erant praesidia contra unionis conatus. A. Papkov solum fontibus iam typis editis usus est; in libro multa minus accurata inveniuntur (pg. 37—43).

III. 1. C. Studinskij, Pierwszy wstęp literacki Hypacyusza Pocieja. Lwów 1902. Pg. 80. — C. Studinskij (Ruthenus, professor universitatis Leopolitanae) tum lingua ruthena tum polonica iam multa conscripsit, quae unionem Ruthenorum (Brest 1596) spectant, praesertim, quae ad pugnam litterariam (ad quam categoriam et opusculum cuius hic fit censura pertinet) inter unitos et disunitos pertinent. Titov omnia opera huius auctoris tamquam vere scientifica et exacta laudat (pg. 3—4). — 2. P. Žukovič, Sejmova bor'ba pravoslavnago zapadno-russkago dvorjanstva s cerkovnoj uniej (do 1609 g.) — (Russiae occidentalis nobilium non unitorum cum unione ecclesiastica concertatio in comitiis [usque ad a. 1609]). Peterburg 1901. Pg. XX+608. — Secundum Žukovič unio ecclesiastica erat solum phasis pugnae nationis polonicae cum russica et culturae polonico-catholicae cum russica. Auctor permultis fontibus manuscriptis usus est et ipse magnam copiam materiae historicae in variis „archivis" collegit; quapropter opus eius magni est pretii multaque nova praebet (5—8). — 3. A. Jabłonowski, Akademia Kijowska-Mohilańska. Kraków 1899-1900. Pg. 318. Eiusdem auctoris de eadem re elucubratio in „Kwartalnik historiczny" Lwów 1902. — In priore opere J. probare conatur academiam Kioviensem (orthodoxam) nihil habuisse suum propriumque, sed mediatricem tantum inter culturam occidentalem et orientalem institutionemque polonicam fuisse. Titov (in Trudy k. d. a. 1902 nr. 3. pg. 451-79) concedit quidem academiam ad exemplum academiarum occidentalium institutam fuisse (quemadmodum etiam academiae polonicae), nihilominus etiam non pauca sua propriaque habuisse, fidem „orthodoxam" et nationem russicam strenue defendisse (8—15). J. in „Kw. historiczny" sententias suas defendit; iuxta sententiam Titov quaestio post omnia docu-

menta historica edita (quam editionem Titov, N. Petrov et S. Golubev iam inceperunt [cf. inferius IV. 5]) demum clarius dirimi poterit (16-21). — 4. S. Golubev, Kievskaja Akademija v koncě XVII. i načalě XVIII. st. (Acad. Kiov. in fine saec. XVII. et initio XVIII). Kiev 1902. Pg. 101. Magna pars operis novos fontes enumerat novamque materiam praebet. — 5. E. E. Golubinskij, Istorija russkoj cerkvi I. 1. Moskva 1901.; idem, Historia canonizationis. — 7. A. Pankov, Cerkovno-obščestvennye voprosy v epohu Carja-Osvoboditelja (1855-1870). Spb. 1902. Pg. 184. — Auctor, qui iam compluria opera de quaestionibus ecclesiastico-socialibus conscripsit, multa scitu digna de parochiis similibusque institutionibus narrat (34-52). — 8. O. Levickij, Očerki narodnoj žizni v Malorossii vo II. polovině XVII st. (de vita nationali in Parva Russia saec. XVII.) Kiev 1902. Pg. 314. Auctor de scholis et litteris ecclesiasticis, de consuetudinibus religioso-moralibus aliisque de rebus, quae ad historicorum animos alliciendos aptae sunt, disserit (52—58). — 10. A. S. Lebedev. Bělgorodskie arhierei (De episcopis Bělgorodensibus) Har'kov 1902. Pg. 230. Opus hoc magni pretii secundum documenta archivalia compositum est (61—84).

IV. 1. Dr. L. K. Goetz, Das Kiever Höhlenkloster, als Kulturzentrum des vormongolischen Russlands. Passau 1904. Pg. XXXIV.+242. — Cf. Trudy k. d. a. 1904. et Slav. l. th. 72. [Č. k. d. 388.]. Opus accurate recensetur et laudatur (1-22). — 2. J. J. Sokolov, Konstantinopol'skaja cerkov v XIX věkě (Eccl. constantinopolitana saec. XIX.) Spb. 1904. Pg. XXXV+813+150+XLII. — Doctus byzantinista J. J. S. initio libri historiam antiquiorem breviter pertractat; omnia vere scientifice et accurate composita sunt documentisque graecis innituntur (auctor 215 documenta graeca adducit). — 3. A. Popov, Pravoslavnye russkie akathisty. Kazan' 1903. Pg. 636. — Prof. Popov conspectum historico-bibliographicum omnium „acathistorum" (cantuum litaniis eccl. cathol. similium), quae ante institutionem s. synodi in usu fuerunt; pariter omnium, qui a s. synodo approbati aut reprobati sunt. Propterea opus magnum habet pretium scientificum et ut Titov fatetur pro Russis etiam practicum. (24-26). — 4. N. J. Petrov Bibloteka Kievo-Sofijskago sobora, (Bibliotheca eccl. cathedralis Kievo-Sophiensis) Moskva 1904. Pg. 307+LVIII. Bibliotheca, cuius Petrus Mogila fundamenta iecit describitur: nunc bibliotheca 734 codices (manuscripta) possidet. — 5. Akty i dokumenty, otnosjaščiesja k istorii Kievskoj Akademii (Acta et documenta historiam academiae Kioviensis illustrantia) sectio 11. tom. I. a. 1721-1750 1. 2. Kiev 1904. Pg. XXXII+463; XXI+508. — Ad acta edenda a 1901. specialis ‚commissio' (professores N. J. Petrov, S. T. Golubev, Th. J. Titov) instituta est. Prof. Petrov periodum 1721—1795 sibi elegit et primus I. tom. operis sui in lucem edidit: documentis permultas adnotationes et accuratum indicem adiecit. (27-29) — 10. A Dmitrievskij, Stavlennik, Pontificale eccl. orientalis). Kiev 1904. Pg. XIII+344. — A. D. inter auctores russicos res liturgicas tractantes doctissimus hic ordines (čin) omnium ordinationum

(chirotonia), quas episcopus vi muneris et ordinis sui exercet, proponit iisque explicationes rituum et notas historico-archaeologicas adiecit; liber magni pretii est tum relate ad scientiam liturgicam tum ad usum practicum. (36-38) — I. Morev, Kamen věry mitropolita Stefana Javorskago („Petra fidei" metrop. St. Javorskij) Spb. 1904. Pg. XII+372. — Stephanus Javorskij tempore Petri M. contra influxus protestanticos in theologiam russicam (Theofan Prokopovič) veram orthodoxiam defendit, quapropter eum gubernium civile persequebatur. I. Morev multa scitu digna historiamque dogmatum in Russia illustrantia narrat: opus quoad formam scientificam valde inperfectum est, quod dolendum est. (39-41) — 16. N. Pisarev, Domašnyj byt russkih patriarhov. (Vita domestica patriarcharum russ.) Kazan' 1904. Pg. 278+170. — Prof. Pisarev aulam (domum), supellectilem, vestes, sepulturam similiaque patriarcharum (metropolitarum) russ. describit. —

Fasciculi laudati igitur permulta scitu digna et valde utilia praebent, ex quibus hic solum graviora adduximus. Quam maxime desideramus, ut Titov opus suum continuet et unoquoque anno conspectum similem componat. Dr. *F X. Grivec.*

Bogoslovskij Věstnik 1904. (Pars reliqua.)

Ex 9. et 35. canonibus concludendum est eum non esse dignum venia. Sed quaestio oritur, cui aut cuius rei ‚venia' tribuenda intelligi debeat? Utrum secundo matrimonio an communicationis cum ecclesia? „Согласнѣе съ мыслію правилъ, въ обоихъ отношеніяхъ, хотя лишить права на вступленіе въ бракъ церковъ въ то время не могла (?); въ ея распоряженіи было только одобреніе или не одобреніе законнаго брака" (p. 322). Quod et commentatores Balsamon et Aristenes confirmant (p. 322); solus Zonaras contradicit (p. 323). Immo ipse s. Basilius non de validitate matrimonii, sed de matrimonii legibus civilibus temperati cum evangelio convenientia loquitur (p. 325).

S. Basilium sequi leges Romanas esse dicendum videtur, et c. 9. mira tradit: uxor, cuius vir commisit adulterium dureque eam tractat, non potest novum in matrimonium ire; id quod idem positis ambagibus nulloque negotio marito concesserat. Zaozerskij concedit hoc ipsum et mulieri. Secundum leges civiles ad a. 870 ut vir posset novum contrahere matrimonium satis erat, si absentiam suae uxoris planam fecit, at ab uxore certis documentis sui viri mortem ut probare, postulabatur (p. 326 et sq.).

2. Simili modo, ac Basilius, immo mitius procebant imperatores Graeci, quorum statuta in ‚nomocanonem' recepta sunt, et postea in russicam „Кормчую" transierunt; et sic ab ecclesia orientali sanctum est etiam relicto malitiose coniuge dirimi vinculum coniugale (p. 328 sqq. et 422 sqq.). Quae disciplina viguit in Russia circiter usque ad a. 1809 (p. 432 sqq.); ab hoc enim tempore rigidius astricta est. Verum, inquit, sine causa, quippe cum illud „praeter fornicationem" (Mt 5, 31 et 19, 7) secundum Mt 5, 28 aliquid plus quam ipsum adulterii factum significet (p. 440). Cum igitur ecclesia etiam ad solam

malitiosam derelictionem extendat verba Domini, id summo iure facit „adiuvatque eius applicationem“ (p. 441).

3. Id etiam status rerum huius aetatis exigit: liberabuntur enim e miseria coniuges, qui infelicibus nuptiis inter se iuncti sunt; — cogentur coniuges ad observanda iura matrimonii: evanescent fictitia matrimonia (p. 445). Quo serpat, videant, quorum interest.

S. Smirnov: „Духовный отецъ“ или старецъ въ древнихъ восточныхъ монастиряхъ (Pater spiritualis in antiquis monasteriis orientalibus). III., 473—509, 682—717. Smirnov, sanctorum Patrum, qui tempore ‚conciliorum occumenicorum‘ florebant, opera, coptica et arabica ex E. Amélineau: „Annales chrétienne Guimet, t. XVII. Monuments pour servir a l'histoire de l'Egypte chretienne au IV-e siècle“, alia ex Migne „Patrologia“, consulens et inter se conferens — institutum ‚πνευματικὸς πατὴρ‘ eiusque progressum nobis exponit. Synonyma quoque, quibus pater appellabatur, enumerat (p. 479). Apud patres insigniores saec. IV., ut apud Basilium et Ephraemum (Afrem) pater spiritualis idem est atque *ἡγούμενος;* hic enim omnia, quae patris spiritualis sunt, habebat (p. 478). Apud Ephraemum et alios melius mystica inter patrem spiritualem eiusque filium relatio—generati spiritualis—expressa est: Basilius magis morales ac disciplinares relationes consideravit (p. 481).

Non obstante varia huius vocis significatione, generatim tamen nomine „patris spiritualis“ in litteris saec. IV-VIII. monasticum superiorem appellatum esse dici potest. (p. 485). Posteriore demum tempore sacerdotes quoque, patres spirituales nominabantur. Quod institutum fundamentum vitae monasticae erat (p. 486), maxime vero in coenobiis confirmatum est (p. 491). Electio patris spiritualis pertinebat ad monachum; qui alium eligere non potuit quam unum ex iis, quos superior approbavit. Pater spiritualis una cum suo discipulo vivebat, — unus tantum potuit esse isque solebat immutabilis esse (p. 500 sqq). Copiam eum relinquendi dabat tantum patris spiritualis haeresis vel incitatio ad malum (p. 506). Aptus, qui pater spiritualis eligeretur, non erat nisi vir electus a Deo et quasi deificatus atque charismaticus (682 sq.). Discipulus erga suum patrem spiritualem fiduciam, amorem ac summam oboedientiam debebat (p. 693 sqq.); immo etsi peccatum in actione, quam ille iubebat, cognoverit, oboediendum ei erat (?): ad quod probandum adducit textum, qui in sanam partem accipi potest.

M. Tarěev: „Религія и нравственность“ (Religio et ethica) III., 291—318, 395—422, 602—627. Hic Kantii aliorumque philosophorum Germanorum nec non H. Spencer principia assumpta mitigare conatur, ponit tamen distinctionem ac separationem adesse inter religionem et ius et ethicam.

Episc. Antonius: Библейское ученіе объ ипостасномъ Словѣ Божіемъ (Biblica doctrina de hypostatico Verbo Dei), III, 387-395.

Cum Trubeckij in sua commentatione „Ученіе о Логосѣ: Evangelium suam de „Logos“ doctrinam per apocrypha a Platone hausisse docuisset, scripserunt aliqui contra eum: V. T. scriptores, quos

secutus est Ioannes, non habuisse vocem, quae sicut graeca „Logos" significaret et „verbum et rationem": Platonem vero sub ea voce Logos intellexisse „rationem". Inquirit itaque citatus episcopus, quos textus quaeque verba V. T. Ioannes suum Evangelium scribens, prae oculis habere potuerit. Expositioni quaedam de Iudaeorum vitae ratione praemittit: haec enim vita a Iudaeis ut poena pro Adami peccato considerabatur: quae durior ideo existimabatur, quia iusti patiebantur ab iniquis, immo serviebant illis. Cuius rei solutionem nequaquam invenire potuerunt. Quae opinio de iustorum et impiorum impari condicione principales sibi vindicat partes in V. T. scriptoribus (p. 389). Itaque cum Deus iudicium et iustitiam faceret, omnibusque pro meritis retribueret, hae Providentiae divinae actiones „Verbum Dei" appellabantur idque ideo, quia his actionibus, Deus hominibus quasi responderet (ps. 17). Deus nempe illis actionibus, sicut homo animi abscondita verbo manifestat, suam veritatem hominibus patefaciebat (p. 390). In eisdem textibus quos allegavit ex V. T. — non solum verbum (locutio) Dei intelligitur, sed etiam vis providentialis, vis divina haec omnia peragens, ipsa enim castigat, adiuvat aliaque peragit (391). Addit quidem Verbum hoc, vim esse etiam personam eamque secundam; verum hoc non ex V. T. sed ex novo evolvit explicatque. Primi versus evangelii s. Ioannis respiciunt ad ps. 147; in hoc enim psalmo verbum „vis" nil aliud significare potest nisi ipsum Deum idque non primam sed secundam personam (p. 393). Verbum hoc erat *πρὸς τὸν θεόν*, non *ἐν θεῷ*, ideo non verbum intelligitur sed „ratio" *λόγος* (non у Бога, apud Deum), — verbum enim potest esse etiam ad alium, non solum ad Deum (p. 393). Itaque non acceperunt quod expectabant, Iudaei, sed acceperunt secundam personam *λόγον*, разумъ.

Unum addere licebit: licet perinde sit, utrum *πρὸς τὸν θεόν*, an *ἐν θεῷ*, utrum Verbum an Ratio dicatur, multa tamen manuscripta slavica habent у Бога, et omnia Слово et non разумъ.

I. Popov: Мистическое оправданіе аскетизма въ твореніяхъ преп. Макарія Египетскаго (Vitae asceticae mystica explicatio in operibus Macarii Aegyptii). III., 537-566.

Notandum imprimis est commentationem hanc nondum esse hoc anno finitam. Multi quidem iam de vita monastica scripserunt sed externa potius describebant, ad motiva et finem parum attendebant.

Popov fine et motivis vitae asceticae, quae in operibus insigniorum veterum scriptorum invenimus, descriptis, dataque, quid sit mysticismus, explicatione, transit ad s. Macarium. Praemittit autem quaedam de Plotini mysticismo, utpote cuius mysticismus, licet in multis essentialiter discrepet, in quibusdam tamen cum s. Macarii mysticismo conveniat.

A. Spasskij: Обращеніе Константина Великаго въ христіанство (Constantini M. ad christianismum conversio). III., 627-665.

Commentatio nondum finita est. Spasskij contra Harnack et Burckhardt defendit Constantinum non politicis motivis motum religionem christianam suscepisse. Ostendit quoque nullam esse obiectionem, quam faciunt contra Eusebii relationem de signo, in quo Constantinus victoriam reportavit.

M. Muretov: Древне-еврейскія молитвы съ именемъ Ап. Петра (Antiquae hebraicae precationes cum S. Petri nomine). III., 130—187; 213—239.

Hae precationes s. Petri nomine insigniuntur: 1. Nišmat kol chaj, 2. Agava ravva, 3. Jetteu tegilla lejel. Auctor, notas, quae s. Petro propriae sunt, ex eius epistolis, orationibus in Actibus, evangelio s. Marci, collectas in unum, in illis precationibus inveniri probat; quas igitur saltem magna cum probabilitate s. Petro adscribendas esse concludit.

Cum de notis s. Petri propriis tractat, de significatione quoque verbi, *καθολικός* inquirit, et licet omnia ‚suo modo' explicet, collectio tamen ipsa locorum, ubi ‚*καθολικός*' occurrit, minime ab eo, qui his rebus vacat, praeteriri potest (cf. p. 154 sqq et p. 238).

M. Muretov: Пророчество и языкоговореніе (glossolalia) какъ значенія для вѣрующихъ и невѣровъ 1 Кор. 14, 20—25. (Prophetia et donum linguarum ut signa pro fidelibus et infidelibus 1 Cor. 14, 20—25). II., 496—521.

Citati textus primo obtutu non tam facile patent. Quomodo enim signum pro infideli donum linguarum esse potest? Aptiorem ad finem esse prophetiam quivis dixerit.

Muretov itaque 28. caput Isaiae a Paulo indicatnm respiciens rem e contextu explicat. Deus nempe prius per prophetas ad Judaeos locutus erat, sed cum illi aures surdas opposuissent, Deus per aliarum gentium invasiones symbolice loqui coepit. Simili modo et Christus per parabolam ad populum Iudaicum loquebatur (p. 499 sqq). Altera difficultas in verbo ‚insanitis', *μαίνεσθε*, бѣснуетесь (v. 23) invenitur. Licet omnes antiquae versiones sicut et slavica et russica hoc verbum interpretentur „non esse sui compotem" (p. 508), nihilominus putat auctor hunc sensum non satis rem explicare. Tali enim interpretatione assumpta donum linguarum imprimis nullam signi rationem pro infideli habere potest (p. 509), deinde vero si haec non in ecclesia, ad quam etiam infidelis, изъ религіознаго любопытства' (motivo religioso ductus) tendebat sed in plateis dicta essent, ita intelligi possent: sed dicta sunt in ecclesia (510). Utitur itaque Paulus ‚*μαίνεσθε*' sensu technico, quem ex Platonis philosophia didicit, sclicet: ‚esse a deo inflatum, inspiratum', quod cum ex aliis profanis auctoribus tum ex ipso Platone comprobat (511, 512). Verum haec explicatio et contorta esse videtur, et parum contextui et eventui simili Act c. 2. respondet.

Recentiores quosdam sequens etiam in hisce versibus cum syllabarum rythmum tum logicum parallelismnm videt (p. 519). *M. H.*

De statu, qui nunc est, disciplinae iuris ecclesiastici in Russia quaedam animadversiones.

I. De statu eiusdem disciplinae iuris ecclesiae Graecae generatim.

Nemo est, quem lateat ingens ille progressus scientiae iuris canonici ecclesiae occidentalis; sane confitendum est eandem inter omnes alias, quae theologicarum nomine veniant, scientias maxime florere. Neque solum hoc verum est; insignes enim nobis praesto sunt Occidentis canonistarum labores, qui campum quoque iuris canonici eccle-

siae Graecae omnino accessibilem reddiderunt. Ii sunt: Iohan. Filius, Antonius Augustinus, Gentianus Hervetus, Justellus, Cotelier Coustant, Sirmond, Baluze, Harduin, Assemani, Haloander, Beveridge, Leuenclau, Whiston celeberrimique fratres Ballerini — illi sunt, qui in disquirendis et colligendis fontibus ecclesiae Graecae permagna praestiterunt et, quamquam antiquioris sunt temporis, eorum tamen opera hucusque magna ex parte auctoritatem suam retinent.

Praeterito deinde saeculo rem tanta cum diligentia susceptam porro tractabant: Witte, Haenel, Mommsen, Mortreuil, Lagarde, Mai, Hefele, Zhisman, Hergenröther — primo loco autem illustres viri notandi sunt, quorum opera maxime necessaria sunt ad scientiam iuris canonici ecclesiae Graecae acquirendam promovendamque:

I. Leuenclavii, Iuris Graeco-Romani tam canonici quam civilis T. 2. Frankfurt 1596. Voelli et Iustelli, Bibliotheca iuris canonici veteris in duos tomos distributa. Paris 1661. Beveregii, *Συνοδικὸν* sive Pandectae canonum etc. Oxford 1672. Quae collectiones fundamentum excellentissimi operis: *Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων ἐκδοθὲν ὑπὸ Ῥάλλη καὶ Πότλη. Ἐν Ἀθήναις* 1852—1859 (6 Tomi) erant. Si respicimus ad criticam textus optima est editio: Iuris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta, curante Pitra (2 tomi Romae, 1864—1868.) — continet monumenta et historiam iuris usque ad initium schismatis in s. IX.

Propter permagnam auctoritatem, quam nacta est legislatio civilis in rebus ecclesiasticis imperio byzantino maximi sunt momenti publicationes iuris civilis procuratae a celeberrimis W. E. Heimbach et K. E. Zachariae von Lingenthal; inter ceteras eminet: Zachariae v. Lingenthal Ius Graeco-Romanum (7 partes Lipsiis, 1856).

Hae sunt accuratissimae collectiones.

Accedunt gravissima opera, quae primum externam iuris ecclesiae Graecae historiam respiciunt: Biener, De collectionibus canonum ecclesiae Graecae (Berolini, 1827), Die griechischen Nomocanones, Zachariae v. Lingenthal (St. Petersburg, 1877), eiusdemque, Über den Verfasser und die Quellen des (pseudo-photianischen) Nomocanon in XIV. Titeln. (St. Petersburg, 1885). — deinde internam: Bickell, Geschichte des Kirchenrechts (Giessen, 1843) et Pitra l. c. denique historicam evolutionem disciplinae ecclesiasticae circa singula instituta enarrant: Zhisman, Eherecht der orientalischen Kirche (Wien, 1863). His addere possumus tam, quae antiquioris sunt temporis, quam — easque plurimas — quae ultimis decenniis prodierunt, historico-canonicas dissertationes et monographias. Cum enim singulas iuris ecclesiae occidentalis partes pertractent, multa nobis de disciplina ecclesiae Graecae referunt. Quibus omnibus via parata est ad quorundam canonistarum conatus iuris canonici ecclesiae Graecae ordine systematico proponendi. Exempla satis efficacis conatus praebent nobis: F. Walter, Lehrbuch des Kirchenrechts aller christlichen Confessionen, 14. Ausg. v. Gerlach. Bonn, 1971. et F. H. Vehring, Lehrbuch des katholischen, orientalischen und protestantischen Kirchenrechts, 3. Aufl. Freiburg i. Br. 1892.

Quae cum ita sint, certe nobis pr fitendum est: ecce opus dignum scientia occidentalium!

Nihilominus — quamquam multa iam perfecta sunt, multa adhuc perficienda manent. Quae sunt indicet celebre opus: F. Massen, Geschichte der Quellen und der Literatur des canonischen Rechts im Abendlande bis zum Ausgang des Mittelalters. Graz, 1870. Quod ad disciplinam iuris ecclesiae Graecae ita proponendam attinet pium desiderium est. Idem desiderium versatur circa completum systema iuris canonici ecclesiae Graecae in eiusdem historica evolutione usque ad tempora codicis canonum clausi.

Insuper — factum unionis sat amplae partis Graecorum, Ruthenorum et Rumenorum fert — et historia comprobat — factum existentiae eorum in sinu ecclesiae catholicae; quam comitantur necessario particulares relationes iuridicae, quia diversitas approbati ritus non coarctatur solis diversis ceremoniis, sed secum fert diversitatem totius disciplinae sitae in proprio ritus graeci codice canonum aliisque peculiaribus fontibus. Sicut igitur factum unionis summi est momenti in historia ecclesiae catholicae, ita existentia unitorum rituum in sinu ecclesiae catholicae specialem sibi attentionem canonistarum meretur; vix enim datur casus, quo legislatio ecclesiastica splendidiorem se ostendere possit, quam cui ansam dederunt diversae ritus uniti indigentiae. Quam ob rem haec res digna est scientia canonistarum Occidentis. Verumtamen vix intra ambitum cuiusquam alius scientiae tot sunt maximi momenti nec tamen ullo modo via et ratione tactae aut solutae quaestiones, quot diversa unitarum ecclesiarum disciplina, cui natura sua annexae sunt, in doctrinam iuris ecclesiastici attulit et frustra hucusque solutionem earum expectat. Dissertatio Horgenröther'i: Die Rechtsverhältnisse der orientalischen Riten innerhalb der kath. Kirche, Arch. f. kath. K. R. Bd. VI., VII. — ceteris omissis hanc quoque dignitatem habet, quod defectibus suis, quorum imprimis ipse auctor conscius erat, alios viros ad continuandum susceptum laborem movere possit.

In secunda editione operis: Verfassung u. gegenwärtiger Bestand sämmtlicher Kirchen des Orients, v. Silbernagl. Regensburg, 1904. addita iam est brevis relatio de statu ecclesiarum unitarum, quae prius deerat; non sequitur tamen propositum ex ipso titulo ab auctore indicatum scil. canonistico-statisticum et persaepe essentialibus mendis laborat.

Primum conatum ad compendium iuris ecclesiae graeco-catholicae exarandum cepit: Papp-Szilágyj, Enchiridion iuris eccl. orient. cathol. M. Warad. 1862. quem mox secutus est Dr. Ratiu cum suo compendio in lingua rumena.

Ruthenorum autem canonistae Nikorovič et novissime Baćynskyj praeter scopum praxi pastorali subveniendi alium non praetendunt vel saltem non possunt. Idem dicendum est de: „Praelectionibus ex iure canonico cum speciali respectu ad ritum ruthenum“ Paliwoda-Jaszowski (Leopoli, 1901). Quomodo intra terminos assignatos a modesto scopo practico assequendo cardinales quaestiones iuris ecclesiae

graecae-catholicae evitari possint, id ab his auctoribus optime praestatur. Certe iisdem non deerat bona voluntas nec proinde sunt valde arguendi; necessarii enim sunt multi praeeuntes labores, priusquam accedatur ad construendum systema, quod scientiae iuris ecclesiae Graecae-catholicae avidis satisfaciat.

His desideriis breviter indicatis spem quoque adiungere liceat, fore ut iisdem mox satisfiat; inter cetera enim ratio completae scientiae hoc postulat.

Sane — spes quoque limites habet, quae transiri nec possint nec debeant. Itaque non licet expectare, ut Occidentis canonistae ulteriorem post schisma peractum iuris ecclesiae vel potius ecclesiarum orientalium historicam evolutionem strenue prosequantur et ut hoc ius in adaequato systemate nobis proponant vel saltem ut vigentem hoc tempore in autocephalis ecclesiis disciplinam canonicam ostendant. Haec spes plane vana est, qnod etiam factis probari potest et exemplis. Sufficit unum indicare: ubique notum et magnopere celebratum est opus: Verfassung und gegenwärtiger Bestand sämmtlicher Kirchen des Orients, J. Silbernagl'i, quod prodiit primo in Landshut, 1865. Persaepe autem nitebatur in inveteratis fontibus et notitiis haustis ex descriptis peregrinationibus. His non obstantibus hic idem liber erat fons maximae auctoritatis pro toto Occidente in omnibus quaestionibus, quae versabantur circa statum ecclesiarum orientalium usque ad annum praeteritum, quo iterata vice editus est et eodem modo in incertis et inveteratis notitiis fundatur. Ideo non mirandum est, si quidem etiam Dr. N. Milaš, orientalium rerum ecclesiasticarum peritissimus, episcopus orientalis Zarae, in praefatione sui optimi libri: Das Kirchenrecht der morgenländischen Kirche, übersetzt aus dem Serbischen v. Pessić, (Zara 1897), se coactum fuisse ex variis itinerum descriptionibus et a suis amicis in variis regionibus Orientis degentibus vigentem disciplinam et canonicam praxim singularum ecclesiarum cognoscere fatetur. Cum denique etiam fontes existentes ob varias rationes minus pervii sint vel omnino adiri nequeant — restat nostram certam et adaequatam rerum ecclesiarum orientalium cognitionem ab ipsis orientalibus dependere scil. a maiore vel minore gradu, quo apud ipsos disciplina iuris proprii ecclesiastici colatur et — deinde a gradu quo nos eadem uti velimus. De quo ultimo dubium non est, cum quidem ipse hic conspectus periodicus exinde praeprimis ius et fundamentum suae existentiae repetat ut quaedam communicatio scientiae possibilis reddatur. At magna cum difficultate quaeritur, quomodo se res habeat de statu scientiae iuris ecclesiastici apud Orientales? — vel ut rectius quaestio proponatur, cum apud ceteros ob valde perspicuas rationes parum expectari possit — salva auctoritate quorundam canonistarum praesertim serbicae nationis (Milaš) — quomodo apud Russos iuris scientia canonica se habeat?

Si iudicium hac in re formaremus — neque id esset valde absurdum — ope recensionum, quae apparere solent in Arch. f. kath. K. R., tunc praeter unum canonistam (Pavlov) eiusque sex recensitas in TT. XXXV, p. 200, 380, 474; XLI, 320; LVII,

218: LX, 197. historico-canonicas dissertationes nihil in Russia scientia canonica dignum esse potest. Cum tamen haec conclusio valde incredibilis videatur, sequitur aliud criterium eligendum esse. Non est autem aliud fide dignius, quam directe totam Russorum canonisticam literaturam — in quantum possibile est — recensendam aggredi. — Iam vero in antecessum iuvat notare, sicut idem de Russorum litteris historicis et biblicis secundum varias gravissimas sententias constet, canonisticam quoque multa nobis scitu non solum utilia sed etiam necessaria praebere, cum quidem saltem ex parte iuris ecclesiae Graecae periodus antiquae scientiam Occidentis compleat, in reliquis autem Occidentalibus plane ignota patefaciat. Nec tandem hoc solum momentum considerandum occurrit, quando iam de accuratioris cognitionis litterarum Russorum necessitate agatur. Sicuti enim in ceterarum litterarum Russiae theologicarum uberiore cognitione nobis maxime practica et sublimis intentio praelucet et ad eam quaerendam nos commovet — eadem ipsa intentio, idem ipse finis ultimus adipiscendus compellit nos ad canonicam disciplinam orthodoxae Russorum ecclesiae cognoscendam. Etenim haec est principalis ecclesia, ad quam convenit totus fere Oriens; ipsa fuit exemplar constituti et hodie valentis ordinis in autocephalis ecclesiis, ipsa est quae hodie totum slavicum orientem constringit uno codice iuris ecclesiastici, eadem ipsa est quae sola iudicatur oecumenica esse. Si ad eum statum rerum respicimus, non solum maximi momenti est totum ius ecclesiasticum Russorum in suo systemate adaequate comprehensum, sed canonisticam quoque Russorum litteraturam praeprimis autem hanc eiusdem partem, quae attingit principales iuris canonici quaestiones cognitam habere. Praeprimis autem novissimo hoc tempore ingresso necesse est quam artissimum contactum cum scientia iuris canonici in Russia quaerere. Habito enim prae oculis anno 48⁰, quid nempe ipse valuerit pro libertate ecclesiastica et pro evolutione scientiae iuris canonici in Occidente, sine ulla dubitatione in historia disciplinae et litterarum iuris canonici in Russia duas periodos distinguere audeo: alteram iam praeteritam, quae anno 1905 terminatur quam mihi agendam proposui — alteram ineuntem, quae summa digna attentione est.

II. Historia disciplinae et litterarum iuris ecclesiastici in Russia adumbratur.

Priusquam ad rem ipsam accedamus expositionemque brevem singulorum non quidem omnium, cum hoc facere neque copia sit neque expediat, sed saltem potiorum operum, peropportunum esse videtur plenum indicem litteraturae canonisticae praemittere cum brevi conspectu historico scientiae iuris canonici in Russia.

Usque sub finem s. XVIII. (ad ann. 1776) non est, quod referatur de studio vel de scientia iuris ecclesiastici in Russia. Illo enim anno primum in academia slavo-graeco-latina Moscoviae et anno 1798 in reliquis academiis spiritualibus ius ecclesiasticum doceri coeptum est. Methodus autem docendi et discendi ius ecclesiasticum erat valde elementaria; continebatur enim sola cognitione canonum prout continentur in slavico „corpore iuris ecclesiastici“ Kormčaja (Directorium) habito

respectu ad textum graecum secundum editionem Beveregii. Initio tamen s. XIX. fuit iam quaedam ratio atque ordo in hoc studio. Conspectus enim studiorum rectoris academiae alexandroneviensis Philareti ex a. 1814 haec docenda proponit: 1. scitu necessaria de ecclesia, conciliis et traditione, 2. de hierarchia, 3. hierurgia, 4. oeconomia ecclesiastica, 5. iuridica ecclesiastica.

Denique anno 1835 iam traditur ius ecclesiasticum in facultatibus iuridicis universitatum idque usque ad a. 1863 pro solis auditoribus orthodoxis, abhinc autem et iuxta novum statutum ex a. 1884 institutae sunt cathedrae iuris eccl. omnino separatae et solutae a priore nexu cum theologia ita, ut intime connectantur cum toto complexu disciplinarum facultatis iuridicae.

Satis apparebat fore, ut prospere mutata paulatim condicione studii iuris ecclesiastici in Russia disciplina haec progrederetur. Revera industria literaria saeculo praeterito continuo crescebat; maxime descendente eo saeculo insignes operarios et laboribus magnis laudatos disciplina iuris ecclesiastici nacta est. Necessario autem aderant quidam termini particularibus ecclesiae orthodoxae Russorum usibus positi, intra quos praeprimis labores illi suscipi et in unum conferri oportebat. Liceat nobis breviter saltem hos usus necessarios et hos terminos attingere: spes enim est fore, ut nos hac ratione non solum confusum conceptum de natura maioris partis litteraturae canonisticae in Russia assequamur, sed difficultates quoque copiosas cognoscamus, in quas Russorum canonistae incurrunt, et quas cognitas habere multum iuvare potest; nam eis non cognitis iudicium nostrum saepe, velut de eorum compendiis iuris canonici, iniustitia veritati annexa laboraret.

Breviter res absolvi ita potest: necessitates et limites et difficultates, quas diximus, in eo iniucundo statu rerum positae sunt, qui generat definitionis sui gratia complexum terminum: „quaestio codificationis iuris ecclesiastici“.

Accuratius autem res ita explicatur: codicem suum canonicum acceperunt Slavi meridionales, Rumeni, Rutheni et Russi a Graecis; sicuti autem apud Graecos pro usu ecclesiastico codici canonico addebantur leges a potestate civili latae, ex quo variae redactiones quae vocantur Nomocanonum sunt ortae — ita etiam apud Russos Nomocanoni a Graecis accepto inserebantur variae constitutiones principum, privilegia potissimum ecclesiastico regimini concedentes, et varii tractatus incertae originis spectantes ad disciplinam ecclesiasticam. Inde sicuti apud Graecos variae redactiones Nomocanonum ita apud Russos variae huius „Kormčaja“ redactiones exortae sunt; denique patriarcha totius Russiae Josephus a. 1649. et patriarcha Nikon eiusque synodus a. 1653. typis eam imprimi iusserunt, ex quo „officialis“ codex iuris ecclesiastici Russorum evasit. Non continentur autem in eadem „Kormčaja“ constitutiones principum Russorum, quia ut fundamentum et exemplar editionis assumpta est redactio, quam serbicam dicunt, in qua illae non aderant; multa tamen continentur, quae vel certo non canonicae, sicuti leges byzantinae, vel omnino incertae sunt originis.

In eadem continetur testimonium appulsus disciplinae ecclesiae occidentalis. Caput enim 50. agit de matrimonio et est desumptum ex Rituali P. Mohyla (Mogilae) metropolitae kioviensis (P. I. p. 359—396 ex anno 1646). Cuius capitis in Rituali kioviensi et igitur 50mi capitis in „Kormčaja“ fons est: Rituale romanum Pauli V.: de sacramento matrimonii. Memoratu dignum est, quod, cum dogmatica orthodoxa distinguat inter contractum et sacramentum matrimonii et saltem ex saec. XVIII. Graecorum et Russorum dogmatici sacerdotem causam efficientem matrimonii habeant — disciplina canonica Russorum conformis manet disciplinae et doctrinae ecclesiae occidentalis — idque propter hoc caput in „Kormčaja“.

Hoc unum exemplum sufficit, ut intelligatur, in quo periculo versetur auctoritas huius „officialis“ codicis.

Idem de auctoritate alius fontis disciplinae ecclesiasticae in Russia, de „Nomocanone“ poenitentiali addito ad Euchologium dici debet; multa enim usui huius temporis non respondent, multa sunt immutata novis Synodi decretis.

Praeterea — plurimae procedentibus duobus saeculis per hanc Synodum latae leges non sunt in ordinem adductae ita, ut his omnibus prae oculis habitis facillime intelligi et agnosci debeat, desperatas esse res canonistarum in Russia.

Tamen ipsi rei non desperant sed acriter operam dant. Cuius laboris obiectum primarium est „Kormčaja“.

His praestructis, cum sicuti tota historia iuris antiqui ecclesiae graeceae cum historia Nomocanonum ita etiam historia iuris ecclesiae orthodoxae in Russia cum historia celebris „Kormčaja“ coniunctissima sit, liceat commendare optimum opus: Nomocanon der slavischen morgenländischen Kirche oder die Kormtschaja kniga von Lic. Theol. Dr. iur. Tschedomilj Mitrovits, Wien u. Leipzig 1898. Quod enim hoc opus nihil aliud est quam compilatio ex operibus et laboribus canonistarum Russiae maxime Pavlov'i, ex quo saepissime (non nominato fonte) plena manu haurit — hoc minime impedit, quominus maxima cum utilitate legatur; omnes enim quaestiones, quae sub respectu historico vel canonico circa hoc „Corpus iuris canonici“ Slavorum versantur, ordine systematico optime collectas habet.

Sequitur index literaturae canonisticae in Russia, in quo construendo haec methodus observatur, ut primum locum occupent opera systematica, deinde enumerentur opera insigniorum canonistarum nempe Pavlov, Suvorov, Berdnikov et Zaozerskij, ad extremum ponantur opera secundum relativum valorem in ordinem redigenda.

Opera systematica.

1. Скворцовъ. Записки по церковному законовѣденію. Кіевъ. 1848 (Skvorcov, Praelectiones ex iure ecclesiastico. Kiev, 1848),
2. Архим. Іоаннъ, Опытъ курса церковнаго законовѣденія т. I. Спб., 1851 (Archim. Ioannes, Tentamen cursus disciplinae iuris ecclesiastici t. I. St. Petropol., 1851).

3. Н. К. Соколовъ, Изъ лекцій по церковному праву. Москва, 1875 (N. K. Sokolov, Ex praelectionibus de iure ecclesiastico. Moskva, 1875).
4. А. Альбовъ, Краткій курсъ лекцій по церковному праву. Спб., 1882 (A. Al'bov, Brevis cursus praelectionum ex iure ecclesiastico. St. Petropol., 1882).
5. М. Богословскій, Курсъ общаго церковнаго права. Москва, 1885 (M. Bogoslovskij, Cursus iuris ecclesiastici universalis. Moskva, 1885)
6. П. Лашкаревъ, Право церковное въ его основахъ, видахъ и источникахъ. Кіевъ, 1886 (P. Laškarev, Ius ecclesiasticum in suis principiis, formis et fontibus. Kiev, 1886).
7. И. С. Бердниковъ, Краткій курсъ права православной греко-россійской церкви. Казань, 1888. Дополненіе. Казань, 1889 (I. S. Berdnikov, Brevis cursus iuris orthodoxae graeco-russicae ecclesiae. Kazan', 1888. Complementum. Kazan', 1889).
8. Н. С. Суворовъ, Курсъ церковнаго права т. I.—II. Ярославъ, 1889—90 (N. S. Suvorov, Cursus iuris ecclesiastici. T. I—II. Jaroslav, 1889—90).
9. В. Г. Пѣвцовъ, Церковное право. Спб., 1892 (V. G. Pěvcov, Ius ecclesiasticum. St. Ptpl. 1892).
10. М. А. Остроумовъ, Очеркъ православнаго церковнаго права. Харьковъ, 1893 (M. A. Ostroumov, Adumbratio orthodoxi ecclesiastici iuris. Har'kov 1893).
11. М. Красноженъ, Краткій очеркъ церковнаго права. Юрьевъ, 1900 (M. Krasnožen, Breve compendium iuris ecclesiastici. Jur'ev, 1900).
12. А. С. Павловъ, Курсъ церковнаго права. Посмертное изданіе выполненное подъ наблюденіемъ Громогласова. Сергіевъ Посадъ, 1902 (A. S. Pavlov, Cursus iuris ecclesiastici. Post mortem auctoris editus (iterum) curante Gromoglasov. Sergiev Posad (gub. Moscov.). 1902. — 540 pag. in 4to; emitur 2 rub. 50 kop.).
13. Н. Суворовъ. Учебникъ церковнаго права. Изданіе второе, вновъ переработанное. Москва. 1902 (N. Suvorov, Institutiones iuris ecclesiastici. Editio secunda, omnino retractata et correcta. Moskva, 1902. — 526 pag. in 4to; stat 3 rub.).
14a. И. С. Бердниковъ. Краткій курсъ церковнаго права. Изданіе второе, переработанное, и весьма значительно дополненное. Казань, 1903 (I. S. Berdnikov, Brevis cursus iuris ecclesiastici. Editio secunda, emendata et aucta. Kazan', 1903. — 324 pag. in 4to; stat 1 rub. 30 kop.).
14b. И. С. Бердниковъ. Основныя начала церковнаго права православной церкви. По поводу рецензіи Суворова на »Краткій курсъ«. Казань, 1902 (I. S. Berdnikov, Fundamentalia principia iuris ecclesiastici orthodoxae ecclesiae. Per occasionem factae a Suvorov censurae libri „Brevis cursus". Kazan', 1902. — 400 pag. form. quartanar. emitur 2 rub. Hoc opus coniunctissimum est cum priore).

Haec quattuor ultima opera se invicem complent — si velimus systematis iuris ecclesiae Russicae historiam et praesentem statum cognoscere. Cum a tribus celeberrimis canonistis Russiae conscripta sint et cum in iisdem generum universae quaestiones (iuris ecclesiastici) — praeprimis de supremo subiecto potestatis ecclesiasticae, quam Suvorov auctoritati historiae ecclesiae orthodoxae innixus totam principialiter imperatori vult vindicare, aliis acerrime eum impugnantibus — quamquam non semper aperte (quia nondum aderat a. 1905), tamen satis clare et fuse exponantur et pertractentur, maxima attentione nostra ex parte digna sunt. *Demetrius Jaremko.*

(Materia instituta porro tractabitur.)

Письма католическаго богослова къ православному (Litterae theologi catholici ad orthodoxum). Krakov, editio *I. Smirnov*, typographia O. L. Ančica i komp. 1904; pp. 141., rubl. 0·80.

Eisdem sumptibus, quibus iam aliquot russicae publicationes et versiones orthodoxum Orientem respicientes (Vl. Solov'ev, „Россія и вселенская Церковъ", versio ex originali Franc. 1904.; anonymo auct., „Къ вопросу объ обрусеніи католицизма въ западномъ краѣ", 1898. etc.) prodierunt, editae sunt „Litterae" hae ab anonymo cathol. sacerdote in Russia degente ad orthodoxum theologiae amatorem ante decennium revera scriptae. Tota diversarum quaestionum obiectionumque series non est organico nexu ordinata, prouti hoc eodem fere tempore fecit ex parte orth. A. v. Maltzew, magister theol. et praepositus ecclesiae ad caesar. consulatum russ. Berolini, in opusculo: „Antwort auf die Schrift des hochw. H. Domkapitulars Röhm: Sendschreiben eines katholischen an einen orthodoxen Theologen" und auf die Abhandlung des hochw. H. Konsistorialrates H. Gruber im 5. Hefte des „Pastor bonus" von 1895: Zur Rückkehr vom Schisma", Berlin 1896, Verlag v. Carl Siegismund, sed forma epistolarum (X) est retenta. Iudicia auctoris „Litter.", quae in omnibus et singulis epistolis sequitur, haec statui possunt: 1. unio ecclesiarum est possibilis et expetenda, 2. unioni in fide antecedere debet unio in dilectione et non contra, 3. audiatur et altera pars, polemica disputandi ratio in irenicam transmutanda, maxime aqud orthodoxos, 4. quibus, ut veritas patescat, necesse est libertas preli permittatur. — Praeiudicia et obiectiones contra ecclesiam cathol. prolatas auctor irenice refutare conatur factis praeprimis historicis et analogia ab ipsis orthodoxis adducta — quod argumentum est ad hominem.

I. epist. corrigit nimiam aestimationem slavjanophili Homjakov, et id testimonio cl. Vl. Solov'ev („Національный вопросъ въ Россіи", Spb. Tom. I. 1888, tom. II. 1891.) et testimonio s. Synodi explicantis varios errores Homjakov ex eius impari theologica eruditione. Haec eadem est causa, cur Occidens catholicus polemicos eius tractatus silentio praeterierit quamvis alioqui orthodoxa theologia diligenter recensebatur: (ad Makarii, „Догматическое богословіе" scripsit censuram in Belgia Van der Moeren, De processione Spiritus s., Lovanii 1864; in Italia Card. Franzelin, Examen doctrinae Macarii Bulgakov, Romae, 1876.).

II. epist. Utra ecclesia ab unitate Christi ecclesiae defecerit, orthodoxi non cognoscent nisi data libertate vera dicendi in Russia, ubi hucusque catholicae doctrinae enarratio papismi propagatio habebatur. Docet hoc casus Solov'ev, quem, cum cognitam veritatem catholicam defendere non dubitaret, papistam, iesuitam nihilistam esse deferebant. Ignorantia catholicismi gignit praeiudicia, velut doctrinam ecclesiae catholicae adscriptam: ad bonum finem assequendum omnia media esse licita. Si avocati a propriis personis extendendi essent singuli casus ad omnes, dicendum hoc esset potius de orthodoxis, ubi ipsi patriarchae Constantinopolitani exstiterunt Turcarum proditores in rebus politicis. Testatur hoc Kapterev in libro: „О сношеніяхъ Россіи съ православнымъ Востокомъ въ XVI. и XVII. столѣтіяхъ." Moskva 1882. Praeiudicia igitur deponenda et tunc demum parari potest unio ecclesiarum, prouti iam factum est in concil. II. Lugdunensi et Florentino, licet magis e causis politicis. Imperator potestatem patriarcharum abstulit, imperator ecclesiam orthodoxam a Constantinopoli separavit, imperator potest eam Romae unire.

III. epist. revertitur ad praeiudicatas orthodoxorum eruditorum opiniones de ecclesia cathol., praecipue de iesuitis et de papatu. Odium orthod., quod quemlibet iesuitam putat corporatum diabolum, a protestantibus est receptum et ibi facile explicatur. Nam secta quaevis fanatice odit ecclesiam matrem; ita et in Russia illi, quos „самосожигатели" vocant, fanatico odio contra eccl. orthodox. ducti se ipsos maluerunt comburere, quam ut orthodoxi fierent. (Sapožnikov, „Самосожигатели въ расколѣ." Spb. 1891.) Et quia iesuitae veritatis cathol. propugnatores erant accerrimi, propterea tanto odio a protestantibus habiti sunt. Fanaticus protestantium furor traditus est atheismo Voltairei ex quo orthodoxi etiam odium catholicismi hauserunt. Et in praesentia? Belljarminov in suo stricto quidem compendio universalis historiae (in usum gymnas.) tamen de Joanne XXIII. antipapa nequam fuse enarrat, et reformationis periodum illustrat: ibi episcopus depictus est cum manipulo sacculum efformante. Deridetur igitur catholica indulgentiarum institutio; quamquam „stundista" meliore iure simoniam dicere potest pecuniam a poenitentibus orthodoxis confessario dari solitam. Sola libertas afferet cognitionem veritatis, quae liberat.

IV. epist. Tractatus Levickii, „Памятники Флорентинской уніи 1439. г." („Русскій Паломник" Nro. 8. a. 1893, p. 122.) ab illo orthodoxo quocum commercium litterarum erat, transmissus occasionem dat auctori „Litter." de conc. Florentino scribendi. Fatale est hoc conc. orthodoxis: aut enim ibi ecclesia catholica erravit, aut non. Si erravit, erraverunt et orthodoxi concilio consentientes eiusque dogmata approbantes; si non erravit, orthodoxi tamen erraverunt renuentes dogmata in concilio hoc communiter agnita. Hinc conatus Levickii conc. Florentinum minimi faciendi eo, quod „actum unionis", ut ait, 32 tantum patres orientales subscripserunt, inter quos 16 hierarchae. Sed hi 16 hierarchae efficiunt maiorem partem numeri 20 eorum, quos ecclesia orientals mittere potuit. Nonnulla priora concilia ne a 16 quidem hierarchis catholicis subscripta oecumenica tamen

agnoscuntur. Patriarcha Iosif constantinopolitanus morte praeventus subscribere non poterat, quamvis ipse libentissime Pontificis r. primatum asseruerit. Inter russicos orthodoxos Avraamij Suzdalskij est subscriptus.

Inde transitur ad alia facta historica, de iesuitis et indulgentiis. Quod sublata est societas Iesu a Clemente XIV. (1773) nullum est contra eum ordinem testimonium, quia propter auctoritates civiles evenit. In Russia propterea tot sunt „iesuitophobi", quod illa id agebat, ut ecclesiae coniungerentur; sed idem exoptat intenditque et Vanutelli O. P. („Studio religioso sopra la Russia") et omnes catholici. Optimus modus hac in re procedendi est: 1. Suum quisque iuste defendat, non ut suum, sed ut iustum et 2., reprehendat aliena non quia non sunt sua, sed iustitia ductus. Indulgentias non est verum a Pontificibus esse introductas, a conc. Tridentino autem sublatas. Patres Tridentini abusus tantum amovendos esse statuerunt. Ceterum notio ipsa condonationis poenarum temporalium, notio igitur indulgentiarum, ne orthodoxis quidem insolita est; reperitur in eorum doctrina „о мытарствахъ".

V. epist. respondet auctor ad consuetas obiectiones historicas: „Pontifices diabolici" de quibus Korelin scribit in „Русская Мысль" 1890, Важнѣйшіе моменты въ исторіи средневѣковаго папства", probant tantum ecclesiam liberam esse oportere et primatum esse divinitus institutum. Contra eiusdem Korelini sententiam, inquisitionem a Gregorio IX. P. M. esse introductam, dicit imperatorem Fridericum II. eius auctorem esse allegatque argumentationem Stephani Javorskii („Камень Вѣры", haeretici — lupi rapaces — ergo perdendi). „Orthodoxi non solum crudeliter persequebantur haereticos, sed etiam comburebant" — rogus protopopae Avvakum!

Pontifex romanus non est vicarius Dei, sed vicarius Christi. Si catholicis Pontifices nequam obiciuntur, audiatur N. Kapterev enarrans de orthodoxis patriarchis saec. XVII., quam abominandis modis dignitatem suam sint assecuti. Erant etiam tales patriarchatus candidati, qui cum repulsam tulissent, muhamedani fiebant. (N. Kapterev, „Характеръ отношеній Россіи къ православному Востоку въ XVI. и XVII. столѣтіяхъ. Moskva 1885.)

Imperii pecuniaeque cupiditate magis nova quam vetus Roma ardebat. Simoniaca sacerdotum nominatio in Graecia interdicta est demum XIX. saec., in Serbia ne hucusque quidem: visitantes episcopi serbici tributa a clero exigunt. Nil mirum, tam miserum esse statum cleri in Rumenia et Graecia. („Церковныя Вѣдомости" 1889. Nro. 46.)

VI. epist. Nonnulla dogmata catholica in orthodoxis litteris periodicis ad sensum popularem accommodatis („Душеполезное Чтеніе") non recte explicantur. Infallibilitas Pontificis (непогрѣшимость) non est impeccabilitas (безгрѣшность) uti bene distinguit N. Běljaev, professor academiae theologicae in Kazan' („О католицизмѣ"). Orthodoxa interpretatio Math. XVI, 15—19. — „petram esse Christum" — textui vim infert. De vi primatus optime scripsit Vl. Solov'ev, („La Russie et l'Eglise universelle." Paris 1889); ubi stum Leonem primatum profitentem adducit. Aut igitur huius sancti ut

haeretici nomen ex orthodoxis sanctorum fastis evellendum est aut primatus ab ipsis agnoscendus. Omnibus quidem apostolis potestas solvendi atque ligandi est tradita, sed Petro soli claves — quod signum est primatus. Quae hierarchica ecclesiae constitutio haud postponenda est institutioni S. Synodi cum „procurore“ infelici imperio ecclesiam orthodoxam tenente. (Cfr. Kirěev in „Strannik“, decembr. 1893, pp. 167—168.)

Pontifices admiscent se rebus alterius vitae non aliter ac „moskovskij sobor“ a. 1667. hoc fecit condemnans et mittens „staroobrjadce“ ad animas Iudae, Arii etc. Opposita „novis“ catholicorum dogmatibus „integritas“ doctrinae orthodoxae est reapse defectus vitae in corpore ecclesiae iam XII. saec. perdurans. (Solov'ev.)

VII. epist. redit. ad Math. XVI. 15—19. interpretandum. Ipse liturgicus orthodoxorum liber „Mineja měsjačnaja“, („М. м. для единовѣрцевъ“, Moskva, 1832—33.) ad diem 30. Iunii confirmat sensum loci illius catholicum — agi ibi de primatu. Quomodo ss. Cyrillus et Methodius de Roma senserint ex eo emergit, quod 1. Romam se contulerunt, 2. in ecclesia occidentali sepulti sunt et 3. s. Methodius Romae archiepiscopus creatus est. Quae catholicis obiciuntur, a protestantium theologis saepe desumuntur, prouti hoc factum apud Suškov, „Противъ лжеученія о главенствѣ Церкви“ Iudicium facere sententiamque ferre de Solov'ev, scriptis eius non perlectis, auctoritate solum aliorum fretus non potest, qui infallibitatem r. Pontificis negavit.

VIII. epist. Ut secta »popovcev“ ad orthodoxos, ita veterocatholici ad ecclesiam cathol. Protopresbyter Janyšev (Cfr. Церковн. Вѣст. 1892, p. 446.) dubitat sitne secundum canones facta ordinatio apud Veterocatholicos; inde nascuntur impedimenta exoptatae unionis cum orthodoxis. Mentione dignum est, quod huius unionis causa orthodoxi cum veterocatholicis quaestiones pertractandas aggrediuntur, quas a catholicis ne audire quidem volunt (Filioque, doctrina de ecclesia. — Церковн. Вѣст. 1902, Nro. 31—33.)

IX. epist. probat auctor necessitatem summi magisterii in Ecclesia. Cum de unione russico-bulgarica ageretur, „СПБскія Вѣдомости“ cum patriarcha constantinopolitano Bulgaros dicebant esse haereticos, e contra „Cerkovn. Věst.“ cum maiore orthodoxorum parte eos ut unicos in fide fratres defendebat. Simile quid evenit in causa veterocatholicorum. Veritatem catholicam nullus Pontifex errore infecit — quia Spiritus S. protectione utitur.

X. epist. Ad veritatem cognoscendam lumine supernaturali est opus, quod precibus a Patre luminum expetitur. Prophetica Verba II. capitis Apocalypsis de ecclesiis orientalibus auctor explicat, quibus nostris diebus tertiam Apocalypsis periodum — regenerationis — instare laetus confidit. *Fr. Jemelka.*

„Православный Собесѣдникъ“ 1904. **(Pravoslavnyj Sobesědnik)**. Изданіе Казанской духовной Академіи. Cui operi periodico adornando praeest professor L. Pisarev: editur singulis mensibus; fasciculi uniuscuiusque anni in duos tomos coalescunt.

Ex Alexandri II. mandato maio a. 1855. hoc opus conditum primis tribus annis quater in anno edebatur, donec a. 1858., cum archim. Ioannes Sokolov academiae rector esset, in commentarios menstruos transformatum est. A. 1867. simul cum appendice »Извѣстія по казанской епархіи« edi coepit. Pravoslavnyj Sobesědnik, cui adduntur opera ss. Patrum in Russicum versa, hoc tempore Originis contra Celsum, continet commentationes theologicas, historicas et philosophicas conspectum quoque graviorum eventuum vitae ecclesiasticae et Orientis et Occidentis, et censuras novorum librorum; Academiae denique acta breviter annotantur.

L. Pisarev: Бракъ и дѣвство при свѣтѣ древнехристіанской святоотеческой письменности. De Matrimonio et virginitate quid antiquissimi Patres senserint., I, 87—137, 185—204. Cum ultimis temporibus de matrimonio et caelibatu acriter disputaretur, alii alia in medium proferebant; pars (Rozanov, Remezov) enim Pelagianorum exemplum sequentes matrimonium eiusque partem deteriorem nimis extollunt, caelibatum utpote naturae desideriis et legibus repugnantem reiciunt; alii vero (Tolstoj) Gnosticorum et Manichaeorum vestigia prementes vinculum matrimoniale prorsus repudiant. Pisarev mediam quandam secutus est viam; qui antiquissimorum Patrum hac de re testimonia percenset.

Ut Patrum doctrina cognoscatur spectandum est posuisse eos: Deum esse rerum omnium effectorem, res autem materiales, licet esse bonas, tamen utpote rationis expertes, moraliter indifferentes esse. Patres hanc doctrinam tenentes sicut non existimabant matrimonium esse malum, ita christianam legem defendentes caelibatum commendabant (p. 92 sq.) Sed cum duplicem statum in vita christiana alterum alteri quasi repugnantem viderent, haec omnia conciliare studebant; discidium enim e peccato originali repetentes remedium quod adhiberent ei, v »žizni bračno-dèvstvennoj« invenerunt (p. 94).

Ante peccatum nempe originale cum Deus omnium desideriorum et conatuum quasi quoddam centrum esset, utrum matrimonium capesseret an caelebs maneret homo nihil referebat, at post peccatum res mutata est (p. 95 sq). Sicut enim ante peccatum matrimonium et caelibatus indifferentia erant, ita post peccatum utrumque aliquid proprii accepit (p. 78). Nam homo auctoritate Dei spreta, concupiscentiae, quae omnium peccatorum fundamentum (osnova) et causa est, servituti sese tradidit (p. 99). Quae sicut aliis rebus ita et matrimonio potita ei notam suam impressit. Ante peccatum ut genus humanum propagaretur, inibant matrimonium; peccato commisso concupiscentia explenda voluptasque percipienda accessit (p. 101.) Antea caelibatus superfluus fuit, at tempore hoc, quo homo concupiscentiae subiectus in statu non normali versatur, caelibatus quodam modo necessarius videtur esse.

Quid autem honesti et quid inhonesti Patres in matrimonio esse indicabant? Honesta est, si rem ipsam spectas, officii maritalis functio, verum concupiscentia eiusque effectus mala sunt. Ante baptismum concupiscentia obiective et subiective mala est; obiective, cum naturam in statu non naturali ponat, subiective, cum ipsa peccati originalis libere in capite generis humani commissi reatus sit (p. 105). In baptizatis concupiscentia obiective quidem indifferens est, sed subiective peccatorum causa esse potest (106) Patres, cum viderent cum concubitu concupiscentiam semper coniunctam esse, immo eam solam saepe numero appeti, tamen non ideo illam reprobarunt, dummodo filiorum procreatio non impediatur. At acerrime illam reiciebant, quae extra matrimonium est vel in matrimonio quidem sed contra matrimonii leges (p. 109 sqq).

Vinculum coniugale fide coniugali et caritate necessario ornandum esse Patres docent (p. 113); quae tria si adsunt, matrimonium honestum est (p. 114); quodsi fides vel caritas deficit, velut cum vir

sola mente aliam concupiscit, desinit inter eos matrimonium (p. 115); quapropter uxor tali viro inhoneste (secundum patres?) iungetur (ibidem). Ut igitur matrimonium honestatis finibus contineatur, unius cum una consortium necessarium est (ibid.) et talis coniunctio non naturae solum, psychologicum mysterium, sed et religiosum est (p. 116). Haec patrum matrimonii notio absolutam unius cum una coniunctionem per se postulat; quae tamen in solius cleri usu est (p. 116 sqq); ideo Patres unitatem illam tantum cum adjunctione: usque ad mortem alterius utrius coniugis permanentem exigebant. Coniugium aliud post aliud succedens (recte Graeci) minus bonum ducentes, non admittebant nisi secundum (p. 119). Sola igitur unius e coniugibus morte matrimonium solvi posse Patres docebant idque nec adulterio excepto. »Etim poslědnim položeniem (v slučaě preljubodějanija) opredělјaetsja v svoju očered' vzgljad Avgustina i vsěh voobšče drevnih hristianskih pisatelej a ravno i juredičeskoj praktiki drevnej cerkvi na harakter i uslovija bračnago razvoda« (p. 122) i. e matrimonium ne in adulterii quidem causa solvi. Et in nota: »Po obščemu golosu otcev cerkvi, muž ženy, narušivšej věrnosť bračnomu łožju dolžen, otpustiť ee (dimittere), t. j. lišiť ee bračnago obščenija, (tol'ko bračnago obščenija, a ne soveršenno izgnať iz semi.) (p. 124 sq). Deinde sic concludit: »Takim obrazom praktika sovremennoj cerkovnoj jurisdikcii, dozvoljajuščej vstuplenie v novyj brak nevinovnoj polovině, v drevnih hristianskih vozzrěnijah, — logičnyh s točki zrěnija obščih nravstvenno-dogmatičeskih osnov hristianstva — , soveršenno ne nahodit opravdanija« (p. 125). Omnia autem quae adversarii pro solvendo in adulterii casu matrimonio afferunt ad amorem sui voluptatumque studium referuntur (p. 126). Rationes indissolubilitatis absolutae, quas Patres exponebant, ad has redigit: primum id postulat ipsum foedus matrimoniale uxorisque condicio, deinde bonum morale (p. 127), ad extremum bonum sacramenti eiusque mystica significatio (p. 128 sqq).

Matrimonium igitur secundum ss. Patrum opinionem propagationis hominum via, concupiscentiae remedium et moderamen habendum est, immo secundum eorum doctrinam id, in quod matrimonium tendit, fere idem est ac virginitas vel melius ac primorum generis humani parentum ante peccatum status matrimonii virginalis (p. 185).

Quibus omnibus B. V. Maria cumulata fuit (p. 186); et superflua esset virginitas, si homines divinae gratiae non dessent, (ibid.); at prohdolor in matrimonio homines in usu non habent id, ut quaecumque agunt, omnia ad Deum referant (p. 187 sqq). Ipsa virginitas atque caelibatus minime solá ἀγαμία, quae apud gentiles quoque et Judaeos locum habebat, contineatur oportet, sed matrimonii exsortes in Deum quasi transformari (deificari) debent, ideoque non sola corporis integritas servanda est, sed ut ad Deum omnia quae aguntur referri possint, peculiari quoque voto corpus Deo consecrandum est (p. 189 sqq).

Verum cum in virginali statu dimicationes minime desint, solum consulitur, non praecipitur (p. 192), immo fieri potest ut necessarium sit matrimonium quo saluti aeternae provideatur. Notandum tamen est Patres virginitatem matrimonio non ut rem sacram rei non sacrae, sed ut rem meliorem rei deteriori praetulisse (p. 196 sq).

Itaque matrimonium et virginitas diversa ratione concupiscentiae remedia sunt; haec et illud concupiscentiae moderantur, haec et illud ad perfectionem christianam ducunt, haec quidem velocius, illud gradatim (p. 200 sqq).

N. Pisarev: Московскія Кремлевскія палаты всероссійскихъ патріарховъ. I, 25—72. Interna Patriarchalium aedium constructio describitur.

N. Pisarev: Историческія причины домашне-бытоваго уклада жизни всероссійскихъ патріарховъ, I, 356—370. — Cum inter historiae causas etiam archaeologiae doctrina sit, Pisarev, qui „Домашный бытъ русскихъ патріарховъ" conscripsit, de externa patriarcharum ab aliis differentia

inquirit. Patriarchas russicos opibus magnaque pompa enituisse nemini huius temporis historiae perito ignotum esse potest. Cuius rei excusationes, patriarchae enim utpote clerico alioqui haec licita non erant, hae allegantur: patriarcham secundum fuisse a rege in imperio, immo p. Philaretum et Niconem quasi regem alterum fuisse (p. 360); — deinde divitias cogitationem tertiae Romae commendasse (p. 364 ; — tum temporis consuetudinem in causa fuisse, cuius erat certae hominis conditioni certam pompam adiungere (p. 360); — denique Occidentis mores saec. XVII. non parum ad id contulisse (p. 368 sq).

N. Pisarev: Обрядъ комнатной и выходной жизни всероссійскихъ патріарховъ. II, 1–96. Idem scriptor late idque documentis innixus, quam vitam patriarchae russici gesserint, enarrat.

P. Ponomarev: Къ вопросу о значеніи агіологіи какъ источника для ученія о благодати Божіей и свободѣ воли человѣческой. I, 138—157. Licet historici Sanctorum Vitas ad suum propositum adhibeant, dogmatici tamen id negligunt idque iniuria, cum multum fructum e sanctorum vitis capere possint. Maxime vero in quaestione de gratia et libertate sanctorum vitae dignae sunt, quae pervolvantur (p. 138). Etenim vera hagiologia versatur in sanctitatis virtutisque adeptione; — adeptio vero ipsa duplici perficitur elemento, divino et humano, gratia et libertate: hagiologia igitur vivida quodammodo quaestionis de gratia et libertate expressio merito haberi potest. Tamen theologi de hac quaestione agentes, argumenta sua e scriptura et traditione depromere, Sanctorum Vitas omittere solent (p. 139).

Quae ut argumento confirmet, vitam s. Antonii a s. Athanasio conscriptam explicat et enodat (p. 140 sqq). In duobus tamen, ut videtur, auctor erravit. Primum e Sanctorum Vitis nequaquam argumenta de gratiae exsistentia saltem talia, quae nihil dubii relinquant, hauriri possunt — quamquam consentiendum ei est e Vitis Sanctorum de libertate et supposita gratiae exsistentia de gratiae influxu eiusque proprietatibus vera argumenta sumi posse. Deinde non de omnibus Sanctorum Vitis, sed solum de editis ad criticam rationem, ut finis intentus obtineatur, sermo esse potest. In ceteris applaudendum est auctori.

P. Jungerov: 1. Положительныя доказательства подлинности Пятокнижія (Positiva authentiae Pentateuchi argumenta) I., 299—317, 499—509, 645—653. 2. Единство, систематичность и историческій характеръ Пятокнижія (Unitas, constructio et historicus character Pentateuchi.) I., 852—867.

In duabus nominatis commentationibus res inter eos, qui christiani nomen se gerere gloriantur, maxime agitata tacta est: Pentateuchi authentia. In priore argumenta Pentateuchi authentiam comprobantia in medium proferuntur. Primum argumenta externa exponit: ex N. T. (p. 299 sq.), ex aliis libris libris V. T. p. 303 sqq), ex deuterocanonicis (p. 316); ex testimoniis profanorum scriptorum (p. 316); ex Talmud (p. 316); ex sectarum Judaeorum consensu (p 317).

Deinde adducuntur argumenta interna; ex ipsius Pentateuchi testimoniis (p. 301); ex Pentateuchi natura et contextu (p. 499): desertum nimirum Pentateuchus spirat (p. 500 sq); Pentateuchi auctor accuratam rerum aegypticarum notitiam habet (p. 501 sqq), et auctor et personae, quae describuntur a Palestina distant (p 504 sq); authentiam quoque: »harakter i sposob izloženija v nem zakonov, — harakter hronologičeski — lětopisnyj, a ne sistematičeskij« (p. 505 sq) commendat; Pentateuchi auctor testis et spectatoris personam fert (p. 507); in fine argumentum ex linguae Pentateuchi condicione exponitur (508).

Tum Deuteronomium Moysi vindicatur. Ad quod comprobandum haec afferuntur argumenta: 1. Deuteron. I. v. 3., 2 historica (p. 647), legalis (p. 649 sqq) et prophetica (Deut. c. 28—33) (p. 652 sq.) Deuteronomii pars nisi praecedentibus libris positis intelligi non potest.

In secunda commentatione de unitate et historico charactere Pentateuchi agitur. Unitatem Genesis ex illa decies repetita formula:

»elle tolledot« (p 852 sqq.), totius vero Pentateuchi ex analysi ipsius a Cornely sumpta (p. 855 sq.), ex accurata ordinis chronologici per totum opus observatione et unitate (p. 856) et ex ideae theologicae (salutis humanae eiusque sub speciali providentia Dei) unitate (p. 857 sqq.) repetit. Historicam vero Pentateuchi indolem comprobat primum iisdem argumentis quibus Pentateuchus Moysi vindicatur, deinde et eo, quod Moyses earum rerum, de quibus scripsit, testis et spectator fuit (p. 862); tum ex modo, quo Pentateuchus compositus est: ieiune enim fluit narratio, etiam erga gentes iustus est, immo Iudaeorum bene et male gesta sincere revelat (p. 864 sqq.). Quodsi maior difficultas quoad Genesim oritur, illam eo removet quod dicit et scriptorem etiam hic fidem mereri, cum in aliis quattuor libris non fallat, et multa in Genesi narrata documentis aliunde sumptis comprobari (p. 862 sq.).

Uno verbo auctor argumenta, quae theologi catholici in amplioribus introductionibus et Commentariis tradunt, collegit eaque apte composita pulchre digessit. Nonnullas quoque animadversiones aptas in commentationibus adesse nemo negabit. Praeterea id quoque auctori laudi erit, quod auctores quoque catholicos simul cum orthodoxis Protestantibus aspicere non neglexit Excepta unica re, quod auctor libros deuterocanonicos pro non canonicis habet (p. 316), theologus catholicus omnia auctoris iudicia sequi potest.

P. Ponomarev: Изъ исторіи св. преданія (historia s. traditionis): 1. Ученіе о св. Преданіи св. Василія Великаго, I, p. 267—278, 318—338; 2. Ученіе о св. Преданіи св. Григорія Нисского, II, 97—130; 3. Ученіе о св. преданіи св. Григорія Богослова, II, 363—376; 4. Ученіе о св. преданіи св. Іоанна Златоустаго и пр. Ефрема Сирина, II, 745—755; 5. Ученіе о св. преданіи св. Енифанія, еп. Кипрскаго, II, 957—987. In enumeratis articulis Ponomarev suum de ss. Patrum saeculi IVi traditione studium prosequitur (cf. Prav. Sobeseď. febr. 1903). Omissis iis, quae omnibus Patribus communia sunt, scilicet traditioni auctoritatem divinam competere et traditionem aequalis iuris esse ac s. Scripturam, omissis quoque iis, quae Patribus praecipue priorum saeculorum communia sunt, traditionem etiam in rebus moralibus et disciplinaribus licet minorem atque in dogmatibus habere vim, omissis iis itaque omnibus, quae auctor variis textibus e ss. Patribus depromptis fuse tradit, ea, quae singulorum Patrum secundum Ponomarev propria sunt, enarrabimus.

S. Basilius M. in casibus, in quibus de traditione certo constat, ad ipsam provocat, in casibus autem dubiis, ut traditio usui esse possit, multorum episcoporum synodum consulit (I, p. 321). Licet autem s. Basilius de traditionis notione deque eius ad s. Scripturam relatione eadem ac Patres priores tradat, sua tamen ad traditionem expoliendam addidit. Itaque *a*) secundum s. Basilium Patrum traditio apostolica regula est (I. p. 325); *b*) traditio in rebus dogmaticis immutabilis est, in aliis vero mutationem subire potest, — in rebus disciplinaribus canon scriptus consuetudine firmior est, sunt tamen casus, in quibus canon consuetudini cedit (p. 325 sq.); *c*) denique s. Basilius, quid Eunomiani de traditione tenuerint, docet (p. 327 sq.). Etsi s. Basilius variis locis de variis traditionis obiectis loquatur, nihil tamen expricite de ss. Scripturae divina auctoritate habet (I. p. 337).

Multorum opinio fert s. Gregorium Nyssenum vim rationis in maius extollere eique fere parem traditioni auctoritatem tribuere; sed secundum Ponomarev immerito Nyssenus arguitur, quippe qui solum confirmare rationem dogmata tradat (II. p. 98). Rationem, cur traditioni tanta competat auctoritas, s. Gregorius N. in eo ponit, quod »Predanie propověduet božestvennoe učenie, zapečatannoe harakterom bogoduhnovennosti, i, poetomu, hotja ono soobščaetsja ljudmi, no dolžno byt' priznavaemo, kak slovo Božie« (II. p. 100). Haeresim vero

s. Gregorius convenienter fidei, quae ab universa ecclesia tenetur, corruptionem dicit (II. p. 105).

Idem inter s. Scripturam et traditionem relationes adesse dicit has: *a*) identitatem esse doctrinae, quae seorsim a s. Scriptura et a traditione proponitur, *b*) s. scripturam fundamentum et iudicem traditionis esse, denique *c*) e converso traditionem esse quasi paedagogum in intelligenda Scripturà (II, p. 116). Melius quam s. Basilius idem s. Gregorius quaestionem quoque de formulis dogmaticis intellexit: docet terminos a conciliis oecumenicis sanctos prorsus immutabiles esse, terminos particulari loco adhibitos, dummodo res ipsa orthodoxa maneat, mutationem subire posse (p. 118 sq.). E contra s. Basilius infideles edocens se variis terminis, dummodo veritatem ne negent, uti posse existimat et solum fidelibus doctrinam christianam tradens se a formula semel sancta sub nullo praetextu recedere posse credit (p. 120 sqq.).

Itaque s. Gregorius propria habet haec: *a*) licet dogmata argumentis e ratione petitis comprobet, traditioni tamen auctoritatem divinam nequaquam denegat; *b*) de traditione loquens, traditionem et apostolicam et proprie patristicam intelligit; *c*) traditio proprie patristica duplici constat elemento: dogmatico et disciplinari; – ad dogmaticum novos terminos adhibere pertinet; *d*) ad veritatem conservandam et dogmatum et terminorum biblicorum vel a conciliis oecumenicis approbatorum immutabilitatem esse necessariam tenet (II, p, 130).

S. Basilius vero s. Athanasium: *a*) repetendo comprobat et *b*) in nonnullis clariorem reddit vel supplet: ipse enim primus ad traditionem proprie patristicam solam novorum terminorum propositionem pertinere edixit; *c*) Denique Basilius Patribus esse potestatem non solum novos canones edendi sed et veteres, si necessitas cogat, permutandi, clare docuit (I, p. 338)

S. Gregorius Nazianzenus ad traditionem et scriptam et non scriptam provocat (II. p. 365 sqq.) et traditionis testibus praecipue ecclesiae antistites adnumerat (II, p. 367). Traditionem autem Nazianzenus vult esse antiquam et a principalibus ecclesiis approbatam (II. p. 368 sq.). Li et igitur Nazianzenus breviter de traditionis proprietatibus tractet, ipsam tamen traditionem cum illam τὸ ἄγραφον appellet clare proponit.

S. Chrysostomus et Ephraemus (Afrem) cum s scripturae potissimum operam dederint, non tantum quantum alii Patres de traditione habent; — tamen eandem ac scripturae auctoritatem traditioni attribuunt. Quod traditionis obiectum attinet, universalia solum tradunt, fidem etenim et caritatem tantum nominant (II, p. 748). S. Ephraemus id quoque proprium habet, quod eadem in linea cum scriptura doctrinam et vitam ss. Patrum ponat (p. 749): hoc tamen cum discrimine quod ad vitam Patrum diiudicandam etiam s. Scripturam in auxilium vocandam esse vult (II, p. 755).

S. Epiphanius variam distinguit traditionem: gentilium, Veteris Testamenti, iudaicam, samaritanam et christianam; non omnibus tamen veritatem inesse dicit (II., p. 962). »Esli predanie javno protivorěčit duhu Pisanija — Epiphanij prjamo nazyvaet ego, bez sootnošenija s Pisaniem, ložnym; esli naoborot predanie s razu svidětel'stvuet so svoej vozvyšennoj mysli, o soglasii s Pisaniem, — on takže, bez snesenija s Pisaniem, priznaet ego istinnym« (II, p. 962). (Si traditio aperte s. Scripturae spiritui contradicit, Ep. illam sine ulla ad scripturam relatione, reicit, sin traditio prima fronte scripturae concordat, illam statim admittit). Traditionis testes ecclesiarum episcopos esse Epiphanius iudicat, (II, p. 915); quae tamen traditio antiqua et principalium ecclesiarum auctoritate approbata sit oportet (II, p. 971). — Cum de s. Ephanio Ponomarev agit, de symbolo quoque quod Si Epiphanii vocatur quaedam commemorat (II, p. 976 sqq.). —

In fine analysim de ss Patrum saeculi IVi traditione reducit ad capita haec:

a) Omnes recensiti scriptores apostolicam traditionem ecclesiasticam cum in epistolis, apologiis tum in directis testimoniis, inter quae eminent s. Basilii, de Spiritu Sancto et s. Epiphanii ‚Adversus Apostolicos', admittunt et auctoritatem divinam ei tribuunt (II, p. 985).

b) Traditionem duplicem distinguunt: apostolicam et proprie patristicam.

c) De evolvenda traditione proprie patristica optime s. Athanasius meruit.

d) Proprie patristica traditio intelliguntur illa dicta ss. Patrum, quae apostolorum tempore posteriora sunt.

e) In rebus dogmaticis (— alia omittimus —) traditio proprie patristica solum novos terminos proponere potest.

f) Prima de traditione proprie patristica elementa si de dogmatibus agitur, iam apud s. Dionysium Alex., si de disciplina quaeritur, iam apud s. Cyprianum et apud eundem Dionysium, inveniuntur.

g) Cum multarum particularium ecclesiarum nominati scriptores antistites sint, eo ipso de traditionis non solum apostolicae sed et proprie patristicae testes sunt. (II, p. 986 sq.).

P. Ponomarev: Ученіе св. Іоанна Златоустаго объ Евхаристіи. (По поводу этюда пров. Мишо: »св. Іоаннъ Златоустъ и евхаристія«. Revue internationale de theologie, 1903 Nr. 41. Prof. Dr. E. Michaud. Saint Jean Chrysostome et l'eucharistie. P. 93—111) I, 510–528, 654—673. — Prof. Michaud opinatur s. Chrysostomum neque de corporis Christi corporali in Eucharistia exsistentia, neque de reali Christi per fideles sumptione neque de transsubstantione quidquam scivisse, sed solum spiritualem Christi in Eucharistia manducationem docuisse (p. 510). Ponomarev commentationem dictam censurae subicit ostenditque Michaud ex multis s. Chrysostomi operibus, quibus usus est, solum ea, quae eius opinioni favere videntur, elegisse (cf. p. 517, 519, 657, 520), alios vero textus non accurate adduxisse (cf. p. 523, 524) neque ad contextum attendisse (cf. 524, 526). Magnam auctoritatem epistolae, ad Caesarium monachum, quam protestantium iudicio innixus s. Chrysostomi esse putat, tribuit: at perperam; illa enim tota solum in Latinum versa ad nos pervenit, graece tantum nonnulla fragmenta, ideoque critice legenda est; accedit, quod rationes internae eam s. Chrysostomi non esse suadent (p. 658 sqq.). Deinde Michaud hisce s. Chrysostomi operibus quae tamen de Eucharistia agunt non est usus: 1. De proditione Iudae, 2. de coemeterio et cruce et hom. 46 in Joannem (p. 665 sqq.). Argumentum eiusdem Michaud, s. Chrysostomum oratorem esse neque litterate esse intelligendum, Ponomarev contra Michaud retorquet — docens ne Michaud quidem si ita res est, e s. Chrysostomo opinionem suam probare posse (p. 513).

Praeterea Michaud hoc advertere vel distinguere noluit: duplex elementum apud Chrysostomum inveniri; »sv. otec izlagaet odnovremenno ponjatija i o suščnosti predmeta i o tom nravstennom priloženii, kakoe možno vyvesti iz traktuemago predmeta« (s. Pater simul et de re ipsa agit et ad sensum moralem attendit) (p. 516.). *M. H.*

Novyj Put'. (Nova via). Annus secundus, 1904. Opus periodicum, cuius fasciculi singulis mensis emittuntur, cuique edendo praeest Percov.

Opus hoc sane ingens est. Fasciculus primus 231 paginas complectitur, secundus 286: in genere quivis fasciculus 270 circiter paginas, totum igitur opus in tres tomos divisum paginas 3240. Cuiusvis fasciculi pars litteris elegantioribus destinata est.

Inter scriptores, qui ad id conferunt, notissimus est D. C. Merežkovskij, qui ingenio quidem praeditus est haud mediocri,

sed viam ingressus est, quae ecclesiae russicae funestissima evaderet, si ei probaretur. Cf. hic p. 138–9 (580). In parte litterarum elegantiorum tractantur sublimia, obscura, mystica genere scribendi magnifico, elaborato, a vulgari abhorrente. Caecum catholici nominis horrorem non invenimus; omnia potius ad reformandam ecclesiam russicam referuntur. In philosophicis mens Rozanovii videtur spirare, qui idealis quidam pantheista est eiusdem rationis ac Merežkovskij; Vvedenskij vocat eum Nietzsche Russorum.

Plurimum valere videtur hoc opus »nova via« i. e. nova ratione, qua maxime quaestiones litterariae, sociales, religiosae tractantur. Est modus subiectivae auctoritatis et libertatis nostrae »modernae« quam vocant proprius.

Saltem aliquot commentationum mentionem facere libet, quarum tituli aliquo modo significant, qua de re agatur: Ex rerum suarum commentariis — omnino privatis — Dostojevskii scriptoris — notae pessimisticae. — Ivanov, De religione graeca patientis dei (dei, qui patitur dolores vel mortem etc.). — Rozanov, Psychica et modus vivendi (byt) studiosorum. Amoene potius quam ratione et via describuntur quaedam ex vita civium academicorum; res est quaedam apologia eorum; ea, de quibus agitur, revera tristia sunt, sed in luce ideali ponuntur. — Lundberg, De peccato non laborandi. — Vengerov, De mystica atheismi. — Minskij, De iustitia et veritate. Veritas est iuridica et socialis et respicit me et alterum; veritas habet aliquid mystici et respicit principia vitae, mundum, animam. — Bobrinskij, Pathos vitae (amor). — Verner, Evangelia et Germanorum liberior critica. Agitur de vita Jesu Christi a Strauss conscripta, quem ad eadem fere devenisse dicit, ad quae Tolstoj. Uterque diiudicatur secundum historicum fidei progressum. — Novgorodcev, De philosophicis notionibus nostri temporis. — Bulgakov, Čehov ut philosophus. — Tugen-Baranovskij, Ruinae capitalismi. — Jasnopol'skij, Quaestio »agrarica« in Russia. — Vodovozov, De iure suffragii omnibus concedendo.

Magnopere tenent legentium animos res theologicae, sociales, omnesque, quae ad hoc tempus pertinent, de quibus in hoc opere refertur. Tractantur enim magno studio et multa cum libertate. Iuvat nos videre quaestiones, apud nos iam diu expeditas et confectas, in Russia orientes et deliberationi incertae subiectas. *F. Žák.*

Preobraženskij J. V., **Cerkovnaja reforma (Reformatio ecclesiastica).** Expositiones in laicalibus et ecclesiasticis foliis contentae de quaestione reformationis. A. 1905. IV.+580+IV. Petropolis. Pretium 3·5 R.

Ratio huius collectionis est colligere omnia, quae de reformatione ecclesiastica in Russia scripta sint, ita ut quilibet ipse independenter a tendentiosis praesumptionibus sibi efformare possit iudicium de connatibus et quaestionibus, quibus ecclesia orthodoxa volvitur. Ideo collecta et impressa sunt omnia, quae de eis agunt, etiam extremae opiniones, obiective et sine praeiudicio. Omnia, quae mensibus Martio, Aprili et Maio, ubi quaestio furiose agebatur, scripta sunt in hac re, in libro inveniuntur. Omissa tantummodo ea, quae nullius momenti sunt. Systema est chronologicum, ita ut ex libro videri possit, quomodo quaestio reformationis exorta sit, et quo cursu progrediatur. Adductae sunt sententiae ex tota Russia, ne asiaticis quidem omissis. In fine adiungitur index, quo facile quisque invenire potest auctorem et res ab eo tractatas.

Ita fere legitur in prooemio, sed pro dolor! si articuli ipsi magis inspiciuntur, idealis illa indifferentia, qua auctor se iactat, evanescit. Collectio facta est non sine ira et studio. Typis mandata sunt ex „Peterb. Listok" fere omnia, quae nullius momenti sunt: alia multa omissa. Ita Mosk. Věd. n. 81, Rus. Dělo n. 12 et 15, Nov. Vremja de die 29. Martii, Rus. Věd. ad Mosk. V. 81, Pravo n. 15, et alia magni momenti omissa sunt, ita ut ex publicatione cognosci nequeat plena motio, quae in ecclesia russica sentitur (Ita ipse Cerk. Věst. n. 40 p. 1267). Tendentia redactoris videtur esse voluntas demonstrandi, ecclesiam russicam non necessitatem habere reformationis sed florescere (vide p. 376 s.), defendendi omnia, quae a tempore Petri M. facta sunt.

Reforma, de qua in Russia agitur, usque ad radices vitae ecclesiasticae descendit, immo inveniuntur auctores, quorum tendentiae ideas socialisticas attingunt. Reformatio, quam omnes putant necessariam, respicit educationem cleri. Sunt, qui velint concilium generale totius ecclesiae. Adversarii iterum revocant ad opinionem Filareti, concilium impossibile esse ad schisma occlesiae catholicae, quae deberet esse repraesentata. Sunt, qui velint tale concilium convocatum ex episcopis, presbyteris et laicis, provocantes ad verba s. Pauli in actibus; adversarii bene hunc conatum ut falsum refutant. Sunt, qui velint, ut eligatur patriarcha, sed s. synodus se opponit, ut patet. Multum tractatur quaestio de matrimonio, libertate conscientiae, independentia ecclesiae a byrocratia, ritu, cuius abbreviatio desideratur, multaeque aliae quaestiones. In opinionibus reformatoriis inveniuntur etiam multa catholica, multa radicalia.

Ex libro tota illa motio, qua ecclesia russica volvitur, cognosci haud potest.

Письма и донесенія іезуитовъ о Россіи конца XVII. и начала XVIII. вѣка. СПрб. 1904. **Litterae secretae Iesuitarum, qui in Russia, Petro Primo regnante, fuerunt.** (De eadem re porro agitur) *).

Sincerum fautorem simulque magnum benefactorem invenerunt missionarii in persona generalis Petri Gordon, natione Scoti qui catholicam religionem, in qua natus fuerat, fidelissime servavit. Praetér alia beneficia acceperunt ab eo sat magnam bibliothecam, quam „pretiosum nobis et valde opportunum thesaurum" appellant. Huic praestantissimo viro graviter aegrotanti P. Aemiliani usque ad extremum adfuit († 29. Nov. 1699), idque etiam in praesentia caesaris, qui ge-

*) Doctissimus P. Pierling S. J. communicavit nobiscum emendationes haud exigui momenti ad primam nostrae relationis partem. Scripsit nobis: „Permettez moi de vous faire remarquer, que les ambassadeurs autrichiens s'appelaient Zierowsky de Zierowi et Blumberg. L'expulsion des Jésuites de Moscou a eu lieu en 1689. Le P. de Boye est mort le 3. Nov. 1685. Le „quidam diaconus Petrus" est Pierre Артемьевъ, dont Nikolski a écrit la biographie dans le Православное Обозрѣніе d'aprés le n⁰ 393 de la Bibliothèque synodale de Pétersbourg. Dans mon IV. volume toute cette histoire sera refaîte".

neralem invisit. „Sub meridie“ — ipsius sunt verba — „aderat czar, dumque me videret adstantem, interrogavit: ‚estne hic tuus medicus?‘ Reposuit dominus generalis: ‚Ita, serenissime! De facto mihi corporales medici non prosunt; unicum habeo solatium medicum animae meae‘. Super quod serenissimus reposuit: ‚dobro, batzka, niemozesch lutschi gielat‘ (‚optime, mi patercule, non potes melius facere‘)“ Paulo ante mortem commendavit generalis Gordon czaro communitatem catholicam, cui reposuit czar: „ne bogis, batzka!“ („Non timeas, patercule“). (Pag. 227, 246.).

De czaro missionarii iterum ac saepius sententiam suam aperiunt. Haud ab re duximus verba ipsorum proferre: „Dicant de czaro quidquid velint, certum est, quod in eo talenta sint eximia . . . esset insignissimus princeps et nostrae parti faventissimus, si non venenosi tam multi eum circumstarent, qui bonum nostrum omnimode impediunt“. (Pag. 249). „Curiositates czarus quidem amat, sed eas praecise, quae bellum et igniaria concernunt, de reliquis licet valde ingeniosis non curat de facto. Prius valde favorabilem se exhibuit partibus catholicis, antequam e terra hac discederet ad visitandas regiones; post reditum vero nec beneficia nec maleficia ab eo accepimus, redivit enim cum ingenti adversus sacerdotes catholicos, maxime Iesuitas disgustu, in hac a Le-Forte fixus opinione, quod illi causa sint conclusae pacis. Ita sive sit bellum, sive pax non accepta, fecerunt — Iesuitae. Gliscit de facto in corde eius scintilla aestimationis sacrorum nostrorum: an vero vera sit, an praecise ficta, sat penetrare non possumus: scimus enim gentem hanc nil attendere, nisi suam utilitatem“. (Pag. 242—243). „Et quantum quidem concernit serenissimum, nil sollicitarer, quia nimis manifeste quoad religionem pluris nos facit quam caeteros, sed quia circa illum sunt multi susurones fidei nostrae inimicissimi. . . .“ (Pag. 248), „Quando interfuit administrationi sacramentorum, semper postea suis ostendebat, non esse substantialem diversitatem, et dum sacro interesset nostro, toto tempore bojarinis explicabat, quid hoc, quid illud; ad elevationem vero utramque tacebat et submisse more orientalium adorabat publice“. (273).

Affectus plebis missionariis utilior erat, quam affectus magnatum, qui omni tempore dubio fortunae expositi erant, cum czarus plene omnes in suspicione infidelitatis habuerit (pag. 235). Affectum populi lucrabantur mansuetudine et magna patientia, supportando invicto animo insulsos illorum mores, nullumque, quocumque tempore accedat, repellendo. Multum etiam fecit elargitio eleemosynarum nec non distributio medicamentorum pro infirmis (pag. 235). „Mallem“ — scripsit missionarius — „aqua et pane vitam tolerare, quam non succurrere. Incredibile enim, quanta per hoc bona fiant et quanta pro futura disponantur“ (pag. 245). (Reliqua deinceps persequemur.)

SERBICA.

Bogoslovski Glasnik 1905. t. I. (VII.) nr. 6; t. II. (VIII.) nr. 1—3.

Elucubrationes pleraeque iam superius (Slav. litt. th. 212—13) commemoratae continuantur. Inter recensiones graviora quaedam inveniuntur:

Pg. 463—465. (t. I., nr. 6). R. M. Grujić opus: Giovanni Marković, Gli Slavi ed i Papi (Zagreb 1897) recenset. Opus ut egregium et sat „obiectivum" laudatur. Quod Marković de nonnullis eventibus eccl.-historicis in Serbia perperam iudicaverit, hoc eum non mala intentione fecisse ex tota operis indole manifestum esse, etsi unionem ecclesiarum intendat; hos errores (quinam sint, R. M. Grujić non indicavit) maxima ex parte inde esse exortos, quod auctor recentissima opera historica serbica non perlustraverit. Nihilominus auctorem omnia magna cum eruditione conscripsisse, eiusque opus etiam doctis historicis serbicis magnam utilitatem praebere posse.

Idem R. M. Grujić, pg. 191—196 (II., 3) opus: N. Nilles, Symbolae ad illustrandam Historiam Eccl. Orientalis in Terris coronae S. Stephani — (Oeniponte 1885) recenset, quod opus recensenti ex opere supralaudato (Marković) demum innotuit. Hoc in opere documenta valde pretiosa collecta esse rec. fatetur. Ad pg. 182—393 recensens adnotat a Nilles Athanasium I. Angelu falso „apostolorum Rumenorum (Valachorum)" appellari, cum ex ipsis documentis (pg. 259—272) aliud appareat. Quoad historiam unionis ecclesiasticae inter Serbos rec. conqueritur, nonnulla falso explicata vel omissa esse (e. g. conscriptionem a. 1732, quae ostendit toto in „generalatu" Varaždinensi neminem esse „unitum"); tamen hac in materia rec. apud Nilles plurima pretiosa omnino nova ac scitu digna invenit.

Pg. 199—200 (II., 3) „Slavorum litterae theologicae" memorantur. Finis et ratio operis laudatur atque approbatur. Explicato operis proposito, argumentum eorum praesertim, quae inter „Serbica" referuntur indicatur; in fine redigentibus folii nostri consentiens rec. exclamat: „Deus opus hoc approbet!" *G. R.*

SLOVENICA.

„Katoliški Obzornik" 1905. nr. 3—4.

Dr. I. E. Krek, Zakon v Avstriji (De matrimonio in Austria). 217—236. F. Terseglav, Pravi in nepravi monizem (De monismo vero et falso). 321—329. — Unitatem philosophiae christianae opponit sic dicto „monismo" philosophiae „materialismi".

Dr. I. E. Krek, Moderna veda in religijsko vprašanje (De scientiae modernae relatione ad quaestionem religiosam). 373—389.

Dr. J. Gruden, K glagolskemu vprašanju (Ad quaestionem glagoliticam). 390—396. — Libro dris V. Vondrák, „Frisinské památky, jich vznik a význam v slovanském písemnictví". Pr. 1903 innixus doctus prof. Gruden ostendit sic dicta slovenica (sensu stricto) „monumenta Frisingensia" [Freisingen in Bavaria] (e saec. X.) [Brižinski odlomki] elaborata esse a missionariis germanicis iuxta textus glagoliticos pro populo slovenico, cui lingua slavica liturgica a SS. Cyrillo et Methodio introducta ut nota supponitur; „slovenismi" horum fragmentorum ostendunt, linguam sive potius dialectum slovenicam carinthiacam missionariis non fuisse ignotam, nihilominus ipsos textibus ecclesiastico-slavicis usos linguamque eorum imitatos esse. Quae clarissime demonstrant, Slovenos (sensu stricto — Slavos meridionales occidentales) a hereditate ss. Cyrilli et Methodii non fuisse exclusos; et monumenta glagolitica in Carniolia saec. XIII., XIV. et XV. non casu in Carnioliam pervenisse, sed potius monumentorum usque ad aetatem ss. Cyrilli et Methodii continuationem asserendam esse. Litteratura slovenica igitur non tempore reformationis demum exorta est, sed iam inde a tempore ss. Cyrilli et Methodii vivebat et per litteras glagoliticas in Croatia et Dalmatia vulgatas alebatur; reformatio e contra hanc traditionem veterem interrupit.

Voditelj v bogoslovnih vedah 1905. nr. 4.

F. Kovačič, Anicij Boetij in njegovo modroslovje (De Anicio Boëthio eiusque philosophia) 373—392 (pars reliqua). — Praemissis criticis notitiis de scriptis Boëthii, prof. Kovačič accuratius in Boëthii opus

celeberrimus „Consolatio Philosophiae“ inquirit (pg. 136 sq.), eiusque analysim exegetico-criticam proponit (pg. 272—298; 373 sqq.). Etsi Boëthius — ita concludit auctor — novum systema aliquod philosophicum non exstruxit, tamen opera eius, praesertim „Consolatio philosophiae vere sunt hortus, ubi pulcherrimi flores philosophiae graeco-romanae collecti sunt; Boëthius columnis „philosophiae perennis“ quae vocatur adnumerari potest, quae philosophia in mundo aspectabili imaginem mundi invisibilis considerat‘ (391—392).

A. Čižek, O ekstazi (De exstasi). 392—405. — Valde accurate omni ex parte in rem inquirit ei litteraturam abundanter allegat.

J. Kavčič, Osebna simbolika v službi božji stare zaveze (De symbolica personali in cultu divino V. F.). 405—411.

F. K(ovačič), Temeljna načela Tomaževe ekonomije v moderni dobi (Principia fundamentalia oeconomiae s. Thomae temporibus nostris). 411—426. — Principia fundamentalia s. Thomae etiam pro hoc tempore vim suam retinuerunt; ipsa clare ostendunt spiritum philosophiae christianae non esse spiritum „passivitatis“ et „quietismi“, sed spiritum vitae, motus, laboris.

Aliorum iudicia de nostro conspectu periodico.

СТРАННИКЪ, 1905, апрѣль, стр. 693: Въ »програмѣ«, написанной съ большимъ воодушевленіемъ указывается цѣль изданія: способствовать духовному росту и распространенію богословской литературы, страждущей отъ чрезмѣрнаго раздѣленія славянскихъ племенъ и отъ другихъ причинъ, способствовать взаимному духовному общенію славянъ и содѣйствовать смягченію и мирному разрѣшенію спорныхъ вопросовъ, раздѣляющихъ Востокъ и Западъ . . . Симпатичное направленіе и цѣль этого изданія заставляють насъ сказать вмѣстѣ съ редакторами его: Богъ да благословитъ предпринятый трудъ (стр. 2)!

VODITELJ, 1905, zv. 2.: Vsem, ki se zanimajo za bogoslovno znanstvo sploh in zlasti za važne versko-cerkvene odnošaje med zahodnimi in vzhodnimi Slovani, delo prav toplo priporočamo. Vsekako si naj to publikacijo omislijo vse bogoslovske in dekanijske knjižnice. Želimo pa podjetju tudi prav mnogo spretnih poročevavcev.

KATOLIŠKI OBZORNIK, 1905, zv. 2, 213: Kako těžko je bilo doslej imeti količkaj pregleda o slovanski bogoslovni književnosti. Zlasti je bilo nam zapadnim katoliškim Slovanom ruska bogoslovna književnost malo znana . . . To bo poslej drugače.

НИВА, 1905, ч. 8, ст. 196: Цїль сеї часописи дуже красна и похвальна Вона може дїйсно в будичности осягнути надеподївані результати колиби тільки змогла найти щире заінтересоване у всїх Славян.

КАТОЛИЦКИЙ ВСХІД, 1905, 43: Тож було би порадною річию щоби наша богословска молодїж із згаданою часописию основнійше занізнала ся. Се певно не було би без впливу. Часопись звертає очи на лїтературу східних Церков, будить заінтересоване студиями з того обсягу, а передовсїм дає спроможність слїдити за розвоєм »Кирило Метод. ідеї«, супротив якої наша молодїж зовсїм не може держати ся відсторонь.

ZEITSCHRIFT FUR KATHOLISCHE THEOLOGIE, 1905, 415: Möge die Absicht der Herausgeber, damit insbesondere auf die katholischen slavischen Theologen hebend und fördernd, auf die schismatischen belehrend und aufklärend einzuwirken, reichlich in Erfüllung gehen. Der

Umstand, dass die genannte Revue in lateinischer Sprache gegeben wird, verleiht ihr Bedeutung über die slavischen Länder hinaus und muss mit besonderem Dank verzeichnet werden.

PIELGRZIM, 1905, Nr. 65: Nader ważna kwestya zjednoczenia Cerkwi rossyjskieg z Kościołem katolickim postąpiła o tyle naprzód, iż od Nowego roku wychodzi w Pradze czeskiej czasopismo poświęcane naukom teologicznym wszystkich szczepów słowiańskich, i to w języku łacińskim, przez co umożliwia się rozpowszechnianie jego we wszystkich krajach cywilizowanych . . .Zadaniem czasopisma jest bliższe zapoznanie się teologów Zachodu i Wschodu, rozpraszanie przedsądów, omawianie spornych punktów. Literatura wszystkich plemion słowiańskich uwzględnia się . . . Czasopisma teologiczne czeskie, rosyjskie, rusińskie i niemieckie bardzo pochlebnie się wyrażają o nowem wydawnictwie. Można mieć nadzieję, że i odnośne koła polskie będą popierać „Slavorum litterae theologicae", bądź to prenumeratą, bądź współpracownictwem, ażeby dział polski się rozszerzył i wydawnictwo rokujące piękne nadzieje, się utrwaliło. Panowie wydawcy i autorowie dzieł teologicznych i pokrewnych niech poślą odnośne wydawnictwa na rezencyą do Pragi a z tych dziel recenzyjnych nagromadzie się tam biblioteka ku wspieraniu dążeń nauki teologicznej i zjednoczenia religijnego.

LE CANONISTE CONTEMPORAIN, 1905, 669: Nous avons reçu les quatre premiers fascicules de cette nouvelle revue; c'est pour nous un devoir autant qu'un plaisir de la signaler et, dans la mesure où nous le pouvons, de la recommander . . . La revue „Slavorum litterae theologicae" se propose donc de servir de lien entre les nombreuses familles du monde slave, de faire connaître et d' apprécier les publications qui relèvent des sciences théologiques, soit qu'elles aient pour auteurs des Slaves, soit que, parues au dehors, elles intéressent les Slaves. Ces appréciations bibliographiques, écrites en latin, sont groupées suivant les nationalités, rangeés elles-mêmes par ordre alphabétique . . . et sont complétées par une section intitulée: „Externa res slavicas spectantia". Enfin, des mélanges sur d'intéressantes questions, par exemple „Quaedam de quibus theologi utriusque ecclesiae dissentiunt". On y trouvera une étude sur le divorce pour adultère, admis, comme on sait, par l'Eglise grecque, et quantité de renseignements utiles sur diverses questions canoniques, liturgiques, théologiques et autres. Les „Slavorum litterae theologicae" méritent donc toute la sympathie des catholiques qui désirent la réunion des Eglises, particulièrement des Eglises du monde slave, et nous formons les voeux les plus sincères pour sa rapide diffusion.

THEOLOGISCHE REVUE, 1905, 216: „Unter den Rubriken Bohemica, Croatica, Polonica, Russica, Ruthenica, Serbica, Slovenica, Externa res slavicas spectantia wird hier ein lateinischer Literaturbericht eröffnet über die theologisch-wissenschaftlichen Bücher und Artikel in Zeitschriften der genannten slavischen Sprachen . . . Mit dem Zwecke, die theologischen Studien unter den westslavischen Nationen zu fördern und mit den dort vorhandenen Leistungen auch jene Gelehrten bekannt zu machen, die des Slavischen unkundig sind, verbinden die Herausgeber vor allem das Bestreben, auf die kirchliche Union der West- und Ostslaven hinzuarbeiten, indem sie durch Beseitigung der hüben und drüben herrschenden Vorurteile und entsprechende Beleuchtung der Kontroverspunte die letzteren nach Möglichkeit allmählich vermindern und aufheben wollen. Den irenischen Schriften und Abhandlungen wird darum besondere Aufmerksamkeit gewidmet. Die Hoffnungsfreudigkeit, mit der die Herausgeber ans Werk gehen, berührt sympathisch. Mögen sie reiche Erfolge erzielen!

REVUE AUGUSTIENNE, 1905, 214: „Slavorum litterae theologicae". L'excellente revue a pour but de réunir en un faisceau compact toutes les forces isolées des Slaves, de promouvoir et d'entretenir parmi eux le goût des études théologiques, de mettre à leur portée tout ce que le génie des races occidentales a produit de bon et d'en décupler les fruits, de dire surtout son mot dans les controverses qui éloignent l'un de l'autre l'Oc-

cident et l'Orient pour en tempérer l'acuité et provoquer la solution; elle sera un trait d'union entre l'Occident et l'Orient; elle leur apprendra à se connaître réciproquement et contribuera de toutes ses énergies à l'extinction du schisme.

ŚWIAT SLOWIAŃSKI, 1905, 379: ... Poważna rzeczowość wróży jak najlepiej o całem przedsięwzięciu, a zupełna rezerwa, zachowana w redakcyjnym układzie, zjedna zapevne wszystkich, właśnie dlatego, że redakcya nikomu się nie narzuca. Pismo będzie również pożyteczne prawosławnym, jak katolikom; samo ściśle katolickie, zachowuje się względem cerkwi wschodniej z tą szczerą życzliwością której do niedawna tak często nie rozumiano u Strossmayera ... Objektywne znawstwo przedmiotu, uprawianego z zamiłowaniem, z myślą wzniesioną ku wysokim celom, a bez względu na jakiekolwiek przygodne hasła chwili bieżącej, musi wydać jakiś plon. Nie nawrócą Rosyi współpracownicy noweho pisma; wiedzą o tem, a pretensyonalności nikt im nie może zarzucić; — skromni są i uważają się tylko za jeden z pomoczniczych czynników. Ale stali się czynnikiem od razu bardzo a bardzo poważnym i nie ulega wątpliwości, że tylko na tej drodze, na którą oni szczęśliwie wkroczyli i tylko tą metodą, którą trafnie dobrali, da się wyrobić z czasem ten zestrój okoliczności i nastrój umysłów, dzięki którym można będzie sprawę zjednoczenia roztrząsać nie tylko po akademicku. Przystąpiono do dzieła, ne licząc na żadne ułatwienia, obliczając się z samemi tylko trudnościami; ukaz tolerancyjny i wołanie o patryarchat są nespodziankami, które „Cyrylo-Metodejcom" prawdziwie ‚spadły z nieba'. Ale też nakłada to na nich z drugiej strony tem większe obowięzki. Pomóć im trzeba! Oby ten artykuł zjednał im polskich pomocników!

POLYBIBLION 1905, Octobre, p 381. Excellente innovation. Cinq fois par an des savants tchèques donnent en latin depuis janvier dernier, une revue très complète du mouvement théologique en Russie, Pologne, Bohême, Bulgarie, Serbie et Croatie.

Addenda et corrigenda.

P.	20,	5	supra	loco	impulserit	lege	impulerit.
„	63,	19	„	„	Barsov	„	Bronzov.
„	78,	9	infra	„	habeant	„	non habeant.
„	64,	15—16	„	omittatur			
„	87,	24	„	loco	Prof. Brückner	„	Ipse tamen contra Brückner.
„	88,	17	„	„	ultimus	„	Nicon.
„	110,	19 et 20	„	„	Bydzyński	„	Rydzyńsk.
„	142,	17	„	„	otnošeoijah	„	otnvšenijah
„	151,	20	supra	ante	Cypr.	adde:	A Molčanov, Sv. Kiprian karthag. i ego učenie o cerkvi. Kaz. 1888 (137—9); Ernst in Ztschrift f. kath. Theologie 1893, 79—103; 1894, 234—272; 473—499; 1900, 425—462.
„	161,	20	„	adde:	Cf. Rabulas, Canones pro clericis ap. Bickell, Ausgewählte Schriften der syrischen Kirchenv. S. 237.		
„	170,	24	„	post 47;	adde: Internat. theol. Ztschr. 4 (1896), 538—547; Rev. Augustinienne 1902, p. 460—9.		
„	175,	14	infra	loco	iudicat	lege	indicat
„	194,	2	„	„	habenter	„	babentur
„	206,	16	„	„	natum	„	notum
„	212,	19	supra	„	canone	„	canones
„	„	29	„	„	hts	„	his

Index nominum et rerum.

A

Nomina eorum, quorum scripta slavica in hoc Conspectu saltem commemorata sunt *).

Abraham W. 56 (296).
Adamski S. 20 (197); 110 (579); 250 (874); 251 (875).
Akvilonov E. 141 (503).
Al'bov A. 268 (975).
Aleksandr ep. 153 (597).
Aleksandr ierom. 142 (587).
Andreas archim. 254 (878).
Antonius episc 259 (883).
Ared G. 78 (393).
Argamakov S. 29 (207).
Arhangelskij N. 29 (207); 31 (209).
Arsenev K. 187 (755).
Baćynskyj 34 (211); 263 (887).
Bajazitov 194 (762).
Barsov M. 221 (789).
Barsov T. 78 (393); 139 (581); 162 (603).
Barsukov V. 114 (487).
Bartoszewskij 34 (211).
Bažanov V. 141 (503).
Beckovský J. 46 (377).
Běljaev A. 29 (207).
Běljaev N. 223 (791): 271 (964).
Bělokurov S. 255 (879).
Berdnikov I. 29 (207); 268 (975—6); 268 (976).
Bilczewski J. 42 (291); 246 (871).
Binički F. 174 (741).
Bobronikov 30 (208).
Bogdanovskij L. 30 (208).
Bogdaševskij D. 88 (403); 89 (404); 148 (591).
Bogoljubov D. 141 (503).
Bogoslovskij M. 268 (975).
Bojović I. 214 (782).
Borový C. 46 (377).
Bretšnajdr Z. 171 (739); 236 (868).
Brjancev D. 138 (587).
Bronzov A. 29 (207); 30 (208); 63 (303; loco Barsov!); 64—5 (304—5); 78 (394).
Brückner 19—20 (197); 87 (402).
Brychta A. 7 (107).
Bulgakov A. 167 (607).
Bulgarov A. 206 (774).
Bulla F. 107 (577).
Butkevič T. 29 (207); 138 (587); 187 (755).
Caro L. 19 (197).
Czapla B. 250 (874).
Czarnecki J. 109 (578).
Czaykowski K. 19 (197).
Čehovskij V. 90 (406).
Čelcov I 78 (393).
Černocký K. 107 (577).
Čičerin B. 138 (587).
Čižek A. 215 (783); 283 (979).
Čupić J. 95 (312).
Davydenko V. 138 (587).
Dębicki M. V. 15 (193).
Deml J. 8 (108).
Derevickij A. 30 (208).
Dianin A. 91 (406).
Dmitrievskij A. 89 (404); 255 (879); 257 (881).
Dobronravov N. 133 (506).
Dobrosmyslov 29 (208).
Dobrynin 65 (305).
Dolivo-Dobrovskij 65 (305).
Domentijan S. 213 (781); 214 (782).
Dostoevskij Th. 142 (588).
Družinin A. 133 (506).
Dumujšić I. 174 (741).
Ejngorn V. 256 (879).
Elćukov A. 93 (408).
Eleonskij Th. 27 (205).
Fermendžija 53 (384).
Filaret metrop. 26 (205); 148 (592); 221 (789).
Foltynovský J. 8 (188); 170 (738).
Gabryl F. 17 (195); 19 (196); 20 (197).
G—j— 58 (298).
Gavriil 29 (207).
Gec v. Goetz.
Gel'ski A. 251 (874).
Georgij archim. 138 (587).
Gerstman A. 250 (874).
Giljarovskij V. 141 (503).

*) Ordo litterarum: a (ą), b, c, č (ч, ć), d (ď), e (э, ѣ, ě, ę), f, g, h (boh. pol.), h' (ch, х), i, j (я, ю), k, l, m, n (ń, ň), o, p, q, r (ř), s, š (ś, ш), t (ť), u, v (в, w), y, z, ž (ż, ж): ь et ъ negliguntur.

Glagolev 87 (402).
Glagolev A. 153 (597).
Glagolev S. 27 (205); 81 (396); 84 (399); 194 (762); 208 (776); 209 (777).
Glubokovskij N. 2 (104); 20-24 (88-90; 197-201); 30 (208); 33 (208); 33 (104); 78 (394); 79 (394); *101 (414)*; 158, 159, 160, 161 (510, 511, 512, 602); 195 (763); 197 (765).
Glěbov I. 131—134 (504—507).
Goetz L. 72 (388); 167 (607); 257 (881).
Gołąb X. J. 20 (197).
Golubev S. 92 (407); 255 (878); 257 (880).
Golubev V. 134-137 (583-586); 194 (762).
Golubinskij 77 (392).
Golubinskij D. 81 (396).
Golubinskij E. 114—119 (487—492); 143 (507); 255 (878); 257 (880).
Golubinskij V. 30 (208).
Gorodcev P. 30 (208).
Gorodenskij N. 30 (208).
Govorov S. 29 (207).
Granić B. 39 (110).
Grigorevskij 104 (416).
Grivec F. 24 (201); 27 (206); 37 (106); 34 (212); 71 (386); 107 (577); 207 (775); 258 (881).
Gromoglasov I. 141 (503).
Gruden J. 37 (214); 214 (782); 282 (979).
Grujić N. 143 (507).
Grujić R. 282 (978).
Guljaev A. 196 (764).
Gusev A. 29 (207); 30 (208); 148 (591).
Gusev Th. 29.
H. M. 84 (309); 93 (408); 205 (773); 212 (780); 261 (885); 278 (971).
Háňavka K. 8 (188).
Hartmann S. 174 (471).
Hendrich J. 7 (105); 77 (392); 171 (739).
Hlavatý V. 50 (381).
Hruda F. 238 (870).
Hus J. 236 (868).
Halkolivanov J. 29 (207).
Harlampovič K. 255 (879).
Chodyński S. 250 (874).
Homjakov A. 168 (608)
Chotkowski W. 250 (874); 251 (875).
Hrapovickij 29 (207).
Il'in A. 141 (503).
Ioann archim. 267 (975).
Ioann ep. 141 (504).
Istrin V. 207 (775).
Ivanov N. 141 (504).
Ivačkovič I. 213 (781).
Ivanovskij V. 194 (762).
Izvěkov N. 256 (879)
Jabłonowski 256 (880).
Jabloński 87 (403).
Jablonskij V. 196 (764).
Jagič V. 38 (105); 39 (105).
Jaroš 29 (207).
Jakovlev Th. 141 (504).
Jakšić D. 94 (311).
Jakšić M. 36 (213).
Janyšev I. 78 (393); 272 (965).
Jaremko D. 269 (889. 976).
Jasnopol'skij 279 (972).
Jašek A. 254 (878).
Javorskij S. 258 (881); 271 (964).
Jeglič A. 97 (410).
Jemelka F. 86 (401) 272 (965).
Jireček C. 39 (110)
Jivanka J. 8 (108).
Jungerov P. 252 (875); 275 (968).
Kadeřávek E. 43 (292); 50 (381); 232 (800).
Kachnik J. 5 (187).
Kapterev 269 (963); 270 (964).
Kašpar K. 107 (483).
Katanskij A. 78 (393).
Kavčič J. 215 (783); 283 (979).
Kazanskij K. 189 (757).
Kemelidze K. 206 744).
Kerenskij A. 84 (399).
Kerenskij V. 148 (591); 155 (599).
Kiparisov N 196 (764).
Kiprianovič 256 (879).
Kiřěev A. 84 (399); 85 (400); 149 (592); 272 (964).
Kirill 167 (607).
Klitin A. 141 (504).
Klučevskij V. 144 (487).
Knapiński 251 (874).
Kochowski W. 110 (578)
Komenský A. 142 (588).
Kondakov I 58 (298).
Kondakov N. 142 (587).
Kononov N. 209 (777).
Konrád K. 48 (379)
Kopyciński A. 251 (874).
Koranda V. 142 (587).
Kordík A. 8 (188); 170 (738).
Korelin 271 (964).
Kotljarevskij 60 (301).
Koutecká M. 8 (108).
Kovačič F. 215 (783); 283 (979)
Kovář J. 137 (586).
Králíček J. 174 (742).
Krásl F. 47 (378).
Krasnitzkij J. 137 (586).
Krasnožen M. 187 (755); 268 (976).
Kratochvíl J. 14 (192).
Krek I. 36 (214); 37 (214); 282 (978).
Kremlevskij P. 170 (738).
Kryštůfek F. 7 (7); 43 (292); 47 (378).
Kubíček F. 6 (107).
Kudrjavcev P. 87 (403).
Kudrjavcev V. 137 (586).
Kuljukin 143 (507).
Kuljukin S. 27 (206).
Kupka J. 49 (380).

Kurganov Th. 197 (765).
Laskčev A. 194 (762).
Laskov 172 (739).
Lebedev 197 (765).
Lebedev A. 82 (397); 141 (504); 153 (597); 188 (756); 223 (791); 257 (881).
Lebolskij N. 29 (207).
Ledóchowski 17 (194).
Lenz A. 49 (380).
Leonardov D. 137 (586).
Leporskij 30 (208).
Leporskij I. 78 (394).
Levickij 270 (963).
Levickij O. 257 (880).
Likowski E. 19 (102).
Linickij P. 30 (208); 88 (403); 206 (774).
Lipskij N. 141 (504).
Ljutostanskij I. 141 (504).
Lopatin L. 135 (584).
Lopuhin A. 28 (206); 28 (206); 31—2 (209—210)
Lotockij A 194 (762).
Lovagin I. 78 (393).
Lundberg 279 (972).
Makarij (Bulgakov) 101 (413); 148 (591); 152 (596); 269 (962).
Makkaveev P. 195 (763).
Makkavejskij N. 89 (405).
Maksimovič V. 143 (507).
Malcev A. 29 (207); 32 (101); 167 (608); 269 (962).
Malinovskij I. 187 (755); 194 (762).
Markošek J. 215 (783).
Marković I. 54 (384); 108 (483); 170 (738). 282 (978).
Maryanski B. 251 (875).
Masaryk T. 171 (739).
Martynov A. 30 (208).
Mavrickij V. 29 (207).
Medved A. 37 (106); 215 (783).
Medvědkov A. 187 (755).
Meissner Cz. 20 (197).
Menčík F. 190 (758);
Miaskowski K. 110 (578).
Mieszkis F. 251 (874).
Mihail archim. 132 (504).
Mihail ep. 161 (601); 221 (789).
Mihail ierom. 160—2 (601—2).
Mihajlov A. 72 (387).
Mihajlowskij N. 138 (587).
Miletič L. 53 (384).
Milaš N. 145 (589); 264 (888).
Milutinović M. 213 (781).
Miroljubov 65 (305).
Mirosavljević V. 93 (309).
Mirtov D. 29 (207); 30 (208).
Miseev N. 30 (208)
Mlčoch M. 46 (377).
Molčanov A. 151 (addend.) (595 addend.)
Molčanov N. 132 (504).
Morawski 168 (608).
Morawski M. 16 (194).
Morev I. 258 (881).
Muhin N. 87 (402).
Murav'ev V. 138 (587).
Muretov M. 85 (400); 261 (884) bis.
Murko M. 166 (607).
Musil A. 44 (293); 50 (381).
Nadeždin A. 29 (207).
Napotnik M. 96 (408)
Nepljuev N. 81 (397).
Nestor 195 (763).
Nesmělov V. 142 (588).
Nevzorov I. 29 (207).
Niedziałkowski K 16 (193).
Nikanor ep. 29 (207); 30 (208); 141 (504).
Nikanorov I. 141 (504).
Nikitskij S. 29 (207).
Nikolin I. 187 (755).
Nikol'skij A. 138 (587).
Nikorovič 263 (887).
Nojszewski A. 251 (874).
Nowowiejski A. 249 (961).
Okoniewski S. 20 (197); 110 (578).
Olesnickij M. 29 (207); 29 (207); 30 (208); 31 (209); 90 (405).
Oliva V. 7 (107).
Ontlik N. 143 (588).
Orlov G. 142 (504).
Ornatskij 142 (504)
Ostroumov M. 268 (976).
Ostroumov N. 194 (762).
Ozereckij P. 30 (208).
Paliwoda-Jaszowski 263 (887).
Pal'mov I. 142 (587).
Pankov A. 257 (880).
Papkov A. 256 (879).
Pawlicki S. 16 (194); 42 (291).
Pavlík M. 124 (497).
Pavlov A. 268 (976).
Pazman J. 13 (191).
Pecháček G. 49 (380).
Pekař 6 (191).
Pelczar J. 16 (194).
Pereverzev 143 (588).
Pesockij 92 (407).
Petražickij L. 30 (208).
Petronijević 213 (781).
Petropavlovskij I. 131 (504).
Petrov G. 168 (608).
Petrov N. 89 (405); 257 (881).
Petr L. 25 (203); 63 (303); 86 (401) 87 (402); 187 (755)
Petrovskij A. 77 (393); 196 (764).
Pěvcov V. 268 (976).
Pěvnickij V. 206 (774).
Philaretus v. Filaret.
Piątkiewicz W. 175 (743); 248 (872).
Pigorov N. 142 (588).
Pícha T. 7 (105).

Pisarev L. 273 (965).
Pisarev N. 258 (881); 274 (967); 275 (968).
Pjatnickij I. 23 (208); 29 (207); 63—65 (303—5).
Platon S. 145 (589).
Platonov 28 (207).
Plotnikov K. 142 (588).
Podlaha A. 5 (97); 7 (39); 44 (293); 48 (379); 107 (577).
Pokrovskij A. 26 (205); 29 (207); 30 (208).
Ponomarev P. 275 (968); 276 (969); 278 (971).
Popov A. 77 (393); 208 (776); 257 (881).
Popov I. 29 (207); 29 (207); 84 (399); 210 (778); 260 (884).
Popov T 143 (588).
Popov V. 79 (394); 142 (588).
Popović A. 214 (782).
Pořický J. 190 (758).
Poseljanin E. 142 (588).
Potkański K. 19 (197); 77 (392); 111 (579); 251 (875).
Preglej V. 215 (783).
Preobraženskij I. 279 (972).
Preobraženskij N. 83 (398).
Pribićević V. 95 (311).
Přikryl F. 238 (870).
Procházka M. 45 (376).
Rrokopovič Th. 80 (95); 160 (601).
Pajnoch A. 170 (738).
Reindl F. 170 (737).
Remec B. 37 (214).
Remezov V. 102 (14); 273 (966).
Rostworowski J. 111 (579)
Rozanov 65 (305); 139 (580); 273 (966).
Rozanov N. 161 (602).
Rozanov V. 85 (401); 157 (510).
Roždestvenskij N. 135 (584).
Runkevič S. 32 (310); 195 (763); 196 (764).
Ruvarac D 143 (507).
Ružičić R. 213 (781).
Rybinskij V. 28 (206); 71 (387); 87 (403).
Samsour 6 (107); 2 (32).
Sapožnikov 270 (963).
Sedláček J. 44 (293); 46 (377); 60 (300); 169 (737).
Seleznev M. 29 (207).
Sergiev I. 142 (588); 168 (608); 190 (758).
Sergij 99 (412).
Sergij aep. 167 (608).
Sieniatycki M. 251 (875).
Sil'vestr ep. 228—231 (796—799).
Simeon ierom. 142 (588).
Sinthern P. 232 (800).
Skarga P. 252 (875).
Skočdopole A. 49 (380); 105 (481).
Skvorcov 267 (975).
Slovjarskij P. 28 (207).
Smirnov 77 (393).
Smirnov P. 30 (208); 103 (415).
Smirnov S. 85 (400); 259 (882).
Smirnov Th. 206 (774).
Smolík R. 49 (380).
Snopek F. 6 (191); 77 (392); 107 (577).
Sobolev M. 131 (504).
Soljarskij P. 30 (208).
Sokolov I. 32 (210); 69 (385); 77 (393); 257 (881).
Sokolov L. 142 (588).
Sokolov M. 37 (215)
Sokolov N. 25 (201); 268 (975).
Sokolov V. 83 (398); 148 (591); 209 (777); 210 (778).
Sokolovskij N. 29 (207).
Sokol'skij V. 142 (588).
Soldát A. 7 (46).
Solov'ev I. 111 (484).
Solov'ev V. 60 (3 0); 65—6 (305—6); 81 (397); 137 (586); 139 (580); 140 (581); 143 (588); 153 (597); 171 (738); 269 (962); 271 (964).
Somrek J 37 (214).
Souček S. 171 (739).
Spáčil B. 7 (52).
Spasskij A 142 (588); 260 (884).
Spasskij I. 26 (205).
Stadler J. 15 (192); 15 (193).
Stanojević S. 39 (110)
Stárek J. 50 (381).
Starowieyski F. 17 (194); 110 (578).
Statečný K. 7 (17).
Stegenšek A. 146 (590); 215 (783).
Stelleckij I. 90 (406).
Stelleckij N. 91 (407).
Stepinac M. 173 (741).
Strahov N. 29 (207).
Studinskij C. 256 (880).
Suša F. 173 (741)
Sušil F. 45 (376).
Suškov 272 (965).
Suvorov N. 208 (776); 268 (976); 268 (976).
Svěčin I. 29 (207).
Světlakov 153 (597).
Světlov P. 81 (397); 83 (398); 84 (399); 89 (405); 134 (583); 148. 149 (591—2. 593).
Svoboda J. 42 (291).
Sýkora J. 43 (292); 46 (377); 72 (387).
Syski A. 175 (743).
Szaniawski X. A. 20 (197).
Szelążek A. 16 (194).
Szlagowski A. 16 (194).
Šapošnikov 29 (207).
Šauer de Augenburg J. 49 (380).

Ščepuro D. 255 (879).
Šiltov A. 60 (300); 132 (505); 133 (506).
Šittler E. 48 (379).
Šob F. 170—1 (738).
Špaček R. 7 (58); 44 (293).
Špaldák A. 7 (11); 28 (206); 40 (216); 63 (303); 164 (604); 167 (607. 608); 171 (738); 225 (793); 246 (896).
Štítný T. 236 (868).
Tančev H. 238 (870).
Tarčev M. 84 (399); 89 (404); 134 (583); 259 (883).
Temnověrov 30 (208).
Teodorov A. 53 (384).
Tergeslav F. 37 (106). 282 (978).
Thavorov N. 29 (207); 30 (208).
Thavorskij D. 30 (208).
Theophan ep. 189 (757).
Tihomirov D. 29 (207).
Tihomirov P. 80 (395); 85 (401); 157 (510).
Tihomirovoj V. 85 (400).
Tischer F. 44 (293).
Titlinov B. 142 (588).
Titov Th. 87 (403); 93 (408); 142 (588); 254 (878).
Tolstoj L. 82 (397); 142 (587); 142 (588); 213 (781); 273 (966).
Tomek V. 47 (379); 236 (868).
Trenev D. 142 (588).
Troickij 132 (504); 140 (581).
Troickij I. 78 (393).
Trubeckij 259 (883).
Trubeckoj E. 149 (593).
Truskovskij I. 223 (791).
Tumpach J. 50 (381); 111 (485).
Tunickij N. 77 (392).
Turkin I. 142 (588).
Urban J. 248 (872); 249 (874).
Uspenskij P. 166 (607).
Uspenskij V. 65 (305); 77 (393); 79 (394).
Ušinskij K. 142 (588).
Vacek F. 6 (191); 107 (577).
Vajs J. 7 (1); 10 (190); 13 (82. 100); 39 (105); 215 (783).
Valjavec J. 37 (214).
Vaněček F. 8 (107).
Vvedenskij A. 138—140 (579—582); 209 (777); 228 (796).
Vvedenskij D. 30 (208).
Velhartický J. 104 (416).
Velítko B. 71 (386).
Verner 279 (972).
Veržbolovič M. 60 (300).
Veselinović S. 146 (590); 213 (781).
Wintera V. 5 (99).
Višnevskij D. 88 (404).
Vlastov G. 26 (204).
Vondrák V. 6 (188); 77 (392); 251 (875).
Voroncov 96 (312).
Voronec E. 28 (206).
Vostokov A. 223—5 (791—3).
Vrátný K. 7 (25).
Vrba R. 44 (293).
Vřešťál A. 44 (293).
Vrchovecký 6 (191).
Vukolov A. 28 (207).
Vychodil P. 43 (292); 233 (865).

Zagorovskij A. 159 (511).
Zajcev S. 29 (207).
Zaleski S. 251 (875).
Zamjatin A. 111 (485).
Zaozerskij 189 (757).
Zaozerskij A. 158.
Zaozerskij N. 211 (779); 258 (882).
Zapletal V. 7 (113); 51 (382).
Zarin 78 (394).
Zav'jalov A. 102 (414).
Zdziechowski M. 174 (742).
Zelepugin 29 (207).
Zeremski 35 (213); 36 (213); 143 (507); 212 (780).
Zháněl R. 7 (117).
Zwolski S. 19 (101).

Žák F. 185 (753); 235 (867); 279 (972).
Žilov I. 140 (587).
Živanović A. 213 (781).
Žukiewicz K. 251 (875).
Žukovič P. 256 (880).
Žukowski J. 15 (193); 17 (195).
Žundálek F. 56 (296); 173 (741); 175 (743); 208 (776).

B

Acathistorum historia 257 (881).
Achridensis patriarchatus 39 (110).
Actus apost. 15 (193); 141 (504).
Adalbertus 47 (378).
Agnetis b. monasterium 47 (378).
Alexander I. 232 (800).
Alexander Severus 194 (762).
Alexandriae patriarchatus 166 (607).
Altaria 8 (108).
Amor concupiscentiae et benevolentiae 179—180 (747—748).
Amor Dei 29 (207); 176—178 (744—6).
Amor proprius 177 (745).
Amoris ordo 177—8 (745—6).
Angeli 24 (201).
Anglicana hierarchia 206 (774).
Anglicanae ecclesiae artic. 78 (394).
Anglicani 83 (398).

Anima 16 (194); 138 (587).
Anima et cerebrum 42 (291).
Anna imper. 142 (588).
Anthropologia v. Hom.
Anthropomorphismi 254 (878).
Antonii s. vita 275 (968).
Apocalypsis 141 (504).
Apoc 2: 272 (965).
Apocatastasis 88 (403).
Apologia 15 (193); 28 (206); 135 (584); 141 (503); 233 (865).
Aquilejenses patriarchae 37 (214); 214 (782).
Aramaicae inscriptiones 8 (188).
Archaeologia biblica 46 (377).
Archaeologia christiana 42 (291); 58—60 (298—300); 215 (783); 247 (871).
Archaeologia eccles. russ. 86 (401).
Architectura relig. 213 (781).
Aristoteles (moral.) 29 (207).
Armenorum ecclesiae dogm. 78 (393—4).
Ars christiana 48 (379); 250 (961).
Arsenius et Arsenitae 78 (393).
Arsenius archiep. 255 (879).
Artes: nuditas 16 (194) moralitas 16 (194).
Artificia eccles. 146 (590).
Ascetica 16 (193—4); 78 (394); 141 (587); 142 (588); 168 (608); 171 (738); 189 (757); 206 (774); 208 (776); 251 (874).
Ascetismus 84 (399); 260 (884).
Asiae oppida 78 (393).
Astrahan 89 (404).
Athanasii s. doctrina 210 (778).
Athanasius (?) 239 (889).
Athos 69—70 (385—6).
Atomismus 137 (586).
Augustinus 88 (403); 121 (494).
Azyma 21 (88); 248 (872).
Babylonia et biblia 28 (206).
Babyloniorum mythi 51 (382).
Banulesko-Bodoni 90—91 (406).
Baptismus 94—5 (311); 110 (578).
Barnabae epist. 213 (781).
Barnabas ap. 146 (590).
Basiliani 110 (578); 251 (875).
Basilius 9 (190); 30 (208) (moral.); 161 (601); 212 (780); 276 (969); 277 (970).
Beatitudinis notio 130—131 (582).
Beatitudo: v. vita aeterna.
Bělgorodenses episcopi 257 (881).
Biblia (propag.) 71 2 (387).
Biblia (prohib.) 72 (387)
Biblia N. T. explic 45 (376).
Biblia polon. 19 (101).
Biblia slav. 46 (377); 215 (783); v. Palaeosl.
Biblica 34 (211); 37 (214); v. Acta; Anthropomorph.; Chronol.; David; Eccl.: Genes.: Jerem.: Introductio: Morbi; Patriarchae; Paulus; Saul; etc.
Bibliographia serb 93 (310).
Bibliothecae descriptio 60 (300); 257 (881).
Boëthius 215 (783); 283 (979).
Bohemiae hist. 46 (377).
Bohemicae litt theol. 105 7 (481 3).
Bosna Hercegovina v. Serbi.
Braunaviensis seditio 5 (99)
Brus A. 46 (377).
Bruta 8 (188); 15 (193); 235 (866—7).
Bruta et homo 194 (762).
Buddhismus 15 (193); 137 (586).
Bulgariae catholici 172 (740).
Bulgaricae litterae 51 (382) 239 (871).
Canon v. Deuterocan.
Canonici libri 46 (377).
Canonistae orientales 261—5 (885—9).
Canonistae Russorum 265—9 (973—6).
Canonizatio v. Euthymius.
Canonizatio in eccl. russ. 114 119 (487—492).
Cantus eccl. graecus 78 (393).
Cantus sacer palaeoboh 48 (379).
Caritatis virtus 143 (588).
Carnes (moral.) 78 (394).
Catechetica 213 (781).
Catechismi serb. 93—94 (310).
Catechismus 141 (503).
Catharina II. 195 (763).
Catholicitas v. ecclesiae notae.
Catholicitatis notio 261 (884).
Character sacramentalis 175 (743); 248 (873).
Christi divinitas 17 (195).
Christi doctrina 142 (587).
Christi fratres 141 (504); 188 (756)
Christi idea apud ethnicos 92 (408).
Christi imagines 142 (587).
Christi miracula 36 (213).
Christi mors 132 (505—6).
Christi nativitas 36 (213); 207 (775).
Christi parabolae 35 (213); 89 (404).
Christi passio 43 (292).
Christi resurrectio 28 (206); 43 (292); 60 (300); 131—134 (504 507).
Christi sermo montanus 35 (213).
Christi vita 90 (406).
Christiani legenda 6 (191)
Christianismi propagatio 194 (762).
Christianismi vis socialis 143 (588).
Chronologia bibl. 27 (205); 194 (762).
Clemens alex. (moral.) 29 (207 8); 30 (208); 30 (208).
Clemens bulgarus 6 (191); 76—7 (392).
Cleri russ. vita 196 (764).
Clericorum eruditio 194 (762).
Coemeteria 7 (105); 7 (107).
Coena Domini 20 (88).

Cognitio Dei 125 (498).
Cognitio terrena 85 (401).
Comma Ioanneum 78 (394).
Concilia oecumenica 141 (504).
Conciliorum acta 82 (397—8).
Concilium Florent. 270 (963).
Concilium Trident. 10 (190).
Concordata 157 (601).
Concupiscentia 273 (966).
Confessio 85 (400).
Confirmatio in bono v. Impeccabilitas.
Confraternitates orthod. 255-6 (879-880).
Consilia evangelica 28 (207).
Constantini M. conversio 142 (588); 260 (884).
Constantinopolitana ecclesia 257 (881).
Constantinopolitani patriarchae iura 78 (393)
Constantinus M. 84 (399).
Controversae quaestiones (inter lat. russ.) 77 (393); 269 (962): v. singulas (Maria etc).
Cor perforatum? 132—3 (505).
1 Cor 5, 13: 150 (594).
1 Cor 7, 14: 89 (404).
1 Cor 13, 12: 85 (401).
1 Cor 14, 20—25: 261 (885).
1 Cor 15, 12 s.: 150 (594).
1 Cor 15, 12—23: 187 (755).
Cosmogonia 37 (214).
Creatio 43 (292).
Creationis notio 137 (586).
Criticismus 16 (194).
Crucis signum 77 (393).
Crux 60 (300).
Cultura christiana 37 (106).
Cultus externus 30 (208).
Cyprianus (haeret.?) 151 (595).
Cyrillus et Methodius 7 (105); 19 (197); 37 (214); 72 (387—8); 87 (402); 107 (577); 109 (484); 111 (579); 171 (739); 214 (782); 238 (870); 251 (875); 272 (965).
Černin 44 (293).
Daemones 24 (201).
Darwinismus v. Transformismus.
David 173 (741).
Debitum v. obligatio.
Dei exsistentia 17 (194); 28 (206); 135—6 (584—6); 233—4 (865—6).
Deificatio hominis 113 (486); 131 (583); 175—6 (743—4); 210 (778).
Determinismus v. Libertas.
Deus-homo 143 (588).
Deuterocanonici libri 26 (204); 96 (312); 252—3 (876—7); v. Canonici libri.
Diluvium 51 (382); 187 (755).
Divinationes 60 (300).
Dogmata „fundamentalia" 148 (592).
Dogmatica 97 (410); 187 (755).
Dogmatis notio 79 (394)
Dogmatum progressio 197 (765).
Duellum 30 (208).
Ecclesia ac status 61 (301); 80 (396).
Ecclesia et potestas civilis 78 (393).
Ecclesiae accommodatio 62 (302).
Ecclesia russica 212 (780).
Ecclesia ut Christi corpus 175 (743); 248—9 (872—4)
Ecclesiae caput 88 (403).
Ecclesiae catholicae veritas 17 (195); 270 (963).
Ecclesiae catholicitas 148 (591—2); 155 (598—9).
Ecclesiae finis 99—101 (412—413).
Ecclesiae membra 147—153; (590—596).
Ecclesiae munus 138 (580).
Ecclesiae notae 83 (398. 399); 84—5 (400); 153—157 (596—601); 261 (885).
Ecclesiae notio 88 (403).
Ecclesiae orientalis status 71* (386).
Ecclesiae orientis 213 (781).
Ecclesiae russ. reform. necessitas 279 (972).
Ecclesiae sanctitas 154—5 (598).
Ecclesia temperatio 185—6 (753—4).
Ecclesiae visibilitas 83 (398).
Ecclesiastes 7 (113).
Ecstasis 283 (979).
Educatio v Paedagogica.
Egoismus 29 (207)
Electio Papae 7 (52).
Eloquentia sacra v. Homil.
Emancipatio feminae 8 (108); 16 (194); 29 (207).
Empirismus 87—88 (403).
Encyc opaedia theol. 19 (196); 119—124 (492—7); 251 (874); 251 (875).
Eph 2, 15; 4, 24: 138 (587).
Eph 5, 22—32: 102 (414—5).
Epiclesis 170—1 (738); 247 (871—2).
Epiphanius 10 (190); 277 (970).
Episcopi monachi 141 (504).
Epistolae cathol. 141 (504).
Excommunicandi potestas 149 (592); 152 (595).
Esdras 79 (394)
1 Esdrae 7, 1; 4, 7—23.
Esther 252 (875).
Ethica v. Moralis.
Ethica et religio 259 (883).
Ethicae historia 90 (405).
Eucharistia 37 (106); 246 (871); 278 (971); v. Epiclesis; Miss.; Sacrif.; Transsubst.
Euthymius 171 (739).
Evangelium rhemense 3—5 (95—97).
Evolutionismus (moral.) 29 (207).
Evolutionismus v. Transformismus.

Exegetica 221 (789).
Familia christiana 30 (208).
Femina v. Mulier; Emancip.
Festum Nativitatis Chr. 206 (774).
Fidei actus 17 (195).
Fidei autonomia 230-1 (798-9).
Fides 88 (403).
Fides: Dubit. c. f. 17 (195).
Filioque v. Spiritus S.
Florentinum conc. v. Conc. Fl.
Foenus 44 (293).
Fragmenta Kioviensia 6 (188).
Fragmenta Pragensia 6 (188).
Fragmentum verbenicense 39 (105).
„Fratres" Domini 141 (504); 188 (756).
Galatae 24 (201).
Genesis 26 (205); 44 (293); 50—51 (381—2).
Gen 3, 15: 92 (408).
Genesis 10 etc. v. Tabula populor.
Glagolitica 214—5 (782—3); 215 (783).
Gloria humana 251 (874).
Gorazdus 77 (392). *)
Gorbackij 92 (407).
Gratia in vitis ss. 275 (968).
Gregorius Naz. 10 (190) 277 (970).
Gregorius Nyss. 29 (207). (moral.); 276 (969).
Habdelić J. 38 (105).
Haeresis psychologia 107 (577).
Hakman ep. 143 (507).
Harnack 27-8 (206); 37 (106); 143 (507).
Harrach 47 (378).
Hauran 59 (299).
Henologicum argumentum 234 (866).
Hiacynthus Odrowąż (s.) 251 (875).
Historia eccles. 47 (378); 197 (765); v. Archaeol., Adalb., Alex. Sev., Concilia: Schisma etc.
Historia eccles. Austriae 43 (292).
Historia eccl. Bohemiae 5 (99); 47 (378); v. Agnet, Viti.
Historia eccl. Bulgariae 53 (384).
Hist. eccl. Croat. 174 (741).
Historia eccl. Dalmatiae 145 (589).
Hist. eccl. graecae (bis) 78 (393); 197 (765).
Historia eccl. Istriae 145 (589).
Hist. eccl. lavant. 215 (783).
Hist. eccl. Litthuan 256 (879).
Hist. eccl. Moldav. et Valach. (Rumen.) 197—205 (765—773); 282 (978).
Hist. eccl. polon. 250 (874); 251 (875).
Historia eccles. russ. 56—58 (296—8); 73—76 (388-392); 77 (392)*; 80 (395); 89 (404); 91 (407); 92 (407); 93 (408); 142 (588); 143 (588); 143 (507); 195 (763); 196 (764); 254—8 (878—882); v. Anna imper., Veteroritualistae etc.
Historia ecclesiae saec. XIX 31 (210).
Hist. eccles. Slavor. 109 (484).
Hist. Slav. v. Cyrill. etc.
Homiletica 37 (106); 141 (503); 142 (504); 215 (783); 252 (875).
Hominis origo 27 (205); 43 (292).
Homo (anthropol.) 50 (381).
Homo in iustitia creatus? 146 (589).
Homo praehistoricus 6 (107).
Hungaria v. Serbi in H.
Hus J. 49 (380); 236—7 (868—9).
Hymni v. Cantus.

Iaponia 85 (400); 174 (742).
Iconographia 28 (206); 142 (587-588).
Ideologicum argumentum 135—6 (584-5).
Idololatriae origo 187—8 (755—6).
Ieiunium 8 (107); 142 (504).
Ieremias 8 (108).
Ierosolymitanus patriarchatus 208 (776).
Iesuitae 42 (291); 141 (503); 270 (963) bis.
Iesuitae in Polonia 251 (875).
Iesuitae in Russia 190—193 (758-761); 280-1 (977-8).
Immortalitas 15 (193); 17 (195); 250 (874).
Impeccabilitas beator. 179 (747).
Impositio manuum 8—9 (189).
Individualitatis origo 137 (586).
Indulgentiae 7 (191); 112 (485); 270 (963); 271 (964)
Infallibilitas ecclesiae 118 (491).
Infallibilitas papae 121 (494); 172 (739—740).
Infernum v. Apocatastasis.
Inquisitio 6 (107).
„Inquisitio" russica 168 (608).
Inspiratio 46 (377).
Introductio 141 (504).
Introductio in N. T. 46 (377); 43 (292).
Introductio in V. T. 44 (293); 169 (737); 252 (875).
Ioannes ap. 141 (504).
Io 7, 53-8, 11: 175 (743).
Io 8, 44: 89 (404).
1 Ioannis 78 (394).
1 Io 2, 22; 4, 2; 5, 6: 88 (404).
1 Jo 5, 7: 78 (394).
Ioannes Bapt. 36 (213).
Ioannes Chrysost. 10 (190); 30 (208) (moral.); 278 (971).
Ioannes Italus 138 (587).
Ioannes Nep. 233 (870).
Islam v. Muhamed.
Islandiae litterae 7 (25).
Israel in Aegypto 27 (205).
Iudaei v. Talmud; Israel.
Iudaei et Christus 20 (88).
Iudaeorum reditus in Palaest. 142 (588).

Ius eccles. v. Baptism., Electio P., Constantinop P.
Ius eccl. orientalis 111 (484); 145 (589); 187 (755); 258 (882); 261—9 (885—9; 973—6).
Ius patronatus 20 (197).
Iustificatio 24 (201).
Iustinus 37 (106).
Iustitia originalis 145—6 (589).
Jacobinismus 214 (782).
Jansenismus 7 (7).
Kantii ethica 182—3 (750—1); 259 (883).
Kijovia 57 (297. 298).
Kijoviense monasterium 72—76 (388—392); 194 (762); 257 (881).
Kijoviensis academia 87 (403); 88 (404); 89 (405); 256 (880); 257 (881).
Kijoviensis metropolita 90—91 (406).
Koran 208 (776).
Kormčaja 265—6 (973).
Križanič 255 (879).
Lamennais 60—63 (301—303).
Labacensis synodus 97 (409).
Laboris praeceptum 279 (972).
Legenda Christiani 107 (577).
Legendae pannonicae 6 (191); 107 (577).
Leibnitzii theodicea 213 (781).
Leo XIII. 37 (215); 210 (778).
Liberalis catholicismus 111 (579); 138 (579—580); 173 (741).
Libertas voluntatis 29 (207); 30 (208); 206 (774).
Libri prohibiti 14 (191—2).
Linguae origo 235 (867).
Linguarum donum 261 (885).
Litterae cyrillicae v. Transscriptio.
Liturgia 7 (107); 12 (85) cnt.; 167 (608); 251 (874); 249 (961); v. Proscomide, Acathisti, Cantus, Pontificale.
Liturgia slavica 2 (95); 6 (188); 11 (85); 38 (104); 107 (577); 109 (484); 166 (607); 250 (961).
Liturgia V. T. 283 (979).
Liturgiae vis in volunt. 196 (764).
Logica 50 (381).
Logos 259 (883—4).
Lourdes 252 (875).
Lucas 1, 26—38: 36 (213); 2, 1—20: 36 (213); 2, 22—28: 36 (213); 16, 8—13: 89 (404).
Ludmilae s. vita 6 (191).
Luxuriae malitia 139—40 (581—2)]; luxuriae peccati gravitas 140 (582).
Macarius aeg. 30 (208) (moral.); 84 (399)]; 260 (884).
Magi ex oriente 143 (507); 212 (780).
Malum 29 (207).
Maria 7 (25); (corredemptrix) 83 (399).
Mariae annuntiatio 36 (213).
Mariae assumptio 167 (608); 251 (875).
Mariae cultus hist. 251 (875).
Mariae festa 142 (588).
Mariae immac. conceptio 7 (1); 7 (11); 7 (39); 36 (213); 38 (215); 92 (407); 143—5 (507—9); 167 (608); 251 (875); v. Lourdes.
Mariae purificatio 36 (213).
Mariae virginitas 141 (504); 188 (756).
Mariae visitatio 36 (213).
Martyres Japon 85 (400).
Matrimoniale ius 7 (46).
Matrimonii christ. sublimitas 214 (782).
Matrimonii impedimenta 29 (207); 30 (208).
Matrimonii minister 102 (414—5); 267 (974).
Matrimonii nimia aestimatio 139 (580—1).
Matrimonii solubil. 9 (190); 35 (213); 38 (215) bis; 85 (401); 101—104 (413—416); 157—164 (509—512; 601—604); 211—2 (779—780); 258 (882); 273—4 (966—7).
Matrimonium 29 (207).
Matrimonium consummatum 9 (189); 103 (415).
Matrimonium et caelibatus 65 (305); 189 (757); 273 (966).
Matrimonium sacramentum 102 (414).
Mt 2, 1—12: 143 (507); 212 (780).
Mt 5, 31. 32: 35 (213).
Mt 5, 32: 103 (415—6); 157—164 (509—512; 601—604).
Mt 16, 18: 216—225 (784—793).
Mt 18, 17: 152 (595)
Mt 19, 9: 157—164 (509—512; 601—604);
Mt 19, 9: 103 (416); 157—164 (509—512. 601—604).
mechanistica opinio 137 (586).
Medek M. 46 (377).
meritum 126 (499—500).
Methodus dogmatica 209 (777); 225—232 (793—800).
Michael Palaeologus 78 (393).
Micheas 252 (876).
Miracula russica 190 (758).
Miraculum 28 (206).
Missae sacrificium 49 (380).
Missae stipendia 110 (579).
Missiones christianae 7 (32).
Monasteria orient. 85 (400).
Monasteriorum institutum 259 (882—3).
Monastica vita 260 (884).
Monismus 282 (978).
Moralis 28—31 (206—9); 37 (214); 50 (381); 63—69 (303—9); v. Foenus, Luxuria, Obligatio, Scrupulosi, Tolerantia etc.
Moralis et dogmatica 231 (799).
Moralis et poësis 43 (292).
Monachi Russorum 196 (764).

Moralitas actionum 125 (498).
Morbi in script. s. 143 (588).
Moscoviensis patriarchatus 189—190 (757—8).
Muhamedanismus 87 (402): 194 (762); 208 (776); 209 (777).
Mulieris christ. ius et vis 29 (207); v. Emancip.
Mundi contemptus 16 (193).
Mysteria 110 (579).
Mysticismus 260 (884).
Naturale et supern. 88 (403).
Necessitatis notio 66 (306); 67 (307).
Nehemias 79 (394).
Neochristianismus 16 (193); 84 (399). 89 (405).
Nietzsche 37 (214); 44 (293)
Nilles N. 33 (101) bis.
Nominalismus 20 (197).
Novissima 24 (201).
Nuomonachi 239 (889).
Obligationis conceptus 65 69 (305-309).
Operae vis 44 (293)
Operariorum intermissio (detrect.) operis 44 (293).
Ordinationum ritus 257 (881).
Organica materia 107 (577).
Paedagogica 49 (380); 141 (504); 142 (588); 214 (782).
Palaeodoxi 77 (393).
Palaeographica 242 (892).
Palaeoslavicae litterae 3—5 (95—7); 6 (188); 10 (190); 12 (85); 13 (100); 39 (105); 72 (387—8); 107 (577); 166—7 (607); 214 - 5 (782—3); 215—6 (783); 239—246 (889—896).
Palaeosl. versio bibl. 254 (877).
Palaestina 58—60 (298 - 300); 146 (590).
Paracletice 32 (101).
Papae primatus v. Primatus.
Passiones 78 (394)
Pastoralis theol. 7 (117); 49 (379); 77 (393); 105 (481); 109 (578); 142 (588); 173 (741); 251 (874).
Patareni 53 (384).
Patericon 194 (762)
Patriarchae Iudaeor. 196 (763).
Patriarchae Russor. 258 (881); 274 (967); 275 (968).
Patrini 20 (197).
Patristica 142 (588)
Paulus ap. 21—24 (88 - 90; 197—201); 37 (106); 96—7 (408 - 9).
Peccati (habitualis) notio 112—3 (485—6).
Peccati psychologia 142 (588).
Peccati remissio 112—3 (485—6).
Peccatores habit., recid., occas. 251 (874).
Peccatum (doctr. Pauli) 24 (201).
Peccatum mortale 63—4 (303—4).
Peccatum originale 273 (966).
Pekiensis patriarchatus 95 (311).
Pentateuchi critica 6 (107).
Pentateuchus 25 (204); 26 (204); 251 (874); 275 (968); v. Genesis.
Perfectionis actus 68 (308)
Petri precationes 261 (884).
Petri primatus 216 225 (781—793).
Petrus M. 80 (395).
Petrus Mogil. 255 (878).
Pharisaei 21 (88); 22 (89).
Philo 24 (201).
Philosophia 15 (192); 50 (381); v. Nominal. Nietzsche etc.
Philosophiae historia 5 (187); v. Boëthius etc.
Photius 78 (393); 143 (507).
Pius VII. 110 (578).
Poenitentia 85 (400); 208 (776).
Poenitentiae hist. 251 (875).
Poenitentiae sacr. 65 (305); 112—114 (485 - 487); 251 (874).
Poenitentiae virtus 112 (485).
Polemica theol. 223 (791).
Pontificale 257 (881).
Positivismus 214 (782).
Praedestinatio 79 (394); 121 (494).
Pragensis archiep. 46 (377).
Precatio 189 (757).
Primatus rom. pont. 19 (197); 108 (483); 137 (586); 172 (739—740); 216—225 (784—793); 271—2 (964); 272 (965).
Probabilismus 63 (303); 69 (309). (prob.);
Procopius s. 47 (378).
Progressus dogmatum 79 (394).
Prophetarum V. T. munus 213 (781).
Prophetiae donum 261 (884—5).
Proportiones in natura 137 (586).
Proscomide 74 (393).
Protestantismus 16 (193).
Psalmi 20 (197); 46 (377); 215 (783); 252 (876).
Psalm. comment. 239—242 (889—892).
Ps. 42: 240—6 (890—6).
Psychologia 50 (381).
Psychologicorum phaenomenorum tripartitio 184 (752).
Psychurgica 60 (300); 133—4 (506—7).
Quietistae 180 (748).
Realismus 20 (197).
Redemptio 24 (201).
Reformatio Petri M. 80 (395); v. eccl.
Regnum Dei 81—82 (397); 89 (405).
Religio 141 (503).
Religio primaeva 26 (205).
Religionis necessitas 15 (193).
Religionis notio et origo 107 (577).

Religionis origo 8 (188).
Renan 187 (755).
Restrictio 65 (305).
Resurrectio Christi v. Christi resurrectio.
Resurrectio mortuor. 20 (197); 187 (755).
Revelatio primaria 92 (408).
Romani Pontifices 57 (297).
Rosarium 251 (875).
Russiae eruditi 25 (201).
Russorum theologica instituta 32 (210).
Ruth 215 (783).
Rutheni 37 (106); 256 (880).
Sacramenti notio 102 (414).
Sacrificii N. L. essentia 248 (872).
Sancti Russorum 114 (487).
Sanctorum imagines 142 (588).
Sapientiae l. 24 (201).
Satisfactio sacrament. 250 (874).
Saul 173 (741).
Scepticismus 15 (193).
Schisma 77 (392)*); 78 (393) bis.
Schismatis historia 109 (484); 148 (592); 165 (605).
Schismatici materiales 148 (592).
Scholae Russiae occ. 255 (879); 257 (880).
Scholastica 225—232.
Schopenhauer 29 (207).
Scrupulosi 250 (874).
Sectae russicae 196 (764), v. Palaeodoxi, Veteroritualistae.
Semitarum sept. epigr. 8 (188).
Serbi in Bosna-Herc. 38 (215).
Serbi in Hungaria 37—38 (215).
Serborum negotia cum regno byzant. 39 (110).
Servorum iura 19 (197).
Slovacica 51 (293).
Socialis quaestio 209—210 (777—8).
Socialismi hist. 91 (407).
Sociologia 16 (194); 279 (972); v. Serv., Opera.
Sorabi Lusatici 54 (294).
Solov'ev V. (vita) 71 (386—7).
Spencer 7 (17).
Spiritismus 138 (587); v. Psychurgica.
Spiritualis pater 259 (882).
Spiritus s. processio 78 (393); 79 (394); 107 (577); 269 (962).
Stadler J. 33 (102).
Stigmata 16 (193).
Stigmatizatio 138 (587); 215 (783).
Stoglav 141 (503); 209 (777).
Suicidium 29 (207).
Symbola V. T. 283 (979).
Symbolica eccl. orient. 98 (410); 213 (781).
Synodi serbicae a. 1748—50: 36 (213—4).
Synodus brest. 19 (102).
„Synodus s." 80 (395).
Syria 58—60 (298—300).
Šariat 208 (776).
Tabula populorum 27 (205).
Talmud 141 (504); 214 (782).
Teleologia 17 (194).
Teleologicum argumentum 135—7 (584—6).
Telepathia 60 (300): v. Psychurgica.
Theodoretus 20 (88); 197 (765).
Theologia moralis v. Moralis.
Theologiae Russorum historia 258. (881), v. Canon. R., Moral. etc.
Theologorum munus 139 (580).
Theophylactus Rusanov 93 (408).
Thomas Aq. (moral.) 29 (207).
2 Tim 2, 20: 150 (594).
Tolerantia 88 (403); 187 (755); 196 (764).
Tolstoj 37 (214).
Traditio 276—7 (969—971).
Traditiones generis humani 92 (408).
Traditionis vis 171 (739).
Transformismus 16 (194); 37 (214).
Transscriptio litt. russ. 39—40 (216); 164 (604).
Transsubstantiatio 83 (399); 84 (399).
Trinitas 7 (58); 211 (779); v. Spiritus s.
Unctio infirmorum 8 (188); 164 (605).
Unio 81 (397); 107 (577).
Unio cum Deo 130—1 (582—3).
Unionis tentamina 109 (484); 145 (589); 165—6 (606); 166 (606—7); 255 (879); 269 (962). Cf. Schisma.
Unitorum historia 19 (102); 251 (875); 256 (880); 282 (978).
Usura v. Foenus.
Utilitarismus 29 (207).
Utraquistae 142 (587).
Velehrad 238 (870).
Venceslai s. vita 6 (191).
Verbum Dei v. Logos.
Veterocatholici 83 (398); 84—5 (400); 272 (965).
Veteroritualistae 142 (588).
Wolyniae monasteria 110 (578).
Vorobinensis ecclesia 141 (504).
Visio Dei 131 (583).
Visio beatif. 85 (401).
Vita aeterna 124—131; 175—185 (497—503; 582—3; 743—753).
Viti s. ecclesiae thesaurus 48 (379).
Zachariae annuntiatio 36 (213).

SLAVORUM LITTERAE THEOLOGICAE.

CONSPECTUS PERIODICUS.

SEPARATA EDITIO SUPPLEMENTI
PUBLICATIONIS PERIODICAE CLERI BOHEMICI
„ČASOPIS KATOLICKÉHO DUCHOVENSTVA".

DIRIGENTIBUS

Dr. JOS. TUMPACH, Dr. ANT. PODLAHA, AD. ŠPALDÁK
Pragae.
J. URBAN — Cracoviae.
Dr. FR. GRIVEC — Labaci.
Dr. LUC. JELIĆ — Jadrae.

ANNUS II.

1906.

PRAGAE BOHEMORUM 1906.
SUMPTIBUS PROPRIIS. TYPIS AEP. OFFICINAE TYPOGRAPHICAE.
IN COMMISSIONE EIUSDEM TYPOGRAPHIAE PRAGAE I.-190.
(ROHLÍČEK & SIEVERS.)

Epitome.

BOHEMICA.

Dr. K. Statečný: O Spencerově „Nepoznatelném". (Ref. Dr. Kachník.) 1
Monumenta Vaticana res gestas bohemicas illustrantia. (Ref. P.) . 2
Babylon Bohemiae 1780—90. Ed. Dr. A. Podlaha. (Ref. K.) . . . 3
Jana z Jenštejna: Tractatulus de potestate clavium. Ed. Dr. J. Zítek. (Ref. P.) 3
Hilarius Litoměřický: Traktát o nejsvětějším přijímání lidu obecného pod jednou způsobou. Vyd. Dr. A. Podlaha. (Ref. K.) . . 4
Dr. A. Vřešťál: Nejstarší mravoučná literatura česká až po dobu Tómy ze Štítného. (Ref. P.) 4
V. Hradský: Náboženství budoucnosti — žádné náboženství? (Ref. J. Černý S. J.) 4
Biblica litteratura bohemica ab a. 1900—1905 incl. Concinnavit Ad. Jašek 5
Česká Mysl 1905. (Ref. J. Vlk) 13
Časopis katolického duchovenstva 1905 . . . . . 16, 87, 178, 245
A. Fux: O tajné mluvě v mythech a při obřadech hellenských. (Ref. V.) 18
Dr. Aug. Kadeřávek: Morálka filosofická. (Ref. Dr. Kordač.) . . 81
Dr. Fr. X. Kryštůfek: Protestanství v Čechách až do bitvy Bělohorské. (Ref. V. Roudnický) 83
Dr. Jos. Kachník: Práce. (Ref. Dr. Soldát) 84
Cr. Rich. Špaček: Božství Ježíše Krista. (Ref. Dr. Eug. Kadeřávek) 85
Hlídka 1905. (Ref. Mužný) 85, 85, 176, 243
Dr. E. Kadeřávek: O darwinismu 161
Dr. Edward Babák: O theorii vývojové. (Ref. A. Špaldák) 191
Dr. Rožánek O.: Pud pohlavní a prostituce. (Ref. Ž.) 174
Dr. Vlastimil Kybal: M. Matěj z Janova. Jeho život, spisy a učení 241
Dr. Ant. Kubíček: Piaristé a jejich školy. (Ref. Dr. C. Kašpar) . 242
Dr. Jaroslav V. Sedláček: Museum biblických starožitností. (Ref. P. Franc. Reindl, C. SS. M.) 243
Frant. Tischer: K dějinám sporu arcibiskupův pražských o právo metropolitní nad biskupy olomouckými XVI. století. (Ref. Dr. C. Kašpar) 245

BULGARICA.

Bibliotheka. Priloženie na „Cъrkoven Věstnik". (Ref. Dr. F. X. Grivec) 18
Cъrkoven Věstnik 1905 . . . . . 20, 88

CROATICA.

Iv. Tkalčić; Slavensko Bogoslužje u Hrvatskoj. (Ref. A.) 21
Josip Juraj Strossmayer, biskup bosansko-djakovečki i sriemski. God. 1850—1900. (Ref. F. H. Žundálek) 21
M. Stepinac: O drevnom dogadjaju nove misli ili o nasilnoj smrti hrvatskoga kralja Zvonimira. (Ref. F. H. Žundálek) 24
U. Talia: Socijalisam i soctjalno pitanje. (Ref. F. H. Žundálek . 24
List dubrovačke biskupije. (Ref. —a) 89
Vrhbosna. (Ref. Fr. H. Žundálek) 91
Katolički List. (Ref. Fr. H. Žundálek) 92

PALAEOSLAVICA.

Jos. Vajs: Glegolitica (Liber Ecclesiastis). (Ref. P.) 25

POLONICA.

Ex periodicis, quae anno 1905 edebantur. (Ref. J. Urban S. J.) . . 25
Editio scriptorum SS. Patrum graecorum cura Scientiarum academiae Cracoviensis. (Ref. P.) 29
Ks. Wł. Chotkowski: Historia polityczna dawnych klasztorów panieńskich w Galicyi. (Ref. P.) 30
Ks. Władyslaw Szcepański: Nowy Indeks książek zakazanych, oraz jeho uzasadnienie, dzieje i nowe prawo. (Ref. C. Konopka) 92
Ex periodicis, quae anno 1905 edebantur: Kwartalnik theologiczny, Wiadomości Pasterskie, Kronika Dyecezyi Przymyskiej. (Ref. J. Urban) 93
Przegląd Kościelny 96
Przegląd Powszechny. (Ref. β) 97
Ks. Władyslav Szcześniak: Obrządek słowiański w Polsce pierwotnej 249
A. Parczewski: Początki chrystyanismu v Polsce i misya Irlandzka 250
Ks. Jan Rostworowski T. J. Z nowych kierunkow myśll katolickej 250
Idem: Liberalny katolicyzm 250

RUSSICA.

A. P. Lebedev: Cerkovnaja istoriografia v glavnych eja predstaviteljach. (Ref. Dr. F. X. Grivec) 30
A. P. Lebedev: Istorija greko-vostočnoj Cerkvi pod vlastiju Turok. (Ref. F. X. Grivec) 33

Cerkovnyja Vědomosti. (Ref. Dr. L. Petr) 37
A. L. Bajkov: Sovremennaja meždunarodnaja pravosposobnosť papstva v svjazi s učeniem o meždunarodnoj sposobnosti voobšče 40, 179
Pravoslavnyj Sobesědnik 1904. (Ref. M. Haluščynskyj) 41
M. D. Muretov: Rodoslovie Ḫrista. Ekzegetičeskoe izslědovanie. (Ref. C. Večeřa) 47
Bogoslovskij Věstnik. (Ref. Dr. Lub. Petr) 49. 272
Libri russici a. 1905 editi 53, 255
I. Krestnikov: Ḫristianskij apologet IIgo věka, Athinskij filosof Aristid i ego novootkrytyja sočinenija. (Ref. M. Haluščynskyj O. S. B. M.) 98
M. Popov: Arsenij Macěevič, mitropolit Rostovskij i Jaroslavskij. (Ref. M. Haluščynskyj) 102
N. Lipskij: Psiḫologičeskija osnovy umstvennago i religiozno-nravstvennago vospitanija v doškolnyj period. (Ref. C. Jež.) 105, 187, 229.
Pravoslavnaja Bogoslovskaja Enciklopedija. (Ref. M. Haluščynskyj, C. Večeřa) 109
Strannik. (Ref. Dr. F. Grivec) 114
„Učenyja Zapiski Imperatorskago Kazanskago Universiteta“ . . . 114
Pís'ma i donesenija iezuitov o Rossii konca XVII. i načala XVIII. věka 115
M. N. Esaulov: Naučnyja osnovy religii 116
Tentamen bibliographiae patristicae 117
„Vizantijskij Vremennik“. (Ref. —a) 120
Academia ecclesiastica Kazanensis, et polemica christianoislamica. (Ref. P. A. Palmieri) 251
Věra i Razum. (Ref. A. Palmieri) 253
Ḫristianskoe Čtenie. (Ref. F. Jemelka) 257
De statu, qui nunc est, disciplinae iuris ecclesiastici in Russia quaedam animadversiones. (Ref. D. Jaremko) 261
Voprosy Filosofii i Psiḫologii. (Ref. C. Jež.) 264
Episcopus Arsenij: Isledovanija i monografii po istorii Moldavskoj cerkvi. (Ref. M. Haluščynskyj) 265
Cerkovnyj Věstnik. (Ref. Dr. Lub. Petr) 277
A. P. Lebedev: Istorija vselenskiḫ soborov 280

RUTHENICA.

Niva. 56
Katolickij Vsḫid. (Ref. Fr. H. Žundálek) 57
De statu praesenti ecclesiae et litterarum theologicarum apud Ruthenos in Galicia. (Ref. On. Volanskyj) 191

SERBICA.

Uredba crkveno-prosvjetne uprave srpskih pravoslavnih eparhija u Bosni i Hercegovini 58
Glasnik Pravoslavne Crkve. (Ref. G. R.) 122

Glasnik pravosl. dalmatinske crkve. (Ref. G. R.) 193
Istočnik 1905 281

SLOVENICA.

Fr. Kovačić; Občna metafizika ali Ontologija. (Ref. Dr. A. Ušeničnik) 58
Dr. Jos. Somrek: Gospodova zadnja večerja. (Ref. Dr. F. Kovačić) 60
Fr. Kovačić: Anicij Boetij in njegovo modroslovje. (Ref. Dr. A. Ušeničnik) 60
Voditelj v bogoslovnih vedah 194
Katoliški Obzornik 195

QUAEDAM DE QUIBUS THEOLOGI UTRIUSQUE ECCLESIAE DISSENTIUNT.

De sacramento paenitentiae. (A. Špaldák) 61, 195
Doctrina Russorum de canone Veteris Testamenti. Concinnavit Ad. Jašek 123, 282
Sunt-ne Latini Quartodecimani? (C. Tondini) 138
Slavorum Meridionalium catholicorum liturgicae linguae. (Dr. J. Jelić) 296

EXTRANEA, RES SLAVORUM SPECTANTIA.

Archiv für slavische Philologie. 76
Bessarione 77
Echos d'Orient 77
Revue de l'Orient chrétien. 78
Revue Augustinienne 78
Byzantinische Zeitschrift 79
Revue d'histoire ecclésiastique 152
Rivista storico critica delle scienze teologiche 153

MISCELLANEA.

Abbé Gust. Morel † 79
Joannes de Kronstadt 79
† Ivan Tkalčić 80
† P. A. Syrku 80
In transcribendis litteris Russorum 80
D. Placide de Meester O. S. B.: Le dogme de l' Immaculée Conception et la doctrine de l' Eglise grecque 154
Antoine Malvy: L'union des Eglises Chrétiennes 155
Revue internationale de théologie 232
Fontes theologiae orientalis 236
Κωνστ. Ι. Δυοβουνιώτης, Η ΜΕΣΗ ΚΑΤΑΣΤΑΣΙΣ ΤΩΝ ΨΥΧΩΝ (Ref. A. Špaldák) 306

Revue Augustinienne 1906 313
Zeitschrift für katholische Theologie 1906 313

RESPONSA AD INTERROGATIONES.

Liturgia orientalis 155
De capite ecclesiae 156
De purgatorio 158
De divortio. 237
Quas quaestiones controversas esse inter catholicos et orthodoxos Russi vulgo opinentur 238

ALIORUM IUDICIA DE NOSTRO PERIODICO.

Wissenschaftliche Beilage zur Germania 239
La Civiltà Cattolica 240
Slovenec 1906 315
Theologisch-praktische Quartalschrift 315

Slavorum litterae theologicae.

Conspectus periodicus.

Dirigentibus

Dr. Jos. Tumpach. Dr. Ant. Podlaha. Ad. Špaldák. Pragae.
J. Urban. Cracoviae.

Annus II. (1906) Pragae Bohemorum. Nr. I.

BOHEMICA.

O Spencerově „Nepoznatelném“. Kritický rozbor prvé kapitoly Spencerovy „Filosofie Souborné“. Podává Dr. *Karel Stateční*, professor morálky a filosofie při theol. ústavě v Českých Budějovicích. V Praze, 1904. Otisk z „Čas. kat. duch. 1904—1905. (**De Spenceri „Incognoscibili“.** Analysis critica primi capituli Spenceri „Philosophiae syntheticae“. Auctore Dre *Car. Stateční*, theologiae moralis et philosophiae in instituto theologico Budvicensi Bohemorum professore. Pragae 1904. Separata editio tractatus in „Čas. kat. duch.“ [Public. periodica cleri catholici bohemici] annis 1904—1905 publicati.)

Philosophi Spenceri opera in linguam bohemicam translata late apud Bohemos propagantur et frequenter leguntur. Non exiguum exinde religioni et moralitati imminet periculum. Meritorium ideoque certe auctor huius tractatus suscepit opus, argumentis e philosophia christiana depromptis doctrinam Spenceri de „Incognoscibili“ redarguendi.

In articulo primo (pag. 1—6) ostendit, Spencerum frustra religionem cum scientia conciliare velle, religio enim christiana a religione naturali, quam Spencer religione revelata reiecta admittit, toto coelo differt. In articulo secundo (pag. 7—18) exponitur, Spencerum affirmare, id, quod de re simul cogitari non potest, esse symbolicum, impossibile, fallax. Hoc valere de origine mundi. Non enim potest cogitari mundus a se, quia deberet cogitari alicubi et deberet cogitari in praeterito, neque potest cogitari mundus creatus ab infinito ente, quia ipsum ens infinitum deberet cogitari in aliquo loco et in tempore praeterito, quod utrumque Spencerus impossibile esse dicit. — Rite contra hoc sophisma, iam a sophista Gorgia usurpatum, auctor opponit ubi infinitum est, ibi de spatio et tempore sermonem fieri non posse, quia conceptus infiniti omne spatium et tempus excludit. Si Spencerus falsae sententiae de infinito insistens asserat, diversas de origine universi opiniones religiosas alio modo conciliari non posse, nisi ut vis, cuius effectus universum est, absolute incognoscibilis et inscrutabilis agnoscatur, recte auctor opponit, cum universum sit cognoscibile et scrutabile, etiam causam, cuius effectus universum est, aliquatenus cognoscibilem et scrutabilem esse oportere. In articulo tertio (pag. 19—54) ad particularia iam procedens, auctor supremas scientiae ideas et

quidem: materiae, motus, efficientiae, extensionis et substantiae — quas Spencer absolute incomprehensibiles esse dicit — secundum doctrinam s. Thomae Aquinatis exponit, easque rationi humanae vere accessibiles esse, clare ostendit. Maior pars ontologiae christianae hic loci contra positivistica principia Spenceri ad bellum producitur. Neque desunt in articulo quarto (pag. 55—71) principia logicae christianae, quibus opinio Spenceri, Absolutum ideo esse absolute incogitabile, quia deest, ad quod referatur, a quo differat et cui sit simile — refutatur. Vere enim non est methodus cognitionis analytica, qua Spencer in scientia a singularibus ad universalia unice progrediendum esse censet, via unica, qua cognitionem haurimus, sed existit etiam methodus synthetica et methodus cognitionis analytico-synthetica, quae est optima. Hac autem via Absolutum — Deum — causam primam, via causalitatis, remotionis et eminentiae aliquatenus etsi solummodo per analogiam cognoscere possumus. Quae cognitio per analogiam vere est cognitio scientifica, quia ipsa etiam in scientiis naturalibus persaepe locum habet, quum evidentia mathematica solummodo in paucissimis haberi queat. — In articulo denique quinto (pag. 72—145) auctor conciliationem scientiae et religionis in eo consistentem, ut agnoscatur tum a scientia tum a religione, adesse limitem, citra quem „Inscibile“, etsi cordi humano desiderabile et necessarium, positum sit — impossibilem dicit. Hac enim conciliatione admissa, religio nihil esset, nisi pars scientiae, et vera esset theoria Spenceri, falsas et imperfectas sententias religiosas progrediente scientia esse reformatas et reformari, usque dum scientia locum occupet religionis. Actum esset revera de religione supernaturali. Laudabile quidem est, Spencerum ens experientiam humanam transcendens strenue asserere, sed cum illud „Inscibile“, inscrutabile esse dicat, agnosticismum religiosum docet et secum ipse dissentit.

Testimonia auctor lingua latina affert terminosque philosophicos eiusdem linguae saepissime adhibet. Propter lectores linguae latinae in genere et terminorum scholasticorum in specie ignaros utilius forsan esset, si passim termini philosophici linguae bohemicae, prout eos in operibus suis viri nostrates in philosophia christiana versati Dr. Jos. Pospíšil et Dr. Eug. Kadeřávek statuerunt, adhibiti fuissent. Multum enim occupantur versione bohemica operum Spenceri magistri scholarum inferiorum, quibus omnis scientia linguae latinae deest.

Ceterum autem sincere fatendum, argumentationem et criticam ubique esse claram et stringentem. Studiosi philosophiae christianae et academice exculti exemplar hic habent, quomodo principia philosophiae perennis ad mentem piae memoriae papae Leonis XIII. ad redarguendos errores philosophiae „modernae“ apte adhiberi possunt.

Olomucii. Prof. Dr. *Jos. Kachník.*

Monumenta Vaticana res gestas bohemicas illustrantia. Sumptibus comitiorum Regni Bohemiae ediderunt ad recensendos historiae bohemicae fontes delegati.

Anno 1887 comitia regni Bohemiae in eo convenerunt, ut omnis materia in archivis Romanorum Pontificum latens, quoad res gestas spectat bohemicas, per viros historiae patriae peritos quam accuratissime indagaretur. Inde ab anno 1894 cura materiae archivo Vaticano iam depromptae in lucem proferendae viris commissa est eruditis, qui recensendis historiae patriae fontibus deputati existunt. Hucusque in lucem prodierunt:

Tomus I. Acta Clementis VI. 1342—1352 opera Ladislai Klicman (Pragae 1903). Pag. XIV+953.

Tomus V. Acta Urbani VI. et Bonifatii IX. 1378—1404 opera Camilli Krofta. (Pragae 1903—1905). Pag. XXIII+1502.

Ad historiam ecclesiasticam regni Bohemiae cognoscendam opus hoc summa cum diligentia elaboratum maximi est momenti. Tomi hucusque editi praecipue de interiore ecclesiae statu in Bohemia nos edocent, supplentque fontes ex aliis archivis domesticis in lucem prolatos, videlicet „Libros confirmationum“ et „Acta iudiciaria consistorii Pragensis.“ De hac re editor tomi V. C. Krofta ipse ita in praefatione scribit: „Cum enim hi domestici, prius editi fontes rerum ecclesiasticarum dioeceseos Pragensis administrationem illustrent, quantum archiepiscopus auctoritate ordinaria eam exercebat, ex monumentis Vaticanis hucusque editis patebit, quatenus eadem administratio a sede apostolica dependerit.“ *P.*

Josephus Locatelli: Babylon Bohemiae ab anno 1780 usque ad annum 1790. Edidit Dr. *Ant. Podlaha.* (Editiones archivii et bibliothecae s. f. metropolitani capituli Pragensis. Fasc. I.) Pragae 1905. III+152 pag. Pretium: 3 C.

Canonicus metropolitanae ecclesiae Pragensis Josephus Locatelli (* 1749, † 1800) scripsit tres libros de memoria vitae suae. Primus liber hac editione publici iuris factus est. Opus hoc ad illa tempora cognoscenda haud exigui est momenti. Auctor novitatibus in rebus ecclesiasticis tunc introductis nequaquam amicus opinionem suam aperte profitetur, etsi optimam Josephi II. caesaris voluntatem sincere agnoscat.

Jana z Jenštejna: Tractatulus de potestate clavium. Z vatikánské knihovny podává, úvodem a poznámkami provází Dr. *Jan Zítek.* **(Ioannis a Genczenstein: Tractatulus de potestate clavium.** Ex manuscripto bibliothecae Vaticanensi nunc primum edidit notisque illustravit dr. *Joh. Zítek.*) V Praze. Tiskem kníž. arcib. knihtiskárny Nákladem vlastním 1905. Pag. 39 in 8°.

Joannes a Genczenstein, archiepiscopus pragensis (1379—1396) scripsit tractatulum hunc rogante papa Urbano VI. tempore funestissimi schismatis ecclesiae occidentalis, cuius causa fuit antipapa Robertus Avinionensis. Demonstrat existentiam et necessitatem primatus romani pontificis refellitque obiectiones ea aetate tritas. Praefatio observationesque, quibus accurata haec editio instructa est, diligentissime sunt elaboratae. *P.*

Hilarius Litoměřický: Traktát o nejsvětějším přijímání lidu obecného pod jednou způsobou. Vydal Dr. *Ant. Podlaha.* **(Hilarii Litomericensis: Tractatus de communione laicorum sub utraque specie.** Edidit Dr. *Ant. Podlaha.*) Editiones archivii et bibliothecae s. f. metropolitani capituli Pragensis Nr. II. Pragae 1905. Sumptibus s. f. metropolitani capituli Pragensis. Pag. III+127. Pretium 3 Cor.

Anno 1495 mense Februarii indictus est Pragae procerum sacerdotumque conventus, in quo sollemnis inter catholicos et utraquistas instituta est disceptatio. Duravit certamen hoc quinque diebus continuis. Palmam tulit Hilarius Litomericensis, metropolitani capituli Pragensis decanus, qui una cum canonico Venceslao Křižanovský, sophismata Rokyczanae, utraquistarum ducis, diluit et gloriosum veritati catholicae testimonium perhibuit. Ipse dein disputationem hanc latine descripsit, quam narrationem Henricus Canisius in suis „Lectionibus antiquis" (1601) primus vulgavit, deinde Jac. Basnage (1725), postremo autem et quidem optime A. Voigt (1775) ediderunt. Materiam disputationis Hilarius insuper fusius in opere lingua bohemica elaborato pertractavit, quod opus nondum typis vulgatum nunc primum e quatuor manuscriptis codicibus bibliothecae metrop. capituli Pragensis diligenter collatis critica ratione editum est.

Nejstarší mravoučná literatura česká až po dobu Tómy ze Štítného. Řeč, kterou při své dne 5. prosince 1905 konané installaci promluvil Dr. *Ant. Vřešťál,* t. č. rektor c. k. české university Karlo-Ferdinandovy. (**De antiquissimis litteris bohemicis doctrinam de moribus tractantibus usque ad Thomam de Štítné.** Oratio, quam habuit 5. Decembris 1905. Dr. *Ant. Vřešťál,* dum in rectorem c. r. universitatis bohemicae inauguraretur.) V Praze 1905. Pag. 8 in 16⁰.

Doctissimus auctor, h. t. professor theologiae moralis in theologica facultate Pragensi necnon rector universitatis paucis exponit, quaenam de moribus lingua bohemica scripta fuerint incipiendo a saec. XIII. usque ad finem saeculi XIV. Quae ante Thomam de Štítné, qui in fine huius periodi floruit, scripta sunt, parum valent cum maxima ex parte nihil aliud sint nisi poëmata ad usum rudium composita. Ille demum Thomas scripsit nonnulla opera, quae iure meritoque magni aestimantur.

V. Hradský: **Náboženství budoucnosti — žádné náboženství? (Religio futuri temporis — nulla religio?)** Pragae 1905. P. 128.

Tempori aptus hic libellus apologeticus eos impugnat, qui ex progressu atheismi saeculi decimi noni evincere student, futurum tempus religionibus vacuum fore. Praeter partem polemicam invenitur hic admixta pars positiva. Ibi agitur de causa celebritatis famae atheistarum, de nativa religione theistica, de origine paganismi et polytheismi, de philosophia materialistico-pantheistica comparata cum religione christiana, de modo levi et a doctrina alieno, quo gravissimae quaestiones vitae tractari soleant, prorsus de eis, quae peversitatem omnimodam atheismi efficiunt.

Libellus scriptus est magna eruditione, scribendi genere facili et iucundo: unde etiam ad oratores iuvandos aptus est.

J. Černý S. J.

Biblica litteratura bohemica ab a. 1900—1905 incl.

Concinnavit Ad. Jašek.

Quoniam occidentales publicationes periodicae biblicae ignorant biblica slavica [1]), tamquam supplementum litterarum biblicarum enumeratarum in Orientalische Bibliographie (Berlin) et Biblische Zeitschrift (Freiburg in Br.) colligere placuit biblica bohemica edita ultimo quinquennio.

Explicationes abbreviationum: B. Pr. = Bílý Prapor. Olomuc. Anno 1901. editus a. I.; Č. k. d. = Časopis katolického duchovenstva. Praha. A. 1899 — 1900 — XLI.; Hl. = Hlídka. Brno. A. 1900 — XVII.; M. b. = Museum. Časopis bohoslovců československých. Brno A. 1899—1900.—XXXV.; Č. M. kr. č. = Časopis Musea království českého. Praha. A. 1900—LXXIV.; N D. = Naše Doba. Královské Vinohrady. A. 1900—VII.; N. Ž. = Nový Život. Prostějov. (Nový Jičín antea.) A. 1900—V.; O. N. S. = Ottův Naučný Slovník. Praha. A. 1900 fasc. XV.; Vl. = Vlast. Praha. A. 1899 — 1900 XVII. P. (p.) = pagina(e). R = recensuit. Numeri, qui ponuntur post locum editionis, complendi sunt num. 19—, ut accipias annum saec. XX.; ( ) = recensio libri litteraturae extrabohemicae; [ ] = ubi recensio libri inveniatur.

Biblica litteratura Veteris Testamenti:

V. Müller a E. Žák, Svatá země. Pouť v obrazích z Betlema na Golgotu. Terra Sancta. Praha. [Č k. d. XLI. p. 608].

Dr. Just. V. Prášek a Tošner de Simon Ludvík, Palestina. O. N. S. XIX p. 95—102.

B. Javůrek, Palestina z ptačího pohledu. Palaestina ex obliquo visa. Praha [Č k. d. XLIII].

Dr. Just. V. Prášek, Samaria. O. N. S. XXII. p. 572.

Josef Růžička, Mrtvé Moře. Mare Mortum. O. N. S. XVII. p. 826—28.

Voda Mrtvého Moře. Aqua Maris Mortui. Věda a Práce. Praha XI. (03.) p. 42—43.

Dr. Just. V. Prášek, Moab. O. N. S. XVII. p. 483.

Poloostrov Sinajský. Paeninsula Sinai. Hl. XXI. p. 71—72.

Dr. Just. V. Prášek, Mesopotamie O. N. S. XVII. p. 157—58.

Jos. Růžička, Nil. Nilus. O. N. S. XVIII. p. 322—27.

Dr. Al. Musil, Nil u staré Kâhiri Nilus apud antiquam Kâhiram. N. Ž. VI. p. 51—54.

Dr. Al. Musil, Staroegyptské prameny místopisu a národopisu jižní Palestiny a pohraničních území. Starozákonní studie. Fontes Antiquae Aegypti spectantes ad topographiam et ethnographiam austrinae Palaestinae et terrarum finitimarum. Hl. XVIII. p. 247-52, 302—06, 695—98 778—84.

Dr. Ignác Steinochr, Starý Egypt v pařížském Louvru. Antiqua Aegyptus in Louvres Parisiorum. Vl. XIX. p. 902—07, 1024—29.

Dr. Jar. Sedláček, Pouť do posvátných míst sv. země a Egypta. Průvodce po svatých místech. Peregrinatio in sacra loca s. terrae et Aegypti. Praha 02. P. 302. [Č. k. d. XLIII. p. 216].

---

[1]) In Orientalische Bibliographie per aliquot annos indicabat Dr. Just. V. Prášek bohemicam litteraturam spectantem orientalia, sed nescio, qua de causa ab hoc meritorio opere defecerit. Hucusque haec publicatio indicat litteraturam russicam spectantem orientalia sed mancam.

Dr. Just. V. Prášek, Martina Kabátníka Cesta z Čech do Jerusalema a Kaira r. 1491—92. Martini Kabátník iter ex Bohemia in Hierosolymos et Cairo susceptum a. 1491—92. Praha. Světová knihovna 191. [Vl. XVII. p. 871].

Dr. Al. Musil, Kuṣejr 'Amra. Věstník České Akademie. XI. 02. 5. p. 325—49. [Č. M. kr. č. LXXVI. p. 567—70. R. Dr. Just. V. Prášek — Vl. XX. p 570.]

(Dr. Al. Musil, Kuṣejr 'Amra und andere Schlösser östlich von Moab. Wien 02. [Hl. XIX. p. 440—41. R. Dr. Fr. Kyzlink.])

(Кондаковъ Н. П., Археологическое путешествіе по Сиріи и Палестинѣ. Санктпетербургъ. 04. Iter archaeologicum per Syriam et Palestinam. [Č. k. d. XLVI. p. 298-300 R. Dr. Jar. Sedláček)].

Josef Foltynovský, Ze severosemitské epigrafie. Ex epigraphia Semitarum septentrionalium. M. b. XXXIX. p. 15—18, 80—81, 117—19, 171—75, 246—47.

Dr. Rud. Dvořák, Orientální filologie, Philologia orientalis. O. N. S. XVIII. p. 864—65

Dr. Rud. Dvořák, Semitské jazyky. Linguae semiticae. O. N. S. XXII. p. 838—43.

Dr. F. Karban, Hebrejsko-český slovník k prvním 10 kap. Gen. Hebraico-bohemicum vocabularium ad prima X cap. Gen. Praha.

Dr. F. Karban, Hebrejsko český slovník ke knize Ruth. Hebraico-bohemicum vocabularium ad librum Ruth. Praha.

Fr. Vymazal. Hebrejsky snadno a rychle. Hebraice facile et celeriter. Praha.

Dr. F. Karban, Arabsky čísti a psáti ve 4 hodinách pro samouky. Arabice legere et scribere in quattuor horis sine magistro. Praha.

Dr. Jar. Sedláček, Úvod do knih Starého Zákona. Introductio in libros Veteris Testamenti. Praha 04—05. P. 471. [Č. k. d. XLVI. p. 737. R. Franc. Reindl. — M. b. XXXIX. p. 270—71]

(Dr. Herm. Zschokke, Historia Sacra Antiqui Testamenti. Vindobonae 03. [Č. k. d. XLVI. p. 179—183 R. Dr. Jan Hejčl.])

Frant. Kozák, Nauka o Písmu. Doctrina de S. Scriptura. (= Introductio in libros sacros U. T.). Čáslav 02

Jan Hejčl, Nově objevený rukopis Pentateuchu hebrejského, psaný písmem čtvercovým. Nuper inventus codex ms. Pentateuchi hebraici exaratus scriptura quadrata. Č. k. d. XLV. p. 263—64.

(Vajs Jos., Recensio croatico—glagolitici fragmenti Verbenicensis. Veglae. 03. [Č. k. d. XLVI. p. 100]).

(Zwolski Stephanus, De bibliis polonicis, quae usque ad initium saeculi XVII. in lucem edita sunt. Posnaniae 04. [Č. k. d. XLVI. p. 101]).

Codex Písma (latinský). Codex Scripturae latine scriptus asservatus Olomucii e saec. XIV. Hl. XXI. p. 72—73

Dr. Rud. Dvořák, Septuaginta. O. N. S. XXII p. 871

Dr. Rud. Dvořák, Pešito. O N. S. XIX. p. 595—96.

Jan Rouhal, Dvě rukopisné bible české. Duo manuscripta biblia bohemica. Výroční zpráva c. k. vyšší reálné školy v Pardubicích 01. [Listy filologické. Praha XXVIII. 01. p. 478—79. R. O. Hujer.]

(Dr. Janez Ev. Krek, Zgodbe svetega pisma. Historiae biblicae. Celovec. 04. [Č. k. d. XLVI. p. 214]).

(Вигуру-Воронцовъ, Руководство къ чтенію и изученію Библіи. 2 t. Moskva 1897—1902. [Č. k. d. XLVI. p. 312]).

Dr. Al. Musil, Nejnovější směry v kritice Starého Zákona. Novissimi cursus in critica V. T. Recensuit in hoc artic.: Briggs, The higher criticism of the Hexateuch. New York. 1897. G. A. Smith, Modern criticism aud the preaching of the O. T. London 01. Ed. König,

Neueste Prinzipien der alttestamentlichen Kritik geprüft. Berlin 02. Hl. XX. p. 227—31.

V. Oliva, Moderní kritika Písem sv. Nova critica S. Scripturae. Č. k. d. XLI. p. 514—17.

Otázka biblická. Quaestio biblica. B. Pr. II. Autorita bible. Auctoritas S. Scripturae. p. 5—6, 17—19, 37, 50—51. Počátky Israele a kritika. Principia Israelis et critica. p. 60—61, 76—77. Bible, věda a historia. S. Scriptura, scientia et historia. p. 99—100, 117—118.

Biblická otázka a nový papež. Quaestio biblica et novus Papa. B. Pr. I. p. 334—35.

Dr. Al. Musil, Církev a bible. Ecclesia et S. Scriptura. Hl. XXI. p. 244—50.

Dr. Al. Musil, Církev a bible. Ecclesia et S. Scriptura. N. Ž. IX. p. 315—19.

Castranus, Bible a Církev. S. Scriptura et ecclesia. B. Pr. I. p. 252—53, 261—63, 279—81, 288—89, 301—03, 308—09, 324.

Lang V., Bible a kritika. S. Scriptura et critica. B. Pr. II. p. 248—49, 269—72.

Dr. Frant. Novák, Loisy. Hl. XXI. p. 153—61, 225—32, 305—13, 419—24, 473—78, 564—68, 647—51, 721—25.

Co se soudí o Loisym. Quid putetur de Loisy. B. Pr. II. p. 13—14. — Biblická komise a »loisysmus«. Biblica commissio et »loisysmus«. B. Pr. II. p. 3—4. — A ještě o Loisym. Et rursus de Loisy. B. Pr. II. 51—53.

Fr. Grivec, Ex apologia russica biblica. Č. k. d. XLVI. p. 206.

Projevy pravoslavného tisku o biblistice katolické. Quid orthodoxi de catholicis biblicis sentiant. M. b. XXXIX. p. 111.

(Fr. Vinc. Zapletal, Der Totemismus und die Religion Israels. Freiburg 01. [Č. k. d. XLII. p. 587—89. R. Dr. Jar. Sedláček]).

(A. H. Sayce, The Religions of Ancient Egypt aud Babylonia. Edinburg 03. [Hl. XX. p. 476—77. R. Dr. Al. Musil]).

(Dr. Franz Schmid, Der Unsterblichkeits- und Auferstehungsglaube in der Bibel. Brixen 02. [Hl. XX. p. 43—44]).

(P. M. Jos. Lagrange, La Méthode historique surtout à propos de l' A. T. Paris. [Č. k. d. XLV. p. 397—98. R. Dr. Vinc. Zapletal]).

(Dr. Fr. Döller, Rytmus, Metrik und Strophik in der biblisch-hebräischen Poesie. Paderborn 1899. [Č. k. d. XLI. p. 154—56. R. Dr. Ign. Steinochr]).

(Dr. Fr. Vinc. Zapletal, Die Metrik des Buches Kohelet. Freiburg 04. [Č. k. d. XLVI. p. 79. R. Frant. Reindl]).

(Hildebrand Höpfl, Das Buch der Bücher. — Freiburg 04. [Č. k. d. XLVI. p. 729—30. R. Dr. Ant. Podlaha. — M. b XXXIX p. 110—111]).

(Кл. Рыбинскій, О Библіи. Kiev 02. [Č. k. d. XLVII. p. 287]).

Inspirace. Inspiratio. Hl. XXI. p. 274—75.

F. Kratochvil, Inspirace Písma sv. Inspiratio S. Scripturae. M. b. XXXV. p. 22—30, 77—80, 128—31, 198—235.

(Fr. Hummelauer, Exegetisches zur Inspirationsfrage. [Hl. XXI. p. 683]).

F. Vigouroux, Bible a nejnovější objevy v Palestině, Egyptě a v Assyrii. Biblia et novissimae adinventiones in Palaestina, Aegypto et Assyria. Versionem fecit et locupletavit dr. Ant. Podlaha. Praha 1895—03. 5 vol. P. 370 + 576 + 650 + 664 + 376 [Vl. XIX. p. 1148 — Č. M. kr. č. LXXVII. p. 570—72. — N. D. VII. p. 316—17].

Dr. Klouda, Bible a Babel. Transl. e germ. a prof. Delitzsch. Praha 1903.

Dr. Al. Musil, Bible nebo Babel? Biblia an Babel? Hl. XX. 289—94, 366—71. 531—36, 586—93, 675—81, 756—61, 829—36, 881—901.

Frant. Stejskal, Bible a (et) Babel. Č. k. d. XLV. p. 14—20, 176—80, 283—87, 375—78, 438—47.

Jos. Černík, Bible a Babylon. Vl. XIX. p. 1046—49, 1134—1140.

K otázce Babel a bible. Ad quaestionem Babel et Biblia. Vl. XX p. 454—57.
Palic J, Biblia a Babel (slov. ev) Církevní listy 5.
Bibel-Babel. M. b XXXVIII. p 189—195.
Bibel-Babel. Česká mysl. Král. Vinohrady. IV. 03. p 236 38.
Bible-Babylon N D. IX p. 558 59.
Dr. Al. Musil, Zákonník Hammurabiho. Leges Hammurabi Hl. XX. p. 372—76, 497 501, 606—610, 682—86, 767—70, 822 29.
Zákon Hammurabi-ho a Mojžíšův. Lex Hammurabi et Moysis. B. Pr. III. p. 126—27.
(Dr. Jos. Döller, Bibel und Babel oder Babel und Bibel? Paderborn 03. [Č. k. d. XLIV. p. 282 87])
Z babylonské školy. E schola babylonica. Hl. XXI. p. 78.
Písemné památky z babylonských rakví. Litteraria monumenta ex capulis babylonicis N. D. IX. p. 717—18.
Dr. Fr. Bolek, Symbolismus Chamitův a tabulka sipparská. Symbolismus Chamitarum et tabula Sipparae. Hl. XX. p. 124 29, 191—97.
Dr. Al. Musil, Nejstarší knihovna. Antiquissima bibliotheca (babylonica Nippuri). Hl. XVIII. p. 197—98
Jos. Červík, Tell-el-Amarnské listy Epistolae Tell-el-Amarna M. b. XXXVII. p. 61 66. — (Ebehard Schrader, Die Keilinschriften und das Alte Testament. Berlin 02—03. [Hl. XX. p. 298—99. R dr. Al. Musil]).
Dr. Václav Hazuka, Příspěvek k otázce, zda západosemitské Ja'um je skutečně jméno Boží, či tvar slovesný neb adjectivum. Quaedam de quaestione, utrum Ja'um Semitarum occident. sit revera nomen Dei, an vero forma verbalis vel adiectivum Č k. d. XLVI. p. 897—907.

Dr. Jan Lad. Sýkora, Zlatá bible klassiků. Dějiny zjevení Božího ve Starém i Novém Zákoně. Aurea biblia classicorum. Historia revelationis divinae in Vetere et Novo Testamento Vídeň. [Č. k. d. XLI. p. 414. R. dr Fr. Kryštůfek].
Dr. Jan Lad. Sýkora, Ze zlaté bible klassikův. Ex aureis bibliis classicorum. Alétheia Praha VII 03 Status et lapsus protoparentum. Promissio Redemptoris. Incrementum et passio posterorum Jacobi in Aegypto. Electio Moysis a Deo. Plagae Aegyptiorum. Israelitae in deserto. Lex in Sinai promulgata p. 89—99, 115—24, 142—49, 164—69, 193—202, 231—37, 251—61.
Dr. Ant. Podlaha, Dějiny zjevení Božího Starého i Nového Zákona Historia revelationis divinae Veteris et Novi Testamenti. Praha 01. [Č k. d. XLII p. 407—08. R. dr Jan Fr. Zítek]
Dr. Al. Musil, Edomský králevič Hadad dle LXX B a textu massoretského. Starozákonní studie Edomitarum regulus Hadad secundum LXX B et textum massoreticum Hl. XVII. p. 15—18, 86—90, 158—63.
Dr Just V. Prášek, Dějiny starověkých národů východních. Díl I. Od prvých začátků po vznik staroorientálních velmocí. Díl II. Velmoci staroorientální. Historia antiquorum populorum in Oriente. Pars I. A primordiis usque ad originem imperiorum Veteris Orientis. Pars II. Imperia Veteris Orientis. Praha P. XII. + 487 + 520 [Č. M. kr č. LXXV. p. 549—55 R. dr. Al. Musil. — Č k. d XLIV. p. 359—60. R dr. Vinc. Zapletal — Osvěta. Praha XXX. 00 p 276—77. R. dr Ant Podlaha]
O počátku egyptského království De initio regni Aegyptiorum. Hl XXI p 76—77.
(H. Guthe, Geschichte des Volkes Israel Leipzig 1899 [Č k. d XLI p 540 44, 604—06, 652—54. R. dr Just. V Prášek])
(Z. Ragozina, Drevnějšaja istorija Vostoka. Istorija Chaldeji s otdalennějšich vremen do vozvyšenija Assiriji. Petrohrad. [Hl. XX. p. 45]).
Dr. Rud. Dvořák, Semité. Semitae. O N S. XXII. p. 837—38.

Fr. Žák, Vzpomínka na dílo P. Jana Slesiny T. J. »Commentarius in universam Sacram Scripturam. Recordatio operis P. Joannis Slesina S. J. »Commentarius in universam Sacram Scripturam. Č. k. d. XLVI. p. 949—52.

Dr. Al. Musil, Od stvoření do potopy. A mundi creatione usque ad diluvium. Praha 05. P. 168. [Č. k. d. XLVI. p. 381—82. R. dr. Vinc. Zapletal. — Vlast XXII. p. 181—82. R. Alfr. Neubauer]

(A. H. Лопухинъ, Пятокнижіе Мойсеево. Толковая Библія или комментарій на всѣ книги св. Писанія Ветхаго и Новаго завѣта. Peterburg 04. [Č. k. d. XLVI. p. 204—205]).

Frant. Šverdík, Hexaemeron v exegesi. Hexaëmeron in exegesi. M. b. XXXV. p. 54—60.

(Dr. Vinc. Zapletal, Der Schöpfungsb richt der Genesis. Freiburg 02. [Č. k. d. XLIV. p. 73—74. R. Fra J. Mergl. — Vl. XIX. p. 1147]).

Dr. Vinc. Zapletal, O obrazu božím v člověku. De imagine Dei in homine. Č. k. d. XLIV. p. 392—97, 508—13.

(Dr. Vinc. Zapletal, Alttestamentliches. Freiburg. [Č. k. d. XLV. p. 202—03. R. P. Jan Hudeček]).

Potopa. Diluvium. O. N. S. XX. p. 337—38.

Dr. Al. Musil, בְּנֵי שֵׁם עֵילָם Gen. 10, 22; I. Chr. 1, 17. Hl. XVIII. p. 272.

(Gottfried Hoberg, Die Genesis nach dem Literarsinn erklärt. Freiburg 1899. [Č. k. d. XLI. p. 413—14. R. dr. Ign. Steinochr]).

Dr. Al. Musil. Farao Exodu, Pharao Exodi. Hl. XVIII. p. 263—65.

Mojžíš, Moyses. O. N. S. p. 511—12.

Dr. Just. V. Prášek, Levité. Levitae. O. N. S. p. 970—71.

Dr. Rud. Dvořák, Pentateuch. O. N. S. XIX. p. 453—57.

Dr. Jan Hejčl, Pentateuch. Č. k. d. XLVI. p. 657—63, 830—36.

Dr. Al. Musil, Jak vznikl Pentateuch. De origine Pentateuchi. Hl. XXI. p. 253—55.

O Pentateuchu. De Pentateucho. Hl. XX. p. 711—12.

O zastavení slunce Josuem. De statione solis per Josuem. Hl. XXII. p. 980.

(P. M. Jos. Lagrange, Le Livre des Juges. Paris 03. [Č. k. d. XLIV. p. 218—19. R. dr. Vinc. Zapletal])

Dr. Rud. Dvořák, Rut. O. N. S. XXII. p. 386.

(Jos. Vajs, Liber Ruth. Glagolitice. Veglae 05. [Č. k. d. XLVI. p. 783—84]).

(Dr. Rud. Dvořák, Exegetisches zum Hohenliede. Prag 01. [Č. k. d. XLIII. p. 344. R. dr. Vinc. Zapletal]).

Dr. Jar. Sedláček, Výklad Žalmů. Explicatio Psalmorum. Pars I. Ps. I.—LXXI. P. LVIII. + 568. Praha 00. Pars II. Ps. LXXII.—CL. et biblica cantica. P. 569—1284. Praha 01. — [Č. k. d. XLII. p. 146—149, 412. R. dr. Jan Nep. Soukup. — Hl. XVIII. p. 189, 336. — Vl. XVII. p. 771—72].

Dr. Rud. Dvořák, Žalm 3. a 11. Psalmus III. et XI. (Versio). N. Ž. VI. p. 241.

Dr. Rud. Dvořák, Žalm 137. Psalmus CXXXVII. (Versio). N. Ž. VII. p. 64.

Dr. Rud. Dvořák, Job (Versio). N. Ž. V. Cap. III. p. 97—98. Cap. IV. p. 171. Cap. U. p. 202—03.

(Jos. Vajs, Analecta Sacrae Scripturae ex antiquioribus codicibus glagoliticis. Liber Job. Veglae 03. [Č. k. d. XLVI. p. 100—01]).

Jar. Jivanka, Jeremiáš a jeho Pláč. Jeremias et eius »Threni.« N. Ž. X. p. 13—17, 92—97.

Ludvík Kašpar, Obléhání Jerusalema Senaheribem. Obsessio Hierosolymorum ab Senaherib. M. b. XXXVIII. p. 133—38.

Dr. Just. V. Prášek, Senaherib. O. N. S. XXII. p. 603—04.

(Dr. Just. V. Prášek, Senaheribs Feldzüge gegen Juda. Berlin 03. [Č. k. d. XLVI. R. dr. Vinc. Zapletal. p. 373—74]).

(Mich. Faulhaber, Hesychii hierosolymitani interpretatio Isaiae prophetae. Freiburgi. 00. [Č. k. d. XLII. p. 411 dr. Vinc. Zapletal]).

(J. Meinhold, Jesaja und seine Zeit Freiburg. 1898 [Č k. d. XLII. p. 77. R. dr Just V. Prášek]).
Dr. Just. V Prášek, Ninive O. N. S. XVIII. p. 332—33.
Dr. Ant. Podlaha, Ezechiel autorem knihy Jobovy? Ezechiel auctor libri Job? Č. k. d. XLIV. p. 453.
(Peter Schmalzl, Das Buch Ezechiel Wien 01. [Č. k d. XLIII. p. 404—05. R. dr. Vinc. Zapletal]).
Raška Jan, Danielovy týdny ve shodě s dějinami. Quomodo Danielis LXX. hebdomades congruant cum historia. Č. k d. XLV. p. 43-47, 101—08, 242 46, 312—15, 369—75, 447—58, 545—52, 604 18.
Dr. Rud Dvořák, Mene, tekel u farsin, O. N S. XVII. p. 100.
(Joh. Nikel, Die Wiederherstellung des jüdischen Gemeinwesens nach dem babyl Exil Freiburg 00. [Č. k. d. XLII. p. 410 11 R. dr. Vinc. Zapletat]).
Dr. Rud. Dvořák, Královské knihy. Libri Regum. O. N. S. XV. p. 59—60.
Dr. Carl Holzhey, Das Buch der Könige. München 1899. [Hl. XVIII. p. 190—91. R. dr. Al. Musil]).
Dr. Rud. Dvořák, Samuelovy knihy. Libri Samuelis. O. N. S. XXII. p. 588.
Dr. Rud. Dvořák, Chronika. O. N. S. XV. p. 249—50.
Dr. Vinc. Zapletal, O chronologickém pořádku knih Esdrášovy a Nehemiášovy. De chronologico ordine librorum Esdrae et Nehemiae. Č. k. d. XLII. p. 353—57, 453—56, 551—56.
Mart. Velický, Kdy přisel Ezra do Judéy. Quando Esdra in Judaeum venerit. Č. k. d. XLVI. p. 522—25, 801—05
Dr. Vinc. Zapletal, Co znamená »Qohelet«? Quid significet verbum »Qohelet«? Č. k. d. XLVI. p. 113—17.

Bartošík Petr, Marianská starozákonní proroctví a akkomodace. Prophetiae et accomodationes V. T de B. V. »Matce Boží« Olomouc 04. p. 31—46.
Vašek Bedřich, Panna Maria předobrazena ve St. Z. B. V. Maria praefigurata in V. T. »Matce Boží«. Olomouc 04. p. 47—54.
Dr. Al. Musil, Urim a Tummim. Hl. XVIII. p. 127 28.
Dr. Vinc. Zapletal, Efod ve St. Zákoně. Ephodus in V. T. Č. k. d. XLI. p. 459—65, 554—61, 624—28.
Th. C. Jan Zítek, Biblický yzop. Biblica hyssopus. Č k. d. XLI. p. 518—20.
Dr. Mutl Vinc.. O nemocech a způsobech léčení ve St. Z. de morbis et modis sanandi in V. T Č. k. d. XLV. p 26 - 29, 169—73, 215—19, 297 - 83.
Dr Rud. Dvořák, Sanhedim. O. N. S. XXII p. 605.
Dr Sedláček Jar. XIII. mezinárodní sjezd orientalistů v Hamburku. XIII. internationalis congressus orientalistarum Hamburgii a 4.-10. Sep. 02. Vl. XIX. p. 63—66.
Архимандритъ Андрей. Какъ понимать человѣко-образныя представленія св. Писанія о Богѣ. Казань 04. [Č. k. d. XLVI. p. 878]).
(Giov. Schiaparelli, L'astronomia nell' antico Testamento. Milano 03. [Č. k. d. XLV. p. 517 R. Fr. Stejskal]).
Dr. O. F. Vaněk, 'Ebrejská slavnost pesa'h. Historická ethnologická úvaha. 00. [N. D. VIII. p. 296 98.]

Biblica litteratura Novi Testamenti:

Dr. Jan Sýkora, Úvod do Písma sv. Nového Zákona Introductio in Sacram Scripturam Novi Testamenti. Praha 04. [Č. k d. XLV. p. 648 R. Dr. Ant. Podlaha].
(Dr Jož. Lésaz, Uvod v biblijske zgodbe nove zaveze. Maribor. 02. [Č. k. d. XLIII. p. 519-20 R. Dr. Jan Sýkora]).

(Dr. Joh. Belzer, Einleitung in das neue Testament. Freiburg. [Hl. XIX. p. 738.]).
(Adolf Jülicher, Einleitung in das Neue Testament 01. [N. D. VIII. p. 556-57]).
(Fr. Brandscheid, Novum Testamentum graece et latine. Freiburg 01. [Č. k. d. XLII. p. 350-51 R. Dr. Jan Sýkora])
(Dr. Hermann Freiherr v. Soden, Die Schriften des Neuen Testamentes in ihrer ältesten erreichbaren Textgestalt auf Grund ihrer Textgeschichte. Berlin 02. [Č. k. d. XLIV. p. 275-82 R. Dr. Jan Sýkora]).
Dr. Jan Sýkora, O textě knih novozákonních. De textu librorum Novi Testamenti. Č. k. d. XLII. p. 610-33.
Dr. Jos. Kupka, Testamentum D. N. Iesu Christi. Č. k. d. XLI. p. 361-65, 465-72.
(Aug. Arndt S. J., Das Neue Testament unseres Herrn Jesus Chr. [Č. k. d. XLV. p. 140 R. Dr. Jos. Tumpach]).
(Dr. F. X. Funk, Das Testament unseres Herrn und die verwandten Schriften. Herausg. v. Dr. Ehrhard u. Dr. J. P. Kirsch. II. Bd. [Č. k. d. XLII. p. 73-77 R. Dr. Jos. Kupka]).
Dr. Pavel Vychodil, O jazykové stránce Sušilova překladu a výkladu N. Z. De lingua translationis et explicationis N. T., quam fecit Sušil. Hl. XXI. p. 639—40.
Prokop Haškovec, Rukopis Rokycanova Výkladu na evangelium sv. Jana. Codex ms. Rokycani Commentarii in evangelium s. Ioannis. Filologické listy. Praha XXIX. 02. p. 62—66, 150—57.
Dr. Jan Lad. Sýkora, Pravost, neporušenost, věrohodnost a příslušná váźnost novozákonních knih vůbec, evangelií pak zvláště. De authenticitate, integritate, fide et competenti auctoritate librorum Novi Testamenti in genere, evangeliorum in specie. Praha 02. [Č. k. d. XLIV. p. 152-57 R. Jos. Havránek].
Jokl Jeno, Historický důkaz věrohodnosti sv. evangelií. Historicum argumentum pro fide ss. evangeliorum. M. b. XXXIV. p. 121-55, 157—69.
(Al. Syrski, De authentia loci, qui in evangelio secundum s. Joannem inde a cap. VII. v. 53. usque ad cap. VIII. v. 11. le gitur. Varsoviae. [Č. k. d. XLVI p. 743]).
Harnack o evangeliích. Harnack de evangeliis. N. D. XI. p. 721—25. 806—10.
(V. Rose, Etudes sur les Evangiles. Paris 02. [Č. k. d, XLIII. p. 403—04 R. Dr. Vinc. Zapletal]).
Dr. Jan Sýkora, V které řeči bylo původně sepsáno evangelium sv. Matouše. Qua lingua scriptum sit evangelium s. Matthaei. Č. k. d. XLVI. p 267—75, 350—56, 452—58.
Dr. Václav Vondrák, Remešské evangelium. Evangelium Remorum. O. N. S. XX p. 539—41.
(Louis Leger, L' evangéliaire slavon de Reims. [Osvěta Praha XXX. 00. p. 557-58. R. K. Jireček]).
Dr. J. Pastrnek, Ostromirovo evangelium. Evangelium Ostromiri. O. N. S. XVIII. p. 945—46.
Dr. Ant. Podlaha, Památky bývalé liturgie konané jazykem slovanským v kostele Emauzském v Praze. De liturgiae slavicae Pragae quondam in monasterio Emautino florentis monumento. (Evang Remorum) Č. k. d. XLVI. p. 92—97.
Jindřich Skopec, Versus memoriales o evangelijních perikopách roku církevního. Z kapitulního archivu svatovítského z r. 1600. Versus memoriales de pericopis evangeliorum ecclesiastici anni. Ex archivo capituli s. Viti ex a. 1600. Č. k. d. XLIV. p. 149-51.
Postilla. O. N. S. XX. p. 307—08.
Dr. Jan Sýkora, Apokryfní knihy novozákonní. Libri apocryphi Novi Testamenti. Č. k. d. XLV. p 55—58, 114—18, 184-90, 209—15, 287-93.

Holéczy Sigmund, Ptejte se Písma. Vysvětlivky krátké ku vzdělavatedlnému čtení Nového Zákona. Scrutamini Scripturas! Breves explicationes aptae ad fovendam lectionem N. T. Modra 03
(Stadler, Djela apostolska. [Č. k. d. XLVI. p. 193]).
Ad. Špaldák S. J., Quid e s. libris N. T. probari possit de divortio ob adulterium. Č. k. d. XLVI. p. 413—16, 509—12, 601—04.
Ad. Špaldák S. J., Quomodo theologi ecclesiae romanae et theologi ecclesiae graeco-russicae locum Mt. 16, 18 interpretari soleant. Č. k. d. XLVI. p. 784—93.
Sir J. R. Seeley, Ejhle člověk, Ecce homo. Transt. J. Váňa. Praha 01 [Č. k. d. XLII. p. 517—19. R. dr. Jan Sýkora].
Stejskal Fr., O Kristově historické existenci. De Christi historica existentia. Č. k. d. XLV. p. 325—26.
Bělina J., O zázracích Kristových. De miraculis Christi. »Časové úvahy«. Králové Hradec roč. IX. 05 č. 8/9.
Fryč Fr., Chronologie ze života Páně. Chronologia vitae Iesu Christi. Č. k. d. XLI. p. 34—80, 88—95, 190—95, 255—65, 332—41, 395—402, 427—40, 576—82, 618—23; XLII. p. 129—35, 215—22, 297—302, 457—74, 557—66; XLIII. p. 238—42, 307—13, 360—65, 477—84, 613—17; XLIV. p. 133—38, 166—71, 266—70, 321—24, 428—39, 544—49; XLVI. p. 130—35, 257—67, 356—62, 545—55, 685—99.
Rok narození Páně. Annus Nativitatis Jesu Christi. Aletheia Praha. VII. p. 248—50.
(Phil. Schumacher u. Jos. Schlecht, Das Leben Jesu. Wien 02. [Č. k. d. XLIV. p. 533. R. V. Oliva]).
(H. Schell, Christus. Mainz 03. [Hl. XX. p. 221—23]).
(P. Hippolyte Leoroy, Jésus Christ, sa vie, son temps. Paris. [Vl. XVI. p. 970]).
(Jesu Christo nella letteratura. Torino 03. [Hl. XXI. p. 759—60]).
(Francis G. Peabody, Jesus Christ and the Social Question. N. York 02. [N. D. p. 238]).
(H. Weinel, Jesus im XIX. Jahrhund. [N. D. IX. p. 79]).
(Dr. Stan. Spis, Rozprava egzegetyczna o pokusach Christusa Pana. Krakov 00. [Č. k. d. XLI. p. 606—07. R. dr. Tumpach])
(Dr. Joh. Belser, Die Geschichte des Leidens und Sterbens, der Auferstehung und Himmelfahrt des Herrn. Freiburg. [Hl. XXI. p. 760]).

Lad. Dvořák, Lukáš. S. Lucas evang. O. N. S. XVI. p. 443—44.
Lad. Dvořák, Matouš. S. Matthaeus evang. O. N. S. XVI. p. 993—94.
Lad. Dvořák, Marek. S. Marcus evang. O. N. S. XVI. p. 827—28.
(L' Abbé C. Fouard, Saint Jean et la fin de l'age apostolique. Paris. [Č. k. d. XLVI. p. 286—87. R. J. Hanuš]).
Lad. Dvořák, Sv. Pavel apoštol. S. Paulus apostolus. O. N. S. XIX. p. 245—47.
Václav Oliva, Osten těla sv. Pavla. Stimulus carnis s. Pauli. Hl. XIX. p. 204—05.
Dr. Ant. Podlaha, Stimulus carnis u sv. Pavla. Stimulus carnis apud s. apost. Paulum. Č. k. d. XLIII. p. 505—06.
(Ep. dr. Michael Napotnik, Sv. Pavel, apostol sveta in učitel narodov. Maribor 04. [Č. k. d. XLVI. p. 408—09]).
Marie, osoby biblické. Mariae, personae biblicae. O. N. S. XVI. p. 842—43.
Jašek Adolf, Panna Maria v Novém Zákoně. B. V. Maria in N. T. »Matce Boží«. Olomouc 04. p. 55-66.
Dr. Jan Sýkora, Učení o neposkvrněném početí P. Marie ve spojení se základními pravdami zjevenými a s dílem vykupitelským. Doctrina de Immaculata conceptione B. Mariae V. in connexu cum fundamentalibus veritatibus revelatis et opere redemptionis. Mariánský Almanah. Praha 05. p. 5—31.
Josef Foltynovský, O jméně Maria. De nomine Mariae. »Matce Boží«. Olomouc 04. p. 67—70.

Dr. Jan Sedlák, Sv. Josef pěstoun Páně v apokryfních evangeliích. S. Josephus, custos Domini, in apocryphis evangeliis. Č. k. d. XLI. p. 161—68.

Fr. Grivec, Z biblicko-patristické literatury ruské. Ex Russorum litteris patristicis atque ss. Litteras spectantibus quaedam proponuntur. Č. k. d. XLVI. p. 86—90.

Fr. Stejskal, Jerusalemský chrám zničen Titem úmyslně? Templum Hierosolymitanum a Tito deletum consulto? Č. k. d. XLVI. p. 175—76.

Dr. Fr. Kryštůfek, Poslední pomazání. Biblicko-dějepisný rozbor. Extrema unctio. Č. k. d. XLIII. p. 1—5, 98—102, 159—63.

(J. Hastings, Dictionary of the Bible. Edinbourg. [Č. k. d. XLVI. p. 959. R. Jos. Valenta]).

Česká Mysl 1905. (VI.) Praha (Vinohrady). Publicatio periodica philosophica.

Duae commentationes hoc anno insunt, quas cognoscere theologi interest. Prior est de Kantii philosophia religionis (G. Tichý, Filosofie náboženství u Kanta) p. 13—24; 96—113. Ibi docemur Kantii meritum in eo maxime fuisse, quod nec empirica nec transcendenti ratione mentem quicquam efficere posse ostendit. Veram theologiae doctrinam eius refutatione in omne tempus exclusam esse, solius philosophiae religionis copiam dari, non religionis philosophicae (19). Ontologicum argumentum falsum est, cosmologicum in ontologico nititur, physicoteleologicum nihil evincit nisi mundi effectorem potentem et mundum esse contingentem (cf. p. 136). Alia argumenta non sunt (20—22). »Haec est censura argumentorum, quae historia philosophia, religio praebent, quibusque mens humana facillime decipitur«. Ratio, quam Kant iniit, ut religionem tamen salvaret, auctori non probatur. Tam violente ac plene ratio a fide divelli non potest (100). Si ideae morales innatae sunt, nonne haec ipsa est ratio negandi legislatorem? Neque enim formarum temporis auctor quaeritur. Hinc efficitur, ut in noëtica huius temporis iam non sit locus Deo: empiria nihil de eo refert (104).

Contra vel in ipso argumento ontologico refellendo apparet in Kant inopia scientiae historicae: cartesianum et anselmianum confunduntur, s. Thomam idem alio argumento compensasse negligitur. Simul magna sollemnitate centesimo repetitur omnem propositionem exsistentialem esse syntheticam, verbo esse non existentiam exprimi sed meram praedicati ad subiectum relationem. Si vel Platonis Parmenidem legisset, formale verbum »esse« a reali discernere didicisset. Praeterea ex falsis principiis falsa consequantur necesse est. Kantii censura profecta est a quaestione, sintne iudicia »synthetica a priori« possibilia. Cum enim Hume relationem inter causam et effectum negasset [1]), Kant veritatem cognitionis ita salvare conatus est, ut principium causalitatis principio identitatis insereret et ita — in speciem — in subiectivo cognitionem realem tutam redderet. Verum quaestio illa de iudiciis syntheticis a priori — quidquid ipse respondit — ipsa ostendit, quantopere confuderit diversas notiones. Sed non est hic locus, ut de his rebus loquamur; sufficiant haec pauca.

[1]) Secundum Hume immediate evidens est solum principium identitatis vel contradictionis; hoc iudicium est analyticum, „ratio pura". Unde Hume principium causalitatis stabile esse negavit. Causam enim esse rei alius aliquid cognosceretur aut a priori, lege cogitandi, aut a posteriori experientia. Sed secundum legem identitatis e notione nihil deduci potest nisi quod in ea contentum, cum ea identicum est, ergo non aliud; experientia vero nihil praebere nobis potest nisi unum post aliud; ex post facere propter error est, quo assueti sumus, ergo nulla est cognitio realis.

Posterior commentatio est de quaestione noëtico-theologica in Platonis philosophia (J. Kratochvíl, Noeticko-theologická záhada ve filosofii Platonově). Neque in hac cum omnibus rebus consentire possumus. P. 411—2 exponit Platonem criterium veritatis statuisse evidentiam. Nec sensatio ad veritatis cognitionem sufficit nec subiectivismus seu skepsis sophistica; tamen certe possibilis est cognitio et acquiritur reapse notionibus universalibus.

Sunt haec elementa ex Theaeteto, sed minus bene explicata. Plato docet ibi nec ex ipsa sensatione nec ex ulla operatione, quae in illa sita sit (ex visis eorumve coniunctione) cognitionem oriri posse. Ita enim haeremus intra fluxum naturae rerum continuum. Immo, si in nobis non esset notio similitudinis, non possemus duas res similes esse cognoscere; notio igitur, universale condicio absoluta est cognitionis rei singularis, sensationis. Qui notionem iudicat aliquid mere formale et res singulas, quae sensibus percipiuntur, solas reales, ei in referendis diversis notionibus (velut unitatis, multitudinis -- similitudinis, dissimilitudinis) ad rem eandem nihil est negotii. Cogitatio ita salvata videtur esse, reapse tamen veritas cogitationis perdita est, philosophia evasit dialectica sophistica. Res singularis facile et unitatis (ex una parte) et multitudinis (ex altera) particeps esse potest; at, si notionem qua notionem (redupl.) sumimus, diversitas fit incompatibilis contrarietas: quomodo enim unum qua unum simul multum poterit esse? Quodsi id esse nequit, estne ponendum solum alterutrum, unum aut multum, an utrumque mittendum itaque existentia notionum universalium neganda eaeque mere formales habendae? Hoc qui ponit, constantiae causa conclusionem Antisthenis amplectatur (Soph. p. 251, B)! Plato autem contra Antisthenem veram definitionem τοῦ λόγου statuit, qua p. 260, A ipsam philosophiam contineri dicit, postquam iam pag. 253, A diserte monuit in ea quaestione totum versari [2]). Ὁ λόγος οὐκ ὀνομάζει μόνον, ἀλλὰ περαίνει τι; λόγος, propositio, non est idem ac iudicium (δόξα), quod componitur subiecto et praedicato, sed est coniunctio nominis et verbi. (Cf. Classen, De gramm. Graec. primordiis p. 45). Repetitum ἓν ἓν non sufficit, aliud aliquid, distinctum ab illo ἕν, accedat necesse est, verbum ἔστι, ut cogitatio procedat; id dialogo »Parmenide« ostenditur. Oratione igitur, λόγῳ, qui ut est nominis cum verbo coniunctio et ut a formali sua ratione (a δόξα) differt, summam contrarietatem dialecticam categoriarum τοῦ esse et motus superatam continet, scientia dialectica (νόησις) firmatur. Doctrina de recordatione non est nisi mythica forma sententiae de nexu cogitationis singulorum hominum cum mente universali, quae in λόγῳ sita est Non dicimus Platonem traditionalistam fuisse, absit, sed certe, saltem inscius, illud respicit — quod multi negligunt — quod singuli homines non sunt sibi solis commissi, sed contra unumquemque »venientem in hunc mundum« (Görres in Praef. ad Sepp, Leben Jesu) et mentis compotem oratione iuvante evadentem, stat oratio ipsa (imprimis aliqua lingua [vel nutus, si placet], quae tamen nihil est nisi concreta species ipsius orationis) ut totum organicum absolutum atque perfectum, quod suae conformationis legem a singulis non dependentem nec perturbabilem in se continet [3]). Quod enim singuli intra hanc legem et conformationem aliquam vim ad orationem habent, non magis reddunt eam a

---

[2]) Dialogus, qui vocatur Sophistes immediate coniunctus est cum „Theaeteto", unde illa Platonis principia noëtica exposita sunt.

[3]) Die Sprache ist jedem einzelnen gegenüber eine absolute Auctorität, ein objectiv gegebenes σοφόν, ein fertiges organisches Ganzes, das sein Bildungsgesetz in sich trägt, in seiner Entwicklung von der Willkür und der vorbedachten Einflussnahme der Menschen unabhängig ist, und jeden einzelnen, will er unter die Vernünftigen gezählt werden, absolut bindet. J. Justus, Das Christenthum im Lichte der vergleichenden Sprach- und Religionswissenschaft. Wien 1883. S. 15. 74. etc.

cogitatione particulari sua dependentem, quam lex organica crescendi in herbis dependens redditur ab homine, qui aliquomodo eam regere potest [4]).

Hae sententiae, in quibus receptis (nisi quod loco orationis aliquid magis indeterminatum ponebant, »lumen divinum«, etiam scholasticae noëticae vis tota vertitur [5]), Platoni sunt vindicandae, prout, quantum hic licuit, ex eius scriptis probavimus. Res certe facilis non est, ideoque auxilium aliorum auctorum, qui in Platone exponendo desudarunt, minime spernendum.

P. 417 auctor dicit Platonis »notiones ontologizantis« summam ideam non esse ens eleaticum sed ens »par excellence«. De ontologizatione notionum dixeris Kantianum vel Hegelianum scripsisse; si ideae non sunt aliquid reale, periit cogitatio nostra. — Et Socrates (ap. Xenophon., Memorab. I., 6, 14: τῶν περὶ τῆς τῶν πάντων φύσεως μεριμνώντων τοῖς μὲν δοκεῖν ἓν μόνον τὸ ὂν εἶναι τοῖς δὲ ἄπειρα τὸ πλῆθος· καὶ τοῖς μὲν ἀεὶ κινεῖσθαι πάντα, τοῖς δὲ οὐδὲν ἄν ποτε κινηθῆναι) et Aristoteles (Met. IV., 3. 1004. b, 25: καὶ πάντα ἀνάγεται εἰς τὸ ὂν καὶ τὸ μὴ ὂν καὶ ἓν καὶ πλῆθος, οἷον στάσις τοῦ ἑνὸς, κίνησις δὲ τοῦ πλήθους . . .), maxime vero Plato duo suprema statuerunt unum et multum, quam contrarietatem ad altiorem reduxerunt entis et motus. Unde Plato, postquam statuit et unum et multum et ens et motum habenda esse realia (καὶ τὸ κινούμενον δὴ καὶ κίνησιν συγχωρητέον ὡς ὄντα. P. 249, B), ut unum habeatur principium — duo enim ultima principia admitti non possunt — in superanda hac differentia per dial. Sophisten desudavit et laboravit. Unde patet non posse dici Platonem docuisse summam ideam esse ens »par excellence«.

Platonis argumenta, quibus Dei existentiam probabat, non omnia esse firma verum est; sed ipse id sensit ac professus est. At quod Platonis doctrina de Deo semipantheismus (quod tenuerit mentes finitas

---

[4]) Si quis rei momentum declinare vellet opinione orationem paulatim esse ortam activitate individuali, ita ut tantum suboles auctoritati orationis subiecta sit, ei respondendum est: 1. opinionem talem empiria dissolvi, cum omni vera inquisitione grammaticorum perveniatur ad singulorum linguarum generum conformationem eo magis evolutam, quo ulterius retroitur, usque ad terminum quendam, ubi compluribus linguae generibus inter se derupte separatis occurritur, quorum origo nequit explicari transitu unius ex altero, et quorum originis ex oratione prima explicatio aut renuntietur oportet aut per analogiam chemicae resolutionis electrica percussione factae tentari potest, in quo convenientia scientiae cum revelatione manifesta est; 2. eandem opinionem logice teneri non posse, cum redeat in fine ad famosam illam explicationem originis linguarum ex convento, 3. eandem denique nihil prodesse, quia nisi merum casum in conformanda oratione ac linguis ponere audeamus, operatio singulorum aliter numquam cogitari potest quam exprimens legem conformationis, qua determinatur, itaque iterum oratio vel saltem lex cogitandi eà expressa cogitationem singulorum absolute determinat. Cf. etiam K. Werner, Fr. Suarez II., p. 214. ss.

[5]) Die Scholastiker meinten, daß die göttlichen Ideen von den Weltdingen, und speciell von den Formen der materiellen Welt, gleich unmittelbar in doppelter Weise nach außen ausgestrahlt werden, einerseits durch Verwirklichung ihres Inhaltes in der Materie, anderseits durch Nachbildung ihrer selbst in der Intelligenz der Engel, während sie der menschlichen Intelligenz erst durch das Zusammenwirken des göttlichen Lichtes und der äußeren Objekte eingebildet würden. Scheeben, Handb. d. kath. Dogm. § 139, n. 194. Cf. Augustinus, De Trin. l. 12, c. 15. „Credendum“ est mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus naturali ordine disponente conditore subiuncta, sic ista videat in quadam

ac Deum esse idem) et dualismus (quod materiam aeternam posuerit) appellatur, summa ei iniuria infertur. Auctor Zellerum secutus omnino neglexisse videtur quae Ritter, Susemihl, Michelis, alii scripserunt; certe hic (Die Philosophie Platons II., 287) bene ostendit eum, qui Platoni doctrinam de aeternitate mundi tribuit, committere »eine directe und vollständige Entstellung des platonischen Standpunkts«. Sane ipsa opera, quam in ea re impendit, testatur eum secundum intentionem mentis suae nolle mundi aeternitatem admittere. Id quidem negari nequit cognitionem Dei, quam Plato habuit variis obscuritatibus subiectam fuisse; sed non docuit, quae superare non potuit, quamvis superare voluerit. Ita verum est etiam Platonem, cum de diversitate inter spirituale et materiam ageret, sub membro priore complexum esse et absolutum et relativum; sed praeterquam quod paene idem committunt etiam nonnulli dogmatici christiani, qui a Deo eodem modo removent materiam, quo a spiritibus creatis, cum tamen Deus et virtualiter et eminenter eam in se contineat, angeli non item — Plato in dial. de re publ. ens absolutum ponit supra diversitatem τοῦ esse et τοῦ cognoscere ita, ut simul insit in eo principium cognitionis, cogitationis, mentis, quod similiter, ac sol lucem diffundit corpoream, sit fons lucis spiritualis (P. 509, B).

Opinio, qua auctor in fine (422) dirimere conatur controversiam, tenueritne Plato ideas extra Deum an in Deo, praemissis respondens, felix non est. Platonem enim in ente absoluto, in quod spatii aut temporis rationes cadere negavit, quicquam iuxtapositi collocasse quis dixerit?

Platonis et universae historiae philosophiae studium numquam satis commendari laudarive potest. Quapropter etsi auctori etiam in maioribus rebus assensum negavimus, tamen industriam eius in re optima collocatam omnino agnoscimus. Floreant, crescant haec studia! Id saltem omnes nos optamus, qui veritati catholicae non timemus nec philosophiam christianam iam absolutam exactamque esse opinamur et progressui scientiae etiam catholicae intendimus. *J. Vlk.*

Časopis katolického duchovenstva. 1905.

J. Vajs, Úcta neposkvrněného početí B. Marie P. v liturgických knihách hlaholských (Cultus immaculatae conceptionis B. Mariae V. in liturgicis libris glagoliticis). p. 1—6. Hac commentatione quomodo B. V. ab eis, qui glagolitica liturgia utebantur, in genere culta, et praecipue eius immaculata conceptio celebrata sit, ostenditur; quid festi huius obiectum fuerit, aliunde constare supponitur. Primum enumerantur festa B. M. V. secundum codicem anni 1371 et cum posterioribus conferuntur; deinde agitur de missis votivis in honorem B. M. V. — duarum sequentiarum textus ex glagolitico missali a 1483 typis exscripto formis latinis repetitur —, tum de officiis votivis breviariorum glagoliticorum. Quo facto liturgia festi Immaculatae Conceptionis describitur. Novum certe est hoc festum in breviario quodam a. 1561 ritu duplicis cum octava ornatum esse. — Eiusdem immaculatae conceptionis iubilaeum etiam alterius commentationis occasio fuit:

---

luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt, quae in hac corporea luce circumadiacent, cuius lucis capax eique congruens est creatus.“ Cf. De Trin. l. 9, c. 7. Etiam processus, quo eo pervenerunt, similis fuit Platonico; cf. Augustinus, Qu. 83, q. 9 (quod autem non manet, percipi non potest); Henricus, Summ. art. 1, p. 2; Quodl. 5, q. 4. (Notitiam veritatis certam et infallibilem nemo habet, nisi habeat, unde possit discernere verum a veri simili; quia si non potest discernere verum a falso vel verisimili potest dubitare se falli: sed sine speciali illustratione in ordine ad ideas seu exemplaria increata non potest discernere verum a verisimili) etc.

A. Špaldák, Řečtí Otcové církevní o neposkvrněném početí Panny Marie (Patres graeci de immaculata Deiparae conceptione). Ab auctore imprimis (p. 12—14) contra adversarios huius dogmatis notatur veritatem doctrinae affatim probari miraculis, quae ad Lourdes evenerunt et sequi ex praemissis revelatis, etiamsi ipsa revelata non esset; nam etiam secundum Russorum theologos infantes, dum nascuntur, non sunt puri nec innocentes coram Deo. Deinde (p. 14—16) argumento, quod ex Apoc 12 sumi solet, testimoniis patrum et symbolico usu obiter illustrato eiusque vi explicata, de obiecto festi Immaculatae Conceptionis inquiritur et Russorum (Lebedev, Sil'vestr) opinio refutatur. Pars reliqua in investiganda traditione theoretica versatur. Ibi plurimis testimoniis probatur Mariam fuisse benedictam — non maledictam, maledictione parentum generis humani non contactam (160); non propter peccatum originale aut poena inde contracta esse mortuam, ut ceteri homines moriuntur, sed ob eandem rationem, ob quam Filius eius mortem oppetiit (161—3); etiam quatenus reliquorum vitae citerioris malorum particeps fuit, Mariam similiter iuribus suis renuntiatis ad nos descendisse ac Verbum ipsum (163); in eadem nihil fuisse improbitatis hominibus omnibus communis (cuius rei causam fuisse ipsius virtutem praescitam, non Dei gratiam praeservantem, sine qua nostri similis evasisset, auctori in populari Mariologia »Kritika katolické nauky o P. Marii«, Pragae 1905 probabilius videtur); item ab ea omnem concupiscentiam afuisse (330); propterea etiam originem et conceptionem eius fuisse sanctam, non ex voluntate carnis sed ἐν θεῷ, etc.; infantem modo genitum puritate, gratia, sanctitate vel angelos superasse eam Dei similitudinem consecutum, cuius homines post lapsum expertes fuerant (333—4); non creatam sicut cetera sed modo singulari aedificatam a Deo Deiparam et ex gratia contextam — filiam Dei κατ' ἐξοχήν appellari, filiam κατὰ πνεῦμα ἁγιοσύνης (336—7). Deinde copiose auctor ostendit B. Virginem prius salvatam esse quam nos et cum Filio nostram salutem operatam esse; etiam inde subtili argumento probat merita Christi ei ipso vitae initio applicata esse (459-464). Denique in vim nominis ἡ πανάμωμος et similium secundum Dom. Palmieri inquirit et patrum manifesta testimonia de eadem Deiparae immunitate ab omni labe (ἁμαρτία, φθορά etc.) eiusque solius, qua puritate etiam angelos superaverit, exponit.

Commentatio haec differt a similibus in litteris periodicis et alias editis eo, quod scrupulose ex copia testimoniorum, quae afferri solent (additis nonnullis rarioribus et quae alibi non invenimus) ea seliguntur, quae revera firma et ad persuadendum apta sunt, eaque graeca omnia, et singula ponderantur, quidque et quomodo id efficiant, examinantur, et quae opponi possent, praecaventur. Quomodo auctor in testimoniis seligendis processerit, cum multa omissa (velut Deiparam sanctitate angelos superare), tum ea, quae p. 464—5 de argumento quodam (ex comparatione cum terra virgine) adnotat, ostendunt. Graecis admixta sunt etiam alia orientalia antiquiora, velut insigne illud ex breviario syr. p. 162; nonnulla alia fortasse commentatio L. Šayhô (Dogma immaculatae conceptionis in ecclesiis orientalibus) in arabico periodico »Oriens« 1904 (Bayrût) ei praebuisset, quam nullibi allegat. Item L. Kösters, Maria die unbefleckt empfangene, Regensburg 1905, E. Bishop, On the origins of the Feast of the Blessed Virgin Mary, London 1904 non afferuntur; ad adnot. 19) etiam Bessarione 1904, II. (fasc. 80) p. 92—102 allegari potuit. Quod testimonia omnia lingua et verbis ipsorum testium afferuntur magnopere laudandum est; id quod e. g. testimonii ex apocr. de transitu B. M. V. adnot. 84) vim consuetam immutavit, aliorum testimoniorum (velut adnot. 105) satis auxit; aliquando etiam coniecturae textus tentatae sunt (adn. 74). Omnia allegantur secundum Migne, columna et littera accuratissime indicatis. Dolendum tamen est, quod auctor brevitati nimis studet, adeo ut nisi lector bene attendat — e. g. ad intervalla litteris interiecta

— vis argumenti praeterire eum possit; velut p. 333 adn. [73]) verbum τέξεται probat textum non posse intelligi de puritate virginis post partum, quae velut connexa cum imagine Deiparae in eius nativitate tantum commemoretur; cf. p. 336 θεόνυμφος. Ex mendis adnotamus p. 332 adn. 65 annum Menaei slavici manuscripti 1905 loco 1095; adn. [78]) loco sijušěь legendum est si(ę)juščь.

(Reliqua deinceps persequemur.)

A. Fux, **O tajné mluvě v mythech a při obřadech hellenských (De arcana allegoria in fabulis et caerimoniis graecis).** Pragae 1905; p. 175.

Cum liber hic, licet et ad apologeticam et ad introductionem in V. T. aliquo modo pertineat, proprie theologicus nostra notione sub verbo subiecta non sit, paucis eius argumentum adnotare satis habemus. Auctor mythologiam graecam reducere conatur ad imagines et involucra (»kryty«), quibus nucleus quidam tegatur, quem Graeci antiqui bene noverant, quique ad eorum »mysteria« pertinebat. Opinionem caeli, quo iusti ex his vinculis emissi ferantur, expressi nomine semitico p.ri-'oseph = fructus messis, quod versum est in Graecum δη-ἀμητήρ (messor hordei) et explicatum verbis πλοῦτος et κόρος (aegypt. Hu et Sa), a Graecis immutatis, ne nomina sacra rei arcanae usu profano vilescerent, nominibus (Δη-μήτηρ = mater quaerens, Κόρη, Πλούτων, p.ri-'asaph = filiae raptus), obvolutam esse fabula de matre filiam quaerente (44—5). Nucleus mythi de Artemide nihil est nisi morale praeceptum de iustitia servanda (sem.m'oz.najim = trutina; unde Amazones etc.). Amazonum pugnae significabant Graecis trutinam, qua opera vitae post mortem ponderantur (69). Cum in sepulcro vas cum imagine venationis apri Caledonii ponebatur, prudentibus prosperi iudicii de homine defuncto exspectatio significabatur (67). In imagine quadam in urna marmorea, in mus. therm. Romae asservata, hieroglyphice legit porcum (ὀρθαγορίσκος — ὀρθῶς ἀγορεύω) et de confessione facienda ab eis, qui mysteriis initiabantur, interpretatur (cf. Plutarch. [?], Apophthegm. lacon. de Antalcide et Lysandro; Etymologicum Gud. p. 594). Imagine ea summam mysteriorum adumbrari arbitratur = sacerdotem monere initiandum, ut a vitae pravitate desistat, sincere peccata sua confiteatur, eaque in posterum evitet; post mortem, si labes eius evanuerint, fructum operum suorum eum percepturum esse (p. 38—40, 142).

Laudandum est auctoris studium Graecorum fabulas cum pietate et religione eiusdem gentis componendi et conciliandi. Quod num ei contigerit, alii iudicent. Certe tamen quae de Pentateucho dicit (95—6), quem corpus exemplorum ad illustrandam doctrinam illam de terreno emolumento bonorum operum esse putat, itemque eius opinio de non desituro mundo, quia nondum desierit, quod logice (!) conclusum esse credit (136—7) — falsa et inania sunt. Forma dialogi usus est modo parum ingenioso aut commodo. V.

BULGARICA.

Biblioteka. Priloženie na (Supplementum ad) „Cъrkoven Věstnik“ fasc. XIII—XV. Sophia 1905. Pg. 200; lev (franc) 1.

Supplementa ad »Cъrkoven Věstnik« (de quo iam aliquoties rettulimus), unoquoque anno prodeuntes, generatim magis quam folium „C. V.“ ipsum scientiae theologicae sunt dicatae. — Hoc anno elucubrationes characteris scientifici dimidiam fere supplementi partem explent. —

I. N. G. commentatione sua De eruditorum ad ecclesiam relatione (pg. 3—20) eruditos qui ecclesiam religionemque impugnant ad concordiam cum sacerdotibus invitat. — St. Cankov sub inscriptione, Biblia et Babilon (21—42) statum huius quaestionis clare exponit. — M. S., Kratъk istoričesko-psihologičeski očerk za svěstjta Brevis historico-psychologicus tractatus de conscientia), pg. 43—75. Auctorum classicorum et Patrum usque ad saec IV. (incl.) de conscientia doctrina exploratur et evolvitur. Res tractatur maxime secundum „Pravoslavnyj Sobesědnik“ a. 1902. (auctor aut titulus non indicatur), secundum auctores russicos atque germanicos (protestanticos, qui omnes secundum versiones russicas allegantur) „Quaestio de conscientia — sic auctor concludit — eiusque natura et essentia in litteris patristicis non multum tractabatur, quia primis saeculis christianis quaestiones dogmaticae moralibus praevalebant; theologi magis in Deum ratione cognoscendum quam in hominis ad Deum relationem inquirebant“ (74). Hanc conclusionem arbitrariam esse, patet. Tota dissertatio non videtur multa auctoris propria continere.

D. Cuhlev, Iz Vidinskata agiologija. — Prěpodobnij Romil (Ex hagiologia Vidinensi. — S. Romil) pg. 85—111. Commentatio haec valde erudita magnoque apparatu scientifico-critico adornata, historiam et mores ecclesiae bulgaricae saec. XIV. illustrat. Auctor aliquoties ad suam „Historiam Ecclesiae Bulgaricae“, typis nondum editam provocat; commentatio praesens opus hoc edendum optime commendat.

D. M., Molitvenník ot XIV-to stolětie (Liber precum e saec XIV.) 112—119. Librum manuscriptum, qui 286 foliis 4⁰ constat, auctor apud sacerdotem Cvětko Georgiev in urbe Panagjurišče invenit. Pars prima varios ordines (poslědovanija) et ritus cum precibus continet (velut benedictionem aquae, ritum baptismi, ordinem sepeliendi etc). Inter precationes quaedam ignotae originis turbulentis saec. XIV. condicionibus eximie respondent; auctor unam ex precationibus, quae regem (car) Bulgariae Joannem (ut opinatur auctor Joannem Šišman) memorat patriarchae Euthymii (cf. Sl. l. th. 1905, 171—172) esse existimat. Sequuntur omnia troparia paschalia, quae imprimis philologorum studiis digna sunt. — Pars posterior manuscripti momento historico priores superat. Ibi varii canones disciplinares et poenitentiales inveniuntur, qui disciplinam ecclesiae populique mores saec. XIV. illustrant. Pro variis furtis (frumenti, ponorum, gallinarum etc.) fixa est poena ieiunii nonnullarum hebdomadarum vel mensium, fures in hospitium recipientes eosque iuvantes poenam per totum annum dant; qui venumdant vinum admixta aqua corruptum ieiunio 6 mensium, mulier procurans sibi abortum ieiunio 5 annorum, saga (Věščica) ieiunio 3 annorum puniuntur etc. Ex his exemplis iam patet manuscriptum laudatum revera magni esse momenti in historia ecclesiastica; quapropter cum auctore desideramus ut saltem partes eius potiores typis edantur.

V. Tupuzov, De confraternitatibus (bratstva) sacerdotum (142—157) agens sacerdotum confraternitates, quae populi instructionem

pietatisque incrementum et librorum ad id aptorum editionem et alia utilia promoveant, commendat.

Reliquae commentationes (Quid homo sit? — De miraculorum Chi ad leges naturae relatione. — De philosophis saec. XIX. religionis defensoribus) ex lingua russica translatae sunt. Dr. *F. X. Grivec.*

Cъrkoven Vĕstnik 1905 Nr. 29—45.

Nr. 30—31. G. V. Angelov: Razprostranieto na Hristianstvoto v Makedonija i v sъsĕdnitĕ i strani (Divulgatio religionis christianae in Macedonia regionibusque finitimis (pg. 354—357; 364—367. — De initiis religionis christianae in Macedonia inde ab ap. Paulo auctor breviter quidem, tamen critice et scientifice exponit. Primo loco de Thessalonica, de episcopis et sanctis Thessalonicensibus narrat (usque ad tempus ss. Cyrilli et Methodii). Sequitur descriptio religionis christianae eiusque institutionum in urbibus: Philippi, Boerea, Dyrrhachium, Nicopolis, Sardica e. a. (pg. 364—366). Denique breviter de conversione Bulgarorum et Slavorum narratur (366—367). G. V. Angelov, ut ipse fatetur potius breves adnotationes quam tractatum historicum conscripsit, nihilominus eruditionem admirandam ostendit. permultos fontes historicos totamque litteraturam ecclesiastico-historicam huc pertinentem respicit et enumerat. Auctoris adnotationes magni pretii sunt, cum nullibi tanta copia fontium ac litteraturae historico-ecclesiasticae de Macedonia et Bulgaria collecta et iudicata inveniatur.

Nr. 31. — G.: »De condicione exarchatus Bulgarici« (361—363). Auctor de magna Bulgarorum, exarchatui Bulgarico subiectorum, in Turcia vexatione conqueritur.

Nr. 34. — D. M. pg. 402—404. sermones publicos de religione christiana quaestionibusque cum religione christiana connexis ut Bulgaris valde necessarios commendat. — Similiter G. nr. 35 (pg. 409—410) praedicationem verbi divini commendat.

Nr. 35. — I. M.: De iudicio ecclesiastico et processu canonico in causis divortii iuxta leges matrimoniales ecclesiae Bulgaricae (pg. 414—418). Res matrimoniales »Consilio Eparchiali« (Eparhialnija Sъvĕt) et »S. Synodo«, inter se non obnoxiis aut dependentibus, subiectae sunt. Causa scripto iudicanda est »Consilio eparchiali«, ubi dies statuitur, qua accusator et reus coram »Consilio« comparere debent. Processus iudicialis non est publicus, tamen 4—6 personae cognatae ex utraque parte adesse possunt. A sententia »Consilii Eparchialis« ad »s. Synodum« appellari potest.

Nr. 40, p. 471—473 Dr. S. Cankov denuo sermones publicos de quaestionibus religiosis ac theologicis commendat.

Nr. 40—41. — I. M. Principium et fundamentum systematis religionis catholicae (pg. 476—479; 486—488). — Ut Bulgaros contra »propagandam catholicam« muniat, auctor varia protestantium et Russorum contra ecclesiam catholicam commenta enumerat, quae fere omnia de libris Russorum: Lopuhin, N. I. Bĕljaev (Osnovnoj principrimskago katolicizma — Kazan' 1895), Kirčevskij, Ivancov-Platonov, deprompsit. Quibus obiter perlustratis concludit: Systema religiosum catholicum nec est iudaismus, ut nonnulli, nec paganismus, ut alii opinantur, nec pelagianismus aut obiectivismus, nec rationalismus, sed »absolutismus papisticus«, qui natura sua systema tyrannismi et absolutismi spiritualis est.

Nr. 42—43. — I. S.: De constitutione et regimine ecclesiae Bulgaricae (pg. 497—498; 507—8). Contra anonymum »klirik«, qui in ephemeride bulgarica »Prĕporec« (nr. 63—64) »S. Synodum« bulgaricam ut institutionem non canonicam impugnat, auctor regimen ecclesiae Bulgaricae ut vere canonicum defendit, qua in demonstratione eruditionem theologicam non exignam ostendit.

Praeterea fere in quolibet nr. de orationibus religiosis ac theologicis publicis, de praedicatione verbi divini de oratoribus ac missionariis »peregrinantibus« et similibus exponitur, quae ostendunt, quaestionem de praedicatione verbi divini variis modis, variis coram auditoribus, nunc in Bulgaria esse »actualem«. *G. R.*

CROATICA.

Iv. Tkalčić, **Slavensko Bogoslužje u Hrvatskoj.** Zagreb 1904. p. 124. **(Historia liturgiae slavicae in Croatia).**

Quae duobus primis capitibus exponuntur, nova non sunt nec ab ipso auctore explorata. Agitur ibi de ss. Cyrillo et Methodio (cuius vitam a Gorazdo conscriptam esse ponitur) et de historia liturgiae slavicae in Croatia universa. Tertio capite Tkalčić exponit historiam eiusdem liturgiae in dioecesi Zagrabiensi. Duh Bohemum, qui primus episcopus fuit renovatae a Ladislao rege (a. 1003) dioecesis Zagrabiensis seu, ut antea vocabatur, Sisacensis, monachum ante fuisse dicit ad Sazavam in Bohemia; unde eum a Spytihněv principe (a 1055) vel a Břetislav II. (a. 1092) cum aliis monachis expulsum esse in Hungariam. Liturgiam slavicam in hac dioecesi diu floruisse (usque ad 1743) documentis certis demonstrat.

Quarto capite narrat de desideriis et conatibus restituendae in Croatia liturgiae slavicae. Denique quinto capite agit de glagoliticis libris liturgicis. Appendicis instar addit indicem oppidorum ,parochiarum, locorum in dioecesi Zagrabiensi, ubi liturgia slavica lingua peragebatur. *A.*

Josip Juraj Strossmayer, biskup bosansko-djakovečki i sriemski. God. 1850—1900. Posvećuje mu svećenstvo i stado prigodom njegove petdesetgodišnjice biskupovanja u Djakovu 8. rujna 1900. U Zagrebu 1900—1904. Tisak Dioničke tiskare. — *(Josephus Georgius Strossmayer,* episcopus bosniensis, diacovensis et sriemensis (1850—1900). Dedicat ei clerus et populus occasione eius iubilaei quinquaginta annorum episcopatus Diacovii 8. septembris 1900. Zagrabiae 1900—1904. Typis societatis typographicae.) Mag. 4⁰, 965 + XI pag. Cum compluribus imaginibus.

Strossmayer, episcopus diacoviensis, qui 8. aprilis 1905 diem supremum pie obiit, de dioecesi necnon de patria sua optime meruit, quod eo facilius ei erat, cum per 55 annos sedem episcopalem tenuerit, atque egregio spiritu religioso et ecclesiastico necnon sufficientibus facultatibus materialibus praeditus fuerit. Gratissimo corde clerus et populus beneficia episcopi sui agnovit et libro praesenti tunc usque viventem maxime honoravit.

Liber in tres partes divisus est: I. de Strossmayeri episcopatu, II. de eius vita publica quoad populum croaticum et Slavos, III. de eius administratione bonorum temporalium. Ad nos maxime pertinet pars I., quae sequentia capitula habet: 1. Vita episcopi inde a pueritia — 2. Consecratio episcopalis, 3. Inthronisatio Diacovii (29. semptembris 1850), 4. Episcopus uti sacerdos magnus, 5. Fundationes episcopi.

6. Seminarium episcopale, 7. Seminarium puerorum, 8. Episcopi verba de vocatione clerici (quattuor proprietates clerici: solida scientia, tenera in Deum pietas, zelus domus Dei, orationis studium), 9. Episcopus de praedicatione verbi divini adultis, 10. Episcopus ordinat catechizationem parvulorum, 11. Episcopus praedicat. 12. Episcopus sacerdos magnus quoad cultum Dei, 13. Episcopus in itinere canonico. 14. Episcopus concordiâ coniunctus cum clero et clerus cum episcopo. 15. Administratio spiritualis episcopi. 16. Episcopus et vita christiana in dioecesi, 17. Episcopus et opus litterarum in dioecesi, 18. Episcopus et monasterium sororum misericordiae, 19. Episcopus et schola nationalis. 20. Episcopus et iuventus scholarum mediarum, 21. Tres sermones ad universitatem croaticam. 22. Episcopus et papa Pius IX. 23. Episcopus in concilio oecumenico in Vaticano (de qua re ulterius mentio fiet). 24. Episcopus et papa Leo XIII. 25. Episcopus et institutum s. Hieronymi Romae, 26. Ecclesia cathedralis, 27. Ecclesiae per dioecesim.

Strossmayer a nonnullis „liberalis“ apellatus est et id propter sermonem contra infallibilitatem papae in concilio Vaticano habitum, qui corruptus in lucem editus est. In epistola pastorali 4. februarii 1895 data contra hanc suspicionem ipse Strossmayer scripsit: „Ante 20 annos quidam temerarius sacerdos Americanus confinxit sermonem, quem mihi supposuit. Qui sermo haereticus, scandalosus, revera fructus inferni est. De hac re catholicorum inimici laetabantur, catholici tristitia affecti sunt. Ego autem hunc sermonem falsum esse declaravi. Ille sacerdos moriens sacerdotem, qui eum consolabatur, rogavit, ut mihi scriberet et suo nomine a me remissionem peteret“. Tamen serbicus historicus archimandrita Ruvarac sermonem illum verum esse asseverabat. Qua de re Strossmayer denuo declaravit: „Impossibile est episcopum catholicum talem sermonem enuntiavisse, quia anathematizatus esset.“ Strossmayer oppugnabat quidem opportunitatem declarationis novi dogmatis, nequaquam autem veritatem doctrinae. Eandem sententiam habuerunt etiam alii episcopi iique optimi, ex. gr.: Mathei, Rauscher, Schwarzenberg, Dupanloup, Darbois, Ketteler, Melchers.

Ex secunda parte libri excerpimus capitulum 13., quod ostendit episcopum Strossmayer de natione Slavorum optime meritum esse. Toto animo et studio omni in id incubuit, ut Slavi non solum unicam quasi nationem constituant, verum etiam ut unicam religionem profiteantur. Qua de re unionis idea ex omnibus eius operibus, scriptis et sermonibus ecclesiasticis elucescit. Post s. Cyprianum atque Augustinum vix ullus episcopus tanta de unitate scripsit et sermocinatus est. Unitatem Ecclesiarum habuit pro praecipuo ac pretiosissimo fructu salvationis. Spes unionis crevit in eo praesertim regnante Leone XIII., qui caritate et benevolentia sincerissima Slavos complectebatur.

Iam primo anno episcopatus sui tempore Nativitatis Iesu magna laetitia fideles suos affecit, cum iis pristinum ius cantandi epistolam et evangelium lingua croatica in omni missa sollemni recuperaverit.

In paschate 1859 primum Romam profectus est et Pio IX. Slavos, praecipue meridionales commendavit, quod fecit etiam quoad liturgiam glagoliticam a Ioanne VIII, et Innocente IV. concessam.

Rogabat eundem papam, ut liturgicos libros glagoliticos denuo edendos curaret commendavitque, ut Romae vel in Dalmatia seminarium conderet, ubi neosacerdotes linguam palaeoslavicam discerent. Eloquentia et eruditio episcopi Strossmayer effecit, ut papa scriptum eius „pro memoria" porrectum secretario curiae suae redderet iubens sine mora omnia in hac re possibilia peragi. Libellum supplicem renovavit Strossmayer anno 1864. apud s. Congregationem de propaganda fide. S. Sedes episcopo Strossmayer primam curam redactionis librorum liturgicorum commisit, qui negotium hoc viris peritissimis Francisco Rački, Pavlinović et prof. Joanni Brčić detulit. Aliquamdiu etiam Jagić membrum huius societatis erat. Constitutum est quoad linguam originalem redactionem slovenico-croaticam restituendam esse. Opus ipsum — missale — dirigendum traditum est professori Brčić, qui operâ glagolantis (glagolaš) Caroli Parčić utebatur. Mortuo Brčić (1870) et mutato statu publico Romae eodem anno atque mortuo Pio IX. (1878) editio missalis intermissa est. Ast epistola encyclica „Grande munus" papae Leonis XIII. de 30. septembris 1880, pactum inter s. Sedem et principem Montenegrinensem anno 1886, qui in archidioecesi Antivariensi liturgiam slavicam introduci volebat, in causa erat, ut res iterum suscepta sit et anno 1893 missale glagoliticum auctore Carolo Parčić in lucem prodierit. Omnia exemplaria brevi tempore divendita sunt, ita ut S. Sede iubente liber typis denuo exscribi debuerit.

Parčić summa laetitia affectus 20. sept. 1893 misit episcopo Strossmayer novum missale, qui 29. sept. ei respondit: „Animo libenti audio s. Sedis Romanae favore alteram editionem huius sacri libri praeparari. Quod vero maxima me afficit laetitia hoc praecipue est s. Sedem Romanam pro sapientia et iustitia sua a se reppulisse omnes sine causa tentata et saepe malitiosa consilia, quibus id petebantur, ut nostri libri sacri supprimerentur . . . Excellenti decreto s. Sedis Romanae finitum est perpetuo tempus, quo saepius per homines, qui ipsam ecclesiam nequaquam magni aestimabant, affirmabatur: linguam palaeoslavicam in occidentali cultu apud Slavos unitati s. ecclesiae adversari, mihique persuasum est, si temporis decursu secundum dona et signa Providentiae divinae probabile fuerit, per linguam veteroslavicam in sacra liturgia Slavorum ad unionem in s. ecclesia et fide perveniri posse, fore ut Romana sancta Sedes nostram linguam veteroslavicam in liturgia occidentalium Slavorum confirmet, ipsamque sancta benedictione sua in radicem et fontem sempiternum pacificationis et unionis duarum magnarum ecclesiarum transformet."

Strossmayer plurimos libellos supplices, immo totos fasciculos de lingua veteroslavica introducenda concinnavit, qui in archivis Romae, Vindobonae (in nuntiatura), Bellogradi et Cetinii asservantur, fontesque historici magni momenti esse censentur.

Qua de re etiam clericos suos in lingua veteroslavica instruendos curabat. Anno 1863—4 hoc munere Franciscus Kurelac et deinde professores linguae croaticae, uti Korajac, Becić, Pavić, Pavličić et alii functi sunt.

Eius consilio Pius IX. die 26. februarii 1863 per occasionem memoriae millenariae festivitatem s. Cyrilli et Methodi quotannis die 5. Julii

apud omnes Slavos celebrandam introduxit. Strossmayer clerum monuit, ut hoc festum summa cum sollemnitate omni anno renovaretur. Die 4. febr. 1885 iussit omnibus annis 14. februarii, 6. aprilis et 5. iulii atque per octavas tres Pater noster et tres Ave Maria cum pulcherrima precatione in honorem ss. apostolorum Cyrilli et Methodii atque ad impetrandam unionem omnium Slavorum in fide et in ecclesia orari. Quae precatio in omnibus ecclesiis eius dioeceseos infixa est, ut eam omnes advenientes peragere possint. In epistola pastorali 12. Maji 1898 ordinavit, ut festivitas s. Cyrilli et Methodii, si in diem ferialem incideret, pro foro ecclesiastico quidem die currente, sed pro populo dominica subsequenti sollemnissime celebraretur, ut populus amore ss. apostolorum impleretur. Die 5. Iulii 1881 Romae in basilica s. Clementis super sepulcrum s. Cyrilli, praesente coetu cardinalium, egregiorum virorum ex Italia, Bohemia, Polonia, concomitante capella Sixtina missam lingua veteroslavica in honorem ss. Cyrilli et Methodii cantavit, sermone eloquentissimo prius habito; quae tempore peregrinationis Slavorum gratias Leoni XIII. pro encyclica „Grandes munus" edita agendi causa facta sunt. Anno 1885 cum Rački sepulcrum s. Methodii Velehradii visitavit. Anno 1877 fundationem 500 florenorum instituit, ut primo quoque sabbato singulis mensibus missa in honorem B. Mariae eo consilio, ut unirentur ecclesiae cantaretur. Suis sumptibus anno 1881—1887 in basilica s. Clementis sub sepulchro s. Cyrilli capellam ss. apostolorum nostrorum erexit. Inde ab anno 1890 iussu ipsius Leonis XIII. Romae in universitate s. Apollinaris D'Annunzio linguam veteroslavicam docet, quod etiam opus Strossmayeri est. In hoc opere operando auxiliatores ei erant intimi amici eius, cardinales Franchi, Nina, Rampolla et praeprimis doctissimus Bartolini. *Fr. H. Žundálek.*

O drevnom dogadjaju nove misli ili o nasilnoj smrti hrvatskoga kralja Zvonimira te njenim posljedicama za hrvatski narod sa gledišta etičkoga. Napisao Msg. *Matija Stepinac*, apostolski protonotar, čazmanski kanonicus. (De violenta occisione regis croatici Zvonimiri et eius eventibus pro natione croatica ratione ethica considerata. Concinnavit Msg. Matthaeus Stepinac.) U Zagrebu 1905. 204 pag., 8⁰. Naklada hrv. katol. tiskovnoe društva. K 1·50.

Liber hic est editio specialis seriei articulorum, qui in »Katolički List« Zagrabiensi in Nro. 1—27. anno elapso in lucem prodierunt. Idea, quam auctor tuetur, est: Deus punit non solum singulos homines, sed etiam totas gentes, si scelus aliquod patraverint. Deus poena affecit et afficit Croatas pro occisione Zvonimiri. Opus hoc impugnabatur non solum ab auctoribus liberioribus, sed etiam a nonnullis catholicis quos omnes Stepinac argumentis suis refellere studet.

Fr. H. Žundálek.

Socijalizam i socijalno pitanje. Napisao O. *Urban Talia*, franjevac. Tiskom i nakladom hrvatske tiskare. Dubrovnik 1905. (**Socialismus et quaestio socialis.** Auctore P. *Urban Talia*, O. s. F. Typis et sumptibus typographiae croaticae.) Ragusii. Pars I—VIII. 190 pag. 8⁰. Pretium 1·20 cor.

Auctor libri de quaestione sociali modo ad commune iudicium popularemque intelligentiam accommodato disserit. Perniciosis placitis democratiae socialis reiectis auctor ostendit, fata societatis humanae nonnisi ethica christiana duce in melius restitui posse.

Fr. H. Žundálek.

PALAEOSLAVICA.

Glagolitica. Publicationes palaeoslavicae academiae Veglensis. Fasciculus 2.: **Liber Ecclesiastis.** Ex breviario I. Verbenic. transcriptum notis bibliographicis in eundem codic. nec non variis lectionibus aliorum cod. ornavit *Joseph Vajs*. Veglae 1905. Pag. VI+25 in 8⁰.

In archivo parochialis ecclesiae Verbenicensis (Vrbnik, castellum in orientali plaga insulae Veglensis) praeter duo manuscripta missalia glagolitica saec. XV. et aliquot minora fragmenta quatuor manuscripta breviaria asservantur, ex quibus tria priora „Proprium de tempore," quartum denique maiorem partem „Proprii Sanctorum" nec non aliquot officia de communi sanctorum continet. Ex uno horum breviariorum, quod numero I. signat, quodque initio saec. XIV. adscribit, indefessus antiquorum monumentorum glagoliticorum investigator librum Ecclesiastis edidit. Textus hic, cum secundum Vulgatam comparatus sit, minus quidem valet, quam antiquiores glagoliticae Sacrae scripturae versiones, quae ex graeco translatae sunt, nihilominus sat magni est momenti.

P.

POLONICA.

Ex periodicis, quae anno 1905 edebantur.

Przegląd Katolicki, omnium periodicarum publicationum, quae in Polonia rebus ecclesiasticis serviunt, vetustissima est. Editur Varsoviae singulis hebdomadibus sub directione R. D. Antonii Szaniawski, constans ex 16 paginis in 4⁰ maiori. Pretium subscriptionis annuae 5,00 rub. Ephemeris haec, fundata iam anno 1863 a Michaële Nowodworski, postea episcopo plocensi, per plures annos unica fuit, quae res ecclesiasticas et doctrinam christianam strenue propugnabat defendebatque ab hostili incursione incredulorum, qui praesertim ab anno 1867 placita positivistica spargentes fidei revelatae non parva detrimenta fecerunt.

Praeter res currentes, quibus praecipuam dabat operam, Przegląd per decursum 40 annorum multas lucubrationes in suis columnis publicavit, quae etiam scientificum in theologiae provincia valorem habent. Ultimis tamen annis, postquam alii fasciculi a viris ecclesiasticis emitti coepti sunt, Przegląd fere iam unice de rebus spectantibus externam ecclesiae vitam tum in Polonia tum in aliis regionibus sollicitus erat. Informabat insuper clerum de rebus ad praxim sacerdotalem curamque animarum pertinentibus.

Anno 1905, qui eventibus maximi pro ecclesia momenti in imperio rossiaco fuit locupletissimus, etiam Przegląd multas res tractavit gravissimi ponderis, ut de participatione cleri in re politica, de quaestionibus socialibus, de educatione cleri reformanda, etc. Hinc lucubrationibus theoreticis fere nullus relinquebatur locus. Notandae veniunt sequentes tantum dissertationes, quae aliquam nostrorum lectorum attentionem merentur:

1. Męka Pana naszego Jezusa Chrystusa (Passio Domini nostri Iesu Christi) commentarius historico-asceticus, auctore A. Ch.

2. Brewiarz Rzymski (Breviarium Romanum), studium historico-liturgicum Antonii Nowowiejski, excerptum ex eius vastissima Liturgia, de qua rationem iam reddidimus p. 249 (961) a. I.

3. Purpura kardynalska arcybiskupów mohylowskich (De purpura archiepiscoporum mohyloviensium), auctore profess. M. Godlewski; exhibet conatus archiepiscopi Sietrzeńcewicz necnon gubernii rossiaci apud S. Sedem dilatandi auctoritatem „metropolitae omnium ecclesiarum catholicarum in imperio rossiaco".

4. Eiusdem auctoris studium historicam: Prymasowstwo wileńskie (Primatus vilnensis); de mente tractat Alexandri I. imperatoris — instituendi Vilnae primatialem sedem pro omnibus Rossiae catholicis.

5. Wspomnienie co jubileuszu męczenników kazimierskich (De iubilaeo martyrum casimiriensium). Celebravit nimirum Polonia iubilaeum 900 annorum a beata morte quinque martyrum eremitarum, quorum vitam primus S. Petrus Damiani publicavit. —

Homiletyka, fasciculi menstrui, arti concionatoriae necnon vitae spirituali clericorum sacrati, eduntur iam ab 8 annis Vladislaviae (Włacłavek) dioecesis Cujaviensis, sub directione R. D. Mariani Nassalski. Pretium subscriptionis 8 rub. per annum. Unusquisque fasciculus exhibet circiter decem conciones, instructiones cathecheticas pro populo et iuventute, plures notificationes de rebus liturgicis, resolutiones casuum conscientiae, bibliographiam. Dantur theoretica praescripta de re concionatoria et tractantur nonnulla ex historia oratoriae artis sacrae praesertim in Polonia.

Inter contiones, quae anno elapso in Homiletyka publicatae sunt, eminent populares catecheticae instructiones Rmi Caroli Fischer, episcopi auxiliaris premisliensis, aliqui sermones Excmi Josephi Bilczewski, archiepiscopi leopolitani sermones antea nondum editi Adami Krasiński, olim episcopi vilnensis, qui post longum exilium Cracoviae mortuus est. a. 1891.

Commentationes et tractatus separati, qui per singulos menses in Homiletyka primum occupabant locum, maxima ex parte curam pastoralem et actionem socialem spectant. Specialem mentionem in nostro periodico merentur commentationes anonymi scriptoris:

1. Aspersya pod względem historycznym (Hom. t. XIV, pag. 502), historice tractans de origine aspersionis aquae lustralis, ante missam maiorem faciendae.

2. Spowiedź uszna (Confessio auricularis), (Hom. t. XV, pag. 97, 225). Auctor huius lucubrationis affert varias sententias theologorum tum ex catholica tum ex protestantica parte de confessione secreta primis Ecclesiae saeculis, expendit varias hypotheses de origine huius usus posteriore tempore, multisque argumentis demonstrat confessionem secretam extitisse saltem altero dimidio saeculi IV et in occidentali et in orientali ecclesia. Quod priora tria saecula attinet, auctor refellit sententiam Kirschii, iuxta quem poenitentiae sacramentum illis temporibus ad quaedam tantum peccata se extenderit, et sententiam Harnackii, reconciliationem peccatorum tribuentis prophetis charismaticis. Ceterum

agnoscit auctor difficultatem interpretandi cum omnimoda certitudine patristica monumenta de re poenitentiaria, quae ut plurimum eiusmodi sunt, ut varii scriptores nostri aevi proprias coniecturas suas facile ipsis ingerere possint. —

Gazeta Kościelna edebatur singulis hebdomadibus Leopoli a R. D. Ioanne Chęciński, constans ex 8—12 paginis in 4⁰ maiori. Pretium annuum 11 cor. Fundata est 13 abhinc annis a „Societate mutui auxilii sacerdotum", inservitque ut plurimum practicis cleri exigentiis. Nimirum in quovis fasciculo offertur una vel duae conciones, notatur chronica eventuum memorabilium in vita ecclesiastica, habentur nuntii ex dioecesibus galicionis et ex ipsa Societate, cuius Gazeta est organum.

In specie anno proxime elapso dr. A. Kopyciński plurimos publicavit articulos separatos de rebus fidei, ut de primatu, de prima apparitione Messiae, de Sanctissimo Sacramento, de concione in monte, de Nicodemo, de Maria Magdalena, de muliere christiana, de familia christiana, de societate, de ecclesia catholica eiusque habitudine ad sociales quaestiones et exigentias etc. In suis commentariis, super evangelica facta paraenetico fine scriptis, dr. K. hoc excellit, quod de thematis evangelicis disserens multam lucem afferat quaestionibus religiosis et socialibus, quae his praesertim diebus multorum animos exagitare solent.

Notatu dignae sunt commentationes anonymae:

1. Kult obrazów Matki Bożej w Rosyi (pag. 109, 265, 276), quae historias affert de singulis imaginibus miraculosis quae in ecclesia rossiaca coluntur. Auctor usus est ut fonte — menologio ecclesiae rossiacae a prot. Malcev Berolini edito.

2. A fasciculo 26⁰ coepta est publicari fusior dissertatio ex theologia naturali: Dowód kosmologiczny na istnienie Boga. Est autem amplificatio noti omnibus (cf. Sl. I. th. I, 135—6) argumenti cosmologici pro existentia Dei, eo consilio, ut sacerdotibus in cura animarum occupatis ad apologeticas conferentias inservire possit. Argumentatio tamen in nonnullis locis non convincit, velut pag. 293, ubi atomos non esse entia a se ex hoc auctor demonstrari censet, quod aliter non habeatur ratio, cur non etiam aliae atomi similes exsistant. Pariter et sequentia sub *b* et *c* argumenta eiusdem rei deterrimam metaphysicam sapiunt. — Potius ita videtur procedendum (si quis materiam per atomos separatas distributam esse censet): Supposito materiam esse ens a se, idem dicendum esset de quavis eius atomo: essent scilicet plurima entia a se. Cum vero manifestissima cernatur singularum atomorum mutua inter se coordinatio, e. c. eadem mensura et gravitas atomorum unius speciei chimicae, mirabiles leges proportionis in combinationibus chimicis, aptitudo teleologica atomorum ad efficienda anorganicea et organica composita etc. – incomprehensibile esset miraculum tam plurima „entia a se" casu inveniri ad invicem destinata secundum sapientissimas leges. Qui de hac re attentius cogitaverit, facile cogetur admittere aliud ens, a quo destinatio illa mutua particularum materiae facta sit idque in ipsa creatione. Ut paucis dicam: ens ad alium est etiam ens ab alio. — Nimis ieiuna videtur

nobis refutatio adversariorum liberi arbitrii, praesertim sic dicti determinismi psychologici, qui motivorum vim in re ethica non solum agnoscit, sed etiam exaggerat (p. 437.) Ceterum dissertatio haec, cum etiam recentiora placita referat, suis lectoribus non modicam utilitatem afferre potest.

Dwutygodnik katechetyczny i duszpasterski editur a 9 annis Tarnoviae in Galicia, bis in mense, fasciculis 32 pag. in 8⁰, redigente R. D. Valentio Gadowski, pretium subscriptionis 9 cor. Ut ipse titulus declarat, Dwutygodnik practicam utilitatem catechetarum scholarium necnon cleri parochialis propositam habet. Ideo multae conciones, exhortationes, catecheses, liturgicae et pastorales consultationes, cronica ecclesiastica — en stabile argumentum omnium fasciculorum. Etiam ex articulis separatis praecipua pars respicit rem scholarem praesertim in Galicia, item paedagogiam christianam et in familiis et in scholis.

Ex aliis commentationibus notamus eas, quae nostris lectoribus scitu utiles esse possunt:

1. Pag. 213 R. D. Lukaszkiewicz contra Wł. Szcześniak et alios auctores probare contendit sanctos Slavorum apostolos Cyrillum et Methodium non ritum romanum sed graecum in lingua slavica in Moravia propagasse. Probat hoc 11 argumentis, quorum nonnulla afferre liceat. Nimirum liturgia romana in linguam slavicam translata fuit iam duobus saeculis ante ss. Fratres; ergo versio eorum de liturgia graeca est intelligenda. Deinde liturgiam ss. fratrum impugnabant episcopi germani, quod non potuit fieri respectu liturgiae romanae in lingua slavica, a Sede Ap. iam dudum approbatae. Insuper, expulsi ex Moravia s. Methodii discipuli attulerunt in Bulgariam eandem liturgiam, qua in Moravia usi fuerant; atqui haec est liturgia graeca. Denique, ss. fratres obtinuerunt a Ioanne VIII papa licentiam utendi lingua slavica in liturgia; atqui liturgia romana in lingua slavica iam prius erat concessa, ergo nova concessio potius de graeca liturgia intelligi debet.

2. Anonymus auctor (*a*) tractat de unione ecclesiarum. O unii Kościołów (pag. 449, 545, 636, 668) Cum commentatio haec nondum sit finita, accuratiorem eius recensionem in futurum reservamus. Hoc loco motivum adnotari iuvat, quo auctor ducitur in sua inquisitione. „Plurimis fidelibus detrimenta in fide affert status christianitatis qui nunc est: status hic unam ex praecipuis indifferentismi religiosi causis constituit. Quam saepe enim audire possumus rem in incerto positam esse, quae sit genuina Christi ecclesia, cum omnes sectae apud se tantum plenam veritatem christianam inveniri praetendant!“ (p. 449). Auctor dolet „nos non facile caritatem et iustitiam erga alias confessiones constantiae fidei adiungere.“ In articulis hucusque publicatis afferuntur definitiones ecclesiae, ex auctoribus tum protestantibus, tum vetero-catholicis tum denique orientalibus depromptae.

3. Prawosławie czy Katolicyzm? auctore dr. A. Macko (pag. 1, 37, 321, 391). Continuatur incepta a 1904 dissertatio de ecclesiae notis, et ultimo quidem anno de catholicitate et apostolicitate tractatum est, ut ostenderetur notas has non orientali „orthodoxiae“

sed potius ecclesiae occidentali competere. Via trita procedens, auctor imprimis ostendit respectivam proprietatem ecclesiae esse necessariam eiusque a coetibus aliis distinctivam, deinde demonstrat, cur ab ecclesia orientali eiusmodi nota abiudicari, occidentali autem tribui debeat. Catholicitatem ecclesiae intelligit auctor moralem, nimirum „ut ecclesia quovis tempore sit praesens et diffusa in notabili maioritate regionum, quae tunc temporis notae sunt, item ut sumatur relative, comparatione scilicet facta cum diffusione et numero adhaerentium aliarum societatum religiosarum. Omnino absque ratione scribit auctor p. 37 „orthodoxiam esse ecclesiam exclusive rossiacam, et proinde pro ecclesia catholica haberi non posse". Pag. 38. procuratoribus Synodi petropolitanae adscribit conatus adhibitos, ut ecclesia rossiaca vocaretur catholica; melior tamen cognitio litteraturae theologicae orientalis doceret auctorem „orthodoxos" semper usurpasse hoc nomen, cum catechismos et alia symbolica documenta conficerent. — Quod apostolicitatem attinet, haec ab auctore definitur: „identitas cum ecclesia, qualem instituerunt apostoli, praesertim s. Petrus nomine et imperio Christi" (p. 321). Iudicio auctoris praecipuum valorem apologeticum obtinet hierarchiae apostolicitas, quae tamen, ut sit „formalis", coniunctionem et dependentiam episcoporum a centro catholicae unitatis postulat. Sed nonne hic committitur „petitio principii", cum volumus ope notae apostolicitatis ecclesiam nostram esse legitimam ostendere? Siquidem argumentatio tota ad id, reducitur: ecclesia papae subiecta est genuina Christi ecclesia, quia est apostolica, i. e. habens episcopos papae subiectos! Iudicio nostro*) formalis apostolicitatis notam assumere ad probandum ecclesiae catholicae genuinitatem methodice est omnino superfluum, quia pro medio demonstrationis adhibetur id, quod reipsa est idem cum re demonstranda. Historicis scil. argumentis simul probantur et legitimitas ecclesiae occidentalis et eius apostolicitas „formalis" neque iuvat quidquam unum ex hisce duobus demonstratis sumere ad aliud demonstrandum. In genere dicere audemus theoriam de quattuor verae ecclesiae notis, in quantum adhibetur contra orientales, spectato eius valore methodico tantum abesse, ut catholicum apologetam iuvet, ut potius nostrae apologiae navem supervacua saburra gravare videatur.

P. 438 et 754 Dwutygodnik valde benevolam mentionem nostri periodici fecit. *J. Urban* S. J.

Editio scriptorum S. S. Patrum graecorum cura Scientiarum academiae Cracoviensis. Philologica sectio scientiarum academiae Cracoviensis in sessione sua die 13. Februarii 1905 consilium cepit edendi scripta S. S. Patrum graecorum saeculi IV. Ad id ipsum comes Aug. Cieszkowski donavit 10.000 cor., prof. Leo Sternbach obtulit 1000 cor. ad comparandam bibliothecam auxiliarem. Officium consilium hoc ad effectum adducendi suscepit commissio, cuius membra sunt: Miodoński, Morawski, Pawlicki, Sinko, Sternbach, Witkowski. A scriptis s. Gregorii Nazianzeni initium capere decreverunt. *P.*

*) Cf. Slav. litt. th. 1904 p. 154.

Ks. Wł. Chotkowski: **Historya polityczna dawnych klasztorów panieńskich w Galicyi** (1773—1848). **(Politica historia antiquiorum claustrorum monialium in Gallicia.** (1773—1848). Cracoviae 1905. Pag. VIII + 431 in 8⁰.

Historia haec scientifice scripta eruta est ex actis, quae in archivo secreto c. r. ministerii cultus et eruditionis Vindobonae asservantur. In prima parte enarratur historia sublationis quindecim claustrorum monialium, in parte secunda historia claustrorum, quae manserunt (benedictinarum et sororum misericordiae) necnon claustri Leopoli anno 1843 fundati monialium de Sacré-Coeur. *P.*

RUSSICA.

A. P. Lebedev, **Церковная исторіографія въ главныхъ ея представителяхъ съ IV.—XX. вѣка.**[2] **(Historiographia ecclesiastica eiusque columnae saec. IV.—XX.).** Peterburg 1903. Pg. 610: rub. 3.

A. P. Lebedev inter celeberrimos historicos russicos numeratur. Inde a 40 annis iam totam historiam ecclesiae graeco-orientalis (sensu strictiore) usque ad saec. XIX. omni ex parte perlustravit ac descripsit. Insuper in Russia iam tota schola historica, ut ita dicam, ab eo profecta est: inter eius discipulos nonnulla lumina scientiae russicae numerantur (e. g. Glubokovskij, qui initio historiae eccl. et patrologiae operam dabat). J. Brodovič, prof. universitatis Moscoviensis, de A. P. Lebedev scribit: „Quicumque Russus, historiae ecclesiasticae operam dat, ante omnia libros prof. Lebedev inspicere debet. Hic vir doctissimus scientiae ecclesiastico-historicae russicae auctor seu „Bahnbrecher“ — ut Germani dicunt — dici potest. Prof. Lebedev, veteranus russicae scientiae ecclesiastico-histor., calamo eleganti ac perito 18 saec. ecclesiae vitae, nempe saec. II—XIX. peragravit, scientiaeque russicae thesauros permagnos paravit“ (Trudy Kiev. D. A. 1904. okt. pg. 315—316). Opera Lebedev in 10 amplos tomos collecta prodierunt. Primum 1. tomum ut introductio quaedam praesens liber efformat; alii tomi sunt: 2. Aetas persecutionum populi christiani ed. 3. Spb. 1904 (2 R.) 3—4. Historia conciliorum oecumenicorum (usque ad saec. IX., cum Graeci posteriora concilia oecum. non agnoscant) ed. 3. Spb. 1904 (4 R.) 5. Historia separationis ecclesiarum saec. IX—XI.[2] Spb. 1905 (2 R.). — 6. De statu interno ecclesiae orientalis saec. IX—XI. M. 1902 (2·40 R.). — 7. Historia ecclesiae byzantino-orientalis saec. XI—XV[2]. M. 1902 (3·20 R.). — 8. Tractatus eccl. historici ex antiquis ecclesiae christianae temporibus[2]. Spb. 1903 (2 R.). — 9. Historia eccl. graeco-orientalis saec. XV—XIX. (vide inferius). — 10. De clero ecclesiae antiquae M. 1905 (3 R).

Praesens liber non totam historiographiam ecclesiasticam, sed solum historiographiam ecclesiae antiquae usque ad saec. VI. vel VII., posterioremque de eadem antiqua ecclesia historiographiam pertractat. Primo loco late et accurate de historicis ecclesiasticis

graecis usque ad saec. VI. exponit. Ii magni sunt momenti; quicumque in doctrinam theologicam inquirit, saepe iis uti debet, nemo tamen adhuc quid ad historiae disciplinam valeant omni ex parte perscrutatus est. — Apud Eusebium, primum rerum ecclesiasticarum scriptorem (pg. 11—91), iam initia critices historicae occurrunt, tamen usus eius non est constans sed adventicius. „Historia Eccl.“ Eusebii chrestomathia quaedam est ex aliis auctoribus selecta atque composita, historicus materiam historicam non continet sed ea tenetur (47—48). Tamen pragmatismus historicus et idealis iam invenitur (89—90). Separatim tractat L. de Eusebii „Vita Constantini“ (92—110). De historicis Socrate, Sozomeno, Theodoreto tractat pg. 111—145, tunc vero seorsim de Socrate (146—180) et de Sozomeno (181—206), quibus deerat eruditio theologica necessaria, deinde de Theodoreto (206—228). Pg. 249—251 character historiographiae byzantinae, quae multo inferior est historiographia graeca saec. IV—VI. (pg. 251), breviter describitur.

In disciplina ecclesiastico-historica protestantes in Germania principatum tenere, Lebedev affirmat (252), quapropter his potissimam libri partem concedit. Auctor non systematice totam litteraturam ecclesiastico-historicam recenset, sed de celeberrimis tantum historicis seorsim tractat. — Initium criticae historiae ecclesiasticae in Germania fecerunt „Centuriatores Magdeburgenses“ (pg. 258 sqq.), quorum ad criticam historiam ecclesiasticam momentum L. valde quidem effert, tamen agnoscit ostenditque eos, odio contra R. Pontifices ductos, fabulas incredibiles confecisse (271—272). „Centuriis Magd.“ Baronius „Annales“ suos opposuit: L. concedit Baronium a partium studio multo liberiorem esse quam „Centuriatores“ (285). — Tractat deinde de Weisman, Mosheim (295—315), Semler, Planck, Henke (316—336). Augustinum Neander (337—375) Lebedev historicis celeberrimis adnumerat, qui in historicos russos (371—375), maxime in Gorskij et Čel'cov habuerit influxum non exiguum. — F. Ch. Baur (376—426) nimis philosophando historicam veritatem obscuravit, fidelitatem historicam amisit, talenta sua dissipavit. L. ab A. M. Ivancov se defendit dicens, se in sua „Conciliorum Historia“ F. Ch. Baur nullo modo, neque methodum eius imitatum esse (419—426). De Gfrörer (qui catholicus factus est), Gieseler, Hase, Niedner, Hasse, Herzog brevius tractat (427—460).

Amplissimus est tractatus de A. Harnack (461—517). Dolendum est, L. in 2. operis sui editione (prima prodiit a. 1898) non novam, sed primam (a. 1886—1887) tantum editionem Harnackii „Lehrbuch der Dogmengeschichte“ respicere. „Dogmengeschichte“ Harnackii auctori nostro quasi „philosophia“ quaedam historiae ecclesiasticae videtur esse. Harnackii historia ecclesiastica fundamento caret, cum divinitatem personae et doctrinae I. Christi, fundamenti ecclesiae christianae, neget (466). Recensenti Harnackii sententias de auctoritate evangeliorum et ep. paulinarum (466—471) nova editio libri „Dogmengeschichte“ inspicienda fuit. Harnack omnino artificiose et arbitrarie historiam primorum saeculorum composuit (471) eamque corrupit (472).

Harnack iam eo, quod historiam suam omnino falsis fundamentis superstruxit, totum opus suum corrupit, quod Lebedev totum opus perlustrans demonstrat (473—516). Totum Harnackii opus demonstrat, „quomodo procedendum non sit“ historiam ecclesiae tractanti.

„Notata quaedam de historia ecclesiastica in Russia“ (pg. 518—550) statim initio aperiunt historiam ecclesiasticam in Russia multo inferiorem esse quam in Occidente (519). Prima tractatio historiae eccl. in Russia est „Liber Historicus“ lingua latina conscriptus ab ep. Methodio Smirnov, editus Moscoviae a. 1805. M. Smirnov magna quidem eruditione opus suum conscripsit, tamen opus ad usum practicum et scholarem non est aptum (524—526). A. 1817 editus est liber manualis historicus „Načertanie cerkovnoj istorii“ conscriptus ab Innocentio Smirnov, destinatus seminariis et academiis theologicis approbatusque, qui, si doctrina exquisita spectatur, multo deterior est superiore. I. Smirnov pleraque, saepe ad verbum, iuxta historicos germanicos (prot.) Spanheim (saec. XVII. v. fin.) et Weissmann (saec. XVIII.) composuit (529—532). — Postea in academia Moscoviensi floruit prof. A. V. Gorskij († 1875), qui inter doctissimos historicos ecclesiasticos in Russia numeratur (535—536). In academia Petropolitana eodem tempore eminet prof. I. V. Čel'cov, cuius tamen „Istorija hristianskoj Cerkvi“ (I. et unicus tomus editus est a. 1861) sub nimio influxu historici germanici A. Neander conscripta est (537—538). — Inde ab a. 1869 historia ecclesiastica valde progressa est, cum inde ab hoc anno in academiis theologicis magis respiciatur: a. 1863 vero historia eccl. etiam in universitatibus (in facultate historico-philologica) introducta est (539—543). A. 1884 laurea „doctoratus“ historiae eccl. instituta est, quod scientiam historiae ecclesiasticae valde promovit (544—547). Inter historicos, qui historiam ecclesiae antiquae tractant vel tangunt, tempore recentiore eminent: V. V. Bolotov, I. E. Troickij, Th. A. Kurganov (547—48).

„De scientiae ecclesiastico historicae russicae ad protestanticam (germ.) relatione“ proprium caput inscribitur (551—569). Russi semper maxime a scientia germanica dependebant; ita etiam in scientia ecclesiastico-historica scientia „occidentalis“ saepe idem significat ac scientia germanica (prot.). Lebedev propter hanc dependentiam Russis et ecclesiae russicae non magnopere timet, cum fundamenta et principia „orthodoxiae“ tam clara sint, ut russicus scriptor ecclesiasticae historiae sententias „orthodoxiae“ adversantes facile perspicere et evitare possit (567—568).

Supplementa (570—610) libri tractant: 1. De antiquo historico ecclesiastico latino Sulpitio Severo (570—572). 2. De romano-cathol. historicis Fleury et Tillemont (572—586). 3. De A. V. Gorskij (586—610).

Liber praesens multa quidem valde pretiosa, minus tamen quam titulus indicat, praebet. Nonnulla tantum fragmentarie tractata esse, dolendum est, cum colligi possit maximo usui esse virum scientiae et eruditionis eximiae plenum etiam aliis de rebus ac viris, hic tractandis, exponentem audire. Praesertim de Russis Bolotov, Troickij plura di-

cenda erant, alii saltem nominandi. Scientia ecclesiastico-historica catholica omnino fere neglecta est. De Hefele, Hergenröther (quos Lebedev in operibus suis saepe laudat quibusque multum utitur), Funk aliisque nonnullis certe breviter saltem hoc in libro tractandum erat. Nihilominus Lebedev propterea de partium studio non est valde arguendus, quod in opere praesenti monographias per varias occasiones conscriptas tantum collegit, nec rem systematice tractat, contra in aliis operibus practice demonstrat se etiam auctores catholicos ex aequo aestimare, immo se paratum esse, ubi necessarium sit, eos ab impetu Russorum defendere. *Dr. F. X. Grivec.*

A. P. Lebedev, **Исторія греко-восточной Церкви подъ властію Турокъ** [2] **(Historia ecclesiae graeco-orientalis in imperio Turcorum, saec. XV.—XIX.).** Peterburg 1904. Pg. 856; rub. 4. —

In introductione auctor ingenue et perbelle exponit de fontibus historiae ecclesiae graecae et de charactere huius periodi. Ecclesia graeca iam diu ante urbem Constantinopolim captam marcescere coepit; Graecorum mores, ingenium, vires iam saec. IX—XV. lapsae erant, nihilominus augustas religiosas et ecclesiasticas rationes aetatis ante actae noverant etiamtum magnique aestimabant, etsi theoretice tantum (18—19). Sub iugo vero Turcorum ecclesia graeca in tristissimam incidit condicionem; ecclesia facta est sterilis, omnis vita religiosa interiit solaque forma religionis christianae permansit; si quid christianum tum existebat, hoc magis Turcorum merito quam Graecorum conservatum est (20—25). Nihilominus historia ecclesiae graecae etiam tum habet, quae ad animos nostros alliciendos apta sunt. Sensus religiosus populi graeci eo tempore non est exstinctus, nec patriarchae potestas interiit, sed potius mirum in modum crevit, ita ut patriarcha hac periodo summus pontifex et imperator populi graeci evaserit (28—31).

Conspectus fontium historiae eccl. graecae post urbem Constantinopolim captam, quem auctor tradit (32—90), magni pretii, valde accuratus et suo genere certe singularis est. Quia ecclesia graeca in tristissimis conditionibus versabatur, etiam fontes graeci historici pauci et parvae utilitatis sunt; in genere plerique fontes infidi sunt, cum erroribus scateant magnamque auctorum ignorantiam ostendant (33). Quapropter qui in historiam eccl. graecae illius periodi inquirit, laborem non facilem aggreditur. Lebedev iam in introductione permultos fontes quoad valorem historicum taxat; etiam inferius initio uniuscuiusque fere capituli conspectus fontium specialium traditur eorumque valor historicus exponitur.

Medio saec. XV. graecorum conscientia nationalis adeo confirmata fuit, ut vel ideo ad apostasiam a fide christiana et ritu suo perduci non possent. Idcirco Turci, qui haec bene perspexerunt, ecclesiae graecae inimiciores esse non poterant sed prudenter ei favebant (99). Ecclesia graeca magna gaudebat libertate. Hierarchia ecclesiae graecae magnis fruebatur iuribus ac beneficiis. Potestas patriarchae in rebus religiosis illimitata erat et super populum et super clerum, etiam super episcopos, immo patriarcha potestate saeculari in fideles orientales prae-

ditus erat. Episcoporum quoque potestas ampla erat. Ita sub iugo Turcorum efformatum est quasi quoddam „imperium ecclesiasticum“ sub regimine patriarchae et episcoporum (121). Patriarcha Constantinopolitanus et hierarchia graeca (natione graeca, non solum ritu) etiam Bulgariae et Serbiae, quae antea independentes fuerant, res ecclesiasticas sibi subiecerunt (124). Hierarchia (natione) graeca diffusa est in Palaestinam Moldavio-Valachiam, Bulgariam, Serbiam, graecâ lingua liturgica et scholis graecis etiam sermo graecus communis increbrescebat (126—128). Condicionem christianorum (raja) sub iugo Turcorum auctor in optimo lumine collocat (130—164), benevolumque iudicium suum multis argumentis fulcit. — Hierarchia graeca Turcis serviliter subdita erat et obligationem sibi impositam, ut populum coërceret et in obsequio erga gubernium contineret, serviliter explebat, viros patriae amantes eiusque liberationem appetentes et conantes anathematizabat (170—173): quapropter hierarchia (natione) graeca Russos aliosque liberationem christianorum a iugo Turcorum promoventes vel iuvantes odio persequebatur 174—177). — Verum est non solum hierarchiam, sed etiam ex populo graeco multos insania erga occidentales abreptos iugum Turcorum unioni cum ecclesia romana praetulisse; sed Graeci tunc iam in eam fortunam devenerant, ut desperatio talis taleque odium possibile esset. Bulgaros autem aut Serbos nequaquam affirmari potest iugum Turcorum „iugo papistico“ et auxilio regnorum catholicorum praetulisse. Quapropter falsa vel saltem valde exaggerata sunt, quae auctor pg. 178—182. narrat. His de rebus inspiciendi erant historici serbici et croatici (velut Raćki, Klaić, Ruvarac e. a.), non solum germanici (Zinkeisen, Hertzberg), qui has res tantum ex parte quadam tractant et iudicium aliquod hac de re proferre vix possunt. Bosniam e. g. non schismatici, sed haeretici nobiles (patareni vel bogumili) Turcis tradiderunt; apud Slavos meridionales et catholicos et non catholicos, cum a populo inculto tum a viris eruditis ii nobiles, qui in Turcorum partes abierant, semper patriae proditores non vero eius a „iugo papistico“ liberatores habiti sunt: memoriae Slavorum meridionalium lugubres, eorumque cantica innumera atque admiranda nullo sono liberationem a „iugo papistico“ commemorant, at contra plena sunt melodiis tristissimis verbisque amaris, quibus libertatis interitum proditorumque infamiam deplorant. Dalmatas (181) iugum Turcorum appetiisse, ut a „papistico“ se liberarent nullus unquam historicus affirmare potest. Lebedev igitur hac in re, quae ceteroquin ad propositum eius stricte non pertinet, quamque omnino potuit omittere, falso iudicat, fontes primos ignorans, secundariis nimis confidens. Odium Graecorum contra Occidentem catholicum etiam Slavis imputandi nullum est fundamentum; Slavi ritus orientalis contra occidentem catholicum nunquam odium illud fovebant, quod Graeci, etsi Graeci omnibus modis odium idem Slavis una cum ritu graeco inserere conabantur (cf. Golubinskij, Istorija russkoj Cerkvi II², 2, pg. 804 sqq.).

Auctor transit ad accuratiorem ipsius patriarchatus Constantinopolitani descriptionem (189—376). Accurate et magna acie critica inquirit in historiam de electione Gennadii Scholarii in patriarcham (primus

patr. sub imperio Turcarum), qua de re historici valde dissentiunt (199—221). L. omnes fontes graecos critice perlustravit, quod ceteri neglexerunt, nonnullos tantum respicientes. De ingenio et eruditione patriarcharum Constantinopolitanorum tractans auctor ostendit permultos patriarchas homines rudes atque incultos fuisse (221—251). Pg. 252—345 in mores patriarcharum inquirit multaque tristia invenit. De reditibus et de modo, quo patriarchae reditus suos collegebant pg. 345—376 agitur; saec. XIX. reditus tantopere imminuti sunt, ut patriarchae revera ad inopiam redigerentur.

Eruditio scholaris ac spiritualis hierarchiae et cleri valde exigua fuit, cum clerus eruditionem parum curaret (380). Graeci hac in re frustra Turcos accusant, cum ipsi animi cultum atque eruditionem neglexerint (381-383). Scholae triviales paucissimae fuerunt officiumque suum male explebant (384—388); etiam quae „gymnasia" vacabantur instituto suo deerant (389—393). Schola patriarchalis sive „Academia," iam primis Turcorum imperii annis fundata, saepe in condicionibus tristissimis versabatur; characterem autem profanum, non theologicum, prae se ferebat (393—413). Huic similis erat schola in insula Palmosa (Patmo), quae a. 1801 maxime propter monachorum negligentiam interiit (313—437). Schola sive academia in monte Athone solum a. 1753—1757 erat (337—345) Usque ad initium saec. XIX. Venetiis in colonia graeca gymnasium graecum existebat (446—450).

Eruditio cleri tam misera fuit, ut paucissimi linguam graecam liturgicam intelligerent; inter 1000 sacerdotes vix 10 nomina sua subscribere potuerunt (452—453). Unica Academia theologica nunc est schola vel Academia Chalkinensis (in insula Chalki in Bosporo), fundata a. 1844, cuius institutum historiamque L. late describit (457—490). In regno Graeciae, a Turcorum iugo liberato, condicio scholarum theologicarum vix est melior quam in Turcia. „Facultas theologica" in universitate Atheniensi, si scientia theologica spectatur, mediocris ac fere inanis est (491—499). Ultimis demum annis ibidem re in melius mutata, meliora possunt sperari (99).

Ecclesiae graecae ad eccl. Romanam relationem describens (502—570) auctor studio et ira vel partium studio in genere saltem vacuus dicendus est. Statim initio affirmat, non Graecis sed Turcis esse adscribendum, quod ecclesia catholica inter Graecos saec. XV—XIX. nullos obtinuerit successus (502). Turci inde ab initio Graecos semper protegebant et iuvabant contra ecclesiam catholicam cum ex unione ecclesiarum maximum sibi periculum imminere vidissent (503—506). Patriarcha totaque hierarchia graeca a gubernio Turcorum serviliter dependebant, ecclesia catholica e contrario in Turcia independens a Turcis erat (511—513); [sed hanc ecclesiae catholicae (theoreticam et iuridicam saltem) libertatem Lebedev iniustam (bezzakonie!) — nescio cur — appellat!] Propterea Turci ecclesiae catholicae sive unionis progressum pro viribus impediebant (518). Saec. XVII. iesuitae Constantinopoli in scholis suis multos Graecos educaverunt, per quos iam magno successu inter Graecos unionem praeparabant; sed gubernium Turciae iesuitas expulit (519—521). Simili modo Turci unionem

in Syria, Palaestina et inter Armenos persecuti sunt (522—524). Graecos schismaticos Turci in Palaestina potissimum adiuvabant (525—528). Tutela ecclesiae graecae, quam Turci gerebant, eo usque progrediebatur, ut ipsos patriarchas, si de unione suspecti erant, vexarent vel removerent (531). — Ut unio inter Graecos per ipsos Graecos diffundi posset, Romae „Collegium Graecum" fundatum est, de cuius forma, institutione, historia Lebedev pg. 531—557 tractat.*) De Leone Allatio (559—561) et de Paisio Ligaride (562—563), alumnis „Collegii Graeci," nonnulla scitu digna tradit. „Collegium Graecum" usque ad saec. XIX. unioni non multum profuit: saec. XIX. demum, cum imperium Turciae iam coepisset vacillare, unionis desiderium in Oriente facilius diffundi potuit (564—566).

De hierarchiae graecae ad ecclesiam romano-catholicam relatione L. severe iudicat. Graeci nec mores, nec ideas, nec studia conatusque ecclesiae catholicae cognoverunt; progressui ecclesiae catholicae nihil nisi persuasiones suas „antediluvianas" opponere potuerunt (567). Odium Graecorum contra Latinos, odium est hominis barbari contra hominem cultum (567). Pugna litteraria Graecorum contra eccl. latinam magno Graecis opprobrio est (568).

Sequentibus capitibus de ecclesiae graecae ad protestantes ac protestantismum relationibus (571—620) et de relationum harum in scientiam eruditionenmque Graecorum influxu (620—695) narratur: praecedit brevis fontium conspectus (571—573). Scitu digna sunt, quae L. de theologis graecis (saec. XVII) „protestantizantibus" tradit (674—695).

Vitam religiosam ac mores Graecorum auctor pulchre describit et sub oculos subicit (696—758), qua in re innititur scriptis Russorum praesertim, qui saec. XVII.—XIX. in Oriente peregrinabantur. Graeci ecclesias suas tantopere neglexerunt, ut multi peregrinatores Russi aperte dicerent, multo melius conservatas esse ecclesias illas, quae in Turcorum possessionem transierunt et in muhamedanorum templa mutata sunt. Status plurimarum ecclesiarum graecarum vere deplorabilis est, non ob Turcorum sed ipsorum culpam Graecorum, qui nullam fere loci sancti reverentiam habent (696—705). „Nullibi — ita peregrinator Russus saec. XIX. scribit — religio christiana ita profanatur sicut apud Graecos. Gaudendum omnino est, quod hunc vel illum locum sanctum (Hierosolymis) catholici, vel etiam muhamedani possideant" (706). Graeci in ecclesias rarissime veniunt (707 sqq). Multi sacerdotes superstitiosi sunt. (731). Etiam recentiore tempore vita religiosa apud Graecos miserabili loco est (734—735).

Magni momenti sunt, quae auctor in fine libri (pg. 759—849) de historia et statu, qui nunc est, patriarchatuum Alexandrini, Hierosolymitani, Antiocheni narrat, cum his de rebus in litteratura historica aegre certi ac solidi quidquam inveniatur: Lebedev innixus est scriptis Russorum, Porfirij, Arsenij e. a., qui multa documenta magna cum diligentia

*) Hac in re usus est documentis editis a Legrand, Bibliographie Hellenique au XVII. siècle t. III. Paris 1895.

magnoque labore collegerunt et ediderunt. De unione in Syria (saec. XVII. et initio saec. XVIII) iuxta auctores Russos contemporaneos pauca tantum, non spernenda tamen narrat (777—779). — Pg. 835—849 historiam, munera, actiones „Societatis russicae Palaestinensis" describit, quae societas ad scientiam historicam certe magni est momenti, etsi imprimis res religioso-politicas spectet coneturque.

Opus, quod perlustravimus in historia ecclesiastica plurimi est aestimandum, cum similis hac de materia liber nullibi inveniatur. Nemo adhuc tot testimonia, documenta, fontes, litteras occidentales, graecas russicas hac de materia collegit et critice percensuit; imprimis quod litteris russicis, occidentalibus minus perviis, copiose usus est, magni pretii est. Fontes et litteratura non solum initio libri, sed aliis quoque libri locis saepius critice percensentur et describuntur (189—197; 377—380). Etsi liber iuxta scientiae ac doctrinae praecepta conscriptus sit, tamen etiam stylo alacri ac populari excellit. Tamen verba »papistae« (pro Venetianis aliisque nationibus catholicis pg. 504 et passim) et similia e libris scientiae ac doctrinae dicatis exulent oportet. — Jireček, qui Bulgarorum historiam conscripsit, Bohemus est, non Bulgarus, ut auctor pg. 510 dicit. — Historiam occidentis, ubi historiam graeco-turcicam tangit, auctor non ita sobrie et accurate diiudicat sicut materiam ad propositum suum strictius pertinentem. —

Res, quae ad propositum auctoris pertinent, ipse paucis exceptis revera sobrie et iuste, ira et studio vacuus tractat et diiudicat; quapropter et ut historicus et ut vir sobrius iustusque summa laude dignus est. Dr. *F. X. Grivec.*

Церковныя Вѣдомости, издаваемыя при святѣйшемъ правительствующемъ сѵнодѣ. 1905.

Ecclesiastica acta. Eduntur singulis hebdomadibus penes s. synodum dirigentem. 1905. Nr. 1—6. — Promulgant acta publica et nominationes personales S. Synodi dirigentis, immutationes in hierarchia russica, relationes ex ecclesiis orthodoxis, graviores eventus vitae ecclesiasticae ac publicae in Occidente, minores tractatus argumenti theologici, recensiones librorum aliaque huius modi. — Episcopus veterocatholicus Beber et veterocatolicismus in Germania. Recensetur sermo veterocatholici episcopi Beberi Coloniae habitus, quo Beber renuit associationem Veterocatholicorum ulli ecclesiae sive occidentali sive orientali. (Nr. 2). — E vita ecclesiastica in patriarchatu constantinopolitano Patriarcha Constantinopolitanus praefectos parochiarum in residentiis episcopalibus earumque locis vicinis ordinat ad relationes patriarchatui dirigendas de omnibus rebus historico-archaeologicis cuiusvis dictae parochiae. (Nr. 2.) — Libertas conscientiae et tolerantia. E libro »Вопросы жизни«, Moscoviae 1904. Absoluta libertas conscientiae inter homines minus cultos evadit denique libertas violentiae et persecutionis non pacem sed discordias seminans, uti e tolerantia indifferentismus nascitur (Nr. 3). — Indicatur editio russicae translationis operis bohemici »Eventus (»Příhody«) nobilis Bohemi Vratislai Constantinopoli a. 1591«, sumptibus synodalis typographiae moscoviensis. (Nr. 3.) — Graecus codex manuscriptus membraneus quattuor evangeliorum, detectus inter litteras manuscriptas monasterii Helaty in Gruzia. Relatio Orloviae episcopi Kirionis de codice manuscripto quattuor evangeliorum

ab ipso in manuscriptis monasterii Helaty invento, qui saeculo V vel VI attribuitur. Per Gruzium quendam in membranis 29 × 24 cm. dimensionis scriptus, continet 249 folia. Initium et finis desunt. Inventum cum in Russia tum in Europa occidentali conspicuum exquisitiori studio Bermani, S. K. Gregory, Lipsiae professoris, sacri textus veteris periti et Dris Glubokovskij modo Petropoli subicitur. (No. 4.) — Auctoritas scti Augustini respectu vitae monasterialis in Occidente. In Occidente multi ordines sctum Augustinum suum patronum et mediatum saltem fundatorem veneratione prosequuntur. Vis eius tamen, quodad introductionem vitae monasterialis in Occidente pertinet communi aestimatione minor est. Verum ipsius meritum in institutione communis vitae cleri consistit, quae postea canonicalis vitae origo fuit. Non enim Augustinus sibi curae habuit, ut maiorem hominum numerum e saeculo educeret, sed ut clero suo amorem ascesis saeculique contemptum excitaret. — Motus religiosi inter Bohemos. Reproductio articuli in »Русскій Вѣстникъ« auctore Holeček publicati. Incrementum communis ideae slavicae bello Russorum cum Turcis creatum Bohemos acrius conscios fecit, quaestionem nationalem cum quaestione confessionis intime cohaerere. Dux partis Neobohemorum Carolus Sladkovský ad fidem orthodoxam transiit. Ipsius tamen factiones exemplum eius non sunt secutae persuasioni indulgentes quaestionem religiosam introductione Bohemicae linguae liturgicae atque institutione ecclesiae nationalis solutam fore. In celebri bulla Leonis XIII. »Grande munus« initium realizationis huius ideae falso conspiciebatur. Ab aliis antepositus est protestantismus, quem Kollár, Šafařík, Palacký sunt confessi, tamquam haeres religionis hussiticae. Cum nuper Pragae primus exstruendo monumento magistri Joannis Hus lapis poneretur, lutherani hospites e Germaniae imperio invitati spem alebant, fore, ut hac occasione protestantismus tamquam husitismi successor et tamquam confessio bohemicae ecclesiae nationalis proclametur. Eventus Pragenses eos vero edocuerunt, de rebus bohemicis prorsus falso se fuisse instructos. Revera familiares relationes populi ad Fratres bohemos characterem habent nonnisi historicum. Emigratio Herrenhutiana linguae bohemicae iam ignara certe charactere ecclesiae nationalis caret. Articulus persuasione terminatur, Bohemos nonnisi in unione cum ecclesia orthodoxa regenerationem suam esse perfecturos. (Nr. 4.) — Ex »Новгородскія Епархіальныя Вѣдомости« communicatur explicatio Causarum interitus antiquitatum in ecclesiis ruralibus. Iam ex fine saec. XVIII obiecta artis ecclesiasticae raro inveniuntur. Praeter causas externas (incendium, umorem), praesertim inopia sensus recti generis artis ecclesiasticae, in eis, quorum interest ecclesiis providere, indicatur. Studium technicae perfectionis colorumque hilaritatis submovet antiquam artem pietate et religioso ardore plenam, cuius exemplaria in turribus vel sub ecclesiarum tectis perniciei traduntur vel ab antiquitatum emptoribus auferuntur, qui ea fulgentibus rebus novis pretio artistico carentibus commutant. (Nr. 5.)

De mulieris natura eiusque educationis ratione. Mulieris lege christiana levatae, viro tamen subditae, corde et affectu potius quam speculatione viventis educatio ratione quidem non neglecta, praeprimis tamen ad morales eius facultates ac humanitatis sensus dirigenda est. Locus ipsius igitur non tam in vita publica quam in familia, schola, apud aegrotos, laesos etc. aptius habetur. — Pertractantur quaestiones liturgicae. — Ecclesia orthodoxa in Urmia. — Missionum seminarium Ardonense in Osetiae districtu (Caucasus septentrionalis). — Eventus in extremo Oriente. — De Galiciae Ruthenis odiosa administratione. — Librorum recensio: Commentarii in libros Veteris ac Novi Testamenti, redactione † A. P. Lopuchin. — Monumenta orthodoxiae russicaeque

nationis in Russia ocidentali saeculis XVII et XIII. Tom. I—III. Redactione professoris Academiae Kioviensis Titov. Opus diligentibus studiis archarum publicarum Russiae, Leopolis, Viennae, Dresdae fulcitum. Nr. 6

Praeter sermones in complures dies dominicas ac festa sollemnia, in No 7 historia commissionis refertur, cuius erat Russiae scholas spirituales instituere, et quae a. 1839 »Administrationi scholarum spiritualium« ad sct. Synodum constituae cessit. — Secundum archimandritae Teknopuli data statistica, ecclesia Constantinopolitana sede patriarchali constat necnon 82 eparchiis cum totidem metropolitis, 11 episcopatibus, 15 episcopis titularibus ac 3,100.000 fidelium numero. Ecclesia Alexandrina praeter patriarcham duas eparchias ac 100.000 fideles, ecclesia Antiochena patriarchatum, 11 eparchias et 500.000 fideles, ecclesia Hierosolymitana patriarchatum et 11 eparchias cum 300.000 fidelibus, ecclesia Cretae eparchiam et 7 episcopatus cum 250.000 fidelibus, ecclesia Cyprensis archiepiscopatum et tres sedes metropolitanas continent. (No 7). — In rubrica »E prelo eparchiali« (No 8) solae adhortationes et praemonitiones in ebrietatis vitio insufficientes declarantur, societates temperantiae per urbes, oppida et districtus instituendae commendantur, faustique eventus eiusmodi societatum iam existentium enarrantur. — Biographia archiepiscopi Kazaniensis, Antonii, e maiore opere archimandritae Sergii a. 1885 publicato excerpta est (No 9.) In eodem numero »Lectio christiana« (Христіанское Чтеніе), periodicae literae spiritualis academiae Petropolitanae sub novo redactore P. S. Smirnov recensentur. — In historico tractatu »Contemporalis status religiosus Japoniae« historia religionis Japonensium ab antiquissimis temporibus usque ad praesentes dies describitur Modo academica iuventus Japoniae religionis expers vivit atque ad quaestionem de religione sibi positam, maxima ex parte suam irreligiositatem nullamque religionis indigentiam professa est. Auctor Christi operariis messem ingentem ibi promittit. — Articulus »Imperator Nicolaus I. in sua cleri orthodoxi cura« eiusdem imperatoris de emendando materiali statu sacerdotum et monachorum russicorum, de vita spirituali per plura seminaria et academias neoerectas et per introductionem novarum disciplinarum (logicae, psychologiae, paedagogicae etc.) in praelectiones academicas levanda necnon de sacerdotum liberis educandis merita recenset (No 12). — Indicia statistica Russiae populationis secundum conscriptionem ex anno 1897 traduntur (Rom. cath. 11, 506. 809) — Varia praeter religionem christianam fides. (No 12). Comparatione fontium antiquissimorum opinio progressivae evolutionis religiosarum notionum sententiaque religionem christianam non specie sed gradu tantum ab aliis religionibus distingui, impugnatur. (E »The Mission World«). — Protoierej P. A. Smirnov. Vita ac merita redactoris Церк. вѣд. occasione quinquagesimi anniversarii ipsius activitatis ecclesiastico-socialis enumerantur. (No 13). — Congressus cleri eparchiae Tobolsk omnium consensu constituit, ut eparchiae clerus artem medicam non solum theoretice, sed practice quoque medicos in medicinis conficiendis sublevando eosque in nosocomia comitando disceret. Etiam ad praelectiones de iconopicturae arte in scholis instituendas suadet. — Propagatio religionis christianae inter Judaeos (E »The Mission World«) felices fructus societatum ad promovendam religionem christianam inter Judaeos (the Society for Promotion of Christian Knowledge) laudat. In Bibliis sacris inter Judaeos propagandis praesertim Societas Mildmayensis optime meruerat. Anno 1903 12.000 liberorum iudaicorum in variis eiusmodi missionum aedificiis institutionem christianam acceperunt. Hoc respectu praesertim The Church of Scotland, The United Free Church of Scotland, The London jews society primum locum occupant (No 13). — Praesentes quaestiones ad cle-

rum orthodoxum (No 14) querimoniam, clerum Russiae absque omni studio et amore muneris sui officia sua implere respicientes, maiorem cleri ad populum et inter se appropinquationem consulunt. — Necrologus in Onisiphum, archiepiscopum Caterinoslaviensem. (16—17). — Contemporalis catholicismus. Praesentis separationis ecclesiae a Galliae republica causam auctor in falsa basi quaerit, qua ecclesia catholica, postquam se ab ecclesia orthodoxa seiunxit, nititur. Rerum temporalium ac potestatis sensus exclusivus, quo spiritualia bona circumventa sunt, Evangelii notio per Evangeliorum lectionis vetitum in fidelibus suppressa, Romae iniusta elevatio, aliaeque calumniae enumerantur. Romae verbi gratia quilibet scire dicitur, quo pretio peccatorum absolutio ematur etc. Cum eruditione progrediente fideles hanc desperatam basin et falsam directionem perspiciant, ecclesia sensim omnem influxum in fidelium animas amittit. Haec facta meliores homines ad remedia deliberanda excitant. Meliores hae voces e medio veterocatholicismo audiuntur, quibus reunio cum ecclesia orthodoxa commendatur. Auctorem difficultas executionis huiusce rei non latet, cum utraque ecclesia per saecula suis viis progrediens suum specialem charcterem imbuerit, sed secundu n auctoris opinionem hanc ob rem dicta unio impossibilis non videtur. Media quaedam indicantur: Evangelium omnibus pateat, primatus romanus, qui in certamine cum potestate saeculari prorsus succubuit, supprimatur etc. Professor Micheau in periodicis litteris Revue internationale théologique, Janvier-Mars 1905, Berne, seriem articulorum huic quaestioni solvendae dedicavit. Conamini ecclesiae orthodoxae omnia mala e »schismate occidentali« deducendi, iam adsuevimus. Totius articuli tenor nonnisi argumentum praebet, quam remota et immatura fausta infausti schismatis solutio appareat. —

Dr. *L. Petr.*

A. L. Bajkov, **Современная международная правоспособность папства въ связи съ ученіемъ о международной способности вообще. La capacité internationale actuelle du Saint-Siège et les personnes du droit des gens.** Peterburg. 1904 p. XXXV + 461. Tractatus historico-dogmaticus.

Doctus auctor operis, quod revera omnium admirationem movere potest, verbum illud Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo (Math. 22 21; Marc. 12, 17; Luc. 20, 25) in fronte libri inscripsit. In proemio dicitur inter alia: Destructa potestas papalis a. 1870 — contra multorum expectationem — momentum internationalis auctoritatis s. sedis non imminuit. Papa mansit persona internationalis; quam auctoritatem maxime Leo XIII. restituit rationibus nationalibus, quae momentum et vim religiose-moralem s. sedis deminuerent, sepositis. Per eum internationalis auctoritas papae adhuc augetur.

Sed quomodo explicari potest, sanctam sedem uti iuribus internationalis personae nunc, cum caret imperio saeculari? Secundum rationem iuris gentium papa hanc auctoritatem non habet; sed revera eam habet. Explicatio historica non sufficit. Videtur potius falsa esse ratio iuris gentium, qua personae imperio carenti haec auctoritas denegatur.

Internationale momentum s. sedis explicatur 1. recta definitione iuris gentium; 2. historica evolutione papatus et eventibus anni 1870;

unde acquiruntur principia ad construendam rectam definitionem iuris gentium. Opus igitur in tres partes divisum est 1. Istorija razvitija elementov meždunarodnoj pravosposobnosti Sv. Prestola; 2. Konstrukcija meždunarodnoj pravosposobnosti voobšče; 3. Konstrukcija sovremennoj meždunarodnoj pravosposobnosti papstva.

In prima parte afferuntur historica facta, quae hanc evolutionem demonstrant. In secunda parte agitur de iure gentium in genere deque eius principiis, a quibus profectum est; dein de eadem re ratione habita papatus.

In hoc altero via ac ratione exponuntur primum summa rerum potestas libertas et independentia ut primum signum aptitudinis personae ad auctoritatem personae internationalis iuridicae. Ibi fit discrimen magni momenti inter essentiam summae imperii et eam ad effectum adductam. Deinde principalia iura pactionum habita eiusdem aptitudinis ratione. Tum magnum momentum huius rationis, qua lites componendae sint, explanatur.

Quibus expositis efficitur aptitudo s. sedis. ad auctoritatem internationalem. Quae anno 1870 acciderunt, auctoritatem internationalem papatus non sustulerunt, id quod secundum iuris et artis praecepta discrimine, quod supra indicavimus, facto ostenditur. S. sedes habet essentiam summae rerum potestatis independentem a vera possessione saecularis imperii. Utrum conveniat hoc cum evangelio necne, auctor non diiudicat; sufficit ei historia papatus et ita revera esse.

Internationalem illam papae auctoritatem Bajkov non putat fluere inde, quod papa sit caput ecclesiae religiosum, dogmaticum. Ecclesia catholica per se iuris internationalis talisque auctoritatis subiectum non est. Principium huius internationalis auctoritatis papae existimat esse politicam libertatem et independentiam ecclesiae eius, cuius papa personam gerit, ab imperio et vi saeculari. Solum ita pactio internationalis pro lege esse potest. Saeculare imperium ad hanc auctoritatem necessarium non habet. Saeculare imperium fuit quidem consentaneum signum eius, sed nequaquam unicum principium libertatis, id quod annus 1870. demonstrat. Etiam nunc s. sedes aequalis est imperio. S. sedes in Vaticano, qui saeculari imperio intactus mansit, habet etiam externam independentiam, „exterritorialitatem.“

In hoc prooemio est succus eximii operis, cuius singulas partes iam persequi in animo est. (Reliqua deinceps persequemur.)

„Православный Собесѣдникъ“ 1904. (Pars reliqua).

A. Bogorodskij: Первоначальное жилище человѣка на землѣ—рай въ Едемѣ. (Primaeva hominis in terris habitatio-paradisus in Eden) I., 1—24, 163—184.

Usque ad saeculum XVIum, ubi paradisus situs fuerit, inquisitum non est. Subsequenti vero tempore varii varias ad id explicandum opiniones in medium protulerunt. Hoc tempore eruditi - omissis opinionibus falsis vel improbabilibus — in duo dividuntur castra: alii enim in Mesopotamia, alii vero in Armenia paradisum collocant. Auctor, opinio a Delitzsch exculta, secundum quam paradisus in Mesopotamia, Babylonisve regione fuerat, refutata, Augustinum Calmet sequitur paradisumque in Armenia ponit. »My dopuskaem, čto vsemirnyj potop dějstvitel'no mog uničtožit' rěku, vyhodivšuju iz Edema . . . . Takoe

izměnenie poverhnosti zemli dolžno bylo po městam otrazitsja na rěkah na ih dlině, napravlenii i vzaimnom otnošenii, v osobennosti na istokah ih. No Edemskaja rěka mogła i perežit' potop, sušcestvovat' dolgo poslě, daže do vremen Mojseja i zatěm izčeznut.« (p. 164 sq). Fluvium principalem disparere potuisse, mirum esse nemini potest, si diluvium et geologiam prae oculis habeat (p. 165).

Fluvii, qui in scriptura recensentur, sequentes sunt: Euphrates, Tygris, Araxes (Gehon) et Чорохъ — Čoroh — (Phison) (p. 170 sqq). Quartum fluvium, Phison, nequaquam cum Phasis identificandum esse dicit: maior enim Phasis a ceteris fluminibus distantia cum dictis s. scripturae de uno fluvio, ex quo quattuor effluebant, minime conveniret (p. 173).

Sed in quanam Armeniae parte paradisus fuit? Verisimillimum est eum in orientali parte situm fuisse. Verbis enim ipsis: »plantavit Deus paradisum in Eden, in oriente (mikkedem)« significatur: plantasse Deum paradisum in Eden, in orientali eius parte (p. 175).

P. 176. nova argumenta, paradisum in Armenia situm fuisse affert. Primum illud est, quod antiquissima documenta historica et archaeologica, quae possidemus, ex illis regionibus habentur (p. 176 sq). Secundum argumentum ex illo textu: requievit arca . . . super montes Armeniae« (Gen 8 v. 4) (p. 177) desumit.

A. Bogorodskij: Жизнь первозданныхъ людей въ раю (De primorum parentum in paradiso vita) II., 337—362, 529—548.

Hisce duobus »articulis,« quod a. 1903. Prav. Sob. incepit, prosequitur. Designatis protoparentum natura et fine et a ceteris animalibus differentia, de eorum vita hic inquirit.

De aurea aetate apud gentes quam plurimas traditionem haberi, omnibus constat. Quam traditionem non posse inniti falso fundamento ex psychologia cogitur: homo enim ex bono quidem praesenti et futuro, sed nequaquam ex bono praeterito, quod numquam exstitit — alia res est, si exsistentiam habuit — capere gaudium potest (p 338). Quod »evolutionis« theoriam sequentes attinet, pessimam protoparentum conditionem, principia sua sequentes, supponere debent (p. 339). De facto igitur melior condicio aliquando adfuit; quam condicionem optime descriptam a Genesis auctore christiani admittunt. Secundum s. Scripturam bona imprimis externa magna abundantia protoparentibus praesto erant. Homines vero ipsi immortales erant; quam immortalitatem ex vitae arbore desumebant (p. 342 sq); — a morbis quoque et senili corruptione liberi erant. Verum non sola arbor vitae, sed omnis quoque quotidiana esca physicis quibusdam qualitatibus praedita hominis dissolutionem impediebat. — Cum segnities etiam in beato vitae statu multum cum corpori tum animae noceat, Deus »ut operaretur et custodiret« paradisum Adamo praecepit. Set labor hic iucundus fuit eiusque finis id intendebat, ut homo paradisi pulchritudinem (благоустройство) conservaret eamque augeret Finem hunc per naturalium virium cognitionem homo assequi poterat; ideo eius potestati tum animata tum inanimata subiciebantur (p. 348). Qua occasione Patrum quorundam dicta: animata Adamo non oboedivisse refellit: ipsa enim paradisi sanctitatem et pulchritudinem non solum non perturbabant, verum etiam multum ad eam conferebant. — Internum primorum parentum statum ex eorum morali dispositione, ex pudoris nempe defectu cognoscimus; defectus enim hic conscientiam bonam eiusque cum voluntate divina concordiam significat. Quam internam eorum beatitudinum multum conversatio cum Deo adiuvabat (p. 351 sqq). — Sed quid lignum scientiae boni et mali ad felicem illum statum conferebat? Qualis illius arboris proprietas fuerit, de eo confuse loquitur. Ex eius dictis arborem illam peculiaris boni cognitionem contulisse concludi potest (cf. 356). Ss. Patrum dicta de nominato ligno ad haec redigit: Lignum scientiae boni et mali sensibilem quandam voluptatem homini conferre poterat; fructibus eius ratio

corpori subdebatur, eiusque serva constituebatur. Quomodo id lignum hoc efficere potuerit, ignoramus. Id unum clarum est: arborem duplicem habuisse vim: unam cognitionem conferentem, alteram dissolventem. Secundum ss. Patres vis secunda eius a praematura comestione omnino dependebat et in destructione rectae relationis animae ad corpus consistebat. Altera huius ligni vis cum peculiaris boni tum maxime mali cognitionem afferebat; immo eius vis talis fuit, ut etiam abrogato praecepto — licet iam sine peccato — ad id ipsum valeret (p. 355 sqq). — Cuius ligni in paradiso exsistentia nequaquam eius statum turbabat: id quod consideranti hominis ad Deum relationem eiusque limitationem ac dependentiam clare patebit (p 529 sqq).

Primorum parentum in paradiso vitam comparare possumus cum hominis redemptione a Christo peracta, hoc tamen cum discrimine, quod innocentiae, quam primi nostri parentes possidebant, gradus praestantior erat et perseverantia firmior quam illius, quam Christus nobis recuperavit, innocentiae (p. 534 sqq). — Sed, quamdiu primi parentes in paradiso fuerint, inquirere libet. Auctor, ad hanc quaestionem respondens, opinionem illam, secundum quam Adamus 30 annos in paradiso fuit, probabiliorem esse dicit. Cum enim Seth natus sit 230⁰ anno, cumque Caini semen usque ad septimam generationem ante Seth natum multiplicatum sit, et ad unamquamque generationem educandam 25—30 anni requirantur, habemus 200 annos; itaque 30 anni restant, quos recte ponitur in paradiso peractos esse. Quorum numero exprimi quoque annos Christi D. vitae auctor notat. In nota refert etiam secundum Persarum traditionem primum hominem 30 annos in terra vixisse (p. 537 sqq). Quae cum ita sint sua sponte dubitatio vel potius quaestio exoritur, cur primi parentes filios in paradiso non procreaverint. Ad quod auctor, protoparentes, cum non fuerint in gratia confirmati, nec alios in gratia confirmare potuisse et hanc esse rationem, cur nullos filios habuerint, respondet

M. Vasilevskij: Государственная система отношеній къ старообрядческому расколу въ царствованіе императора Николая I. (De gubernii ad eos, qui dicuntur ‚raskolniki' (schismatici), relationibus tempore Nicolai I.

In unoquoque fasciculo (excepto mensis Septembris) per totum annum specialis, commentatio de ‚raskolniki' tractans, invenitur. Documentis praesertim a regimine editis innixus Vasilevskij, gubernii ad ipsos relationes atque internum eorum statum et constitutionem, describit.

P. Žuze (Жузе): Христіанское вліяніе на мусульманскую религіозную литературу (Quomodo Christiani ad Muhamedanorum litteras religiosas pertinuerint I, 247—263, 727—738. Quae Goldzieher (Гольдцієръ) in Revue de l'histoire des religions, t. 18. conscripserat, hic in linguam russicam translata sunt.

K. Ḫarlampovič: Арх. Макарій Глухаревъ, основатель Алтайской миссіи, и его пребываніе въ Казани (De arch. Macario Gluḫarev, missionis in Altaj conditore, deque eius Kazaniensi commoratione) I., 205—230.

V. Nikol'skij: Христіанство, патріотизмъ и война (Christianismus, patriotismus et bellum) I., 608—621, 765—786, 868—887; II., 147—165, 549—572.

Christianus, ut de patriae amore recte sentire possit, imprimis huius vitae veram notionem acquirat necesse est. Bona externa secundum religionis christianae principia ex se nequaquam mala habentur, sed solum in quantum hominem ad peccatum adducunt; formas igitur physico-corporeas, quia sunt corporeae, religio christiana minime reicit (613 sqq). Immo homo, cum anima et corpore constet, indiget bonis externis cumque homo hominum appetens sit, cum hominibus ad societatem vitae coniungitur. Quos naturae nisus et conatus religio christiana non reprobat, sed solum ad propositum suum aptat (p. 616

sqq). Ideo qui patriae et parentum amorem infra se esse iudicant, ad subiectivam hominis dignitatem non attendunt Patriae igitur amor naturalis, ex ipsa hominis essentia consequitur — psychologice autem ex gratitudine pro acceptis beneficiis effluit et coniunctione familiae, necessitatum cum individualibus necessitatibus concrete sese manifestat.

Consequenter patriae amor, licet quasi terrena quaedam virtus sit, tamen, cum religio christiana non corporea, sed peccata, reiciat, — etiam virtus christiana esse potest.

Immo patriae amor cum maiore hominis perfectione convenit, nec solum inchoatae virtutis est. Qua in re exempla Christus Dominus et apostoli — quod per multos textus ex s. Scriptura sumptos probatur — nobis praebuerunt (p. 765 sqq).

Christianus patriae amor minime suam gentem aliis anteponit, neque principia moralia negligit; sed quod malum est, enecat, quodque infirmum sanat, et ad meliorem, in quantum fieri potest, suae gentis condicionem efficiendam et ad eius intentiones et desideria — ad effectum perducenda, nititur (p. 772 sqq). Quodque nostram patriam praeter alias diligimus, ad id peculiari nostra ad patriam relatione, filiali nempe, cogimur (p 785 sq).

Patriae amor universalitati religionis christianae non repugnat; imprimis christianae suiipsius abnegationi contrarius non est; sicut enim homo seipsum abnegans non seipsum, sed quod vitiosum est, tollere nititur, ita et tota natio hanc virtutem exercens, solum quod in ea vitiosi vel mali est, decidit; immo gentis alicuius incrementa causae historicae nonnumquam exigunt. Quid plura? Publica sui ipsius abnegatio non suae gentis dissolutionem et negationem, sed solum pravorum eius conatuum repressionem postulare videtur (p. 869 sqq).

Dein verus patriae amor nequaquam idem est atque illud nimium domesticorum studium, quod suae solius nationis amore circumscribitur, — sed ethicae praeceptum „quod obiective amore dignius est, id magis ama“ observans patriam suam — non exclusis aliis gentibus — amore filiali prosequitur; et practice quidem et immediate nationem suam prae oculis habet; unde nec totius generis humani universitati auxilium suum denegat (p. 875 sqq).

Nec obici potest; patriae amorem bellorum causam esse: in una enim, eademque gente hoc idem accidere videmus; sane verus patriae amicus, quantum in eo positum est, bellum impedire conatur (p. 885). Tamen si iusti esse velimus, ne reiciamus omne bellum ut absolute malum: sunt enim bella, quae, si eorum finis obiectivus et bella gerentium intentiones subiectivae spectantur, non solum bellis iniustis, verum et illo statu, in quo bellum gerendum esset, multo praestant (II, 147 sqq). Neque s. Scriptura absolute bellum reicit; neque, cum bellum gerimus, praeceptum de diligendis inimicis transgredimur (p. 161 sqq). Quod ss. Patres attinet, cum bellum ut malum considerarent, inter simplex homicidium et homicidium ex prava intentione distinguebant, et dein, ut homines cautos redderent, nonnumquam severius locuti sunt (p 150 sqq.).

Bellum igitur ad religionis christianae propagationem necessarium quidem non est, at peccato originali et personalibus suppositis, hominum malitia non raro belli causa esse potest; ideo homo christianus bello ut malo necessario utitur.

N. Nikol'skij: Родной языкъ какъ орудіе просвѣщенія инородцевъ (De sermone patrio ut instrumento educandi alienigenas) I, 371—404.

N. Ivanovskij: Австрійское священство и единовѣріе (de austriaco sacerdotio et de una fide) I, 529—541. Hic oratio, quae nil singulare continet, descripta est.

A. Koblov: Графъ Л. Толстой и мусульмане. По поводу переписки Л. Н. Толстого съ казанскими татарами I, 622—633; 888—916. Quasdam epistolas, quae commercium inter Tolstoj et Tataros et Kazań constituunt, Koblov edit et censurae subicit; set incertum esse sintne epistolae genuinae, red. Pisarev adnotat (cfr. p. 622).

A. Preobraženskij: Григорій V. патріархъ константінопольскій (1745—1821): 1. Дѣтскіе годы его жизни, I., 457—491; 2. школьное образованіе и первые годы церковно-общественнаго служенія Григорія V. въ Смырнѣ, I., 739—764; 3. Церковно-административная дѣятельностъ Григорія V., за время управленія Смирнской епархіей, I., 944—962; 4. Общее церковно-политическое состояніе греческаго востока ко времени вступленія Григорія V. на константинопольскую патріархію, II., 166—189; 5. церковно-народное просвѣщеніе при Григоріи V., II., 598—631, 798—815, 1132—1146.

Gregorius a. 1745. natus in urbe Demetsan in Arcadia, usque ad a. 1765. scholam elementarem, ubi libros liturgicos legere et nescio an initia mathematicorum et geographiae didicit, in propria urbe frequentabat. Qua in schola, sicut illo tempore mos fuit, ascetice bene excultus est. A. 1765. Athenas proficiscitur, ubi sub directione theologi Demetrii Vodas per duos annos studiis vacabat. Dein Smyrnam petit, qua in urbe officio ecclesiastico fungens simul in schola ‚εὐαγγελική' per 5 annos scriptoribus »classicis« legendis et arti orandi operam dabat.

Finitis studiis Smyrnae ordinem ingreditur; simul scientiae cupidus in insulam Palmosam (Patmos), ut theologiam et philosophiam addisceret, pergit; quae studia — quamdiu ibi fuerit, nescitur — cum absolvisset, a Procopio metr. Smyrnensi Smyrnam reverti iubetur eique officium, primo archidiaconi, dein protocancellarii defertur. Parum de hac vitae Gregorii periodo scimus. Id solum eum regenerationis Graecorum amicum fuisse constat; ideo simul cum aliis opera ss. Patrum, ‚εἰς κοινὴν τῶν ἀναγινωσκόντων χρῆσιν' vertit; primum eius opus fuit: s. Chrysostomi »de sacerdotio« in vulgarem linguam versio. In ea re Gregorius excellebat, quod non classico, sed vulgari sermone, eiectis alienis vocabulis, grammaticae regulis observatis, usus est sicque practice ad linguam hellenicam huius temporis excolendam contulit. A. 1785. electus est metr. Smyrnensis. Brevi post dioecesanos officiales convocat communemque cum eis agendi normam edit. Dioecesim ita regebat, ut nec eius inimici, quid ei obicerent, haberent. Templa enim collapsa reconstruebat, clerum coram regimine defendebat vitiaque cleri exterminabat. A. 1797. patriarcha Constinop. electus est; quam sedem patriarchalem tenuit 1797—98, 1806—1808, 1819—21. Eo patriarcha Graeci quoque ab Occidente libertatis et rationalismi studia avide accipiebant. Qua in re ab ipso patriarcha adiuvabantur qui, quod maximi momenti est, ne Turci per vim omnem Graecorum conatum reprimerent, impedivit. Id quoque Gregorio laudi erit, quod scholas de novo reconstruebat, instituebat hominesque studiis artibusque deditos adiuvabat et quod a. 1798. typographiam erexit.

Commentatio haec verbis multorum scriptorum allatis abundat multaque de studiorum, vitae ecclesiasticae et politicae statu illius temporis nos docet. Et quod magnae laudi auctori vertendum est, de singulis quaestionibus ad multos relegat auctores. Tamen adnotandum videtur esse totius vitae Gregorii imaginem eiusque indolem animi ingeniique non omnino perfecte accurateve depictam esse.

V. Kerenskij: Какъ пишетъ критику проф. Свѣтловъ (Quomodo censuram scribat prof. Světlov), I, 405—456.

N. Nikol'skij: Народное образованіе у Чувашъ. Историческій очеркъ. (De educatione apud Čuvaši) II, 209—228.

A. Th. Gusev: Послѣднее наше слово о старокатоличествѣ и его русскихъ апологетахъ (De veterocatholicismo eiusque russicis apologetis ultimum verbum), I, 559—607, 693—726. Gusev († 8 (21) Julii 1904), qui multa de quaestionibus: »Filioque et transsubstantiatio« scripsit, de novo praecipue commentationi P. Světlov rescribit. Ecclesiae catholicae nomen verae ecclesiae denegat ipsumque dogma de Christo Redemptore in ecclesia catholica „утратилъ надлежащее значеніе" (cf. p. 711 sq.) *)

*) Immo haec ibidem p. 712 legimus: „Papisty došli daže do togo, čto s uvěrennost'ju govorjat o trojakom voploščenii Boga: vo Hristě, v evharistii i v papě."

K. Grigorev: Ученіе графа Л. Толстою о государствѣ (Doctrina L. Tolstoj de imperii gubernatione) I, 787—817, 963—991. Grigorev doctrinam de imperio variis in operibus a Tolstoj propositam in unum colligit et collectam refutat. Societas secundum Tolstoj per vim et orta est, et hoc quoque tempore sustinetur.

P. Žuze (Жузе): Источники мусульманскаго права (Iuris muhamedanorum fontes), II, 190—208, 407—437. Žuze commentationem a Snouck Hurgronje in Revue de l'histoire des religions, t. 37. conscriptam in Russicum transtulit.

I. Pokrovskij: Явленная чудотворная Казанская икона Божіей Матери (Miraculosa Deiparae imago Kazaniensis) II, 254—285. Nocte 29 Iunii (11 Iulii) 1904 praeter alia etiam miraculosa Deiparae imago, quae in mulierum monasterio ss. Deiparae cognominato in urbe Kazań conservabatur, per fures ablata est. Qua occasione Pokrovskij imprimis de huius imaginis apparitione exponit. Ab a. 1649 festivitas huius imaginis tota Russia 22. Octobris celebratur; multa patravit Deus miracula ad B. Virginem in hac imagine honorandam. Exemplar ipsum non Petropoli, nec Moscoviae, sed Kazanii conservatur, id quod post Gregorii Zaharovič studia nemo serio negare audebit.

K. Grigorev: Соціалный вопросъ въ пониманіи графа Л. Толстого (Socialis quaestio ex mente L. Tolstoj), II, 286—306, 469—518.

A. Klučarev: Ѳеофанъ Затворникъ и его пастирская дѣятельность. По поводу 10-лѣтія содня его кончины (De Theophane Zatvornik eiusque laboribus pastoralibus, II, 392—406, 632—670, 816—873. Klučarev nondum finivit suum de hoc episcopo studium. Theophanes (1815 + 1894). sicut ipse virtutibus christianis ornatus erat, ita et subditis eas imprimere conatus est. Hoc propositum et in vita sua et operibus de morali et ethica tractantibus spectabat.

N. Ivanovskij: Къ вопросу о брачныхъ сопряженіяхъ раскольниковъ и вытекающихъ отсюда послѣдствіяхъ. Административныя и судебныя заключенія (De matrimonio sectae russicae qui raskolniki vocantur) II, 377—391, 573—597.

Usque ad a. 1874 apud raskolniki matrimonium non fuit legale, sed coniunctio peccaminosa ducebatur. Tamen reapse numquam nomine „сожитіе", appellabatur; et hoc tempore et in codice et apud scriptores „сожитіе" „сопряженіе", сводный бракъ" et secundum Zaozerskij et Berdnikov „подобрачное сожитіе nominatur (p. 379 sqq.). Filii ex tali matrimonio procreati non habentur nothi. Cum codex nihil determinati dicat, ad primarios iurisperitos huius temporis Ivanovskij sese convertit. Constant. Pobèdonoscev, Koni, prof. Berdnikov illorum matrimonia legitima esse putant (p. 384 sqq). Sed etsi de coniugio illorum, qui raskolniki esse perseverant, lis esse possit et in utramque partem disputari, omnes tamen iuristae et canonistae ‚raskolnikov' matrimonium simulatque cum ecclesia orthodoxa coniungantur fieri vel approbari ut legitimum, uno ore clamant. Idem usus testatur (p. 387 sq).

Sed quaestio oritur, num eodem modo, quo raskolniki in raskol nati tractantur, etiam alii raskolniki tractari possint? Affirmative respondendum videtur, cum multi — sine ulla interrogatione — ad ecclesiam orthodoxam redierint, quorum matrimonium ratum putabatur. Immo nec ullum decretum senatus vel opinio iuristarum contraria habetur (p. 390 sq.).

A. Druzinin: Образованіе и нравственность (Educatio et ethica) II, 882—910, 1007—1061. Cum hominum vita moralis a convenienti affectuum, mentis, voluntatis evolutione, evolutio autem haec ab educatione dependeat, — ideo educatio cum in schola tum extra scholam vitam religiosam praeprimis spectare debet. Quod ut obtineri possit, educationis caput et finem ultimum religionem esse necesse est.

V. Krylov: Административная переписка Иннокентія, митрополита Московскаго († 1897 г.), за время управленія его Камчатскою епархіей, II. 931—952, 1160—1168.

M. V. Расколосектанство въ Казанскомъ краѣ и дѣятельность противъ него Казанской миссіи въ 1903 г. II, 882—910, 1147-1153.

N. Ostroumov: Аналогіи и ихъ значеніе при выясненіи ученія о св. Троицѣ по суду бл. Августина (De analogia eiusque valore in explicanda doctrina de ss. Trinitate secundum s Augustini mentem) II, 1119—1131.

Doctrinam de ss. Trinitate, »de tribus personis in una natura« alii ut rationi repugnantem reiciunt, alii, qui eam admittunt, rationis argumentis eam demonstrari posse contendunt. Mediam viam tenuerunt ss. Patres. Cum enim natura humana »bogopodobie« (Dei imago sit), doctrinam de ss. Trinitate revelatam ex natura humana illustrare conabantur. Inter omnes s. Augustinus praestitit opere: »De Trinitate« Ipse enim s. Trinitatem ratione humana perfecte cognosci non posse sciens, doctrinam eam analogiis e rebus creatis sumptis explicare studebat.

Ostroumov triplex analogiae apud s. Augustinum genus distinguit: e rebus corporeis, e vita nostrorum sensuum, e vita spirituali. Sed cum rebus corporeis et vitae sensuum paulum commune sit cum spiritualibus, tertium genus melius explicat, analogiasque s. Augustini e vita spirituali adducit. Ad quaestionem, num argumentum ex analogia ductum efficax esse possit, respondens perperam aut confuse loquitur. De Augustino autem in fine adnotat, analogias apud Augustinum non fuisse nisi »подобіемъ принятой и переживавшейся вѣры въ троичность, это было какъ бы предчувствіе, только предуказаніе истины« (p. 1130.)

V. Kerenskij: Шестой интернаціональный старокатолическій конгрессъ и развитіе старокатолицизма въ послѣдніе годы (1902—1904 г.) II., 756-797, 1062-1118.

Actionibus et sessionibus congressus veterocatholicorum, qui 1-4 semptembris a. 1904. peractus est, enarratis et descriptis, Kerenskij orationes, quae congressus tempore habitae sunt, complectitur simulque censuram earum brevem addit. Dein veterocatholicismi ultimis temporibus progressum exponit eiusque ad protestantismum propensionem notat. *M. Haluščinskij.*

M. D. Muretov, **Родословіе Христа. Экзегетическое изслѣдованіе. (Genealogia Christi. Investigatio exegetica.)** Moskva. Univ. typogr. 1904. — Pg. 140 (VIII⁰.)

Auctor septem articulis cribrat quaestiones de Mt. 1, 1—17 et Lc. 3, 23—38.

Articulo primo fundamentum commentationis ponit. Quam plurimis e V. et. T. magistrorum Iudaicorum praeceptis (Talmud), Flavio, Philone congestis argumentis vocibus „*Βίβλος γενέσεως Ι. Χ. υἱοῦ Δαυεὶδ υἱοῦ Ἀβραάμ*“ (Mt 1, 1) amplissimam significationem iusti libri historiam adventus Salvatoris Uncti enarrantis strenue prorsus vindicat. Respectum evangelii s. Matthaei ad ll. V. T., qui clare exprimitur praedicatis de Iesu Christo — *υἱοῦ Δαυεὶδ υἱοῦ Ἀβραάμ*“ —, continuari probat ipsa trina genealogiae divisione, qua docemur statum Iudaeorum theocraticum tria stadia, quae societates hominum temporaneae percurrere solent, ipsum quoque transiisse, quippe qui ante Davidem membra et elementa collegerit, post Davidem floruerit, post Iechoniam languerit. Theocratica Matthaei genealogia enarrata absolvitur liber geneseos testamenti carnis, quem excipit liber geneseos Salvatoris Uncti. Ceterum auctor licet pro proposito suo naturalem cursum status theocratici in genealogia adumbrati urgeat, relationem typologicam et super-

naturalem haud obfuscat. — Posito iam fundamento, articulo II. primam genealogiae aetatem stilo biblicae suavitatis enarrat. Additamenta (mentionem fratrum Iudae et Thamar et Rachab) quae ad schema genealogicum, si s. auctor puram et putam genealogiam tradere voluisset, minime quadrarent, ad sententiam suam confirmandam apte trahit, rabbinicas doctrinas crisi subicit et optime ad suum usum transfert philosophicas de historia populi electi considerationes instituit. — Eodem fere modo notari potest articulus III. alteri genealogiae parti explanandae destinatus. Narrationes plenae ardoris et gratae „unctionis" excipiunt scrupulorum textu V. T. inspecto iniectorum exemptiones et aliorum nodorum exegeticorum extricationes. Optime afficiunt et tenent lectorem quae explanator ad v 6. praeclare et ornatissime exponit. — Tertiam partem paulo difficiliorem interpretatione quarto articulo proposita, in qua sine dubio licet acquiescere, explanat, legis de leviratu, de successione filiarum et dyonymiae habita ratione. — Articulo V. de numeri ternarii epocharum et quattuordenarii generationum significatu tractat. Reiecto commento eorum, qui cum Meyer—Weiss autumant lapsum oculi evangelistae genealogias — quas quilibet Hebraeorum puellus memoriter noverat — describentis, auctor docet s. Matthaeum revera omnes recensuisse personas, quas pro proposito suo theoretico dignas habuit, quae recenserentur. Ut in singulis genealogiae partibus quattuordecim generationes contineantur, album calculum illi sententiae adicit, quae Iechoniam bis (liberis carentem et maledicto ac filiis donatum) numerat. In suspenso relinquit allusionem ad nomen David ($4 + 6 + 4 = 14$), adhibet ex parte cum Ambrosio mysticam divinorum numerorum 7, 3, 40 significationem; maxime autem ipsi probatur explicatio, s. Matthaeum cum 14 generationes invenisset in parte prima et iterum in secunda, exclusis iusto iure excludendis (Iezabel) et sub una generatione exhibitis regibus Iosiae successoribus, eundem numerum computatio effecisset, in tertia hunc numerum retinuisse ad plenitudinem temporis designandam.

In conciliandis Matthaei et Lucae genealogiis auctor praefert et tuetur hypothesim apud Lc. genealogiam B. M. V. legi. Rationum, quae fere afferri solent, quasque Muretov diligenter et accurate exponit, firmitatem ac vim augeri sententia illa Lucam, historiographum accuratum, pluris aestimasse genealogiam veram et naturalem, quam iuridicam et theocraticam atque efficacius et aptius priore quam posteriore ethnicis et ethnicochristianis Christi fidem commendare et cordibus imprimere potuisse, fortasse nemo est, qui diffiteatur. Quae hypothesis, si vera est, regale Davidis genus theocratice messianum et messianum idealiter de Salvatore nato in matrimonio B. V. et s. Josephi congaudens facit. Eadem difficultates, quas alterius sententiae patroni obiciunt expedite infringuntur. Sic nomina Heli et Ioachim non simul sed successive eidem personae tribuntur et Heli ex Heleh-Jah (celsitudo, elevatio Jahwe) derivatur. Ut „certum neque cupidius factum testimonium," quod hypothesim quam defendit, confirmet, allegat inter alia etiam Gemarae Hier. (ad tract. Chagiga cap. 2 § 2) „Mirjam bath (berath) Heli."

Denique articulo VII. qui est „De genealogiarum axiopistia“ probat Christum revera a David ortum esse, genealogiam B. V. facili negotio conservari potuisse, librum generationum et apud Mt et apud Mc cum evangeliis ipsis primum foras datum esse, opinionibus, pro quibus Resch (Kindheitsevangelium Lpz. 1897) Rüegg et Birt hac in re propugnant, spatium in libro suo non concedens.

Ad commentationis calcem auctor orthodoxus acutam criticismi biblici censuram adiecit diversum modum, quo ad eadem semper contendunt, sic perstringens: Antea negabant, nunc affirmant. Pridem dicebant: superfluum, adulterinum, a fide abhorrens; nunc quaerunt magis necessaria, veriora, fide digniora. Pro nominibus „non apostolicum, non Christi“ iam substituunt „proto-apostolicum et proto-christianum“; denique prius directe negabant quae sunt, nunc eadem negant quaerentes, quae non sunt. (Прежде отрицали, теперь утверждаютъ. Въ старину говорили: ненужно, неподлинно, недостовѣрно; теперь ищутъ сверх-нужнаго, сверх-подлиннаго, сверх-достовѣрнаго. Вмѣсто неапостольскаго и нехристова нынѣ востановлаютъ первоапостольское и первохристово, кратко: прежде прямо отрицали то, что есть, — а теперь отрицаютъ это посредствомъ исканія того чего нѣтъ. p. 138.)

Aequitas neque naevos quodam libri celari concedit. Ad accurationem in scientificis rebus sane pertinet, criticum non haerere in discrimine inter theologiam orthodoxam Russorum et occidentalem faciendo, sed criticismum vesanum, qui inter Germaniae potissimum protestantes grassatur, a critica catholicorum sana probe discerni. Praeterea scholasticam studiorum rationem aequius aestimare scriptor potuit (v. p. 126, 138.) Nova nec satis firma videntur esse, quae p. 12. occurrunt de tempore, quo s. Matthaeus evangelium scripserit. Traditionis suffragio caret opinio legem de successione filiarum ad Mariam, Ioachim viri ditissimi (?) filiam pertinuisse, (p. 108.) Quaedam de „Toledoth Ieśua“ corrigenda esse auctor ipse in fine exemplaris nostri monuit (p. 8. 70. 100. 108. 120. 123. 128. 137. 140.)

C. Večeřa.

Богословскій Вѣстникъ. (Nuntius theologicus.) 1905. Aprilis — Augustus.

N. Kapterev: Власть патріаршая и архіерейская въ древней Руси въ ихъ отношеніи къ власти царской и къ приходскому духовенству. Potestas patriarchalis et archiepiscopalis antiquae Russiae in sua relatione ad potestatem imperialem et ad clerum curatum. (No. 4 et 5, p. 657—690; II. 27—64.) — Illis, qui sibi a restaurata dignitate patriarchali ampliatam auctoritatem pollicentur maioremque ecclesiae influxum in civilem ac nationalem vitam russicam, Kapterev brevi conspectu patriarchalis dignitatis russicae respondet: Primoprimis solum christianae Russiae temporibus exceptis, cum centralis potestas secularis adhuc deesset et cum metropolita solus unitatem Russiae repraesentans, nominaretur, iudicaretur et deponeretur a solo patriarcha constantinopolitano — quamvis actio in populum et auctoritas horum virorum saepissime Graecorum linguae slavicae ignarorum, educatione et moribus a Russia alienorum exigua tantum fuerit — exceptis, inquam, hisce primis temporibus, metropolita Moscoviensis

nunquam erat nisi instrumentum et servus imperatoris, ipsius arbitrio prorsus subiectus, tam populi quam cleri morali subsidio plene destitutus. Cum a. 1589 ex principis voluntate metropolita Moscoviensis dignitatem patriarchalem adeptus esset, titulus quidem mutationem subiit, mansit tamen prior subiectio. Iam primus patriarcha Iob a Pseudo-Dimitrio male tractatus ac depositus est. Pseudo-Dimitrio interfecto patriarcha eius, Ignatius, ab imperatore modo electo Šujskij in exilium mittitur, eodem tamen imperatore ipso deposito Germogen iterum, a Šujskij quondam patriarcha creatus, nece amovetur. Patriarcha Nikon imperatoris favore praepotens factus, ex quo imperatori displicuit, omni sua auctoritate statim privatur. Eiusdem patriarchae explicationes de duplici potestate, spiritali ac saeculari, quarum illa saeculari sicuti anima corpore sublimior est, adeo procul erant a temporis condicionibus, ut non solum a cleri parte sed ab ipso patriarcha constantinopolitano, speciali legatione consulto negarentur. »Imperator dominus est, patriarcha autem aeque atque alii subditi absoluto obsequio ipsi obstrictus est«. Quam relationem ne tunc quidem esse immutatam, cum concilium Moscoviense anno 1667 post complures disceptationes decrevisset, imperatores in rebus saecularibus, patriarcham in spiritalibus sui iuris esse, facile inde patet, quod contemporaneus imperator patriarcha mortuo alium ad eandem dignitatem evehere recusavit, ipsiusque successor, Petrus Magnus, munus patriarchale clero minime resistente prorsus abolevit. Patriarchatus nunquam in nationalem vitam Russiae radices immiserat.

Письма Преосвященнаго Порфирія (Успенскаго) къ Свѣтѣйшей княгинѣ Елизаветѣ Павловнѣ Витгенштейнъ, урожденной Эйлеръ. (Litterae em. Porfirii (Uspenskiensis) ad principissam El. P. Witgenstein, e gente Eiler ortam (p. 691—9).

P. Světlov, Старокатолическій вопросъ въ духовной печати за 1904 г. (Quaestio veterocatholica in litter. spiritali anno 1904), pag. 700—32; II. 95—117. Tractatus polemicus, cuius sententiae principales iam anno proximo p. 84 (400) expositae sunt.

S., Къ вопросу о постановкѣ дѣла воспитанія въ духовныхъ семинаріяхъ. (De educatione in seminariis spiritalibus reformanda), p. 775—789. Quidam defectus seminariorum enumerantur. Eruditio, cui professores provident, et educatio ad seminarii praesules pertinens, nimis inter se separantur. Exiguus numerus educatorum (rector, inspector et ad summum tres assistentes) in seminariis, quae haud raro ad sescentos alumnos hospitio excipiunt, efficit, ut educatio ad solam ordinis externi inspectionem necessario restringatur. Ex tali externa tantum custodia, diffidentia suspicionesque et simulatio aliaque vitia eo facilius nascuntur, quod seminariorum alumni diversissimae aetatis (a 14. ad 25. annum) eidem regimini subiciantur. Tali modo in omnibus fere seminariis secreta et specialis quaedam vita interna gignitur educatoribus inimica, quae non ab eruditissimis ac probissimis sed ab audacissimis alumnis plerumque inspiratur et dirigitur. Commendantur denique emendationis consilia ex defectibus enumeratis facile conicienda.

N. Saharov, Очерки религіозной жизни въ Германіи. (Adumbratio vitae religiosae in Germania), p. 790—818. Auctor, qui tam Catholicorum quam Protestantium congressus religiosos principalem fontem esse praesentis vitae Germanorum religiosae cognoscendae existimat, de eiusmodi congressibus autumno anni 1904 in Germania habitis refert, idque 1. de 51. Catholicorum congressu generali Ratisbonae diebus 21—25. Augusti habito, 2. de 17. generali sessione Foederis evangelici (Evangelischer Bund) Dresdae diebus 3—6 Octobris, 3. de 57. generali sessione protestanticae societatis Gustavi Adolfi Heidelbergae diebus 20—22. Septembris habita.

A. Golubcov (Nr. 5), О выходахъ на воскресныхъ вечернѣ и утренѣ въ древней Руси и ихъ происхожденіи. (De processionibus in

Paschae vesperis et matutino antiquae Russiae et de earum origine), II. 1—26. Tractatus liturgico-historicus.

P. V. Tiḫomirov, Академическая свобода и развитіе философіи въ Германіи. (Libertas academica artisque philosophicae in Germania incrementum), II, 65—94. Lectio studiosis Moscoviensis academiae spiritualis habita, in qua opinio pronuntiatur, apud Germanos non tam naturalem dispositionem quam libertatem docendi et discendi admirabilem progressum philosophiae germanicae effecisse.

D. A. Lebedev, Почему праздникъ пасхи 25. марта называется Куріопасха? (Qua de causa festum Paschae die 25. Martii Kyriopascha vocetur), II. 118—128. Duodecies in 532 annis Pascha festo Annuntiationis b. Mariae V. celebratur. In libris Typikon (типикъ canon) et Pentecostarion (missale a die Paschae usque ad diem Pentecostes) tale Pascha Kyriopascha appellatur. Kyriopascha non a κυρίου πάσχα (Pascha Domini) sed a τὸ κύριον πάσχα (verum Pascha) deducendum est. Denominatio haec antiqua byzantina inde exorta est, quod antiqui chronologi orientales iam inde ab aegyptiaco monacho chronographo saec. V. Anniano persuasum habebant Iesum Christum die 23. Martii mortuum esse ac die 25. Martii resurrexisse, unde resurrectionem Domini die 25. Martii celebratam revera in historicum diem resurrectionis Domini incidere.

N. A. Zaozerskij, Свѣточи православія и культуры въ исторіи Румынской церкви. (Orthodoxiae culturaeque faces in historia ecclesiae Rumenae), II, 129—144. Critica aestimatio libri Arsenii, episcopi Pskoviensis: Изслѣдованія и монографіи по исторіи Молдавской церкви. СПБ. 1904. argumentorum copia abundantis de vi fidei orthodoxae in transducendo hoc populo ad cultiorem vitae usum a principiis historiae christianae usque ad nostra tempora.

Episcopus Evdokim, На зарѣ новой церковной жизни. (In novae vitae ecclesiasticae aurora), II, 145—185; 207—236; 401—424. Reflexiones ortae per occasionem rumoris de convocando generali concilio russico, patriarchatu restaurando et canonica institutione ecclesiae.

V. Bělevič-Stankevič, Политическая дѣятельность католическаго духовенства во Франціи. II, 186—194. Politica activitas catholici cleri Galliae. De conamine cleri gallicani refertur, aucta politica activitate damna ecclesiae ex praesenti infausto Galliae statu imminentia tollendi vel diminuendi. L' Action libérale populaire popularium societatum in Germania tempore persecutionis Bismarkianae constitutarum instar, iam 646 consilia per regiones numerat. Politica societas adulescentium »Fédération nationale de la Jeunesse democratique socialis« programma impugnat. Congressus pristinorum magistrorum, qui in scholis catholicis quondam docuerant, Lugduni accuratam rationem ad defendendam et vindicandam instructionem religiosam in scholis gallicanis elucubravit. Auctor in bona spe ponit, si ecclesia ex praesenti certamine victa prodierit, stragem hanc nonnisi ad tempus futuram esse.

P. V. Tiḫomirov (No. 6), Дружба въ изображеніи Шиллера. (Amicitia secundum Schilleri ideam), II, 279—292. Ad 100. anniversarium ipsius mortis. Philosophica deliberatio de Schilleri sententia de amicitia, prouti in ipsius tragoedia »Don Carlos« exhibetur. Verbis, »Schillerum enthusiastam amicitae esse« sententia ipsius hac de re brevissime exprimitur.

N. A. Preobraženskij, Изъ очерковъ современнаго англиканства. (Ex praesentis anglicanismi adumbratione), II. 335—358. Rationalismus, quia popularis, periculosus est. Certamen cum paganismo in Europa nondum finitum est. Paganismus tantum alias formas, formam materialismi, naturalismi, rationalismi induit. Socialis democratia Angliae consuetam hucusque viam socialium reformatorum relinquit et quaestionibus religiosis occupari inchoatur, quas modo rationalistico tractat. Sermones ad operarios in Hyde-Park, non magno parabilis litteratura »The Rationalist Press Association« ipsius opini-

ones propagant. Libri hi non parvam litteraturam contrariam excitarunt, in quibus tamen christiani apologetae recentioribus explicationibus scientiae sese accommodare studentes, iustos limites nonnunquam transgrediuntur, sicque ipsi religionis christianae fundamenta in periculum adducunt. Auctor haec maxime ex modo, quo ars critica ad S. Scripturam adhibetur, demonstrat. Neoanglicanismus hicce in vulgus paulatum penetrans, maxime in »Essays Rewiews« (fund. a. 1860), »Lux mundi (1889), Contentio veritatis« (1901) propagatus, ex libris sacerdotis gallicani Loisy et libro Harnackii »Essentia christianismi« nova incrementa cepit. Historia, quae in Scriptura sacra enarratur, non ad verbum evenit. Caput 1. et 2. Genesis allegoria est. Historicis factis complures legendae immiscentur. Eadem ratione et miracula iudicanda sunt, quae in probabilia et minus probabilia dividuntur. Evangelistae historicam materiam vaticinia V. T. intuentes tractaverunt factisque propria quaedam adiunxerunt; sic e. gr. narratio de Christo in asinae pullo sedente, de Christo 30 argenteis vendito exorta est. Scriptura sacra erroribus limitatae cognitionis humanae non est immunis, quapropter christianae fidei fundamentum agnosci ipsa non potest. Fides in Spiritum S. vivificantem sequitur, non praecedit fidem in Christum. Praecedit moralis dispositio. Deus caritas est, quapropter non intellectu sed affectu, morali studio concipitur; affectus non est cognitionis obiectum. Affectus unionis cum Christo redivivo radix est apostolicae confessionis. Discrimen faciendum est inter Christum historicum (synopticum), cui omniscientia et omnipotentia abnegantur et Christum mysticum, glorificatum, qui pro ipso bono morali habetur.

V. N. Myšcyn, Рабъ Іеговы. (Servus Domini, Isaias XL—LXVI), II, 425—435. De modo propheticae visionis disputatur, qua Isaias Servum Domini concepit: videritne propheta imaginem Servi Domini longe prospiciens futurum quasi in sphaera caeli an Spiritu sancto illuminatus hanc imaginem speculo miserae conditionis sui populi repercussam conspexerit?

Th. M. Il'inskij, Русскіе Богомилы XV. вѣка. (Bogomili Russiae saec. XV.), II, 436—459. Historia sectae Iudaizantium (docentis, Moisis legem non cessasse obligare) enarratur, quae Novgorodi sub fine saec. XV. exorta est, Moscoviam propagata, initio saec. XVI. vi suppressa est.

Protoierej V. Lavrskij, Мои воспоминанія объ архимандритѣ Ѳеодорѣ (А. М. Бухаревѣ). (Meae memoriae archimandritae Theodori (qui in saeculo A. M. Buḫarev nominabatur), II, 499—538. Biographia et laudatio exmonachi Buḫarev (1832—71), auctoris quondam magistri et praepositi, qui in saeculum reversus matrimonium iniit.

M. D. Muretov, Іуда предатель. (Iuda traditor), II. 539—559. Auctor, qui admirabilem scientiam antiquorum codicum Scripturae sacrae totiusque antiquae litteraturae christianae ostendit, e dictorum librorum studio et comparatione nomen Iudae eiusque patris (Simon) dispicere conatur, vocem Iscarioth explicat, et quae de Iuda e Scripturis cognosci possunt, colligit, Materia porro tractatur in fasciculis posterioribus.

A. P. Golubcov, О предносной архіерейской лампадѣ. (De lucerna, quae episcopo praeferebatur), II, 560—69. Antiquis Russiae temporibus episcopo munere suo fungenti cereus in lychuncho (candelabro) praeferri solebat. Usus hic, modo ad sollemniores tantum causas restrictus, ex tempore illo repetitur, quo locis tenebricosis (in catacumbis etc.) episcopo opus erat lumine praelato; postea tamen symbolicam significationem adeptus est in c. V, 14. Mat. (vos estis lux mundi) adumbratam.

A. Golubcov, О старомъ архіерейскомъ мѣстѣ въ храмѣ. (De antiqua sede episcopali in ecclesia), II, 570—583. Auctor in ecclesiis episcopalibus Russiae restitutionem sedium episcopalium commendat

in modum illarum, quae in Oriente et apud Slavos meridianos (Serbiae, Bulgariae) ad dexteram chori sunt, et in quibus hierarchae partes sacrorum patrant maxime aspectabiles.

S. S. Brakov, Религіозное образованіе и періодическая печать римско-католическаго клира въ Италіи. (Religiosa institutio et litterae periodicae cleri romano-catholici in Italia), II, 584—618. Post novi operis periodici Florentiae editi »Studii religiosi« laudabilem mentionem et post explanationem causarum regressus Italiae et Galliae in rebus religionis saec. XVIII et XIX, primo loco historia ephemeridis »La Civiltà cattolica« traditur. Pars in fasciculis posterioribus contenta est.

P. Tiḫomirov, Состояніе философіи къ началу XX. столѣтія. (Status philosophiae initio saec XX), II, 619—650. Tractatus secundum librum »Die Philosophie im Beginn des zwanzigsten Jahrhunderts. Festschrift für Kuno Fischer unter Mitwirkung von B. Bauch, K. Gross, E. Lask, O. Liebmann, H. Rickert, E. Troeltsch, W. Wundt, herausgegeben von W. Windelband, compositus. 1. Logica, 2. Psychologia, 3. Historia philosophiae.

J. Gromoglasov, Н. И. Субботинъ. (N. I. Subbotin †), 678—684. Necrologus et brevis aestimatio docti investigatoris et scriptoris N I. Subbotini.

Praeterea ad finem cuiuscunque libelli menstrui periodicae litterae excutiuntur; quae pars Изъ періодической печати inscribitur.

Dr. *Lub. Petr.*

Libri russici a. 1905 editi. *)

D. Abramovič, Opisanie rukopisej S. Peterburgskoj Duḫovnoj Akademii. (Descriptio manuscriptorum academiae spiritualis petropolitanae.) Sofijskaja biblioteka. Vyp. I. Spb. 1905. (141 + LXXVI).

E. Akvilonov, Cerkov' Ḫristova v dělě našego spasenija. (Quomodo ecclesia Christi ad opus salutis nostrae pertineat.) Spb. 1905

E. P. Akvilonov, O fiziko-teologičeskom dokazatelstvě bytija Božija (De physico-teologico argumento exsistentiae Dei) Spb. 1905 (434) 3 r.

K. K. Arsen'ev, Svoboda sověsti i věroterpimost'. Sbornik statej (De libertate conscientiae et de indulgentia erga dissentientes in rebus divinis) Spb. 1905.

S. Artobolevskij, Sv. Vasilij, arḫiep. novgorodskij (S. Basilius, archiep. novgorod. saec. XIV.) M. 1905 (63.).

Z. Barsukovoj, Prosvětitel' Sibirskiḫ stran Innokentij, mitropolit Moskovskij i Kolomenskij (De Innocentio metrop., Sibiriae magistro) Spb. 1905. 0·50 r.

N. B. Bažanov, Ob objazannostjaḫ ḫristianina [8]. (De officiis hominis christiani.) Spb. 1905 (161) 0·30 r.

D. N. Bělikov, Starinnyj raskol v predělaḫ tomskago kraja. (De prisco schismate intra terminos districtus Tomsk.) Tomsk 1905 (67) 0·60 r.

V. N. Beneševič, Kanoničeskij sbornik XIV titulov se vtoroj četverti VII věka do 883 (Corpus canonicum XIV tilulorum ab ascendente medio saeculo VII. ad a. 883). Po drevnějšej istorii istočnikov prava greko-vostočnoj cerkvi. Spb. 1905.

---

*) Cf. I. p. 141 – 3

S. T. Bol'šakov, Izobraženie Bogomateri (De imagine Deiparae exprimenda) M. 1905.

A. K. Borozdin, Očerki russkago religioznago raznomyslija. (Adumbratio religiosae Russorum varietatis ac dissensionis.) Spb. 1905 (223) 1·25 r.

I. Čiževskij, Cerkovnoe pis'movodstvo. (De ecclesiasticis scriptionibus.) Ḫar'kov 1905 (116) 1 r.

I. Čiževskij, Cerkovnoe ḫozjanstvo ili pravila i postanovlenija kasatel'no blagoustrojstva priḫodov, ḫramov, blagočinija (Oeconomia ecclesiastica seu regulae et statuta de bene constituendis parochiis et templis etc. Ḫar'kov 1905. 1 r.

I. E. Evsěev, Kniga proroka Daniila v drevneslavjanskom perevodě. (De libro Daniel in palaeoslavicum verso.) M. 1905. (XC + 183.)

I. E. Evsěev, Opisanie rukopisej ḫranjaščiḫsja v orlovskiḫ drevleḫraniliščaḫ (Descriptio manuscriptorum, quae in urbe Orel servantur.) Vyp. I. Orel 1905 (172) 1 r.

M. Gerbanovskij, Posobie k izučeniju Pasḫalii pravoslavnoj cerkvi. (Adminiculum ad rationem paschae in ecclesia orientali.) Vladimir 1905 (100), 0·40 r.

P. Giduljanov, Iz istorii razvitija cerkovno-pravitel'stvennoj vlasti v Vostočno-Rimskoj Imperii. Mitropolity v pervye tri věka ḫristianstva. (Ex historia potestatis ecclesiastico-iuridicae in imperio romano orientali. De metropolitis, qui primis tribus saeculis christianis floruerunt) M. 1905 (377).

N. P. Giljarov-Platonov, Voprosy věry i cerkvi. (Quaestiones fidei et ecclesiae.) T. 1. M. 1905 (520) 1·25 r.

S. Glagolev, Iz čtenij o religií. (Ex praelectis de religione). Sergieva Lavra 1905 (II + 935) 3 r.

N. N. Glubokovskij, Blagověstie sv. apostola Pavla po ego proisḫoždeniju i suščestvu (De origine et natura evangelii s. Pauli). Kn. I. Spb. 1905 (LXX + 888) 4·75 r.

E. Golubinskij, K našej polemikě s staroobrjadcami (Ad controversias cum veteroritualistis) M. 1905 (260) 1·70 r.

N. K. Grunskij, Pražskie glagoličeskie otryvki (Pragensia fragmenta glagolitica) Spb. 1905 (27+4) 0·60 r.

K. Ḫarlampovič, Kazanskija novokreščenskija školy. (Kazanienses scholae neophytorum) Kaz. 1905. (91.).

K. Ḫarlampovič, Preosvjaščennyj Makarij, episkop Tomskij i Barnaulskij (De Macario ep.) Kaz. 1905.

M. I. Ḫitrov, Preosvjaščennyj Theofan, zatvornik Vyšenskij (De Theophane monacho) M. 1905 (1—227) 0·50 r.

ep. Ignatij (Brančaninov), Sočinenija. (Opera.) tom. 4. 5³ Spb. 1905 (1—5 tt. 10 r.)

G. A. Il'inskij, Otryvok srednobolgarskoj služebnoj minei XII—XIII v. (Fragmentum mediobulgaricum Menaei) Varšava 1905 (10 + 2).

Vl. Ivanovskij, Russkoe zakonodatel'stvo XVIII i XIX vv. v svoiḫ postanovlenijaḫ otnositel'no monašestvujuščiḫ lic i monastyrej. (De

legum russicarum saec. XVIII et XIX praeceptis de monachis et monasteriis.) Ḫar'kov 1905 (171) 1·50 r.

I. Kazanskij, Istorija ḫristianskoj cerkvi [4] (Historia ecclesiae christianae) Tula 1905 (160) 0·60 r.

E. Kesarev, Věroučenie molokan po iḫ rukopisnym i pečatnym rukovodstvam i obličenie molokanskago lžeučenija (Dogmatica Molocanorum prout in enchiridiis manuscriptis et typis exscriptis continetur et refutatio errorum huius sectae). Samara 1905 (334) 2 r.

Ja. Koblov, Antropologija Korana v sravnenii s ḫristianskim učeniem o čelověkě. (Anthropologia Corani comparata cum doctrina christiana de homine) Kaz. 1905 1·50 r.

N. Kovin, Kurs teorii ḫorovago cerkovnago pěnija v priměraḫ i obrazcaḫ (Cursus inspectionis cantus choralis ecclesiastici; exempla et figurae.) M. (110) 2 r.

A. Krymskij, Istorija Sasanidov i zavoevanie Irana Arabami s ukazaniem glavnyḫ momentov literaturnoj istorii ḫristian — sirijan. (Historia Sassanidarum et occupatae ab Arabibus Arianae (Iran) cum expositione summae historiae litterarum Syrorum christianorum.) 1905.

protoier. Kutepov, O tainstvě kreščenija [3]. (De sacramento baptismi.) Novočerkesk 1905 (70) 0·20 r.

A. Lebedev, Istorija razdělenija cerkvej v IX, X i XI vv. [2] (Historia separationis ecclesiarum) Spb. 1905. 2 r.

A. Lebedev, Duḫovenstvo drevnej vselenskoj cerkvi. (De clero antiquae ecclesiae catholicae) M. 1905. 3 r.

N. V. Lysogorskij, Moskovskij mitropolit Platon Levšin, kak protivoraskol'ničij dějatel' (De Platone metrop. Moscov. et de raskol ab eo impugnato). 1905.

N. Marr, Arkaun, mongol'skoe nazvanie ḫristian, v svjazi s voprosom ob armjanaḫ-ḫalkedonitaḫ. (De nomine Arkaun, quo christiani a Mongolis appellabantur et de Armeno-Chalcedonitis). Spb. 1905.

B. Malinovskij, Istoričeskoe razsuždenie o činaḫ greko-rossiskoj Cerkvi [2] (Iudicium historicum de officiis ecclesiae graeco-russicae). Spb. 1905 (95) 0·50 r.

P. Mazanov, Rukovodstvo k izučeniju pravoslavnoj ḫristianskoj věry [9] (Enchiridion orthod. fidei.) Poltava 1905 (246).

ep. Miḫail, Akademičeskija čtenija po sv. pisaniju novago zavěta. III. Sv. apostol Pavel i ego poslanija. (Praelectiones academicae de scriptura s. N. T. III. De s. Paulo eiusque epistolis.) Vyp. 1. Tula 1905 (41).

N. Minskij, Religija buduščago (De religione temporis futuri.) Spb. 1905 (301) 2 r.

N. Modestov, Istoričeskija svěděnija o Savvinskoj, na Savvinskoj ulicě, cerkvi v g. Moskvě. S prilož. žitija prep. Savvy Osvjaščennago i opisanija Lavry ego imeni. (Historia ecclesiae moscoviensis, quae Savvinskaja dicitur.) M. 1905 (130).

ep. Nikanor, Tolkovyj apostol'. Č. III. Objasnenie poslědniḫ semi poslanij sv. ap. Pavla (Apostolus explicatus. P. III. Interpretatio 7 epist. s. Pauli) [2] Spb. 1905. 2 r.

ep. Nikolaj (Tavričeskij), Besědy, poučenija, slova i rěči (1901—5). (Sermones, catecheses, homiliae, orationes.) Vyp. 2. Simferopol' 1905 (242) 1 r.

P. Orlovskij, Čin izverženija iz svjaščenstva soveršavšijsja v kievskoj mitropolii v XVII. v. (Ritus eiectonis de collegio sacerdotum peractus in metropolia Kioviensi s. XVII.) Kiev 1905 (10).

A. Pavlovskij, Vtoroj Athon. Vtoro-Athonskij Uspenskij monastyr, na Kavkazě [2] (Alter Athon, monast. in Caucaso.) M. 1905.

I. V. Popov, Mističeskoe opravdanie asketizma v tvorenijaḫ prep. Makarija Egipetskago. (De mystica defensione ascetismi in operibus Macarii Aeg.) Tr. Sergieva lavra 1905.

M. S. Popov, Arsenij Macěevič, mitropolit rostovskij. (De Arsenio Macěevič, metropolita rost.) S 4 risunkami. Spb. 1905 (VII + 264 + XXX) 2 r.

N. Popov, Rukopisy Moskovskoj Sinodal'noj biblioteki. (Manuscripta bibliothecae synodalis Moscov. (Vyp. I. Novospasskoe sobranie. M. 1905. (189) 2 r.

I. V. Preobraženskij, Cerkovnaja reforma. (De rebus emendandis in ecclesia). 1905 (580) 3·50 r.

A. I. Razumiḫin, Istorija russkoj propovědi. (Historia eloquentiae sacrae Russorum). M. 19 5 (160) 1 r.

N. Rusanov, Cerkovnaja istorija v pastyrskiḫ poučenijaḫ, izložennaja po žizneopisanijam velikiḫ světil'nikov pravoslavija. (De historia ecclesiastica in sacra institutione, exposita secundum vitas magnorum luminum orthodoxiae.) Spb. 1905 (176).

I. I. Semenov, Iudei i grekorimskij mir vo vtorom věkě ḫristianskoj věry. (De Iudaeis et universo Graeco-romano saeculi II. p. Ch. n.) M. 1905 (114).

I. I. Sergiev, Moja žizn' vo Ḫristě (Vita mea in Christo) Spb. 1905 (414).

arḫim. Sergij, Čerty cerkovno-priḫodskago i monastyrskago byta v piscovoj knigě vodskoj pjatiny 1500 goda. (Vita parochialis et monasterialis in libro scribae tribus, quae Vodskaja dicitur.). Spb. 1905 (XXX+456+115) 3 r.

I. A. Smirnov, Žizn' i učenie preosvjašč. Theofana, Vyšenskago zatvornika (De vita et doctrina Theophanis eremitae). Šack 1905 (V + 349) 1·20 r.

V. Solov'ev, Sobranie sočinenij (Opera collecta) Vladimira Sergěev. Solov'eva. Tom VI. Spb. (1886—1896). 1905 (670).

RUTHENICA.

Нива. Часопись посьвячена справам церковним і суспільним. Виходить 1. і 15. кождого місяця. Рік II. Львів. 1905. Передплата річна 6 кор. — **Niva**. Publicatio rebus ecclesiasticis et socialibus destinata. Editur 1. et 15. cuiusvis mensis. Pretium 6 cor. Director: Jaroslav Levickij. Tomus II. Leopoli 1905. Numerus 4—20.

До питаня: Наука а віра. — Ad quaestionem: Scientia et Fides (num. 4.); qua commentatione ostenditur doctrinam in nulla re, quae explorata sit — solisque in opinionibus — fidei christianae adversari.

F. Grivec: Проби злуки з трецою церквою по Соборі Фльорентійскім — F. Grivec: Tentamina unionis cum ecclesia graeca post concilium Florentinum. — Doctissimus Slovenus inquirit de Melchitis, de unione Florentina in Russia, in Ukraina et Litavia, de ecclesia russica et ruthenica, de diplomaticis tentaminibus unionis cum Moscovia, de unione in Polonia, de Pseudo-Demetrio, unione Brestensi, de unione in Hungaria, de tentaminibus unionis in Russia a saeculo XVII. usque ad nostra tempora, de Serbo-Croatis et Bulgaris etc. (num. 4—7., 11—13., 15—17). Quod opus doctissimum magnique laboris pro dissertatione fuit, qua summos doctoris honores auctor petebat. Unionis amicorum votum fuit, ut Dr. Grivec hoc opus egregium foras daret neve id in nonum premeret annum, quia scripta similia in litteratura Slavica desiderantur.

De libro Titovii: Русское духовенство въ Галиціи. (Clerus ruthenicus in Galicia, Kiev 1903) scriptor quidam num. 4—17. refert; agitur ibi septem capitibus de rebus generalibus cleri, de educatione canditatorum cleri, de condicionibus cleri, consilia dantur, quomomodo res meliore loco constitui possint, tractatur de relatione cleri ad parochianos, de cantu ecclesiastico, ritu liturgico, praedicatione, factionibus politicis, fraternitatibus ecclesiasticis, paucitate cleri, defectu moralis educationis iuventutis, de diaconis, hierarchia, de monasteriis et monachis.

Праця, заплата і лихва — Labor, merces et foenus, tres orationes dris. Deckert, translatae ab A. Govda (num. 4—6., 8—9.)

P. Stril'bickij memorias cleri ruthenici saec. XIX. ad finem perduxit (num. 4.).

Dr. Nicolaus Konrad in nro 9. et posterioribus ostendit errores dris Ioannis Franko in eius Poëmate de mundi creatione. Num. 10. continet commentationes de doctrina religiosa, defensionem PP. Basilianorum ab invectatione et vituperatione russici Церковный Вѣстникъ;; num. 12. et 17. de rebus Chelmensibus, de »novo« ritu.

In num. 13—14. editae sunt litterae pastorales totius episcopatus graecocatholici in Galicia de causa cleri ruthenici non dissocianda.

Католицкий Всхід. Орган рускої католицкої богословскої молодїжи. Рік 1905. Випуск 1. — Річник II. Цїна 5 корон річно. Накладом пожичкового Товариства богосл. молодїжи у Львові »Власна Поміч«. В печатні Оо. Василіян в Жовкві 1905. — Oriens catholicus. Publicatio ruthenicae iuventutis theologicae catholicae. Annus 1905. t. II. fasc. 1. (ex 4). — Pretium 5 coronarum per annum. Typographia PP. Basilianorum in Zołkwa 1905.

Вступне слово (Introductio) interrogat, utrum quod propositum erat publicatio consecuta sit. Spectabat autem eo, ut sensus catholicus exprimeretur, foveretur, iuventus theologica ad rerum ecclesiasticarum studium excitaretur; remota vero ratio expressa est titulo: Oriens catholicus.

О. Воляньский: Християньский і антихристианьский сьвіногляд, а природна нерівність і зависимість жіночога пола. O. Voljanskij: Quae de rebus humanis statuant christiani et christianorum adversarii et de naturali imparitate et dependentia mulieris (pag. 5—19).

V Fedyv: (Володимир Федів:) Масони. — De Latomis (»francomurariis«) pag. 21—34.

F. Grivec: Голос про наші церковні відносини. — Vox pro rebus nostris ecclesiasticis.

In bibliographia (pag. 43—44) »Vsḫyd« magno cum gaudio conspectum nostrum »Slavica« salutavit.

In num. 8. facta est mentio de »Slavorum Litteris theologicis«, quibus prosperrima quaeque exoptantur: propositum nostri conspectus valde magnopere laudatur.

Adduntur tamen inconsiderata quaedam, quibus directionem conspectus nostri de iniustitia accusant et ideam Cyrillo-Methodianam suo modo explicant; sed haec iuvenibus ignoscimus libenter, nec unquam ad tales descendemus pugnas, cum publicatio nostra alio spectet. — Hucusque *X.* ille (nr. 1.) unicus fuit ex Ruthenis, qui de litteris Ruthenorum theologicis pauca nobis rettulit. Rogavimus iam privatim, nunc etiam publice enixe rogamus, ut Rutheni ipsi de suis litteris theologicis nobis referant.

Fr. H. Žundálek.

SERBICA.

Uredba crkveno-prosvjetne uprave srpskih pravoslavnih eparhija u Bosni i Hercegovini. (Ordo scholarum ecclesiasticarum et ecclesiarum in dioecesibus orthodoxis Bosniae et Hercegovinae.) Editio „officialis". Sarajevo 1905. Pg. 160.

Liber continet ordinem vel constitutionem, qua scholae ecclesiasticae et ecclesiae in Bosnia et Hercegovina erigendae et regendae erunt. Constitutiones et imperatoris austriaci et patriarchae Constantinopolitan-consensum habent. Continent 21 paragraphos generales et 264 paragraphos speciales in 6 partes distributas. Caput I. (§§ 1—61) exponit, quid orthodoxa ecclesiastico-scholaris societas (opština) et ecclesiastica societas (skupština) sint, et quo spectent. Sunt autem coniunctio socialis quarundam vicinitatum ad scholas ecclesiasticas et sacerdotes adiuvandos. Caput II. (§§ 62—105) agit de parochiis sacerdotibusque parochialibus, de examine (concursu) parochiali, de iuribus, officiis, electione, condicione materiali parochorum. Caput III. (§§ 106—140) agit de monasteriis serbicis in genere; in specie de personis monasticis, de praepositis et congregationibus monasticis et al. — Caput IV. (§§ 141—200) de dioecesibus, episcopis, de directione eparchiali, de variis cancellariis eparch. etc. Caput V. (§§ 201—226) agit de potestatibus generalibus, ut supremo consilio scholarum, suprema ecclesiastica sede iudiciali, de eorum iuribus et officiis. Caput VI. continet quaedam additamenta de bonis ecclesiasticis scholarum et monasteriorum. Adiungitur nomenclator. — In re scholari maiorem auctoritatem habent laici. Episcopi nominantur ab imperatore et confirmantur a patriarcha Constantinopolitano. Num ita eventurum sit, ut infinitae querelae et rixae inter partem ecclesiasticam et laicalem componantur, multi dubitant. Metropolita aegre feret influxum laicalem in re ecclesiastico-scholari, laici vero iugum patriarchae Constantinopolitani abicere vellent, quod omnes orthodoxi extra Turciam iam fecerunt.

A.

SLOVENICA.

Fr. Kovačić: **Občna metafizika ali Ontologija (Metaphysica generalis seu Ontologia).** Maribor 1905.

Haud dubium, quin eae sint res metaphysicae, quae hac aetate non multum placeant. At si minus gratum, est argumentum inprimis

nostrae aètati pernecessarium. Inde enim tanta in omnibus rebus licentia et confusio, quia ratio humana et legum immemor et sanae philosophiae est inimica. Quapropter quod opus cl. Kovačič accurate perscripsit, id omnes, quibus inter Slovenos veri progressus cultusque gentis nostrae curae est, grato animo acceperunt.

Ratio et via, qua auctor argumentum pertractavit, ea est, quam scriptores neo-scholastici terunt; nempe auctor dividit Ontologiam in quinque tractatus: primum agit de ente in communi, deinde de transcendentalibus entis proprietatibus, tum de entis perfectionibus, postea de summis generibus entis, denique de entis causalitate. Non ideo tamen nihil sui contulit, immo multa sunt, quae magnam merentur laudem. Inprimis id laudandum, quod auctor in pertractandis quaestionibus sicut antiquam philosophiam non neglexit, sed potius sapienter ex ipsis Stagiritae et Aquinatis fontibus expressit, ita eorum semper rationem habuit, quae ab huius aetatis scriptoribus sive bene sive male dicta sunt. Quo modo philosophiae instaurandae una et perficiendae atque excolendae optime consulitur et providetur, id quod tantopere in votis habuit Leo XIII. Deinde cum nihil eorum, quae in Ontologia pertractari consueverunt, in opere nostri auctoris desideretur, ea tamen, quae hac aetate magis sunt scitu et intellectu necessaria, maiori quoque cura subtilius enodantur, uberius disputantur, lucidius declarantur. In his egregie tractat scriptor de substantia, eam non esse merum mentis figmentum, prout multis placet, aut formam mentis mere subiectivam, sed eam in rerum natura existere; egregie item, conceptum causae obiectivam habere realitatem. Minus nobis arridet, quod eorum sequitur causam, qui realem inter essentiam et esse distinctionem impugnant; in qua sententia non videmus, quid doctrinae de actu et potentiae adhuc tribui possit, qua tandem ratione quodcumque ens non sit ipsum Esse subsistens. Distinctio enim, quae dicitur rationis cum fundamento in re, sine aliqua priori reali distinctione nihil nobis videtur valere. Fatemur equidem non deesse, sicut ipse auctor notat, qui totam quaestionem non tanti esse momenti existiment, at tunc quaestio obiter tantum tangi, immo optime negligi debuerit.

Inter alia vero multa, quae nobis in tractatu placuerunt, reliquum est, ut potissimum probemus slovenicam terminologiam. Auctor quidem nonnulla iam invenit parata vocabula, tamen sat multa ipse debuit quasi de novo excudere (est enim scientia philosophica inter nostros fere nova). Non omnia sane omnes aeque probabunt, attamen designatae iam sunt lineae, iacta fundamenta, coagmentati lapides, omnia autem expolire et perficere C. Kovačič neque potuit neque voluit.

Restat, ut opus omnibus gentis nostrae iuvenibus, qui philosophiae student, inprimis autem sacrae theologiae tironibus valde commendemus. Sat multi enim in rebus theologicis non accurate loquuntur, quia vim et nationem eorum, quae in Ontologia pertractantur, haud bene comprenhenderunt.

Dr. *A. Ušeničnik.*

Dr. *Jos. Somrek*: **Gospodova zadnja večerja. (De ultima coena Domini.)** Vol. I. Tg. 136, Tret. Cor. 2. Marburgi, 1905. Typographia s. Cyrilli.

In folio theologico Marburgensi „Voditelj" d. Somrek aa. 1903, 1904 et 1905 publicavit seriem articulorum de coena Domini, qui in unum collecti volumen a. 1905 separatim in lucem prodierunt. In idiomate slovenico est opus hoc primum huius generis, quod fuse et scientifice, exegetice simul, historice et dogmatice disserit de sublimissimo ultimae coenae mysterio.

Post brevem iutroductionem (pg. 1—6), in qua auctor succincte exponit incomprehensibilem profunditatem et varia nomina huius mysterii nec non eius momentum ad fidem et vitam christianam sequuntur partes duae quarum prima (pg. 7—44) pro obiecto habet praecipuos coenae eucharisticae typos in antiqua lege: qui sunt manna in deserto, sanguis foederis, oblatio Melchisedec, agnus paschalis. Prouti natura rei exigit hic ultimus typus enucleatius dilucidatur; narratur eius historia, describitur ritus, eruitur momentum typicum eiusque cum coena Dominica et ss. Eucharistiae institutione connexio.

Secunda pars libri dispescitur in tria capita, quorum primum (pg. 45—82) complectitur relationem historicam hagiographorum de promissione et institutione ss. Sacramenti. Ratione habita textus graeci variorumque codicum Evangelistarum narrationes inter se comparantur et quae videntur discrepantiae esse, explicantur et componuntur.

In capite secundo (pg. 82—117) exegetice et dogmatice ponderantur verba institutionis ipsius atque ostenditur, quo sensu primaeva Ecclesia mysterium ultimae coenae intellexerit; reformatorum commenta refutantur, paucis solvitur quaestio de epiclesi, quae vocatur, et comparatur ritus consecrationis ecclesiae occidentalis et orientalis adhibitis textibus graeco et palaeoslavico.

Capite tertio (pg. 118—136) proponitur dogmatica doctrina de materia ss. Eucharistiae, simulque antiquorum haereticorum et modernorum rationalistarum (Harnack etc.) errores notantur ac refelluntur.

Diversos auctores et catholicos et acatholicos, antiquiores et recentiores, de praelaudata materia tractantes, auctor noster diligenter consuluit eorumque sententias critice adhibuit.

In doctrina dogmatica slovenica opus hoc certe significat magnum progressum. In secundo volumine promittitur expositio doctrinae ss. Patrum de ultima coena Domini quidque de ea testentur monumenta artis christianae.

Dr. *F. Kovačič.*

Fr. Kovačič: **Anicij Boetij in njegovo modroslovje. (De Anicio Boëtio eiusque philosophia.)** Maribor 1905.

Navus et industrius sicut apis gerula cl. prof. Kovačič, ut philosophiae studium inter nostrates promoveatur, omnibus nervis omnibusque modis studet. In hoc opere disserit de Boëtii philosophia. Anicius Boëtius et studiis doctrinae et regenda civitate inter Romanos aetatis inferioris facile princeps, in carcerem coniectus praeclaros illos de consolatione

philosophiae composuit libros, qui tamquam florida anthologia, quidquid Graeci et Latini de summo bono deque providentia divina pulcre scripserunt, in unum colligunt. Est haec philosophia, ut K. censet, et crudi materialismi et pestiferi scepticismi sollemnis reiectio, monumentum „philosophiae perennis“.

In praedicto igitur opusculo cl. K. primum describit vitam et imaginem egregii viri (ubi exploratum esse notat Boëtium fuisse christianum): deinde paucis exponit eius opera et ea, quae ad logicam et theologiam, et ea, quae ad artem mathematicam et musicam spectant. Postea vero, quod totius est libri nucleus atque medulla, accurata analysi quinque de consolatione philosophiae libros explicat et interpretatur. Quae praecipue insigniter et concinne versibus a Boëtio dicta sunt, ea K. etiam ipsius Boëtii verbis latino sermone expressit, ut lectores exemplar haberent philosophiae Anicianae, quae persaepe simul est ingeniosa poësis. Compluribus locis auctor pauca adnotat eaque potissimum breviter tangit, in quibus gentiles philosophi idem cum Boëtio sentiebant.

Nullum dubium, quin K. hoc opere inopes slovenas de philosophia litteras vere auxerit atque ditaverit. Dr. *A. Ušeničnik.*

QUAEDAM, DE QUIBUS THEOLOGI UTRIUSQUE ECCLESIAE DISSENTIUNT.

V.

De sacramento poenitentiae.

Cum in fasciculo tertio nostri conspectus periodici (p. 112—4; [Čas. k. d. p. 485—7]) per occasionem censurae libri russici doctrina catholica de sacramento poenitentiae doctrinae theologorum orientalium opposita sit, visum est operae pretium fore, si — quod nostri operis est propositum — satis non habeamus theologorum orientalium animos ad doctrinam nostram illo modo advertisse, sed quae illic paucis indicata sunt accurate et diligenter ipsis, quantum fieri potest, scriptorum occidentalium verbis ac probatissima scholasticorum methodo (de cuius praestantia cf. p. 228 [796]) exponentes et defendentes theologis orientalibus aditum nostrae doctrinae faciliorem reddamus et imaginem theologiae opumque nostrarum perfectiorem proponamus.

Et ea quidem, quae l. c. proposita sunt de ea parte potestatis clavium,[1]) quae ad peccata ipsa refertur seu de remissione et retentione peccatorum, omnia eodemque ordine, quo allata sunt, persequi libet, sed ante ponere illa, quae non quidem ad catholicam doctrinam ab orientalibus theologis defendendam, sed ad illustrandam et complendam conferunt nec eadem diligentia ab orientalibus tractantur.

Quare quaestio prima sit de exsistentia potestatis ecclesiae remittendi peccata. Ubi ponimus:

[1]) De hac „clavium“ potestate cf. Thomas Aq., In l. 4. sent. dist. 18 q. 1, a. 1; Navarrus, De poen. dist. I. cap. 'Ex iis'; De San, De paen. n. 129.

Scriptura testante Christus Dominus apostolis potestatem veram licet non arbitrariam vere remittendi et retinendi fidelibus peccata proprie dicta omnia eandemque a potestate baptizandi omnino diversam et in Ecclesia perpetuo mansuram tradidit.[2])

Declaratio. 1. Actuale peccatum est actualis aversio a Deo ut fine. Quae actualis aversio potest retractari, infecta fieri non potest. Itaque nequit dici ipsa tolli, sed tantum sequela eius, peccatum habituale et dignitas poenae. Peccatum habituale est habitualis aversio a Deo ut fine et est ipsa dignitas odii. Scilicet ex eo ipso quod peccata remitti dicuntur (in fontibus revelationis), patet peccato commisso aliquid remanere in peccatore, quod tollendum sit. Neque enim peccata remittere in Deo in idem cadere potest atque ab ira cessare, nulla re in peccatore mutata. Sicut odium exstinctum renovari de eadem re non potest (contra Hugo Victor., De ss. l. 2, p. 14, c. ult.: Remigius Lugdun., De 3 epistolis c. 43; cf. De Augustinis, De poen. a. 11; Palmieri, De poen. th. 18; Zeitschrift f. kath. Theologie Innsbruck 1891, S. 241—266 (J. Scheller): Lugo, De poen.

[2]) Libros, qui de nostra materia agunt, occasione data allegabimus; hic solum nonnullos qui in genere de sacramento poenitentia agunt, enumerare libet: Atzberger (Scheeben-Atzb.), Handbuch d. kathol. Dogmatik. IV. 1903. § 381—391; Almazov, Tajnaja ispověď: Ballerini-Palmieri, Opus mor. t. V.; Becamel, Tr. de virtute et sacram. poenit. 1887; Bellarmin. De poen.; Berti, De theol. discipl. l. 34. (1743); Billuart, Tract. de sacram. poenit.; Bosco, Theol. sacramentalis, disp. 6—7. (1670); Cambier, De divina institut. confessionis sacram. (1884); Casey, Notes on a History of auricular Confession. 1899; Chardon, Histoire du sacrement de pénitence; Collet, Tract. de poenit.; Crosta, Theol. dogmatica[2] v IV., p. 3; *Dicastillo, De sacr. poen.; Dionys. de Sainte-Marthe (v. Sanmarthanus), Traité de la confession auricul. 1685; Dobronravov, K voprosu ob otpušč. grěhov v rimsko-katol. cerkvi. 1896. (Dušep. Čtenie); Drouin, De re sacram.; Egger, Die Beicht in d. h. Schrift und in d. kathol. Kirche. 1901; Endres, Das Sacrament d. Busse. 1847; Gihr, D. Sacramente. II, 1899; Gonet, Clyp. theol. thom. v. VI., tr. 5; Heinrich, Dogmat. Theologie X; Kirsch, Zur Gesch. der kath. Beichte 1902; Kliefoth, Die Beichte u. d. Absolution (1856); Kopyciński, O skram. Pokuty. 1905; Letranc, Probation sur la Pénitence. 1902; Lipsius, Luthers Lehre von d. Busse (Jb. f. prot. Th. 1892. S. 161—340; *Lugo, De poen.; Mac Guiness, Commentarii dogmatici de sacram. 1902; Morinus, Commentar. histor. de disciplina in administr. sacr. 1695; *Palmieri, Tract. de poenit. 1879; Pellé, Le tribunal de la Pénitence devant la théol. et l'hist. 1903; Petrus Lomb., Sent. l. 4, d. 14—22: commentat.; Renaudot, Liturgiar. orientalium collectio 1847; Rosignoli, De sacram. poen. et extr. unct. 1706; Salmanticenses, Cursus theol. tr. 24; de San, Tract. de poen. 1901; Sasse, De poen.; Schmitz, Die Bussbücher u. d. kanonische Bussverfahren. 1898; Steitz, Das römische Bussacrament 1854; Suarez, De poen.; Suvorov, Obem disciplinarnago suda i jurisdikcii Cerkvi v period vselenskih soborov. 1884; Věrojatnyj sostav drevnějšago ispovědnago i pokajannago ustava v vostočnoj cerkvi. 1902; Thomas Aq., S. theol. III. q. 84. ss.; commentat.; Tournely, De sacr. poen. etc

disp. 10; Dicastillo, Suarez, Thomas (III. q. 88) et comment., P. Lomb. l. 4, d. 22 et comment.), ita nec augetur per se per diuturnitatem habitualis aversionis, sed solum, si voluntarie in ea perseverando denuo peccatur. Ipsa aversio habitualis per relationem ad actum (vel actus) peccati eam causantem est magis vel minus culpabilis pro gravitate (vel numero) actuum causantium.

Actualis conversio ad Deum ut finem ex parte peccatoris fit certe formaliter per actum caritatis. At non item (formaliter per eundem(conversio habitualis. Peccatum enim habituale non potest tolli nisi per id, cuius privatio est. „Potest cogitari dignitatem odii consistere in privatione actualis conversionis ad Deum; sed hoc verum non est, quia peccatum non opponitur privative actuali conversioni, cum homo possit nec peccare nec actum conversionis elicere; potest cogitari eam consistere in sola privatione rectae habitudinis ad finem ex parte hominis, quam quovis momento restituere possit: sed falsum est hoc, quia requiritur satisfactio vel condonatio. Iam vero satisfactio nostra pro peccatis est satisfactio Christi nobis applicata; applicatur autem formaliter eo, quod incorporamur Christo alteri Adamo: quae incorporatio formaliter fit per deificationem naturae nostrae seu per regenerationem ex Spiritu s.; nam incorporari Christo capiti est fieri id, quod est Christus, fieri filium Dei, sicut incorporari Adamo (nasci naturaliter) est fieri hominem.“ Slav. litt. theol. I., 112-3. Itaque quotiescumque peccata remittuntur, accipit homo gratiam per generationem ex Spiritu s. Remissio peccati (habitualis) est consequenter etiam sublatio dignitatis poenae aeternae, in quantum restituitur attingibilitas finis.

In veniali peccato tollendo actualis conversio ex parte hominis consistit in actu opposito, et si habet gratiam, nulla alia conversione opus est; sed si non habet, debet ex parte Dei accedere gratia, ut habeat conversionem ad finem: dignitas poenae autem per hoc non tollitur. Deus remittit peccatum veniale qua tale tantum eatenus, quatenus actum bonum oppositum ut causa principalis producit quoad entitatem et moralitatem (actum malum tantum quoad entitatem producit, sive ponis peccatum commissionis in aliquo positivo, sive in negativo; cf. Frins in Ztschrft. f. kath. Theol. 1890 p. 596 ff.) Plura postea (thes. V.)

Potestas remittendi peccata ita intelligenda est, ut actu remittendi tamquam causa instrumentali infundatur a Deo tamquam causa principali gratia supernaturalis.

2. Locus scripturae de quo hic agimus est Io. 20, 21. *Εἶπεν οὖν αὐτοῖς πάλιν· εἰρήνη ὑμῖν· καθὼς ἀπέσταλκέν με ὁ Πατήρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς. 22. καὶ τοῦτο εἰπὼν ἐνεφύσησεν καὶ λέγει αὐτοῖς· λάβετε Πνεῦμα ἅγιον. 23. ἂν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφέωνται* [ℵ^c A D; *ἀφιένται* B^b: cf. explicatio Gihr, Die heil. Sacramente II. (Freiburg 1899) S. 25: *ἀφεθήσεται* ℵ primitus] *αὐτοῖς, ἂν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται.* Huius loci interpretationem hanc posuit Conc. Tridentinum, Sess. 14, cp. 1; cn. 3: „Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris »Accipite Spiritum s. etc.« non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut ecclesia catholica

ab initio semper intellexit, detorserit autem institutionem huius sacramenti ad auctoritatem praedicandi evangelium, anathema sit." Hanc interpretationem dicimus etiam antecedenter ad declarationem authenticam ex ipso contextu postulari nec quicquam ei obstare. Concedimus autem verbis distinctioribus (pro nobis) rem exprimi potuisse, velut saltem his: do vobis potestatem (iudicialem) remittendi omnia peccata. Scilicet illud ἀφιέναι apud Ioannem duplici sensu intelligendum fuit, ut dici posset; Ἂν τινων ἀφῆτε πὰς ἁμαρτίας, ἀφέωνται αὐτοῖς: remissio sacerdotis abhinc causalis evasura et remissio Dei formalis. Propterea assentiri non possumus Bujanovičio dum ait: Ako se sve to zna i u jedno uzme, treba priznati, da Gospodin nije mogao jasnijim i razgovjetnijim riječima apostolima dati vlast otpuštati grijehe." Sv. sakr. t. II., p. 20.

3. Montanistae (saec. II.) distinxerunt inter peccata remissibilia et irremissibilia (homicidii, idololatriae, adulterii). Novatianus (s. III.) primo apostasian, dein omnia peccata post baptismum commissa irremissibilia esse putavit. Novatiani (Nicaen. I.) leviores culpas tamen remitti posse consebant; item Apostolici (Epiphan., Haer. 61), Armeni (Bened. XII.). Perennitatem huius potestatis negavit Abaelardus (damn. ab Innoc. II.). S. Bonaventura et alii solum poenas ab Ecclesia ignosci dicebant. Protestantes vel illis verbis baptisma promissum esse dicunt, vel solum potestatem seu munus annuntiandi peccata esse remissa a Deo independenter a formali effectu sacramenti poenitentiae, vel concedi eis tantum, ut remittant culpas contra leges ecclesiasticas. Plura hac de re historia ecclesiastica suppeditat.

Pars Ia. Voce „peccata" ap. Joannem 20, 23. intelliguntur vera peccata, non poenae.

Rationes dubitandi possunt esse:

1. Certe occurrit nonnumquam usus vocabuli peccati pro poenis (2. Mach. 12, 46). Ergo hic quoque locus saltem potest ita intelligi. Insuper valde suadetur etiam Matth. 9, 2 poenas, non peccata remissa esse; id quippe nexus naturalis poscere videtur; nam aspectus aegri certe movere potest ad remittendas poenas aegritudinis; sed cur statim ad peccata dimittenda moveat, apertum sane non est. Ergo saltem certus non est usus huius vocabuli.

2. Vox »peccata« sane in utroque casu in hac sententia idem significat; at non significaret, si proprie dicta peccata intelligenda essent; nam remitti dicerentur peccata et gravia et levia; retineri tantum gravia. Cf. th. III., dub. 3.

3. Certum est etiam eos, quorum peccata iam remissa sunt, posse sacramentum poenitentiae suscipere; atqui in eis peccata nec remitti nec retineri possunt, sed poenae. Cf. th. II., dub. 5.

4. Si intelligenda essent verba Ioannis de remittendis peccatis, dicendum esset posse sacerdotes retinere peccata, etiamsi poenitens summam haberet contritionem; secus enim solum id esset sacerdotis, ut dignosceret et declararet sitne poenitens praeparatus necne; atqui id repugnat tum rationi tum eis, quae ap. Mat. 12, 31. leguntur de remissibilitate cuiusvis peccati, quod non est contra Spiritum s.

5. Locus ap. Mt. 18, 18. huic loco parallelus ad summum refertur ad exclusionem ex ecclesia. Adde quod ligare a s. patribus intelligitur obligare ad poenitentiam; cf. Ambros., De poenit. l. 1, n. 10. Cf. th. III., dub. 4. 5.

6. Ita explicari locum Ioannis videtur etiam media aetate solitum esse, ut patet ex epistola absolutoria episcoporum quorundam ad Robertum Cenomanensem. Cf. thes. 9, p. II., dub. 4.

Tamen tenendum est, quod posuimus. Nam verborum horum obvius et simplex sensus certe est is, quem nos eis subicimus; neve dicas apostolos fortasse ex usu longinquo iam intellexisse, quomodo ea sumenda essent; omnino enim alienum id videtur ab iis, quae dictum hoc antecedunt. „Nec dubitabant, quin Christus, qui modo per miraculum resurrectionis divinitatem suam probaverat, potestatem veram peccata remittendi eis posset conferre; deinde omnino alieni a verbis Christi improprie interpretandis propter divinam sui magistri auctoritatem eius dictis simplicem fidem, quam Christus toties eis commendaverat, adhibere solebant. Debebant igitur apostoli verba Christi de vera potestate remittendi peccata intelligere. Repugnat autem divini magistri bonitati, sapientiae, veracitati, ut in re tanti momenti usus sit verbis, quae ab apostolis necessario intelligenda fuissent in sensum falsum.“ Sasse, De poen. th. 7.

Nec certe poenam aeternam (Hugo Victor.) remittendi potestatem (seiunctam a potestate culpas remittendi) his verbis Dominus concedere potuit: nam poena aeterna est metaphysicum consecutivum status peccati gravis, qui non tollatur. Solam autem potestatem poenas temporales remittendi (Alexander, Bonaventura) Dominum hic dedisse, non satis cum praecedentibus cohaeret: sicut me misit Pater . . ; Christus enim missus non est tantum ad remittendas poenas temporales: immo per se ac primario missus est ad remittendas culpas et poenas aeternas: nec ei, qui reus est gehennae, poenae temporales remitti possunt, sed evadunt per accidens aeternae „quia poena numquam expiatur manente reatu poenae; sed in damnatis semper remanet reatus poenae debitae peccato veniali, quod non fuit expiatum in vita praesenti.“ Durandus, In l. 4, d. 21. q. 2. [3] Nec denique, si eis verbis ecclesiae politicam tantum facultatem tribuisset indignos sc. eiciendi a

[3]) Quidam hoc impugnaverunt, velut Ant. Hiquaeus, In Scoti l. 4, d. 21, q. 1, n. 27, infirmis tamen rationibus: „Si per satisfactionem intelligant reconciliationem offendentis, qua recipiatur in gratiam offensi, verum est nullam esse in inferno satisfactionem talem, sicut neque remissionem aut condonationem, neque ad satisfactionem, ut est actus iustitiae, talis reconciliatio exigitur. Quod probo: Misericordia et iustitia vindicativa sunt virtutes diversae, quae in actibus non communicant, licet in eadem materia versari possint, diverso tamen modo, quia misericordiae actus est subventio indigentiae excludens omne debitum eius, cui subvenitur . . . Iustitia vindicativa potest servari in inferno et de facto servatur, quia punitio poenae et distributio eius secundum aequalitatem peccatorum est actus eius; ergo satisfactio, prout debetur iustitiae secluso concursu misericordiae potest esse in inferno; sed haec satisfactio est ea, quae statuta est: peccato autem veniali non est statuta alia poena quam temporalis. Ergo alia non exigitur quam temporalis etc. Cf. Vega, In Trid. l. 14, c. 16; Medina, De poen. tr. 2 tit. de confit. venialib. ad 4; Navarrus, De poen. dist. 6, c. 1, § sacerdos n. 27—28. — Contra cf. Thomas Aq., I II, q. 87, a. 5; III. q. 8, a. 4; Vasquez, In I. II, q. 87, a. 9; Suarez, III. t. 4 disp. 11, a. 2.

sacris conventibus et dignos admittendi, quicquam eximium et singulare eis concessisset. Iudaei enim et quicumque eiusmodi conventus habent, profanos ab eis arcere possunt. Atqui Christus cum tanto verborum apparatu non potuit nisi eximium aliquid et singulare ecclesiae largiri; cf. Suarez, Disp. 16, s. 2, n. 10.

Ad dub. 4. notari potest: »Manifeste non concluderet argumentum, si dicerem, in iudiciis humanis, quando reus probatur innocens, non potest condemnari; quando probatur culpabilis, non potest absolvi; ergo potestas iudiciaria inanis quaedam fictio est . . . Etiamsi perfectam contritionem in poenitente supponas, semper retinetur peccatum quoad obligationem rursus comparendi, et haec est vera quaedam peccati retentio«, Billot, De eccl. sacram. q. 84, p. 30.

Ad rel. dub. partim patet responsum ex dictis, partim melius suo loco respondebitur.

Pars IIa. Data est potestas remittendi peccata et non solum declarandi ea esse remissa: et ea quidem non absoluta sed certis legibus ligata, quas observari oportet, ut sententia valida sit (absolvendo solum eos, quos Deus indicat absolutione dignos).

Dub. 1. Si Io. 20, 23. non mera declaratio, sed remissio vera intelligenda esset, idem esset in protasi dictum, quod in apodosi et totum esset vana tautologia; dicendum igitur remissionem exhiberi ut duplicem actionem mutuo distinctam; nec quae ad eandem actionem pertinent, diverso tempore significari possunt.

2. Si vere remittere et retinere possunt sacerdotes, quid fit, si unus remittit, dum alter retinet? Tantam confusionem Deus non potest intendisse. Cf. q. 6, p. V., dub. 2.

3. Sacerdotes non possunt vere retinere peccata, si saltem in futuro omnia remittentur praeter peccata contra Spiritum s. Fore vero ut remittantur patet tum ex Mt. 12, 31, tum ex eo, quod secus non esset determinatum manifestumque discrimen inter peccata mortalia et levia[4]; denique ex eo, quod alioqui Deus faceret in damnatis obstinationem[5]. — Consequentia vero patet, quia peccatum contra Spiritum sanctum nec in terra remitti potest.

4. Potestas vere retinendi peccata frustra data esset, cum sacerdos teneatur quemvis peccatorem, qui attritus ad eum accedit, absolvere vel alii absolvendum tradere.

5. Eadem est omni tempore absolutionis efficacia. Atqui absolutio cum peccatum iam ante deletum est contritione, est mere declaratoria. Item cum absolvitur, qui peccata iam pluries absoluta v. g. etiam in baptismo, confitetur. Nam sacerdos certe non habet ius circa peccata iam absoluta.

6. Parochus, proferens super contrahentes matrimonium verba Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris etc., tantum declarat matrimonium esse ratum coram ecclesia; a pari proferens similia verba super poenitentem tantum declarat remissionem.

---

[4]) „Die Grenzlinie zwischen Lebendigem und Todtem ist bestimmt und muss scharf erkennbar sein; est ist ja keine grössere Kluft als zwischen Leben und Tod . . Die formale Todsünde ist die Sünde mit aufgehobener Hand, die Sünde wider den hl. Geist, die freiwillige Abwendung von Gott“. H. Schell.

[5]) Es ist unmöglich, dass die klar erkannte und empfundene Wahrheit der jenseitigen Welt die Position des unentschiedenen Bösen in der Seele verstärke und zu grundsätzlicher Unbeugsamkeit erhärte, nicht aber erschüttere“. Schell. (Similia ac Schell senserunt Hirscher [cf. Kleutgen, Theol. d. Vorzeit II., n 293 ff.], Rambaud [Les epîtres de s. Paul. Paris 1888. I., p. 454 s.], M. Aug. Scholz, alii.)

7. Accedit auctoritas patrum locum hunc interpretantium. Ita Augustinus, Hom. 23. ex 50: »Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei: hoc est Spiritus dimittit, non vos. Auctor tractatus de aleatoribus n. 1. explicans illa verba ait: »ne dum delinquentibus assidue ignoscimus ipsi cum eis pariter torqueamur«. Ergo non intellexerunt veram remittendi potestatem ibi traditam ese.

8. Christus illis verbis tradidit discipulis potestatem nullis limitibus circumscriptam; nec enim limitationem adiecit et suam ipsius, sane illimitatam, potestatem eis contulit.

Assertum nostrum probatur 1⁰: Sensus, quem nos verbis illis subicimus, sane est obvius et promptus; cf. Lc. 5, 20 s. Quare Richardus Vict., De pot. lig. et solv. c. 12: Exstat, inquit, quorumdam sententia tam frivola, ut ridenda videatur potius, quam refellenda: putant enim et praedicant sacerdotes non habere potestatem ligandi atque solvendi, sed ostendendi homines esse solutos sive ligatos: sed numquid Dominus dicit, quodcumque ligatum ostenderis, erit ligatum, et quodcumque solutum ostenderis, erit solutum? Dicunt apostolicos viros peccata remittendi vel retinendi potestatem non habere, cum Dominus hoc non dicat.“ — Aliae circumstantiae aderant hic, aliae Lc. 7, 48, ubi dimitti idem fuerit ac declarare dimissum. — Tamen illam potestatem non posse esse illimitatam patet, cum ne Deus quidem remittere peccata possit nolenti.

2⁰ Ex eis, quae his verbis praemissa sunt, idem colligitur. Nam Dominus non venerat ad mere annuntiandam (sicut Nathan declaravit) sed ad vere efficiendam remissionem peccatorum.

3⁰ In sensu adversariorum dicendum erat: Quorum peccata remiseritis, eorum remissa erant, non remissa sunt vel remittuntur. Cf. Bernardus, Serm. 1. in nat. app. Petri et Pauli: „Sententia Petri praecedit sententiam coeli“; item Io. Chrysost., Hom. 5. de verbis Isaiae ‚Vidi Dominum‘ n. 1. — Quod in graeco textu habetur remissa sunt, tempore perfecto exhibetur status productus, ita ut actio ex parte Dei coincidat cum actione apostolica. — Item in hypothesi adversariorum eadem verba in eadem sententia diverso prorsus sensu essent sumenda: sc. remiseritis — declaraveritis condonata: remissa — condonata.

4⁰ Illa declaratio aut fieret Deo aut ecclesiae. Illud est ineptum, hoc est inutile. Aliud est enim ostendere se sacerdoti a lepra liberatum, aliud peccata confiteri ac dolere. Cf. Estius In l. 4, dist. n. 18. p. 3. Nec poenitenti talis declaratio cum fructu fieret, sed ipsa remissio sane cum fructu fit. „Si enim, qui absolvit, ipse est, qui efficit remissionem, ut actum hunc iudicialem [iudicium iurisdictionis] ex se efficacem ponat, satis est, quod ei moraliter certa sit [iudicio prudentiae] dispositio poenitentis; eiusque absolutionis effectus est infallibiliter certus, si reapse dispositio poenitentis fuerit sufficiens. Et idcirco absolutio vere est utilis poenitenti disposito, etsi certitudine infallibili constare nequeat effectum esse secutum. Verum, cum agitur de declaranda tantum remissione iam obtenta, haec declaratio vel est incerta vel est certa; si incerta, quorsum fit? si certa, quodnam est fundamentum certitudinis?“ Palmieri, De poen. th. 12. „Non enim Deus revelat ministro se condonasse peccata. Ergo id colligendum esset ex dispo-

sitionibus poenitentis: at hae quoque non praebent fundamentum illius certitudinis: deinde ipse poenitens longe certius nosse potest se esse dispositum, quam minister ex solis signis externis iudicare possit". Sasse, De poen. th. 8.

Quodsi quis peccata iam absoluta confitetur (dub. 5), a) sane inutilis foret repetita declaratio, b) quod peccata in baptismo remissa attinet, ecclesia sane in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus (Conc. Trid, Sess. 14, c. 2); c) si quis peccatum sacramento poenitentiae remissum iterum confitetur, Coninck (De poen. disp. 4, dub. 8, n. 61 ss.) ideo dixit semper remitti peccata de novo, quia semper manet aliqua obligatio ex ipso, quatenus ablata iam culpa et poena manet aliqua semper indignitas. Ceteris paribus minus dignus est Dei beneficio, qui peccavit, quam qui non peccavit. Sed mirum est, quod etsi semper remittatur, nunquam tamen exhauriatur, nisi negas posse eam exhauriri. Deinde non concedunt theologi posse peccata redire quoad effectum suum; sed hoc hic dicendum esset. Denique ita non remitterentur proprie peccata, sed indignitas De Lugo (De sacr. poen. disp. 13, s. 3, n. 73) et post eum multi theologi (ut Palmieri, De poen. th. 12, VI.; Sasse. De poen. th. 38, Schol.) docent vera ideo tunc esse verba absolutionis. »quia non mentitur, qui post dimissum semel debitum vel offensam iterum rogatus dicit se dimittere. Nam sicut qui semel se obligavit alicui ad aliquid praestandum, potest iterum se ei obligare ad idem, . . sic, qui remisit debitum, potest iterum idem remittere; nam remittere in rigore est obligare se per cessionem iuris ad non utendum iure acquisito ratione offensae in ordine ad talem vel talem effectum«, Quam solutionem merito improbat Wietrowski (Selectae conclus, theol. P. VIII., concl. 17, n, 682) dicens: »Nam quod Deus per secundam absolutionem se obliget ad non utendum iure acquisito olim contra peccatorem et destructo per condonationem, ante praesentem absolutionem, est formalissime obligare se ad non faciendum impossibile, si quidem impossibile est, uti iure non existente«. Ipse vero (cum Dicastillo, De sacr. poen. disp. 5 n. 113, De San, De paen. n. 433 s.) haec statuit: »Dicimus itaque obiectum verificans absolutionem esse remissionem peccati non actualem, sed radicalem. Ratio est: Nam actualis remissio est actualis exstinctio iuris quaesiti a Deo ex peccato: haec autem actualis exstinctio non potest circa ius iam exstinctum versari, videlicet auferendo exsistentiam a non habente exsistentiam. At radicalis remissio stat tam in gratia remissiva et expulsiva peccati commissi, quam in iure ad hanc ipsam gratiam. Ius autem ad hanc gratiam est infallibilis promissio Dei et approbativa illa voluntas: Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis; est, inquam, ius ad gratiam sanctificantem remissivam peccati, haec divina voluntas, prout applicata per verba absolutionis poenitenti a legitimo ministro. Quod vero sacramentum validum stet sine gratia, cum solo iure ad illam collato de praesenti, patet in baptismo valido et informi, admisso ab omnibus« (Ib. n. 680). Igitur poenitens in eo casu accipit gratiam remissivam peccati ut commissi, sive gratiam sacramentalem, quae remitteret actualiter atque exstingueret peccatum, si illud irremissum atque inexstinctum invenisset. Ceterum similis res occurrit in homine, qui gravi peccato commisso in statu inimicitiae Dei positus, denuo peccat. — Non posse quoad eadem peccata absolutionem repeti in eadem confessione patet. Cf. Bonacina, De sacr. poen. qu. 5, s. 1, p. 4.

Non fore ut solum peccatum contra Spiritum s. post mortem retineatur patet ex Mt. 25, 44. 46. Cf. th. III. ad dub. 6; ceterum cf. Augustinus, Ep. ad Evodium 99, al. 164 (M. 33, 709 ss.); Io. Chrysost., In Mt. hom. 36, n. 3 (M. 57, 416 s.): Conc. Trid., Sess. 6, cp. 15; Sess. 14, c. 5; Schema Conc. Vaticani (Coll. lac. t. 7, c. 517)

et de tota hac quaestione J. Stufler, Die Heiligkeit Gottes und der ewige Tod, Innsbruck 1903, S. 35—39; Fr. Schmid, Die außerordentlichen Heilswege für die gefallene Menschheit. Brixen 1899; Chr. Pesch, Theol. Zeitfragen, 2. Folge S. 47—80.

Pars III. Data est potestas remittendi peccata omnia et omnium (Leo IX. defin.); sane non absoluta sed certis legibus ligata.

Dub. 1. Si de omnibus peccatis ageretur, potuisset unusquisque apostolus etiam sua ipsius peccata remittere; nec sane impossibilitas talis rei acceptionis apostolis evidens esse potuit, quia certe quilibet habens potestatem dispensandi a voto alios, etiam se dispensare potest. Cf. Greg. M., Hom 26. in evang. n. 4 s. — Cf. Thes. 8, p. II., dub. 4.

2. Si de omnibus peccatis ageretur, peccata iam remissa etiam retineri possent, retenta remitti.

3. Si de omnibus peccati ageretur, possent retineri etiam venialia.

4. Item possent peccata per absolutionem remissa nova statim absolutione remitti ad libitum repetita. Cf. p. II., dub. 5.

5. Verba analoga ap. Mt 18, 15—22 ad omnes proferri videntur ex contextu et nexu naturali. Et ἐκκλησία atque συνηγμένοι congregationem significant, quam apostolos vocari et textui repugnat nec tunc ab audientibus intelligi potuisset. Cf. Origenes, In Mt tom. 13. fin.; Anastasius Sin., Interrog. 61; Theophyl. In Mt 18: Augustinus, Serm. 28, n. 7. Nec obstat, quod similia verba adhibentur Mt 16, quia nihil aliud simile est nisi ipsa phrasis. Atqui hoc posito non potest sermo esse de tradenda tanta potestate.

6. Dato verba illa eadem proferri solum ad apostolos, de aliis peccatis ibi non agitur, nisi de eis, quibus proximi offenduntur: haec si quis condonaverit offensus, condonabuntura Deo et simul condonabuntur condonantis peccata contra Deum. Ei autem, cui condonari non potest, quia non emendatur, nec Deus condonabit. Nec obstat quod dicitur ‚quodcumque‘ vel ap. Ioannem generatim ‚peccata‘ quia subintelligenda sunt vel peccata, quae sane ab hominibus condonari, vel quae ab ecclesia qua tali remitti possunt; »quorum remiseritis« dicitur; supponitur nempe antecedenter ad ullam potestatem tradendam eos remittere quaedam peccata. Nec obstat, quod s. Paulus veniam dedit gravissimi peccati, quia eam non dedit, nisi quatenus scandalum fuerat.

7. Mt. 12, 31: Πᾶσα ἁμαρτία καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις, ἡ δὲ τοῦ πνεύματος βλασφημία οὐκ ἀφεθήσεται. (32) Καὶ ὃς ἂν εἴπῃ λόγον κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ἀφεθήσεται αὐτῷ· ὃς δ'ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι.

8. 1. Io. 5, 16: Ἐάν τις ἴδῃ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἁμαρτάνοντα ἁμαρτίαν μὴ πρὸς θάνατον, αἰτήσει, καὶ δώσει αὐτῷ ζωήν, τοῖς ἁμαρτάνουσιν μὴ πρὸς θάνατον. Ἔστιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον· οὐ περὶ ἐκείνης λέγω ἵνα ἐρωτήσῃ.

9. Heb. 12, 17: Ἴστε γάρ, ὅτι καὶ μετέπειτα [Ἠσαῦ] θέλων κληρονομῆσαι τὴν εὐλογίαν ἀπεδοκιμάσθη· μετανοίας γὰρ τόπον οὐχ εὗρεν, καίπερ μετὰ δακρύων ἐκζητήσας αὐτήν.

Nihilominus et haec pars probatur: 1⁰. Dictum est: ‘sicut me misit Pater, ita ego mitto vos. At constat Christum Dominum non remisisse solum peccata contra se commissa, vel, ut caput ecclesiae, scandala publica inter discipulos, sed etiam alia, dummodo in ipsis dolorem de peccatis invenerit; alias enim nec iniurias sibi illatas condonavit, sed ut condonarentur, i. e. ut Deus animos ad dolorem de peccatis moveret, rogavit.

2⁰. cum Ambrosio (De poenit., l. 1, n. 7.): „Quod ligandi ius habeo, ius habeo et solvendi“.

Quod dubitationem (3am) ex peccatis venialibus petitam attinet, potestas remittendi consecutione quadam a mortalibus [de quibus tamen solis proprie et directe agi omnino negat De Augustinis, De poen. p. 2, a. 4.] ad venialia deducitur. Nam si virtus clavium sufficit ad tollendam iniuriam simpliciter et ad amovendum impedimentum, quod nobis aditum in coelos perpetuo praecludit: quanto magis sufficiet ad amovendum impedimentum temporaneum venialis culpae, iniuriae secundum quid, cuius venia in hac vita facilior est et in purgatorio amicis dari solet. [Adde quod secus ministerium remissionis sine periculo infamiae vix conveniri posset et dubie mortalia tantum sub condicione absolvi]. E diverso, quod peccata venialia sint tantum iniuriae secundum quid, . . . non potuit ad ista aeque extendi potestas retinendi atque se extendit ad peccata mortalia . Vireeburgenses, T. 5, disp. 2, c. 1. a 5. Quamvis verba Christi simplicia et uniformia esse videantur, quia tamen in ipso nomine ‚peccata' analogia latet, exigunt plane, ut cum proportione ad ea, quae sub se continent, applicentur iuxta materiaè capacitatem. Cf. Azor, Inst. mor. l. 4, c. 11, q. 4, o, 6. Sane peccata venialia sunt remissibilia, at retineri non possunt a Deo (i. e. numquam remitti), quia homo sine peccato gravi ius habet ad gloriam. Cf. Thes. 3 p. I., ad 1, e). Ceterum num remissio peccatorum venialiam per claves sit solum declarativa, cf. thes. 5.

Apud Matthaeum 18. illud ‚in te' v. 15. in textu graeco deest; neve tunc excipias solum de scandalorum externa condonatione vel peccatorum ecclesiasticorum remissione agi; agitur enim de fratre perdito saluti restituendo. Cf. P. A. Kirsch, Zur Geschichte der katholischen Beichte. 1902 S. 34—39. — Quod Augustinum attinet, v. serm. 352; 392; De Civ. Dei l. 20; quod Theophylactum, v. expositionem eius in Io. 30. Episcopis dictum esse; Quodcumque solv. . . . testantur, inter alia »Constitutiones apostolicae« l. 2, c. 11 s.; sacerdotibus Anastasius Sin. Interrog. 141; et iure quidem, quia idem nexu probatur: si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Cur iam habendus est instar publicani etiam coram Deo? Quia quaecumque alligaveritis . . . Nec verbis his potestas iam tradebatur, sed promittebatur (cf. Caesarius, Dial. 4, Interr. 194) sicut Mt 16: Tibi dabo . . . (quae verba explicata v. ap. Ambros., De poen. l. c. 7 n. 33.)

Locus Mt. 12, 31. directe Novatianis sane non favet, qui inter potestatem remittendi ecclesiae finitam et Dei infinitam distinguebant — cum hic dicantur quaedam peccata nec hic remitti nec in futuro. Tantum factum per se affirmatur, idque universalitate morali, non absoluta. Solum indirecte ex eo concludi posset, ecclesiam tantum peccata remittere posse, quae sunt contra homines (Cf. De San, De poen. n. 148). Iam locum illum explicemus. Spiritus blasphemia est peccatum, quo Deo blasphemia infertur tum, cum maxime se ut Deum manifestat, quo Deus non agnoscitur, cum cognoscitur (Cf. Io 8, 24); est haec blasphemia Spiritus, quia resistitur eius illuminationi. Ita blasphemantibus numquam remittetur; similes sunt moribundis, qui non solum omnem medicinam respuunt, sed omnia agunt, ut pereant; ex tali statu vix quisquam seu moraliter nemo (vel, ut Oswald censet, absolute nemo, si peccatum hoc secundum omnem malitiam in abstracto in eo contentam spectatur) exibit, ut dispositionem acquirat ad peccati remissionem necessariam. Sane »apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt« Mt 19, 25. »Hoc peccatum dicitur irremissibile eo modo, quo nullum aliud peccatum dicitur irremissibile . . . quia corrumpit dispositionem ad remissionem in eo, cui debet remitti, quia principium dispositivum ad remissionem peccati est aliqualis displicentia de peccato«. D. Scotus, In l. 2, d. 43, q. 1, n. 7. Nec aliam impossibilitatem (contradicentem profecto Is 1, 16; Ezech. 18, 21. 23) Christus hic in mente habet; id patet ex eo, quod e contrario dicit omne peccatum blasphemiae communis — no-

minatim contra Filium hominis (i. e. prout ut homo agebat, quem voracem et potatorem vocabant) remitti; quod certe intelligendum est: facile remitti; alioqui, ut s Athanasius notat, contradiceret sibi. At alia propter passionem, ignorantiam (Act. 3, 17), mentem obscuratam, infirmitatem minuuntur (cf. Pacianus, Ad Sympr. ep. 3, n. 15) nec lumen Spiritus s. excludunt praeclusis oculis. Praeclare hunc locum explicat Athanasius in fragm. paenult. in Mt. Cf. etiam Io. Chrysost., Basilius, Gelasius, Hilarius, Ambrosius, Thomas (II., II., q. 14, a. 3) etc., e recentioribus J. L. Hoffmann, Die Sünde gegen d. h. Geist. Regensb. 1847; Heinrich, Dogm. Theol. X. S. 33—38 (§ 561) etc. — Hinc denique concludimus illud remittere in hoc saeculo vel in futuro non ita significare sententiam iudicialem absolutionis a culpa ferre nunc vel postea, sed potius misericordiae effectum (condonationi similem) producere pro nunc vel pro futuro; sc. qui blasphemat — ille et in hac vita obduratur a Deo (= non recipit gratias congruas) et in futuro a fortiori. (N. b. cum Suarez, De purgat. disp. 45, s. 1, n. 12 contra Stufler et alios non posse bene locum hunc intelligi de peccatis tantum venialibus in futuro remittendis.)

Locus 1. Io 5, 16. duplici modo explicatur. a) Peccatum ad mortem, de quo agitur, certe non est quodlibet peccatum grave; nam etiam peccato, quod non est ad mortem, vita amitti dicitur; sed videtur illnd esse, quo homo ab ecclesia separatur (cf. v. 10—13); nec fideles illud peccatum scire et discernere possent, si non esset publicum Pro peccatore tali apostolus orari non vetat, sed non commendat, ut subtractis suffragiis saltem publicis excommunicatus puniatur. b) Pro peccatore, qui peccat ad mortem, i. e. qui vel excommunicatur ab ecclesia vel ipse deficit ab ea vel obduratus poenitentiam non ágit (Augustinus, De corrept. et gr. c. 12; Conc. Nic. II, cn. 5) non commendat apostolus preces, quia ad vulgum loquebatur, ad eosque, qui suorum peccatorum alium deprecatorem deberent adhibere; quibus satis est, si pro levioribus aliorum delictis Deum precentur, graviorum veniam iustorum orationibus reservandam putent. Non enim quicumque de vulgo pro Iudaeorum populo, sed Moyses rogavit, quando vituli caput fidei immemores adoraverant. Nonne ipse Ioannes cognoverat Stephanum pro persecutoribus suis, qui Christi nomen audire non poterant, deprecantem? Cf. Ambrosius, De poenit l. 1, n. 40 ss.; Ignat., Ad Smyrn. n. 4; Anastas. Sin., Interr. 54; Thomas A. In l. 2 dist. 43: Cornelius a Lap. in h. l.; De Lugo, De poenit. disp. 8, s. 1, n. 9; De San, De paen. n. 156 s.

Etiam loci Heb 12, 17. duplex est explicatio; vel ita intelligitur: Esau non potuisse efficere, ut Isaac animum suum mutaret (μετάνοια = mutatio animi) et benedictionem Jacob tributam ad Esau revocaret (cf. Gen. 27, 30—38) vel ita: Esau petentem benedictionem filii primogeniti iam non potuisse eam recuperare, quod sero eum poenituit; quo exemplo Hebraei moneantur (cf. ib. v. 12; Lc 13, 25 ss.).

Pars IV[a]. Potestas haec a potestate baptizandi penitus est distincta.

Dub. 1. Agitur de peccatis quibuscumque, ergo et de peccato originali; atqui peccatum originale extra baptismum remitti non potest; cetera vero cur non et in antecessum remitti possint? Ergo apostoli tantum iussi sunt evangelium annuntiare et baptizare in remissionem peccatorum.

2. Virtus baptismi producit sublato obice effectum suum et ipsa numquam deletur; ergo non est, cur non possit peccata exstinguere.

3. Si, ubi una est gratia, sic quoque sumus ignavi et socordes, si sciremus abluenda rursus peccata, cessaremusne a peccatis? Io. Chrysost. In Hebr. hom. 9.

4. Tota ecclesiae mundatio soli baptismo tribui videtur: Mc. 16, 16. (ὁ πιστεύσας) Eph. 5, 26. (καθαρίσας).

5. Secundum Eph. 5, 26. ecclesia mundatur lavacro aquae; atqui hoc certe non de eis dictum est, qui nondum in ecclesia sunt; ergo baptismo (eius recordatione) tolluntur peccata membrorum ecclesiae.

6. Scriptum est Hebr. 6, 4. ss.: Ἀδύνατον γὰρ τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας, γευσαμένους τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου καὶ μετόχους γενηθέντας πνεύματος ἁγίου, (5) καὶ καλὸν γευσαμένους θεοῦ ῥῆμα, δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος, (6) καὶ παραπεσόντας πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ καὶ παραδειγματίζοντας.

7. Item Hebr 10, 26 s. Ἑκουσίως γὰρ ἁμαρτανόντων ἡμῶν μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, οὐκέτι περὶ ἁμαρτιῶν ἀπολείπεται θυσία, (27) φοβερὰ δέ τις ἐκδοχὴ κρίσεως, καὶ πυρὸς ζῆλος ἐσθίειν μέλλοντος τοὺς ὑπεναντίους.

8. Si duo essent sacramenta instituta a Domino, certe baptismus ante poenitentiam instituendus erat; sed dicendus esset demum Mt. 28, 19. institutus. Cf. E. Herzog (Die obligatorische römische Ohrenbeichte eine menschliche Erfindung, 1901 S. 9), Ahrens, Steitz.

9. Ita interpretantur hunc locum Cyrillus alex. (In Io. l. 12, c. 56; Augustinus, Tract. 121. in Io. (caritas ecclesiae = communio ecclesiae catholicae); Cyprianus (Ep. 73 ad Jubaian. n. 7); Firmilianus (Ep. 75 inter epp. Cypriani n. 16), alii. Ex posterioribus vide Rupertum Tuit. in h. l.; Bedam, In Act. qu. 2.

Probatur autem haec pars:

1⁰ Dictum est: Ite et baptizate omnes; at non dicitur: Ite et remittite omnibus peccata. Praeterea „neque tunc, cum baptismum instituebat, quicquam de potestate absolvendi peccatores locutus est Christus (Io. 3, 5.; Mt. 18, 19.), neque tunc cum hanc instituebat, quicquam de lavacro necessario significavit“. Filaret, Pravoslavnoe dogmatičeskoe bogoslovie. (Spb. 1882) II., p. 181.

2⁰. Ad baptismum necessario requiritur ablutio cum invocatione ss. Trinitatis; haec expresse dicenda erant, non forte solum subintelligenda, praesertim cum Christus, qui ipse non baptizabat (Io. 4, 2.) peccata multis remisisset.

3⁰. Potestas Io. 20, 23. collata est talis, cui essentiale est iudicare, quod verbis satis innuitur et postea explicabitur; sed ad valide baptizandum iudicare non esse necessarium ex usu ecclesiae patet; et quod per baptismum alia peccata remittantur praeter originale, est per accidens.

4⁰. „Termini hi tres: quorum, peccata, remiseritis indefinite patent iique verificantur, licet eorundem hominum pluries peccata remittant apostoli: quoties antem verificantur, verum quoque esse debet quod ait Christus: remittuntur eis: quia ut ponatur condicionatum, sufficit quod vera sit condicio; secus propositio esset falsa. Haec autem est una eademque potestas expressa verbo remiseritis, potestas sc. remittendi peccata. Ergo haec est potestas diversa a potestate baptizandi et remittendi peccata per baptismum; quia haec una tantum vice erga eundem exerceri potest: neque enim quis potest bis renasci“. (Palmieri, De poen. th. 8, II, 5). Quod tamen additum est in fine neminem posse bis renasci, sinon falsum, saltem non est accurate dictum neque ad rem; nam quotiescumque homo denuo iustificatur, accipit gratiam per generationem, licet hoc iam non vocetur renasci.

5⁰ Certe repugnat, ut ipso baptismo tollantur et vitae futurae peccata; at solum vitae praeteritae peccata remitti posse ab ecclesia

supponeret aut baptismo naturam humanam penitus mutari aut ecclesiam Dei peccatis scatentem relinqui sine simili instituto ac baptisma est. Cf. Pacianus (hunc locum interpr.), Ep. 3. ad Sympron., n. 11.

6⁰ Sacerdotale ministerium ligare potest et solvere; atqui in hypothesi adversariorum: 1. non poterunt ligare, cum non possint impedire, ne pagani per paganos baptizentur; 2. non poterunt ligare, cum non possint impedire, quominus fidelis quispiam recepti olim a se baptismi memoriam sibi revocet.

Quod institutionem baptismi attinet, potestas haec iam multo prius a Christo instituta et discipulis concessa et ab iisdem in actum deducta prorsus videtur esse: Io. 3, 22; 4, 1. 2; cf. 1, 26. 33; 3, 35. Nam ritum illum fuisse tantum aliquod sacramentale improbabile est.

Loci prioris ex ep. ad Hebr. desumpti triplex est explicatio: 1. Pars dicit apostolum loqui de impossibilitate iterationis baptismi. Huius explicationis argumenta sunt haec: *a*) renovatio illa videtur intelligi renovatio baptismi; nam illud „rursus" renovari opponitur illuminationi „semel" collatae, quae ex usu loquendi nihil aliud significat quam baptismum (cf. Hebr. 10, 32. et versiones Syriacam et Aethiopicam): et renovatio etiam alias vocatur per excellentiam ipse baptismus. Cf. Tit. 3, 5. Cf. Athanas., Ad Serap. ep. 4, n. 13; Ambros., De poenit. l. 2, n. 7; Io. Chrysost., In Hebr. hom. 9, n. 2; Sasse, De poen. th. 11, IV.

b) Vox ἀδύνατον non videtur ab apostolo de impossibilitate tantum morali adhiberi (difficile); cf. Heb. 6, 18; 10, 4; 11, 6; quod in alia interpretatione negandum est. Cf. Oswald, Die dogmat. Lehre von d. h. Sacram., Th. 5, § 5.

c) Collatis Rom. 6, 3—11. et verbis „crucifigentes sibi" dicendum videtur hanc rationem esse solius impossibilitatis iterationis baptismi. Cf. Ambros., De poen. l. 2, n. 7 s.; Epiphan., Haer. 59, n. 2; Io. Chrysost., In Heb. 9, n. 2; Io. Damasc., De fide orthodoxa l. 4, c. 9.

d) Ex contextu cum versibus praecedentibus idem suadetur. Hebraeis enim haec scripsit et, ne illi poenitentiae obtentu existimarent iuxta legis consuetudinem multa esse et quotidiana baptismata, ideo eos ad poenitentiam hortatur, unamque esse per baptisma renovationem nec secundam superesse affirmat, ut in alia scribit epistola: Una fides, unum baptisma. Ita Athan., Ad Serap. ep. 4, n. 13. Cf. Ambrosius, De poenit. l. 2, n. 8. („quia multa erant baptismata in lege, merito reprehendit illos, qui perfecta dimittant ut principium verbi requirant"); cf. Bujanović, Sv. sakr. II., str. 36.

e) Haec est communis explicatio patrum, quamquam contrariam (nunc fere receptam) non ignorabant. Cf. Ambr., De poen. l. 2, n. 8 („sed tamen de baptismo dictum"). — Ceterum ad explicationem patrum haec notat Estius (in h. l.): „Quod ergo dicunt patres apostolum hic loqui de non repetendo baptismo, id non tam de baptismi ceremonia, quam de eius effectu convenit intelligere; effectum dico, non characterem, sed eum, qui peccando amittitur, i. e. gratiam regenerationis ac renovationis: non quod amissa semel gratia recuperari non possit, sed quia Deus nullum instituit remedium, quo tam facile gratia recuperetur amissa, videlicet per modum regenerationis ac renovationis, quam fuerat per baptismum acquisita".

2. Alii apostolum loqui de magna difficultate (morali impossibilitate), ut peccatores (apostatae) ad poenitentiam convertantur, qui spretis tot tantisque gratiis (enumeratis v. 4. 5.) defecerunt; et sane simpliciter impossibile est ministris, ut cum solo ordinario gratiae auxilio eos ad poenitentiam renovent (verbum graecum in forma activa nec cum ἑαυτούς), qui Christum repudiatum, quantum in ipsis sit, rursum sibi crucifigant et in cruce velut suspensum publico ludibrio exponant. Vocem ‚illuminatio' (cf. Eph. 1, 18; 5, 8; Io. 1, 9) de illuminatione hominis per fidem Christi intelligi posse dubium non est. Cf. Sušil in h. l. Rationes huius explicationis sunt

a) Inutilis esset alioqui enumeratio illa tot gratiarum: baptismus enim nunquam iterari potest. *b*) Item in exemplo v. 7. 8. allato non qualescumque homines baptizati designantur. *c*) Mera iterationis baptismi recusatione non absterrerentur efficaciter desertores. Cf. Heb. 10, 26. *d*) Illud „semel" non ad solam illuminationem pertinet, sed et ad alias gratias; nec renovatio solus baptismus vocatur (cf. 2 Cor. 4, 16; Col. 3, 10), immo hic vel ideo non, quia non sequitur, sed antecedit poenitentiam (εἰς μετάνοιαν). *e*) Sane moraliter impossibile est (et ministris evangelii miraculo gratiae divinae seposito prorsus impossibile est, ut id efficiant), ut homines tot gratiis acceptis iterum ita illuminentur, ita eorum mens mutetur, ut proposita fidei doctrina ad poenitentiam revocentur. Nec impossibilitatem absolutam defendere opus est; cf. Mt. 19, 23—26; Mc. 10, 23—27; Lc. 18, 24—27. *f*) Quae impossibilitas convertendi apostatas ratio est apta, cur rudimentis doctrinae christianae recolendis supersedeat. Ita docet maxime Car. Huyghe (Comment. in ep. ad Hebr. 1901, p. 135): „Qui elementarem doctrinam, de qua v. 2., non modo receperunt, sed eam per charismata supernaturalia et gratias insignes gustaverunt, i. e. intime intellexerunt eam esse veram et veteres promissiones de Messia in Iesu esse adimpletas: si tales viri, non obstante tanta certitudine in apostasiam labuntur (et ex tota epistola intelligitur praecipuam tentationem eis esse splendidissimum cultum iudaicum, qui in templo peragebatur), converti nequeunt per iteratam expositionem primae illius doctrinae; altioribus enim veritatibus, v. g. de sacerdotio Christi indigent. Primas utique veritates iam cognoscunt, et licet eas sciant esse veras, tamen christianismum dereliquerunt, et non refugerunt Christum denuo cruci affigere. Aliis igitur considerationibus opus est, quas capite sequenti proponit apostolus". *g*) Baptismus, cum sit imago mortis Christi, tamen non est ludificatio Christi (παραδειγματίζειν); nec qui baptizantur, Christum crucifigere, sed veterem hominem crucifigere dicuntur (Rom. 6, 6). *h*) Praeter theologos et interpretatores (cf. Corn. a Lap.) etiam veteres (ut Anselmus) iam Origenes, Theognostus, Hieronymus (ad Iovinian. l. 2, n. 3) hanc explicationem posuerunt et propter similem nonnulli hanc epistolam notham esse existimaverunt. Nec obstare potest communis ille patrum explicandi modus (adde Cyrillum alex., Theophylactum, Augustinum in expos. inch. ep. ad Rom) salva utique constitutione Tridentina (s. IV.) et Vaticana (s. III., c. 2). Nam simile dicendum est de explicando miraculo Josue, de explicandis Cherubim, de propinquitate adventus Domini et conferendus Chr. Pesch, Inst. propaed. n. 586. Ceterum De San (De paen. n. 165) huic explicationi vindicare conatur (propter Origenem et Theognostum) scriptores omnes antenovatianos.

3. Apostolum loqui de utraque impossibilitate clare innuit iam s. Chrysostomus, confuse etiam alii ut Estius (cf. in v. 4 init. et in v. 8. in fin.). Apostolus docet Hebraeos, non decere christianos in iis perpetuo haerere, quae catechumenis noscenda tradi soleant, (ut est poenitentia agenda de operibus mortuis, doctrina de variis baptismatis Ioannis nempe etc., de confirmationis sacramento (Act. 8, 14—17), de resurrectione mortuorum (Act 23, 6), de iudicio aeternam mortem definituro (Act 17, 30—32; 24, 25). Nec res has tractari expediret hominibus iam semel per fidem fideique sacramentum illuminatis et caelestis doni (pacis conscientiae, lactis doctrinae, panis vitae, divitiarum gratiae) dulcedinem expertis (cf. 1. Petr. 2, 2. 3; Jo. 6, 48—52) et confirmatis (Act. 8, 14—17) et evangelio delectatis et copia charismatum ad saeculum futurum (Messianum) pertinentium instructis (cf. Act. 2, 16 ss.; 1. Cor. 12, 10; Gal 3, 5; Heb. 2, 4. 5). Cur id esset minus utile? Quia fieri non potest, ut eidem ita in ecclesiam cooptati, immo etiam longius progressi in vita christiana, etsi a bonis illis omnibus ad Iudaismum vel infidelitatem se averterint (καὶ παραπεσόντας; cf. 3, 12; 10, 26—29), simili modo atque catechumeni ad Christum convertantur, ideoque denuo inducantur ad poenitentiam, quae una cum fide ad baptismum vel confirmationem (tum ei mox iunctam) dirigatur. Itaque impossibile est homines iam baptizatos renovando iterum ad baptismalem poenitentiam adducere; quin tantum abest, ut illi desertores per ianuam

baptismi rursus in ecclesiam ingrediantur, ut eorum salus quocumque demum modo obtinenda fere desperata iaceat; videlicet poenitentia baptismalis hominum eiusmodi impossibilis est non solum ut est baptismalis, sed ut est poenitentia; (quae consideratio v. 4—6. praeparata priori adiungitur aeque abrupte ac generalis ratio usus tenuioris doctrinae rudimentorum (v. 4.) ad rationem ante explicatam additur). Nam cum homines utentes ubertate gratiarum divinarum accipiant maiorem, eam negligentes et contemnentes digni sunt, qui reprobentur. Ita apostolus impossibilitatem et simplicem et moralem simul affirmasse dici potest (cf. Rom. 7, 23—8, 4). Ceterum v. 7. 8. etiam immediate ad v. 1—3. referri possunt (Straub).

Rationes huius explicationis sunt: *a*) Apostolum proxime loqui de poenitentia baptismali patet ex v. 1⁰: non rursum iacientes fundamenta poenitentiae, i. e. poenitentiam fundamentalem. *b*) Si non intellexisset poenitentiam baptismalem, in primo versu de aliis rudimentis loquendum non fuit; non dedisset enim plenam rationem pro omnibus rudimentis, sed tantum pro uno. Cf. Estius in h. l. *c*) Si noluisset uno verbo brevi poenitentiae baptismalis omnia elementa comprehendere, dixisset potius baptismum iterari non posse; haec enim certe est ratio, cur doctrina de baptismo non sit recolenda. *d*) Cum verba ἀνασταυροῦντες . . . non cum aoristo παραπεσόντας, satis distante, verum cum proximis verbis ἀνακαινίζειν (vel si Athanasium sequi vis, supple ἑαυτούς) εἰς μετάνοιαν iungenda sint, sensus est: Impossibile est homines iam baptizatos renovando iterum adducere ad poenitentiam eam, quae requirat, ut (in qua) Christus ipsis (igitur rursus) crucifigatur (non mystice, sed realiter), quae est poenitentia baptismalis (Rom. 6, 3. ss.).

Quod alterum locum oppositum eiusdem epistolae attinet, etsi fuerunt, qui eum de baptismo intellexerint (velut Io. Chrysost. In Heb. hom. 20, n. 1; August., In Rom. inchoat. expos. n. 19), tamen, cum baptismus nullibi vocetur hostia nec ideo, quod baptismus iterum recipi nequeat, actum sit de salute (v. 27) peccatorum, explicatio illa deserenda est. Loquitur apostolus de peccato apostasiae, quam peccatum vocat per antonomasiam; hoc vocat voluntarium propter specialem gradum voluntarii (nullum quippe est involuntarium), cum cognita veritate fidei (τῆς ἀληθείας cf. Heb. 3, 12) excusari non possint (cf. 6, 4 s. et τὴν ἐπίγνωσιν). De hoc peccato cf. 2. Petr 2, 11. Idem peccatum comparatur cum idololatria sec. Deut. 17, 2—7. morte punienda. Proiecta fide proicitur Christus. Denique ex contextu patet apostolum sicut v. 32 eos ad constantiam in fide exhortatur, ita hic eos deterrere ,velle ne conventiculis Christi se subducentes paulatim apostatae fiant. — Dictum illud non remanere hostiam alii referunt ad Num. 15, 30. (Sušil), alii ita explicant, ut apostolum negare dicant et hostiam leviticam, quae vi caruerit et iam abolita sit, et hostiam futuram, quae veniat post oeconomiam christianam, et eam quae nunc est, Christi, quam abiecerint, — eis superesse.

Pars V. Eadem potestas est in ecclesia perennis.

Dub. Apostoli certe acceperunt quasdam potestates et praerogativas, quae eorum successoribus desunt. Non potuit igitur praesumi concedi eis ius pro successoribus, nisi id explicite additum esset; alioquin enim dubium oriri potest, quod praecavendum fuit.

Sed veritas asserti nostri patet tum ex Christi fine proposito, cur hanc potestatem apostolis tradiderit, qui certe non fuit, ut facilius propagaretur ecclesia ut in dono miraculorum concedendo, tum ex verbis, quae praemisit: Sicut me misit Pater, ita. . . . Immo ipsa „sollemnitas, qua tunc Salvator potestatem remittendi et non remittendi peccata instituit, aeque singularis erat atque illa, qua sacramentum baptismi est institutum“. Filaret, Pravosl. dogmat. bogosl. II, 181.

Thesis nostra tota confirmatur interpretationibus patrum: Origenes, De orat. n. 28: Ambros., De poenit. l. 1. c. 2. n. 6. ss.;

Cyrillus alex., In Io. 20, 22. 23. (M. 74, 720.); (Pseudo) Basilius, Adv. Eunom. l. 5. (M. 29, c. 717.): Petrus Chrysologus, Serm. 84.; Gelasius I., De anathem. vinculo; Gregorius M., Hom. 26. in Io. 20.: Anastasius Sin., Interr. 6.; Rabanus Maurus, Praef. ad De quaestionib. canon. poenit. etc. Item interpretationibus ecclesiarum copticae (qui dixisti: Accipite . . .), Graecae (Eucholog. ed. Rom. 1875, p. 207. *διὰ τὴν θ. φωνήν . . . ἄν τινων ἀφῆτε . . .*) Cf. Io. Ieiunat., De poen. (ap. M. t. 88, 1926.). — Cf. P. Schanz in Schweiz. Kirchenzeitung 1901, N. 32, p. 299.

A. Špaldák.

EXTRANEA, RES SLAVORUM SPECTANTIA.

Archiv für slavische Philologie. XXVII, 3. Berlin 1905.

A. Leskien, Die Vocale ъ, ь in den Codices Zographensis und Marianus. 321—349. — P. A. Lavrov, Die neuesten Forschungen über den slavischen Klemens. 350—372. Auctor, tractans de re, de qua supra p. 77. sententiam nostram adnotavimus, assentitur p. 354 V. Vondrák, qui duarum legendarum pannonicarum unum auctorem eumque Clementem episcopum velic. simul et ss. Cyrilli et Methodii discipulum fuisse existimat. Movet eum laudatio Cyrilli (ed. saepius a Viktorov, Sreznevskij, Lavrov), quam Clementis esse testimonio scripto probat et a priori conicit (368); inde Vitam Cyrilli et Vitam Methodii (ed. a Miklošič; quam ex saec. IX. ad nos incorruptam pervenisse cum Jagič tenet) ab eodem Clemente, Cyrilli laudatore, conscriptam esse concludit. S. Clementem — utique hominem gentis Slavorum meridionalis — utramque vitam in Moravia scripsisse arbitratur (362), orationes, saltem maximam partem, in Macedonia. P. 365—6 ex similitudine vocum probare conatur ab uno auctore utramque legendam esse conscriptam. Vetustatem earundem probant vestigia grammatica Slavorum occidentalium (p. 367—8); vetustatem orationum in Christi nativitatem et baptismum cautio, qua dogma »Filioque« ibi tangitur (372). Ad italicam »Translationem Clementis« Vitam Cyrilli non pertinuisse magis credit.

V. Jagič, Meine Zusätze zum Studium der Werke des slavischen Klemens. 384—412. Auctor contra Vondrák et Lavrov docet pannonicas legendas (Vitam Cyrilli et Vitam Methodii) non esse ab uno conscriptas; locorum similitudo, etsi ei non posset opponi dissimilitudo — quae tamen nec ipsa sola quicquam evincit — unitatem scriptoris saltem palaeoslavici sola comprobare non potest. Diversitas vero argumenti affectionisque erga laudatos et eorum opus, praeterea quorundam locorum singulorum contrarium testatur. P. 394 probat neque laudationem Cyrilli et Methodii (ed. Bodjanskij, Čtenija 1865, II), quam, licet nomen Clementis adscriptum non sit, nonnulli eius esse iudicabant, Clementis illius, cuius sunt aliae orationes esse posse, neque a discipulo apostolorum conscriptam; id quod simili argumentatione ostenditur, qua in »Slav. Lit.« I, 77 [Č. k. d. 1905, 392] Snopek effecisse diximus legendarum auctorem non potuisse esse apostolorum discipulum.

P. A. Lavrov, Zwei Lobreden, vielleicht von Klemens verfasst 373—384. Praeter eam, cuius supra mentionem fecimus (pag. 354), iterum nova oratio in Dominicam Palmarum ex a. 1328 a L. Stojanović Tauruni inventa est, quam Clementis ep. velicensis esse ipsum nomen adscriptum testatur; edetur in academico (Petropolitano) Сборникъ. Idem Stojanović secundum manuscriptum quoddam saeculi XVI-XVII bibliothecae nationalis taurunensis (n. 479) 12 novas orationes Clementis esse iudicat; inter alias in Petrum et Paulum et in assumptionem Deiparae. His duas hic adicit Lavrov orationes: in s. Paulum 373-380, et in ss. Cosmam et Damianum (sv. bezmьzdnыkъ ἀναργύρων) 380—382.

Gr. Ilinskij, Ein Grigorovič'sches Menaeum-Blatt aus dem XII. Jhd. Auctor denuo edit fragmentum Menaei e graeco in palaeoslavicum versi, saec. XII. scriptum cui adiecit analysin grammaticam; est in assumptionem Deiparae.

Bessarione a. 1905 fasc. 84—86. A. Palmieri O. S. A.: Le riforme et le nuove aspirationi della chiesa Russo-ortodossa nel 1905. — Studia rerum ecclesiae orthodoxae russicae emendendarum anno 1905.

Hierarchia ecclesiastica scit, ecclesiae russicae statum non convenire cum canonibus aut traditione. Metropolita Palladius († 1898): „Ubi est, inquit, ecclesia nostra? Ubi invenitur?..." (Novosti 1898 n. 341.) Metropolitae Russorum habere quidem titulum, sed nullam auctoritatem canonicam, scripsit Sokolov (Po povodu stati... Moskva 1871 p. 6). Studia s. synodi saeculo XVIII politica fuisse, scribit Zaozerskij (S sv. i prav. vlasti, Moskva 1891 p. 301 a), similiter Tiḫomirov iudicat. Sed res iam emendari incipiunt. Libertate religionis concessa initium factum est. Afferuntur ukazi (leges) caesarei et iudicatur de eis. Ecclesia russica cessavit tenere imperium absolutum. Auctor enarrat bona, quae ex his legibus fluunt pro catholicis: aedificari ecclesias, doceris religionem sermone patrio, condi monasteria, fieri conversiones, catholicos iam non vexari in docendo catechismo. Clerus russicus, exceptis „Cerk. Vědomosti", quae eduntur a s. synodo, approbat hanc libertem. „Bog. Věstnik" (1905 p. 402) ea superatam esse arbitratur legem barbarorum lege christiana. Afferuntur multa similia testimonia hominum illustrium, quae revera magnum animum et indulgentiam cleri russici erga dissentientes in rebus divinis demonstrant.

Afferuntur deinde et iudicantur opiniones prof. Krasnožen de libertate ecclesiastica (Cerk. Věd. 1905). Auctor multis docet eas minime liberales aut aequas esse.

Quo facto recensentur, opiniones de libertate conscientiae in Russia a Tolstoj, in Novyj Put, ab aliis prolatae, inter se plus minus oppositae, quae comparantur cum praeceptis catholicis.

Ceterum quidquid variae partes sentiunt, libertas reapse concessa et constituta est, et ecclesia russica gaudet de ea, praecipue etiam ex ea causa, quod ut ait Novoe Vremja (1905 n. 10), ecclesia russica desiit esse subdita reipublicae et institutum quoddam „politiae" spiritualis (duḫovnaja policija). — Lex libertatis conscientiae aliunde nota est.

Nro 85, p. 112—8: Il trentacinquesimo anniversario della Chiesa russa al Giapone. In Japonia sunt circiter 28.397 orthodixi (3000 in Tokio), 194 sacerdotes et diaconi (35 japonici), 147 catechistae, 178 ecclesiae, 4 scholae (Cerk. Věstn.). Optime de hac parte ecclesiae russicae Kasatkin meritus est, qui eo venit a 1861. Primus conversus fuit sacerdos quidam paganus, secundus medicus, amicus illius sacerdotis, et alius medicus, qui facti sunt sacerdotes. A. 1868 proclamata est libertas religiosa in Japonia et Kasatkin incepit ponere ibi organisationem ecclesiae russicae. Sacerdotes, qui ad propagandam doctrinam christianam eo mittebantur, accipiebant a s. synodo per annum 2000 rubl., pro domicilio 10.000 rubl. Anno 1891, quo ecclesia cathedralis consecrata est in honorem resurrectionis Jesu Christi, Nicolaus II. imperator venit legationis visendae causa.

E Russico in Japonicum versi sunt Makarij: Introductio in theolog. dogm.; E. Smirnov: Hist. eccles., pars III.; D. Sokolov: Nov. Testamentum: ep. Vissarion: De sanctitate connubii; et alia eiusdem scripta: in summa 17 libelli editi sunt. Praeterea editur singulis mensibus Uraniski et Seikeo Eova, bis in mense Seikeo Simpo. Ž.

Échos d'Orient. Revue bimestrielle de theologie, de droit canonique, de liturgie, d'archaeologie, d'histoire et de geographie orientales. 8e année. Juillet—Novembre 1905 (No 53—55). Rédaction: Mission de l'Assomption Constantinople Administration: Paris Rue Bayard 5. J. Bois: Le rite baptismal dans l'église gréco-russe (pag. 193—200). Auctor refert de erudito libro P. Staerk O. S. B. »Der Taufritus in der griechisch-russischen Kirche«

(1903) additque quasdam animadversiones proprias. — C. Magnin: Choses de Palestine jugées par un Russe (pg. 206—212). De censura minus benevola operis »La Palestine, guide historique et pratique« a professoribus de Notre-Dame de France Hierosolymis editi, quam in »Bogoslovskij Vjestnik« 1905 quidam anonymus G. L. A. publicavit. — J. Hamberger: La hierarchie de l'église russe en 1905 (pag. 226—232). Conspectus hierarchiae russicae; enumerantur metropolitae (numero 3), archiepiscopi (13), episcopi (47), exarcha Gruziensis cum quattuor vicariis; postremo: episcopi emeriti (16). Adiungitur: 1. conspectus membrorum s. synodi, 2. conspectus superiorum missionum in China, Japonia, Corea, Palaestina, Persia; 3. catalogus capellanorum, qui apud legationes russicas in terris externis constituti sunt (numero 27; inter quos etiam sacerdos russicus Pragensis occurrit: Nicolaus Nicolajevič Ryjkov). — Moskof: Les traductions bulgares du Nouveau Testament (pag. 274—280). Versio articuli bulgarice scripti et in »Bulgarska Sbirka« XII. (1905) publicati. Re initio saeculi XIX. a societate biblica russica infeliciter temptata prima versio N. T. demum a. 1828 in lucem prodiit operâ Petri Sapunov et Seraph. Iskizaharenin; alia versio, a Neophyta Rilski elaborata, edita est a. 1840. — V. Milovitch: La langue liturgique chez les Iougoslaves (294—298). Breviter exponitur controversia de usu linguae palaeoslavicae apud Slavos meridionales; praesertim refertur de deliberatione episcoporum illarum regionum a. 1905 Romae hac de re habita. — G. Bartas: A travers l'Orient gréco-slave« (Pag. 245: »Les écoles non orthodoxes en Bulgarie«, p. 246: »Au saint synode Bulgare«, p. 247: »La Société russe de Palestine«, p. 248: »Syriens et Russes en Amérique«, p. 249: »Russes et Nestoriens en Perse«, pag. 250: »Russes et Arméniens en Russie«, »Russes et Polonais«, »Les réformes religieuses en Russie«). — Idem: »Les Grecs en face des Roumains et des Russes« (pag. 305 sq.: »Le patriarcat oecuménique et le Saint-Synode russe«). — Idem: »Dans l'église gréco-slave« (p. 363: »La liberté de conscience en Russie«, p. 365: »Congrès sacerdotal de Sophia«, p. 370: »En Vieille Serbie«, p. 371: »La langue liturgique des Iougoslaves et le Phanar«).

Revue de l'Orient chrétien. 1905. Nr. 1—3. Paris, Libraire A. Picard et fils. N. Longueville: »Les biens de l'église arménienne, le divorce et le repos dominical en Russie, les massacres du Caucase« (pag. 318—325).

Revue Augustienne. Bulletin mensuel des maisons d'études des Augustins de l'Assomption. 4e année (1905). Nr. 7—12. Rédaction: Maison Saint-Augustin Louvain. Administration: Paris VIII. Rue Bayard 5. Liévin Baurain: »Notes de theologie russe«: »L'Encyclopédie théologique orthodoxe« (pag. 39—45; auctor ostendit, opus hoc multis vitiis laborare [cfr. Litt. slav. I., 119]; ad extremum haec scripsit: »En résumé, cette Encyclopédie est l'oeuvre d'une école, de l'école synodiste, école qui a longtemps régné et imposé ses idées dans les Séminaires et les Académies ecclésiastiques jusqu'à ce jour. Il est temps que le parti patriarchiste sorte de l'obscurité, où les sévères répressions de la censure le reléguaient forcément,et qu'il ramène la théologie dans des voies plus en rapport avec la doctrine des livres symboliques de l'Église orthodoxe«) »L'état actuel de la théologie« (pag. 45—48); afferuntur testimonia theologorum Russorum M. V. Zavitneviè in »Cerkovnyj Vèstnik« 1905 No 14 et M. Ponomarev in »Hristianskoje Čtenie« 1905 p. 715 de tristissima conditione, in qua scientia theologica apud Russos versatur; Ponomarev conqueritur de multis plagiatoribus, qui e litteraturis extraneis — reticentes nomina auctorum — tractatus suos exscribunt et aliena gloriantur sapientia. — Articles signalés: Revues russes (»Tserkovnoy Viedomosti« pag. 477, »Voprosy žizni« pag. 479).

Byzantinische Zeitschrift. Unter Mitwirkung zahlreicher Fachgenossen herausgegeben von Karl Krumbacher. XIV. Band (1905), 3. und 4. Heft, Leipzig. B. G. Teubner. In parte inscripta »Bibliographische Notizen und kleinere Mitteilungen« pag. 699 mentio fit etiam nostri periodici »Slavorum litterae theologicae«.

MISCELLANEA.

Abbé Gust. Morel †. Vir unionis studiosissimus Gustavus Morel 11 Augusti huius anni vita decessit apud Homjakov, filium celeberrimi in Russia scriptoris ecclesiastici (in gub. Tulsk). In ipso itinere, quo iam tertium Russiam peragrabat materiam colligens, unde magnum opus de ecclesia Russiae effingeret, morte oppressus est. Praeter ingenuum eius animum etiam vis et acrimonia laudatur. Cf. Revue Catholique des Eglises II 1905 (Oct.) 489—506.

Joannes de Kronstadt. — Die 12. decembris celebravit iubilaeum Joannes de Kronstadt, parochus ecclesiae s. Andreae in Kronstadt. Nomen eius per totam Rossiam illustrissimum est. Natus est a. 1829 patre sacerdote, sacerdos factus a. 1855. Adolescens multum aegrotabat, ingenii fuit valde debilis. Decem annos natus, cum mitteretur in scholam praeparatoriam seminarii, vix litteras didicerat. Progressus eius fuit admodum mediocris, qua de re magno dolore afficiebatur. Sed precum, quae iam tunc deliciae eius erant, solatio utebatur. Vel noctu surgebat multumque temporis precationi vacabat. Et Deus venit ei auxilio. Aliquando, cum omnes iam dormirent, Joannes, afflictus et demissus, quod parum proficeret in litteris, surrexit, in genu procubuit, Deo supplicabat. Nescio, scribit ipse, quantum temporis ita fervidius Deum invocaverim, sed subito quendam motum in corde sensi — ab animo tanquam ab oculis caligine dispulsa plus cernere mihi videbar. Gaudium ingens inde percepi. — Ex hoc tempore maiorem habebat processum in litteris. Finitis seminarii studiis missus est Petropolim in academiam; laudatur amor eius studii theologici. Sacerdos factus est 12. Dec. 1855 in titulum ecclesiae s. Andreae in Kronstadt. Cum primum ecclesiam, quae renovata pulchritudine mirifice resplendebat, intraret, admiratione captus est: hanc eandem ecclesiam eodem splendore ornatam ante 15 annos in somno viderat, eundemque ikonostas (murum cum porta, dividentem altare ab ecclesia) cuius porta se procedentem tum conspexerat.

Munere sacerdotali nihil ei erat amicius; quo fungens mediator inter populum et Deum sibi videbatur. Ideoque et cum Deo, et cum homlnibus frequenti usu et consuetudine coniungere se statuit. Internae vitae maximeque precationi quam maxime studebat; legem amoris erga Deum et homines summam regulam vitae sumpsit.

Ex diario, in quo diligenter notabat omnes pugnas internae, vitae patet, eum in dies maiores progressus fecisse in caritate et gratia. Maxime vero excellens exstitit arte precandi. Ea se omnibus corruptelarum illecebris victorem restitisse, omnibus discriminibus perfunctum esse fatetur; inde acrimoniam quoque ac fortitudinem suam manare. Eadem precandi arte ad se allicit atque attrahit omnium animos. Plus quam 80.000 fidelium consuluerunt eum uno anno de variis necessitatibus. Tota Russia creditur de maxima vi eius precationis, quae admiranda est. Quotidie accipit sescenta telegrammata et epistolas, quibus deprecatio eius flagitatur. Multi fideles iique nobilissimi, nihil magni incipiunt, nisi prius benedictionem eius acceperint.

Ioannes non vivit sibi, sed Deo et hominibus. Sacrificium facit quotidie, quae res in Russia insolita est. — Prius perlegit omnia „stihiri et kanoni“ (quae cum nostro breviario comparare possumus), admodum longa, et tum demum accedit ad liturgiam pie celebrandam. Post liturgiam peregrinis sui copiam dat et Petropolim proficiscitur, ut in domibus, in quas vocatus fuit, precetur. Vespere revertitur, reversusque legit litteras allatas. Reliquum tempus ducit precationibus, praeparatione ad orationes sacras, scriptione diarii. Memorabilis hic liber celebratur omnium sermone; schola devotionis

appellatur, in qua Ioannes loquatur de rebus divinis non sicuti homo, sed sicut propheta, cui Deus intimas rationes vitae et fidei et gratiae revelaverit.

Orationes habet ad populum fere in quavis liturgia: nonnullae typis exscribuntur. Movent altitudine devotionis ac divinae scientiae et ardenti studio gloriae Dei. Per 25 annos erat magister in gymnasio, in quo munere eminebat amore et pietate

Eleemosynas distribuit innumeras. Si quisquam in Russia, Ioannes de religione est praeclare meritus. Prosequuntur eum veneratione, qua multos sanctos non prosequuntur. Nemo mirabitur, si de eo res mirabiles et miraculosae narrantur. Scriptor harum litterarum de multis miraculis audivit ex hominibus eruditis, nobilibus, severis. Etiam catholici, immo sacerdotes cum veneratione loquuntur de eo.

„Dušepoleznoe čtenie“ 1904 octob. 310 s. affert quaedam ex autobiographia venerabilis Joannis de Kronstadt. Fortasse placebit narratio, quomodo ex ignoto parocho evaserit vir auctoritate pollens tota Russia. Vos, fratres, inquit, cogitatis in animo, quomodo pervenerim ad audaciam proficiscendi per totam Russiam, precandi pro tanto numero hominum, qui id a me petunt. Hanc fortasse quispiam dixerit superbiam Sed equidem, fratres, non auderem tantum opus, nisi desuper vocatus essem. Quidam morbo correptus est. Petierunt meam deprecationem. Nunquam recusare consuevi quicquam eiusmodi. Coepi precari, commendavi Deo aegrotum, peto, ut fiat de eo voluntas Dei. Praeter exspectationem venit femina quaedam, quam diu noveram. Erat femina plena fidei, pia, vitamque agebat vere christianam. Venit et insistit petere, ut pro aegroto non aliter precer nisi ut sanitatem recipiat. Bene memini, quantus terror mihi tunc inciderit. Quanta temeritas, quomodo poteram tali modo precari! Sed femina firmiter credit de vi deprecationis meae. Tunc professus sum coram Deo vilitatem et improbitatem meam et supplicavi pro aegroto, ut sanus fieret, quia eam voluntatem Dei esse cognoscebam. Et Deus aegroto gratiam dedit et sanavit eum. Ego gratias egi bonitati Eius.

Cum alias idem factum esset, cognovi eam esse voluntatem divinam et statui pro omnibus deprecari, qui id petiissent.

De mea vita interna dicere possum, me perstare in sequenda illa regula: Nosce te ipsum. Eà vita mea continetur. Cognoscens meipsum cognosco omnem debilitatem meam et maneo modestus. Omne bonum, quod facio, gratia divina facio: a me sunt omnia, quae mala sunt. Me ipsum habeo minimum et nequissimum omnium sacerdotum, quia si alii gratias et dona haberent, quae Deus mihi dat, multo plus boni facerent.

Vitae, quam asceticam vocant, non vaco: Ne putetis, me velle dicere quicquam non vulgare. Si vitae asceticae vacarem, fortasse plus boni facerem. Sed munus meum non permittit mihi, ut sim asceta. Lego etiam acta diurna, et doleo saepe de tempore amisso et de hoc, quod continetur in eis. Sed quod nunquam omitto, canones sunt in singulos dies assignati. Hac lectione didici vitam religiosam“.

† Ivan Tkalčić. Auctor eximii libri, cuius in hoc fasciculo brevem censuram fecimus, „Slavensko Bogoslužje u Hrvatskoj“, 11. Maii 1905 e vita excessit. Magnus ille glagolismi admirator multos annos in historicis documentis de glagolitica liturgia in Croatia conquirendis consumpsit. Multa et pretiosa scripsit, maxime in „Katolički List“; multaque documenta historica edidit (Monumenta historica episcopatus Zagrebiensis 1873—4). Cf. Archiv f. slav. Philologie XXVII. (4. H.) 633.

† P. A Syrku. Mense Iulio anni elapsi defunctus est doctissimus auctor libri „Istorija hristianstva v Bolgarii do knjazja Borisa i kreščenie bolgarskago naroda“. 1889.

In transscribendis litteris Russorum immutationem parvam faciendam esse statuimus; ь exprimemus — sequentes Brugmann — signo'. X scribemus ḫ, more philologorum linguarum semiticarum.

Slavorum litterae theologicae.
Conspectus periodicus.

Dirigentibus
Dr. Jos. Tumpach, Dr. Ant. Podlaha, Ad. Špaldák, Pragae.
J. Urban, Cracoviae. Dr. Luc. Jelić, Jadrae.

Annus II. (1906) Pragae Bohemorum. Nr. 2.

BOHEMICA.

Eug. Kadeřávek, **Morálka filosofická** (č. 45, podíl Dědictví sv. Prokopa v Praze za rok 1905). — (**Philosophia moralis,** auctore *Eug. Kadeřávek,* Th. Dr., prof. theol. fac. boh. em.). Pragae, sumptibus „Hereditatis s. Procopii". — Typis typogr. Cyrillo-Meth. V. Kotrba. 8⁰. I.—II. p. pagg. 367. — Cum Appr. Ord. — Pretium 6 Cor.

Praemissa definitione „Philosophiae moralis", prout communiter traditur, „recta vitae humanae institutio e principiis rationis derivata", — dividit auctor totam institutionem in duas partes principales:

I. Generalem, seu de principiis morum in genere, quam subdividit iuxta causarum species in 5 capita: 1. de ultimo hominis fine (causa finalis), 2. de actionibus liberis hominis (causa materialis), 3. de honestate seu moralitate actionis (causa formalis), 4. de lege (causa exemplaris), 5. de habitibus et virtutibus, qui sunt effectus actionum honestarum et complementum causae efficientis, voluntatis liberae (pp. 6—132).

II. Specialem, seu de specialibus officiis hominis cum hisce subdivisionibus: 1. officia, quae sunt cuiuslibet hominis propria ex eo solum, quod homo est et cum aliis constituit societatem generis humani, cuius supremus et immediatus rector — Deus est (pagg. 136—193). 2. de officiis quae ad societatem domesticam spectant (pp. 222—232). 3. de officiis, quae ad societatem civilem spectant (pp. 233—304). 4. De officiis inter diversas societates civiles (de iure gentium) (pp. 304—321). Logice sequi haec deberet pars quinta de relatione inter societates civiles et societatem religiosam (Ecclesiam), quam partem auctor presse terens vestigia V. Cathrein S. J. (Moralphilosophie, Freiburg, Herder) subordinat sub parte tertia supra recensita. —

Haec divisio aeque commendatur rei natura atque auctoritate. Rei natura imitatur metaphysicae divisionem naturalem in partem generalem de ente in genere, quam excipit pars specialis, de entibus concretis: de homine, mundo et Deo. A pari facta est divisio Philosophiae moralis. — Auctoritate iam Aristotelis (Ethica) haec divisio commendatur, cum non multum, quoad rem, differat a divisione Philosophiae moralis in monasticam (individualem), oeconomicam et politicam.

Auctores scholastici eandem divisionem habent, etiam recentiores, quos auctor allegat et sequitur, imprimis Cathrein iam nominatus supra, Costa-Rossetti S. I. Philosophia moralis. Oeniponte, sumpt. Fel. Rauch, Liberatore, Th. Meyer, Iust. iur. nat. (Philos. Lac.) et aa., qui rei studiosis, satis commendari non possunt, quippe qui praeclarum S. Thomae (Summae theol. secundae partis) systema adoptent et necessitatibus nostrae aetatis, ex liberalismo et socialismo natis, accommodent. — Ni fallor cl. auctor operis „Morálka filosofická" — hosce fructus laboris „philosophiae perennis", sub forma linguae bohemicae, etiam iis carpendos offerre voluit, ad quos sub forma alia non pervenissent. —

Labor iste sane laude eo dignior, quo difficilior. Neminem enim, ad quos liber pervenerit, latet, terminologiam latinam, usu tot saeculorum in scholis excusam, difficillime in lingua bohemica accurate verti. — Insuper laborem sibi auctor ipse sine necessitate auxisse videtur, dum etiam illos terminos latinos vertere conatur, quos linguae modernae adoptant proprios e. g. „všebožci" pro pantheisté: „hmotaři" pro materialisté: „příčina látková vel údobná" pro — materielní vel formální; „zákon stanovný" positivní etc. —

Aliae versiones videntur esse et rei significandae et genio linguae bohemicae minus adaequatae e. g. „dobrota a zloba" úkonu („Gutheit u. Bosheit" d. Handlung); „držebnosť" pro lat. „habitus" etc.

De forma exteriori etiam illud notandum esse videtur, quod materia tractanda, quoad rem quidem optime divisa, sed in decursu tractatus neque paragraphis neque numeris satis distincta ob oculos ponitur et saepe continua serie rerum lectorem fatigat.

Quoad rem ipsam, seu veritates philosophiae moralis bohemice traditas, iam laudavimus intentionem cl. auctoris, de litteratura scientifica bohemica bene meriti. — Nihilominus aliis forte magis arrideret, si fundamenta philosophica totius ordinis moralis exponerentur intensius, per modum dissertationum de ultimis eiusdem ordinis principiis, a deterministis materialisticis et pantheisticis negatis vel in dubium vocatis. Extensio enim „Philosophiae moralis" ad universa hominis officia, fundamentis dictis maiore usque intensitate firmandis videtur obesse. Praeclarum huius laboris exemplum mihi quidem esse videtur in opere Dr. C. Gutberlet, „Ethik u. Religion", Grundlegung der religiösen u. Kritik der unabhängigen Sittlichkeit (Münster, Aschendorff). —

Quicunque, hisce principiis innixus, de vita recte instituenda accurate instrui desiderat, opera moralia theologica e. g. s. Alphonsi adibit, a quibus Philosophia indirecte saltem lumen mutuavit. —

Quae modo animadvertimus, ipse et auctor, finito suo opere persensisse videtur, dum supplemento duplici (pp. 325—361) complere studet, quae in opere desiderat.

Supplemento primo correctum esse videtur, quod in opere de moralitatis et obligationis nec non iuris definitione eiusque relatione ad moralitatem et obligationem, minus recte vel saltem non satis clare dictum non nemo dixerit.

Pag. 107. quaestio de correlatione iuris et obligationis aliter erit solvenda, si ius et obligationem in eodem subiecto esse supponitur, atque aliter, si ius in subiecto uno, obligatio in termino a subiecto distincto reperitur. —

Pag. 142 sqq. accuratius distinguendum erat officium hominis cultus interni et externi absolutum ab officio voti et iuramenti tantum hypothetico. Neque nexus voti cum oratione ibidem exhibitus neque sacrificii notio satisfacit. Notio sacrificii, ut symbolica expressio agnitionis supremi Dei dominii et, in hypothesi peccati, — vicaria hominis substitutio victimae —, utpote cum essentia religionis nexa, clarius exponenda erat.

Pag. 334 nulla vel saltem non satis clara apparet distinctio facienda inter „moralitatem" actionis humanae et obligationem eiusdem. Sicut conceptus utriusque ita ultima quoque utriusque principia differunt. Moralitatis norma proxime in convenientia actionis humanae cum dignitate naturae rationalis hominis, remote in convenientia cum essentia Divina, fundamento et archetypo omnis bonitatis sita est. Obligationis moralis principium positum est in nexu necessario, in quo reperitur actio obligatoria cum ultimo hominis fine. Obligamur ad ponendam vel omittendam actionem aliquam, ne simus *a)* infelices et *b)* ne simus rei reatu inordinationis et insubordinationis erga Deum nostrum Creatorem ideoque Dominum et nostrum finem. — Moralitas latius patet quam obligatio: omnis enim actio obligatoria moralis esse debet, sed non omnis actio moralis obligatoria est.

Attamen pauci hi defectus non valent minuere operis laudati pretium. Sacerdotes, curam animarum agentes, nec non cetera membra hereditatis s. Procopii — grato suscipient animo tale annuae distributionis donum. Quicunque tandem veritatis studio librum perlegerit, intelliget, non solum in credendis sed etiam in agendis rationem revelationi non adversari sed solida praebere fundamenta ut credere, sperare Deumque amare possimus. Dr. *Kordač.*

Dr. *Fr. X. Kryštůfek,* c. k. dvorní rada atd., **Protestantství v Čechách až do bitvy Bělohorské** (1517—1620). **(De protestantismo in regno Bohemiae usque ad cladem in Monte Albo.)** P. 436.

Opus exhibet systematicam descriptionem conditionis, quae in rebus religionis eisque adiunctis rebus politicis in regno Bohemiae currente saec. XVI. et ineunte aevo XVII. usque ad annum 1620 vigebat.

Auctor ingrediens laborem praemittit depictam humum bohemicam utraquismo et unione fratrum bohemorum facillimam aditu redditam ad spargenda semina protestantismi.

Progressus lutheranismi eiusque certamina potestatis, religionis, terrae confecto utraquismo obtinendae, cultusque calvinismus in unione fratrum ad electum Fridericum „regem" ducens constituunt cardinalem partem operis.

Oculum auctoris haud fugit conditio ecclesiae, catholicae, cuius reformatio concilio Tridentino celebrato, sede archiepiscopali Pragae

restituta. ordine S. J. inducto coepit et tam laetos fructus edidit, ut iam medio aevo XVI. ecclesia quoad disciplinam et ordinem primatum in Bohemia teneret.

Auctor habet propriam methodum, quae haud favet poëticis reflexionibus, res diversas inter se nectentibus, sed simpliciter narrat, singula tamen eaque gravia facta accurate perspiciens.

Quae nota characteristica praesertim in depingendis novissimis temporibus rebellionis protestantium praestantissime elucet.

V. Roudnický.

Dr. *Jos. Kachník,* **Práce.** Úvahy ethicko-sociální. (**Labor.** Considerationes ethico-sociales) Pragae. Hlasy katolického spolku tiskového. 1906.

Opusculum 107 paginarum in 16⁰ plus continet, quam simplex, collectiva vox „Labor" promittit, nam latiori orbi lectorum, cui destinatur, parvus quidem, sed securus dux in vasto pelago quaestionis socialis certissime erit. In 22 capitibus, quorum quodlibet iam tota litteratura pollet, auctor totidem selectas gravissimas materias sociales et oeconomicas tractat, accurate adhaerens morali catholicae et probatis auctoribus, praecipue notissimae encyclicae „Rerum novarum", qua prouti fodina quadam utitur. Novissimis argumentis statisticis demonstrat moralem, socialem, oeconomicam miseriam societatis huius temporis et communia remedia indicat. Ratione habita lectorum, superfluam suburram statisticam et philosophicam negligit, retinens ea sola, quae ad demonstrationem omnino necessaria sunt; nam nil est longius a consilio scriptoris huius disiunctum, quam componere quandam scientificam sociologiam: scribit indoctis et hoc propositum ante oculos haberi oportet.

Persuasum ei est, nullam socialem reformationem feliciter eventuram esse, nisi in revelata religione nitatur, quae quamquam nulla est oeconomia nationalis, tamen mensura est omnis reformationis socialis eiusque utilitatis atque opportunitatis.

In primis 8 capitibus loquitur de capitalismo, diebus festis religiose agendis et ordini sociali inimicissimo, et de vitiis huius aetatis praecipue de nimia omnium rerum cupiditate et luxu, quibus solummodo labor precibus sanctificatus et rationabilis parsimonia mederi possunt. Minoris momenti revera non sunt capitula sequentia, (cp. 9—15.) quorum argumentum est miseria operarii huius temporis. Inscriptio capitum non quadrat semper ad argumentum (cf. cp., quod inscribitur labor et cura pauperum, vel labor et intermissio laboris — strike —), nec vastissimae materiae aliquot paginis exhauriri possunt, sed mera adumbratione instructio legentium, quae a scriptore intenta est, obtinetur.

Plane socialis argumenti sunt capita (16—18.), quibus de labore liberorum et feminarum ac de matrimonio agitur. Tristissima imago exhibetur novi cultus humani, legum ineptarum, iniuriae acerbitatisque liberalismi et capitalismi.

Ultimorum quattuor capitum argumentum sunt quaestiones potius oeconomicae: quaestio agraria, condicio operariorum (nonnulla consilia, quae ad mentem dris. Ebenhoch afferuntur, vix ad vitam communem

adduci possunt), capitalismus, qui polypodis instar omnia arripit et quasi manus mortua tenet. Capitalismus est omnis quaestionis socialis caput et ruina societatis, cui occurrere possunt tantum associationes singulorum ordinum, sui iuris, per civitatem institutae, innixae rationibus religiosis, cuius rei lucida exempla praebet status catholicorum in Germania.

En saluberrima revera lectio popularis, parvus quidam catechismus socialis, continens in nuce totam quaestionem socialem, argumento et forma etiam indoctis patens: velim tantum, ut frequenter ab illis legatur, quibus est destinatus. Dr. *Soldát.*

Dr. *Rich. Špaček,* **Božství Ježíše Krista (De Iesu Christi divinitate).** Apologetická dogmatická úvaha. Pragae 1906 (V. Kotrba) p. 144. Pretium 1·30 K.

In praefatione exponitur de theologis protestantibus, maxime A. Harnack, Christum Deum esse negantibus, eumque somniantem ac vaticinantem fuisse existimantibus et religionis christianae fundamenta evertentibus: ubi praeter protestantium scripta etiam catholica, quibus Christi natura divina defenditur, afferuntur. Capite I. vera esse, quae in 4 evangeliis, praecipue in quarto, narrantur, docetur, Straussii et Harnackii sententias a doctrinae legibus abhorrere proditur; hac ratione fontium, unde argumenta sumuntur, auctoritas et fides probatur. Capite II. ex evangeliis et epistolis apost. demonstratur 1. Christum divinis praeditum fuisse virtutibus, divina vi, natura, et divinum cultum ad eum pertinuisse. 2. Christum unicum et verum Dei Filium esse, 3. Christum expresse Deum appellatum esse, 4. vaticiniis et miraculis effici Christum esse Deum. Capite III. Christi divina natura ex antiquae ecclesiae documentis conicitur: et capite IV. de eiusdem rei testibus non christianis agitur. In epilogo mentio fit argumenti ex nominis christiani usque ad ɔɔɐɥ tempora perpetuitate et Christi vi per tot saecula illibata.

Omni scriptorum novissimorum genere excusso — et negantium et defendentium — Dr. Špaček, theologiae dogmaticae Olomucii professor, apologiam divinae Christi naturae composuit, qua legentibus vera doctrina omnino persuadetur quaque dubitationes omnes tolluntur. Argumentis usus est iis, quae a catholicis theologis admittuntur, eaque clare et accurate proposuit. Adversarios, imprimis Harnack, docte et commode refutavit. Itaque gaudio excipimus eius librum, praesertim cum eiusmodi apologia in praesens maxime opus sit — erroribus contrariis etiam Bohemiam invadentibus.

Ut a multis legatur optamus; quodsi denuo edatur, auctor sum, ut quaedam partes augeantur ac perficiantur: de vaticiniis V. T. divinam Christi naturam significantibus, de vaticiniis et miraculis ipsius Christi, de doctrinae eius effectu, de relativa divinae eius naturae necessitate. Praeterea quae ab aliis huc spectantia scripta sunt, afferri potuerunt. Quibus notis libri auctoritatem minime detractare in animo est.

Prof. Dr. *Eug. Kadeřávek.*

Hlídka 1905.

Dr. *Josef Samsour*: Inkvisice (De inquisitione), p. 122, 212, 302, 379, 470, 544, 619, 685, 764, 841, 933.

Ecclesiae est, fidei integritatem conservare, fideles in via recta dirigere, errantes Deo placare, in errore perseverantes prius mediis mitibus, dein etiam poenis ad contritionem movere, obduratos — uti societati periculosos — excludere. Apostoli (s. Paulus: Hymenaeus et Alexander I. Tim 1) eorumque discipuli eodem modo fidei unitatem defendebant. Ecclesia sese poenis spiritualibus continuit. Imperatores baptizati, haeresim facinus civile, utpote impetum in amplissimam civium possessionem factum, utpote facinus contra societatem humanam patratum (Cod. Theod. XVI., 5.), perduellionem contra maiestatem divinam commissam declaraverunt eamque iurium civilium iactura, confiscatione bonorum, exilio, aliquoties etiam morte puniebant. Quae constitutiones cum iure Romano in alias terras (Angliam Hispaniam) propagatae sunt. Ius haereticos impugnandi ss. Patres agnoscebant eorumque lemmata ceu normae aevo medio valebant. —

In I. parte historica inquisitionis evolutio describitur. Tempore procedente potestas ecclesiastica et civilis variis edictis haeresium propagationem prohibebat (v. gr. in synodo Veronae MCLXXXIV. celebrata Lucius III. et Fridericus Barbarossa). Id temporis etiam inquisitio episcopalis instituta est — episcopus quotannis visitare et haereticos punire tenebatur. Anno MCXXV. statutum est, omnes a iudicibus ecclesiasticis condemnatos magistratibus civilibus ad poenas dandas tradi oportere. Constitutione Friderici II. a. MCCXXXVIII. Cremonae publicata, totum imperium spectante, haereticis mortis poena decreta est.

In secunda parte institutum inquisitionis papalis pertractatur. Iudicia agebant inquisitores vel postea eorum vicarii. Ab iis exposcebatur »ut sint cauti, cautelarii, periti, prudentes«. Accusatos examinabant et iudicium ferebant. Potestas eorum coërcitiva consistebat in excomunicatione, interdicto, suspensione statuendis. Eligebantur a papa aut ab huius legatis (plerumque praepositis ordinum s. Dominici et s. Francisci); postea a collegio cardinalium pro negotiis inquisitionis.

Acta iudiciaria scribebant notarii. Inquisitoribus consiliarii (assessores), theologiae, iuris profani et ecclesiastici periti, addicti sunt. Executores officii (bedelii) reos persequebantur, in vincula coniciebant, eosque producebant. Dein erant custodes principales, quorum erat »omnem diligentiam et sollicitudinem quam potuerunt fideliter adhibere«; receptores bonorum publicatorum; bona confiscata erant rei publicae, vel ecclesiae vel utriusque communiter. Sequester res usque ad processum rei finitum custodiebat. —

Sumptus in magistratus nutriendos faciebant principes profani, ab a. 1285 etiam episcopi; mox poenae pecuniariae adhibitae sunt, quae cum cautionibus elapsis proprios proventus magistratuum efficiebant. —

Materia anno 1906 porro tractatur.

Frant. Vacek: Legenda Kristianova (De Christiani legenda), p. 102—7, 223—8, 295—301, 367—373.

Quattuor ultimis annis non negligenda exorta est lis de aetate legendae »De vita s. Ludmilae et Venceslai, quae Christiano adscribitur. — Vacek pergit demonstrare legendam hancce ad summum e saeculo XII. originem ducere, neque esse — uti multi opinantur — antiquissimum annalem Bohemicum. —

Probat, Christianum materiam e Slavico synaxario hausisse (scriptum de s. Ludmila e saeculo XI. a monachis Sazaviensibus confectum nominamus) licet ab hoc, aliis fontibus fretus, nonnullis locis deflexerit. —

Cosmas, qui suos annales intra a. 1110—1125 scripsit, legendam hanc non adducit, neque citat, quamquam ei occasio persaepe offerebatur (in mentione de Bořivoji baptismo facienda). Si legenda ineunte saeculo XII. extitisset, certo eam adhibuisset. Opus a Cosma citatum: »Vita

vel passio s. Venceslai martyris« ille legendam Gumpoldi autumat, uti ex argumento et dicendi modo luculenter patet.

Sententiarum verborumque Cosmae cum Christiano similitudo inde provenit, quod Chr-us contraxit et simul contorsit narrationem Cosmae. Auctor pro demonstratione 12 locos similes citat.

Conclusio igitur demonstrationis est: »Legenda est liber apocryphus post saeculum X. conscriptus; nam Christianus noverat narrationem de s. Venceslao »Oportet nos« e saeculo XI.; noverat synaxarion e saeculo XI. (ut supra diximus), quod Cosmae († 1125) notum haud erat; noverat legendam Damiani († 1072) de s. Romualdo, legendam Hartwigi de s. Stephano rege (ex exeunte XI. vel ineunte XII. saeculo).

Non potuit igitur conscribi ante a. 1142.

J. Oliva: Textově kritické pochybnosti proti východisku nynější kritiky Pentateuchu. (Critici textus dubia contra caput, e quo praesens Pentateuchi critica exorta est. (Secundum Joh. Dahse in Archiv für Religionswschft.) p. 30—34.

Fons, e quo recentior Pentateuchi critica emanat, est hypothesis Astruc-i, ante 150 annos proposita: in Genesi duplicem expressionem nominis Dei Jahve et Elohim esse signum diversorum scriptorum. Superstruitur supposito, in massoretico textu hebraico quem nunc habemus (M) nomina Dei integra conservata esse; cum autem suppositum hoc erroneum sit, id quod comparatione versionum biblicarum demonstratur et cum neque historia criticae huius puncti sententias congruentes exhibeat — Ilgen Hupfeld duos fontes elohisticos agnoscit; Steuernagel etiam hos dividit; Holzinger declarat diversum nomen Dei diverso tempore a variis scholis introductum esse — divisio fontium secundum Dei nomina nullum prorsus pretium habet. *Mužný.*

Časopis katolického duchovenstva 1905.

Dr. Fr. Bulla: O zřízení církve Kristovy za prvních dob. (De constitutione ecclesiae Christi primis temporibus).

A) Agitur imprimis de apostolis (513—521.): Initio proponitur A. Harnack sententia, apostolatum non fuisse magistratum cum certa potestate, sed praestantiam apostolorum constitisse tantum in auctoritate laboribus propriis acquisita. Propterea nomen apostoli non est proprium duodecim illorum discipulorum, sed latius patet; quodsi hi duodecim tamen emineant, id electioni suae per ipsum Iesum debent.

In hac doctrina reprobanda auctor et positive et negative progreditur: 1. Positive: Duodecim apostoli fungebantur munere, quod appellatur »missio«, uti patet e multis locis S. Scripturae (Ioan. 20, 21. Luc. 10, 16. Matth. 10, 5.). Propositum missionis erat coniungere homines cum Deo (Ioan. 17, 18—20.), idem igitur, quod Iesu Christi propositum erat (Ioan. 13, 16.). Ad id assequendum Christus apostolis potestatem magisterii (Marc. 16, 15.), ministerii (Luc. 22, 19.) et regiminis (Mat. 18, 18.) commisit, qua potestate apostoli revera utebantur. Iidem ea habebant, quae s. Paulus ab apostolici muneris administratoribus postulat. Quae sunt: a) doctrina accepta ab ipso Iesu, b) munus a Iesu mandatum, c) praedicatio per orbem.

2. Negative: Quae Harnack opponit nihil valent; nam apud s. Paulum, Lucam, Barnabam, in Pastore Hermae, in Didache alii homines apostoli nominantur sensu improprio propter aliquam ex illis rationibus (Cf. Zeitschrift f. kathol. Theologie 1905 p. 256—9).

B) Quod ad clericos et laicos attinet (674—685): Cum Harnack, praeter apostolos in ecclesia nascente in magno honore etiam prophetas et magistros fuisse putet, quorum partes procedente tempore pastores susceperunt, qui episcopi et clerici appellabantur et qui divinitus munus delatum sibi esse volebant, quod reapse ab hominibus profectum erat, Bulla contra demonstrat apostolos potestatem suam

adiutoribus commisisse sive peregrinantibus, diaconis (Tit. 1, 5.), sive sedem stabilem et domicilium habentibus in civitatibus (Colos. 1, 7.), etiam collegiis, quorum erat doctrinam conservare, sacramenta dispensare, moribus subditorum invigilare (Philip. 1, 1.). Praecipue commemorantur talia collegia sub titulo »seniorum« in epistola s. Clementis ad Corinthios. Frustra provocat Harnack ad Pastorem Hermae, quem dicit esse epistolam polemicam pro auctoritate prophetarum contra presbyteros. Nam prophetae etsi ad totam ecclesiam missi auctoritatem magistrorum non habebant; nam etiam mulieres prophetabant.

C) Episcoporum, prosbyterorum, diaconorum (826 - 830) triplex potestas ecclesiastica clare in S. Scriptura apud s. Lucam 21, 25. et in s. Pauli ratione agendi modo praecipientis, modo monentis, modo sentientis cum subditis expressa est. In collegiis seniorum non erant omnes pares. Defuerunt soli »termini technici«. Quos nunc episcopos appellamus, eorum munus ante an. 67. apostoli, post an. 67. discipuli collegiis circumdati gerebant. Constans vocabulorum varios gradus exprimentium usus occurrit nobis primum idque vocabuli »διάκονος« in I. Tim. 3, 8; 10, 12, deinde vocum episcoporum et presbyterorum in epistolis s. Ignatii.

Dr. R. Špaček: Rozum a učení o nejsv. Trojici. (De rationis ad doctrinam de ss. Trinitate relatione)

Nulla est ratio reiciendi mysterium ss. Trinitatis ob id solum, quod unice obiectum fidei est; si enim vel fides humana non est irrationabilis, multo minus fides divina sive imperfecta, e rebus creatis mente hausta, sive perfectior in A. T., sive perfectissima, quam per Filium habemus.

Fidem de ss. Trinitate divinam esse demonstrant verba Gabrielis ad Mariam, baptismus in Iordane, apostolorum potestas baptizandi, promissio Sp. s., aequalitas Filii cum Patre testante Filio, quam doctrinam Petrus, Paulus, quodam modo et Ioannes (in »commate«) docuerunt et patres incipiente s. Polycarpo tradebant

Credendum est, cum a limitatis illimitata sciri non possint, cum solus Filius noverit Patrem et solus Pater Filium, cum hoc mysterium inter augustissima, quae sunt, numeretur mysteria.

Sed tamen in primis Scholastici ratione hoc mysterium illustrare conati sunt. Filius intellectu gignitur, Spiritus halitu, actu voluntatis, charitate ex Patre et Filio procedit secundum verba s. scripturae.

Hac fide ratio illustrata progredi potest, imagines et vestigia adducens. — Illustrandum est porro ex cohaerentia mysteriorum inter se nec non cum fine hominis ultimo — Completur cognitio haec per gratiam intellectum illuminantem. Ratio elevatur interna Dei etsi partialiter cognoscens, voluntas beatitudinem futuram quodam modo possidet. Manet tamen ratio limitata. Rationi nimis indulgentes erraverunt Lullus, Günther, nova quaedam Schell intulit. Etsi mysterium hoc sit supra rationem, non est contra rationem, quod moderni Schoppenhauer, D. F. Strauss, Harnack, Hegel dicunt.

BULGARICA.

Cъrkoven Vĕstnik nr. 50—52 a. 1905; nr. 1—6, a 1906.

In fine a. 1905 et initio a. 1906. inventio sepulchri et reliquiarum ultimi Bulgariae patriarchae Euthymii (qui a Bulgaris ut sanctus colitur — cf. Sl. l. th. I., 170) omnium animos occupavit. In monasterio bulgarico Bačkovo hegumenos (igumen) P. Paisius sepulchrum patr. Euthymii invenit, id quod statim ad »s. Synodum« bulgaricum rettulit.

Nr. 50. — Relatio de sepulchro ac reliquiis s. patriarchae Euthymii, pg. 589—594 Specialis »commissio« (archimandrita Neofit, theol. magister monachus Grigorij et prof. V. N. Zlatarski) a »s. synodo« missa, mense decembri a. 1905 in monasterium

Bačkovo pervenit, sepulchrum Euthymii effodit omniaque obiecta historica collegit ac perscrutavit. Super sepulchrum inventa est tabula plumbea cum inscriptione veteroslavica: S. reliquiae Euthymii archiepiscopi urbis Trnovo ac Bulgarorum patriarchae. — Litterae ad marginem a. 1404, quo Euthymius obiit, significant; aliae eorum significationes incertae sunt.

Dr. St. Cankov, De sepulchro patr. Euthymii invento eiusque ad nationem atque ecclesiam bulgaricam momento (pg. 596—597).

Nr. 51 - 52. — V. N. Zlatarski, De inscriptione in patr. Euthymii sepulchro inventa (pg. 603). Accurata inscriptionis descriptio ac declaratio; ad calcem imago (»facsimile«) inscriptionis adnexa est.

A. 1906. nr. 1—6.

Nr. 1—2. — G., Zadačata na duhovnata literatura (De litterarum theologicarum munere) pg. 1—3. — Inter populum bulgaricum, vix a iugo Turcorum liberatum (a. 1877) iam ex Europa occidentali proposita seditiosa fundamentorum societatis humanae evertendorum invehi coepta sunt; quibus populus in ipsa iuvenili aetate historicae regenerationis suae in rebus politicis, oeconomicis et religiosis iam corruptus est. Unde acerrimum infaustumque partium studium, perturbatio, aliaeque sequelae tristissimae. Tempus est maximum, ut litteratura spiritualis ac theologica increscat atque inter populum eruditosque divulgari incipiat ad populum instaurandum atque salvandum. Litteratura theologica scientifica eiusque in forma populari divulgatio necessariae sunt. Quapropter omnes eruditi, imprimis theologi, quibus patriae salus cordi est, vires suas in unum conferant ad litteras theologicas promovendas (Cf. Sl. l. th. I. [1905], 52; 239).

V. N. Zlatarski, De Euthymio, patriaracha pg. 4 - 8. — Ex eis, quae sepulcrum Euthymii patriarchae inventum, tractant, multa, cum ad scientiam ac doctrinam careant momento, omittimus. Scriptor hic historiam Euthymii patr. revera bene cognitam habet. Omnia effata sua ex documentis ac fontibus historicis haurit ac probat (optime de patr. Euthymio tractat amplum opus historici russ. Syrku, Vremja i žizn' patr. Evthimija 1899). Dolendum vero est hanc commentationem nimis »polemice« scriptam esse.

I. Makarij, Quomodo litterae theologicae russicae de veterocatholicis iudicent nr. 4—6. (Hac de quaestione Sl. l. th. saepe iam rettulerunt). *G. R.*

CROATICA.

„List dubrovačke biskupije“

Tempore dioecesanae synodi diebus 22. 23. 24. octobris anni 1900. ab episcopo Iosepho dr. Marcelič Ragusii habitae, unanimi voto praesentes ab Episcopo petierunt, ut ex usu cleri maxime illius dioecesis quam primum, si fieri posset, initium fieret periodicae publicationis rerum, quae ad negotia ecclesiastica et pro opportunitate etiam earum, quae ad doctrinam spectant. Eiusmodi publicatio menstrua sub nomine »List dubrovačke biskupije« revera coepta est ineunte anno 1901, cuius cura P. U. dr Talija mandata est.

Praeter bibliographicas, historicas notas, censuras librorum, aliaque clero in cura animarum versanti utilia, quattuor annis hae commentationes editae sunt:

1. P. U. dr. Talija, Kršćanska demokracija i Lev XIII. Democratia christiana et Leo XIII. Elucubratio haec commentarium in encycl. Leonis XIII. »De re oeconomica« est. Fundamenta, quibus democratiae socialis doctrina innititur, examini subiciuntur ac refelluntur.

2. V. Medini, O španjolskoj inkviziciji. De inquisitione in Hispania. Iniuriâ Romanae Sedi abusus inquisitionis in Hispania

identidem crimini dari auctoritate potissimum nonnullorum historicorum protestantium, qui, minus partium studiosi, id et agnoscere et fateri sunt compulsi, ostenditur.

3. P. K. Tadin, Pozitivizam i racionalizam. De positivismo et rationalismo commentatio nondum ad finem perducta. Fugaci percurrit cursu rationalismum et positivismum recentioris temporis. Ardua problemata, quae viro serio solvenda occurrunt, positivismum et racionalismum nec solvere nec solvere posse demonstrat, quin immo animum anxietatibus replere, qui in cognitione purae veritatis quiescere tantum potest.

4. P. U. Talija, O Amerikanismu. De Americanismo. Summatim hic exponit doctrinam nomine Americanismi appellatam, quae in America a P. I. Hecker profecta est. Fatetur, P. Hecker optimum fortasse propositum habuisse, ut veram religionem aversantes ad sinum Ecclesiae revocaret, sed vehementer in via ineunda errasse, quippe quae ad neganda dogmata Ecclesiae recto ducat tramite. Praecipue hoc demonstrat formula, quam Fonsgrive pro convertendis ad ecclesiam proposuit, explicata: »Dans la discussion avec les dissidents, ne parlez donc pas de choses, qui ils ne peuvent vous accorder«.

5. P. U. dr. Talija, Quid mihi et tibi mulier (Ioan. 2, 4.) Allatis variis interpretationibus, quas a vero remotiores esse iudicat, verba »τί ἐμοὶ καὶ σοί« esse hebraismum מה־לי ולך dicit et reddenda esse verbis »quid vis, quid optas a me.« Hoc ex co pluribus locis V. T. demonstrat.

6. P. U. Talija, Neke misli o reformi bogoslovnih studija. Quaedam de studio theologiae amplificando et corrigendo.

Professores theologiae nimio praelectionum numero sunt onerati. Hoc impedit maxime, quominus in palaestra litteraria vires adhibere, ingenia exercere queant. Aut igitur professorum numerus in institutis theologicis augendus, aut »cursus« qui vocantur abolendi. Prior res propter rationes omnibus notas, non videtur eventura esse; quapropter posterior procuretur, id quod nullo modo studentium in studiis profectum praepediet

Ad quaestionem, utrum extensive an intesive reformanda sint studia theologica, rationibus pro utraque sententia allatis et expensis mediam tenet viam: utraque ratione procedendum esse; quod fieri posse, modo ea in singulis disciplinis quae in praesens minus utilia videntur omittantur aut contrahantur. Studia philosophica maxime a sacerdotibus sunt colenda, ideo in unoquoque theologico seminario specialis cathedra philosophiae, seiuncta omnino a theologia fundamentali et speciali sit oportet. Inter alias res ad studia alenda et adiuvanda ingeniumque iuvenum exercendum aptas commendat »seminaria« quae dicuntur et imprimis disceptationes theologicas. Linguam latinam immerito e studiis theologicis submoveri queritur; quippe cognitio progressuum, quos variae nationes in litteris theologicis faciunt difficilior redditur. Lingua latina iam diu mortua nullius nationis linguam vivam in discrimen amplius vocare potest.

7. P. U. Talija, »Senior Electae et natis eius«. Hic »Electam« Ioannis II ep. 1, 1 non esse nomen personae, sed ecclesiae ex contextu probare conatur. Quaenam fuerit, certo constare negat.

8. P. U. Talija, »Et dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum«. Discrepantiam inter Matthaeum, qui c. 27, 34 dicit »vinum cum felle mixtum«, et Marcum, qui c. 15, 23 vocat »vinum myrrhatum« componere vult. Interpretem Matthaei, qui in textu transferendo legit המאמר erravisse dicit et interpretatum esse ὄξος μετὰ χολῆς quod legendum erat cum jod, המריא מר et reddendum verbis »vinum myrrhatum« quae leguntur apud Marcum.

9. P. U. Talija, O religioznim i socijalnim idejama Leona Tolstoji. De sententiis religiosis et socialibus Leonis Tolstoj.

Doctrinam L. T. ex operibus philosophicis (imprimis »Vera vita«) collectam et ad rationem summatim revocatam quattuor thesibus exponit et refutat. Th. 1a. Problema, quod sibi Tolstoj solvendum proposuit, iam pridem religio christiana solvit. 2a. Falsum est, quod Tolstoj asseverat, fore ut religio christiana doctrinae progressui cedat. 3. Doctrina a Tolstoj in opere »Vera vita« exposita est doctrina quodam modo pantheistica, quam humana conscientia, ad quam Tolstoj ipse saepe provocat, evertit funditus. 4. »Vera vita« L. Tolstoj ethices basim pessumdat, humanitatem illa partiali felicitate, quam in hoc mundo capere potest, privatam relinquit.

10. P. U. Talija, O Religiji razmatranja De religione meditationes. In meditationibus philosophicis et veterum et recentiorum philosophorum doctrina de origine religionis exponitur et examini subicitur.

11. P. U. Talija, Biblija i Babilonija Biblija et Babylon. Sunt notae criticae ad opus Delitzsch »Babel und Bibel«.

12. N. Jeričević. Svécenik na propovijedvonici Sacerdos praeco verbi Dei. Quomodo sese gerere debeat sacerdos in verbi Dei praedicatione exponitur.

13. N. Gjivanovič, Najnovije odredbe sv. oca Pija X. u pogledu crkvene glazbe. Novissima praecepta Pii X. de musica.

14. P. U. Talija, Religija Japanaca. Japonensium religio. Historicae vicissitudines religionis apud Japonicas gentes, nec non partes theoretica, practica, liturgica Sintoismi, religionis propriae illius nationis, exponuntur.

Nonnulla, quae ad historiam dioeceseos spectant, A. can. Liepopili, V. Taljeran, N. Gjivanovič, quae ad ius civile et ecclesiasticum pertinent, M. can. Rajicević et M. can. Bodulić foras dederunt. — *a*

„Vrhbosna“ katoličkoj prosvjeti. Dirigente Dr. Ioanne Šarić. Sarajevo 1905. Nr. 11—15.

Jedinstvo Crkava — De ecclesiarum unione, sermo Arsenii II., abbatis Grottaferratensis, habitus in Vaticano coram Papa 28. Ianuarii 1904. Opus unionis difficillimum est, sed propterea non est deserendum et omnia sunt tentanda. Difficultas praecipua in eo consistit, quod in praxi non discernitur, quod suum habet ecclesia occidentalis proprium et id, quod est ecclesiae communis. Ecclesia communis est catholica secundum institutionem Ss. Salvatoris. Ecclesia communis non est latina neque graeca neque syriaca neque armenica, sed omnia omnibus est. Primis temporibus in basilica Lateranensi sacerdotes latini in resurrectionis festivitate addebant etiam hymnum graecum. Sedem apostolicam cum latini, tum graeci papae obtinebant. In basilica Vaticana sublevant sedem s. Petri duo doctores ecclesiae latinae et duo ecclesiae graecae. Cum papa sollemniter s. liturgiam peragit assistunt ei praeter latinos et sacerdotes graeci ex abbatia grottaferatensi; epistola atque evangelium graece decantantur. Necesse est id effici, ut Orientales confidere nobis incipiant. Graeca abbatia supradicta proxime Romam condita est tempore dissolutionis utriusque et adhaesit Occidenti usque ad nostra tempora. Albani duce Skenderberg contra Turcas pugnantes, victi sunt et in Italiam inferiorem venerunt; adhuc 60.000 eorum ibi manserunt, quibus abbatia sacerdotes graeci ritus procurat. Pontifices magna diligentia hoc monasterium observabant.

Pape i Hrvati — Papae et Croati. Dr. Franc. Binički egregium opus secundum fontes primos conditum de historia ecclesiastica Croatorum sub Martino V., Eugenio IV., Nicolao V., Calixto III., Pio II., Sixto IV., Innocente VIII. et Alexandro VI. perficere pergit. (Nr. 11. 13). — *Fr. H. Žundálek.*

Katolički List. Dirigente dr. Josepho Pazman. Zagrabiae 1905. Nr. 24—35.

M. Stepinac pergit in commentatione sua »O drevnom dogadjaju nove misli« exponere de possibilitate poenae unius peccati per saecula durantis (num. 24—27.) In num. 30—34. scriptor se defendit a »Narodne Novine«, »Narodna Obrana«, »Pokret« et »Obzor«.

Prof. Dr. H. pl. (de) Mihalovich: Obrazloženje članka »Nova vjeronaučna osnova za hrvatske srednje škole« Explicatio articuli »Nova divisio doctrinae religiosae pro mediis scholis croaticis«. Auctor hanc divisionem praefert: I. classis: Historia biblica Veteris Testamenti, II. cl.: Historia biblica Novi Testamenti, in utraque classe repetitio catechismi magni pro IV. classe ludi. III. cl.: Liturgica et catechismus. IV. cl.: Catechismus magnus pro scholis mediis. V. cl.: Dogmatica, VI. cl.: Theologia moralis, VII. Historia ecclesiastica, VIII. Apologetica; in V—VIII. classe repetitio catechismi pro scholis mediis. Nemo potest negare hanc viam educationis religiosae naturalem esse et multa secundum eius causam afferri posse. *Fr. H. Žundálek.*

POLONICA.

Ks. Władysław Szczepański T. J., **Nowy Indeks książek zakazanych, oraz jego uzasadnienie, dzieje i nowe prawo.** Rzecz o nowym Indeksie i komentarz do konstytucyi Leona XIII.: „Officiorum ac munerum". Kraków 1903. 8-vo. str. XX. + 388. **(Novus Index librorum prohibitorum, eiusque demonstratio, historia, novaque lex.** Tractatus de novo Indice necnon commentarius in constitutionem Leonis XIII.: „Officiorum ac munerum" Cracoviae 1903, in 8-vo, pg. XX. et 388).

Liber hic occasione bullae „Officiorum ac munerum", editae a SSmo Dmno Leone XIII. a. 1897 scriptus est. Auctor, notus iam ex articulis de „Indice" scriptis in variis periodicis foliis pergrande opus aggressus est, quod et feliciter ad finem perduxit.

Totius operis scopus est omnes, tum venerabilem Clerum tum homines saeculares excultos, ad cognitionem novae legis, de Indice latae, adducere. — Totum opus in duas dispescitur partes, unam dogmatico-historicam, alteram iuridico-moralem, quarum prima alteri fundamentum praebet.

En synopsis totius operis: Lectio librorum malorum, ethnicorum quoque sententiis, iam lege naturae prohibetur; idem vetat animum a periculo, quod a lectione id genus librorum imminet, tuendi ac servandi officium. Lex naturae confirmatur lege divina. Huic legi adimplendae advigilat Ecclesia, custos omnis legis divinae et auctorizata eius interpres atque magistra. Deinde (cap. V.) auctor docet rationes adversariorum, quibus nituntur demonstrare, legem Indicis obesse culturae, evolutioni litteraturae etc., omnino futiles esse atque inanes. Denique subiungit auctor historiam atque evolutionem totius Indicis. Quae sequitur uberrima (fere 300 paginis contenta) explicatio iuridico-moralis constitutionis Leoninae. Et primum quidem in generales quaestiones, h. e. finem novae legis, discrimen a vetere lege, sanctionem eius, obligationem etc. inquirit auctor, deinde ipsius constitutionis verba (singulas bullae paragraphos) affert, atque diligentissime discutit. In unoquoque puncto advertit,

quid novi afferat constitutio Leonina, demonstrat in quantum mitior sit haec constitutio, inquirit rem tum iuridice tum moraliter, denique attingit omnes quaestiones affines, etiam ad casuisticam potius spectantes.

Sub finem operis, quod maximi emolumenti illud reddit, addidit auctor tria supplementa. In primo concinne enumerat, quales libri, qualia folia periodica aut folia volantia, a quibus et sub quibus poenis legi prohibeantur. In secundo: qui libri aut quae folia periodica approbatione Romani Pontificis, quaeque Episcopi tantum approbatione indigeant. In tertio enumerat alphabetico ordine omnes libros, qui hucusque nominatim a Romano Pontifice prohibiti sunt.

Subiunguntur duo indices: nominum omnium auctorum et personarum, quarum in decursu libri mentio fit, atque totius materiae, quae in libro tractatur.

Accedit, quod nec technicas artes typographicas auctor neglexit, ut faciliore modo liber consuli posset, non solum variorum typorum usu, sed insuper distincta numeratione in margine posita: diligentissimo quoque cum studio collegit litteraturam de Indice atque in adnotationibus quam accuratissime plurimos citavit auctores.

Ex his patet compositionem operis talem esse, ut non solum serio studio inserviat, sed etiam quavis data occasione, in quocunque dubio consuli possit; itaque unicuique, saltem sacerdoti, ad manum esse debeat. *C. Konopka.*

Ex periodicis, quae anno 1905 edebantur.

Kwartalnik theologiczny editur Varsoviae sub directione R. D. Antonii Szaniawski quater in anno fasciculis circiter 200 pag. continentibus, cum appendice bibliographiae et criticae litterarum theologicarum destinato; pretium subscriptionis 6 rub. Anno 1902 fundata publicatio haec ultimis temporibus multo serius, quam oportebat, edebatur idque bis tantum per annum libellis duplicatis. Recentissimus, qui editus est, libellus primum anni elapsi spatium semestre spectat. Articuli in ipso contenti sunt:

Biskupi sufragani włocławscy (Episcopi suffraganei vladislaviensens) auctore St. Chodyński, p. 1—16. Auctor tractat de episcopis, qui auxiliares vocantur, quorum originem a chorepiscopis deducit. De auxiliaribus episcopis in Polonia primae mentiones habentur demum ex saeculo XIV. Ad dignitatem hanc initio regulares ut plurimum eligebantur; a saeculo XVI. assumi coepti sunt „suffraganei“ ex clero saeculari. In dioecesi vladislaviensi seu cuiaviensi suffraganeos eligebat ipse ordinarius loci. Anno 1500 ab episcopo statutum est, ut dignitas suffraganei in perpetuum annecteretur dignitati abbatiali in monasterio cisterciensium in Koronowo, quae tamen ordinatio consensum S. Sedis non obtinuit et unus tantum abbas in episcopum suffraganeum praeconizatus est. 17 suffraganei vladislavienses titulum episcopi margaritensis i. p. i. portabant. Deinde describuntur fundationes et proventus beneficii dignitati huic adiuncti. (Rel. sequ.)

Ks. Wł. Dębicki: O celowości w przyrodzie, p. 17—32, refert opiniones physiologi Caroli Richet de finalitate in natura rerum.

Ks. dr. Fr. Gabryl affert duas philosophicas dissertationes: Analiza aktu przypominania sobie (Analysis actus reminiscentiae) p. 33—56, et Realizm i Nominalizm w dziejach filozofii (Realismus et Nominalismus in historia philosophiae) p. 57—76. Initium huius ultimae dissertationis habetur in Kwartalnik a. 1903—1904.

Listy znakomitych mężow wieku XVI. (Epistolae illustrium virorum s. XVI.) p. 77—99, multa afferunt, quae historiam ecclesiasticam in Polonia illustrant.

Ks. S. B. Jednostajność w naszem nabożeństwie publicznem studyum liturgiczno-pasterskie (Uniformitas in publicis functionibus liturgicis, studium liturgico-practicum) p. 100—110.

Sequuntur aliquot verba p. 111—116 O tranzlokacyi księży (de translatione sacerdotum) cuiusdam X. A., qui praxim nimis crebrae translationis improbat. Quaestio haec magni est momenti in regno Poloniae, ubi fere omnes parochi sunt ad nutum episcopi amovibiles.

Ks. M. Godlewski: Siestrzeńcewicz i śmierć ojca Grubera, p. 117—121, affert nonnulla de morte p. Gruber praepositi generalis S. I. in Alba Russia et quomodo metropolita Siestrzeńcewicz, inimicus Societatis, in negotio electionis novi generalis se gesserit.

Ks. A. Szaniawski. Księga praw najstarsza w świecie Kodeks Hamurabiego (Liber legum antiquissimus: Codex regis Hammurabi) p. 122—132, exhibet initium textus in lingua originali (latinis characteribus) et in versione polonica. Praefatio A. Szaniawski videri potest in Kwartalnik a. 1903—1904.

Ks. Julian Gołąb: O tłómaczeniu Nowego Testamentu przez Ks. Jakóba Wujka (De versione Vujeckijana Novi Testamenti) p. 133—140; continuatur comparatio critica editionum polonicae versionis N. T. ex a. 1593, 1594, 1599, 1632.

Ks. L. Jarosiński: O godności stanu kapłańskiego, p. 141—167, continuat asceticam dissertationem de dignitate et officiis status sacerdotalis.

P. 168—185 continuatur polonica versio operum S. Ioannis a Cruce, per A. Szaniawski facta.

Ks. L. Janczak: Z dziejów klasztoru księży Trynitarzy w Orszy, p. 186—204, exhibet documenta, quae pertinent ad historiam monasterii Orszensis in Lithuania.

Ks. A. Szaniawski: Najnowsze odkrycia w teoryi budowy psalmów (Recentissimae observationes de theoria constructionis psalmorum) p. 205—248. Opus hoc, inceptum in Kwartalnik iam a. 1903, theoriae Zenneri innititur, eamque ulterius elaborat, difficultates quoque nonnullas solvit, quas dr. Zenner quomodo solveret non habebat. Hoc fasciculo exhibetur critica analysis psalmorum 65 et 66.

P. 249—256 (igitur per 8 paginas!) datur initium Dictionarii biblici: Słovnik biblijny wedle najnowszych wzorów francuskich, angielskich i niemieckich, ułożyd Ks. A. Szaniawski. Complectitur sex vocabula! Si quovis anno accipiemus 12 vocabula, numquid aliquis nostrum, ipso Componente minime excepto, finem huius Vocabularii se

visurum sperare potest? Miranda sane res! — Fasciculus clauditur bibliographicis notitiis tum de externis tum de polonicis libris ephemeridibusque theologicis. Valde dolendum, quod unica haec periodica publicatio „theologica“ in regno Poloniae ipsam theologiam vix aut ne vix quidem attingit.

Wiadomości Pasterskie singulis mensibus eduntur Petricoviae redigente R. P. Mariano Fulman. Pretium 4 rub. Annus 1905, qui erat huius publicationis primus, attulit tomum 812 pag. constantem. Wiadomości scopum exclusive practicum persequuntur: articuli pertinent ad casuisticam, liturgicam, catecheses, rem aestheticam, quaestiones sociales. Notandi sunt tamen aliquot articuli, qui ad studia scripturistica pertinent, licet non sint nisi compendiaria quaedam expositio nonnullarum propositionum, quae in tractatu dogmatico de Scriptura Sacra tractari solent.

Abel Nahbi (pseud.): W sprawie orzeczenia Soboru Trydenckiego o natchnieniu ksiąg św., p. 76—89. (Quaestio definitionis Concilii Trid. de inspiratione ss. librorum). Exponitur communis notio inspirationis, refutantur aliae notiones, declaratur, quid nomine „partium“ intelligi debeat, reicitur inspiratio verbalis.

Ks. A. Syski (videtur idem esse ac supra): W sprawie sprawdzianu natchnienia dla ksiąg Nowego Testamentu (Quaestio criterii inspirationis librorum N. T.), p. 490—501: resuscitatur theoria, secundum quam criterium inspirationis librorum N. T. est apostolica origo eorundem librorum (Cf. P. Joüon in Etudes 1904). Difficultatem ex Marco et Luca sic auctor solvit p. 500: „S. Marcus et Lucas personaliter quidem inspirati erant, nihilominus eorum inspiratio subiective erat condicionata et dependens. Ipsi facti sunt participes inspirationis relativae, i. e. huiusmodi et eatenus, quatenus tradunt vel, ut exactius dicamus, reproducunt, doctrinam apostolorum, et quatenus apostoli certos nos reddunt de „authentia“ illius immediatae relationis. Apostolorum inspiratio cum eorum charactere apostolico coniuncta est, inspiratio autem Marci et Lucae profluit ex eorum apostolicitate relativa, mediata, mutuata“.

Idem. Powaga biblii w rzeczach historycznych (Auctoritas Scripturae S. in rebus historicis) p. 758—763, ubi theoria p. Lagrange habetur infesta doctrinae de inspiratione.

Magnam attentionem meretur commentatio M. Fulman: Kapłan, książka i pióro (Sacerdos, liber, calamus) p. 357—383, in quo R. auctor inquirit in causas penuriae laborum in campo theologico in Polonia. Describitur tristis admodum status educationis catholici cleri sub dicione rossiaca. Seminaria dioecesana, ob indifferentiam ex parte saecularium et depressionem ex parte gubernii [1]), necessariis carent adiumentis.

---

[1]) Ad sustentationem omnium clericorum, professorum, bibliothecae etc. gubernium assignat quotannis 3000—4000 rub. pro uno seminario, unde evenit, ut professores v. c. accipiant annuum salarium 100—250 rub. et in bibliothecas nulli novi emantur libri. Omnia bona ecclesiastica fisco sunt adiecta. Nota ref.

Prae penuria gymnasiorum ad seminaria admittuntur alumni, qui vix 4 classes gymnasiales finiverunt. Per se patet coram auditoribus tam parum praeparatis nec philosophiam nec theologiam scientifice tractari posse. Insuper tum in seminariis tum in academia petropolitana methodi valde exoletae hucusque vigent, neque facile mutari possunt, cum omnis communicatio cum docto Occidente professoribus hucusque esset interdicta [2]). Exiguus numerus sacerdotum, qui insuper supra vires labore pastorali gravantur, et absentia omnis associationis, quae litteras theologicas promoveat, impossibilem reddunt progressum in litteratura theologica. Auctor multa media proponit ad seminaria reformanda educationemque cleri elevandam. Si quis occidentalis homo statum ecclesiae catholicae, imprimis scholarum ecclesiasticarum in Polonia russica, cognoscere cupiat, commentationem R. D. Fulman legere velit. —

Kronika Dyecezyi Przemyskiej, quae ab a. 1901 singulis mensibus editur, praeter res ex officio publicatas, ut decreta S. Sedis, ordinationes episcopales et casus pastoralis praxis, in parte litteris destinata ab initio coepit publicare historiam dioeceseos premisliensis ritus latini: Dzieje Dyecezyi Przemyskiej ob. łac., percurrendo chronologice singulos episcopos, qui hanc ecclesiam regebant. Anno proxime elapso descripta est historia, quae intervallum a. 1737—1786 spectat. Auctor chronicorum multis fontibus archivisticis, nondum editis, usus est. — Alia publicatio, quam commemorare liceat, est De visitationibus pastoralibus Ordinarii loci eiusque episcopi auxiliaris, ex qua status modernus ecclesiasticae vitae in illa dioecesi aliquatenus cognosci potest. — Inter dioeceses omnium Poloniae partium sola premisliensis est, quae proprias ephemerides dioecesanas habet. —

J. Urban.

Przegląd Kościelny editur Posnaniae ab a. 1902 singulis mensibus. Red. X. Stanisław Okoniewski; pretium subscriptionis 12 marcarum. Fasciculi 7—12 [3]) tomum VIII. efformant. In hoc tomo Ks. Arkadyusz Lisiecki ulterius communicat catalogum manuscriptorum, quae in bibliotheca seminarii dioecesani posnaniensis inveniuntur, p. 47. 117. — Ks. Czesław Meissner: Patronat kościelny w świetle powszechnego pruskiego prawa krajowego (De iure patronatus iuxta ius civile borussicum) reliquum, p. 38, 113, 209, 392, 474. — Ks. dr. Stanisław Trzeciak: Chrystus Pan a współcześni mu ludzie (Christus Dominus atque homines, qui eadem aetate fuerunt). Censura huius opusculi dabitur infra. — Insuper coeptae sunt publicari duae doctae dissertationes non parvi momenti, nimirum: Spór o pochodzenie gatunków (Controversia de ortu specierum) auctore dr. Casimiro Wais (p. 341, 446) et Kwestya unii Kościoła wschodniego z zachodnim na soborze konstanckim (De Unione eccle-

---

[2]) Sacerdotibus, qui extra fines Russiae cursum theologicum absolverant, non licebat cathedras in seminariis dioecesanis obtinere. Nota ref.

[3]) Cfr. nostrum periodicum 1905. 20. 58. 110.

siarum in Synodo Constantiensi) auctore Henrico Likowski (p. 510), quarum postquam finitae erunt rationem dabimus. β.

Przegląd Powszechny, Cracoviae; red. J. Pawelski S. I. Annus 1905 fasciculi 8—12 [4]). — W. Gostomski: Ostatnia mysl Włodzimierza Sołowiewa (Ultima idea Vladimiri Solov'ev) refert de eschatologicis opinionibus Solov'evii in eius libro: Tri razgovora expositis. — Ks. K. Czaykowski T. J.: Nowy komentarz do charakterystyki Hołowińskiego, refert de quodam diario manuscripto, quod multa continet, quae iuvant ad melius intellegendam activitatem archiepiscopi mohyleviensis Hołowiński († 1855 a.) eiusque habitudinem ad gubernium russicum. — Ks. J. Urban T. J.: Z najnowszego ruchu w łonie kościoła rosyjskiego (fasc. 9 et 12) refert de iis, quae recentiore tempore in vita ecclesiae russicae observantur. — Lucyan Rydel: Czy nie święta? (Nonne sancta?) Adhortatur nationem polonam, ut causam canonizationis Hedvigis, reginae Poloniae, uxoris Vladislai Jagiełło promovendam curet.

Idem, annus 1906 (editionis XXIII.), fasciculi 1—3, qui tomum 89. efformant. — Ks. arcybiskup Teodorowicz: Z audyencyi u Piusa X. w sprawie jego listu do Polski (Ex colloquio cum Pio papa X. in negotio eius litterarum encyclicarum ad Polonos) et J. Pawelski T. J.: Program papieski dla Polski zakordonowej (Programma papale pro Polonia russica), tractant de nuperrimis litteris encyclicis Pii papae X. ad Polonos, genuinam mentem Sanctissimi Domini, a nonnullis perverse intellectam, declarant, programma activitatis religiosae et socialis in ea Poloniae parte, quae Russiae est adnexa, adlineant. — J. Urban T. J.: Mikołaj Nieplujew i jego bractwa pracy (Nikolaus Nepluev eiusque fraternitates laboris). Refert de organizata per nobilem Nepluev in Parva Russia communitate christiana, quae ex mente institutoris primitivam ecclesiam hierosolymitanam cum eius communismo sociali repraesentare debet, initiumque ponere reformationi religioso-sociali totius ecclesiae et societatis russicae. Iudicat confraternitates a Nepluev introductas, quamvis vere christiano spiritu regantur et quoddam genus vitae religiosae exhibeant, illam tamen practicam utilitatem, quam institutor polliceatur, reformationi sociali afferre non posse, utpote quae ius privatae proprietatis iusto plus restringant et fere de medio tollant. — Ks. dr. Wł. Bandurski: Zbudźmy Jadwigę (Excitemus Hedvigem). Similiter ac Rydel negotium canonizationis Hedvigis reginae promovere cupit. —

Redactio huius periodici publicam inquisitionem (enquête) instituit de gravissimis operibus, quae catholicis in Polonia perficienda sunt. Hucusque apparuerunt 49 responsa. Suo tempore dabimus appretiationem totius inquisitionis. — β.

---

[4]) De prioribus vide nostr. period. 1905, 19. 58. 111.

RUSSICA.

I. Krestnikov, **Христіанскій апологетъ IIго вѣка, Аѳинскій философъ Аристидъ и его новооткрытыя сочиненія.** Казань 1904. (De christiano apologeta, Atheniensi philosopho, Aristide eiusque operibus recens inventis. Kazan' 1904). Ultimis praecedentis saeculi decenniis inter alia pretiosa documenta etiam Aristidis opera miro modo inventa sunt. Antea de Aristide praeter Eusebii et Hieronymi testimonia nihil omnino scivimus. Mechitaristae demum in bibliotheca monasterii s. Lazari Venetiis in codice ad a. 981. pertinenti armenicam apologiae versionem reppererunt; a. 1889. Bendel Harris syriacae versionis eiusdem apologiae inventione doctos perculit. Robinson vero a. 1891. nos iam dudum hanc apologiam in Vita Barlaam et Joasaph possidere ostendit.

At sua sponte quaestio oritur, num et quanam in recensione textum originalem habeamus. Prima quaestio nullam continet difficultatem, omnes enim recentiores eam, quam possidemus, apologiam, genuinum esse Aristidis Ath. foetum unanimiter consentiunt, difficilior vero altera quaestio videtur esse: alii enim aliter de ea loquuntur.

Krestnikov hasce opiniones in unum collectas proponens, quae sit vera vel saltem probabilior, inquirit, multisque in locis his testimoniis suum adicit calculum. Dupliciter autem dispescit totum suum opus: prima parte de apologia, secunda autem de homilia et fragmento Aristidi adscriptis diiudicat. In prima appendice proponit textum graecum, dein versionem russicam syriacae et armenicae recensionis, nec non russicam versionem homiliae et fragmenti; in secunda appendice de auctore ‚vitae Barlaam et Joasaph' disserit.

Apologiam esse genuinum Aristidis opus tum tres recensiones ab invicem independentes diversis in locis diversaque lingua compositae tum motivorum, quae aliud intenderent, absentia, clare demonstrant; nec auctores hac de re dissentiunt (p. 18.). Sed quanam in recensione originalis textus invenitur? Robinson textum ‚vitae Barlaam et Joasaph' insertum genuinum esse declarat, Harnack (Theol. Literaturzeitung. 1891) A(rmenicam) versionem parum fidum testem, S(yriacam) meliorem, G(raecam) satis fidum esse pronuntiat (p. 24. sqq.). Quae vero Raabe scripsit, nihil aliud nisi Harnack et Robinson confirmatio est. Haec tamen sententia, Zahn et Seeberg praeeuntibus (cf. Forschungen zur Geschichte d. Kanons V. p. 159—437), a multis derelicta est et quidem merito. Zahn et Seeberg autem syriacae versioni textum originalem adscripserunt (p. 28. sqq.). Mediam viam elegit E. Hennecke (Z. f. wissenschaft. Theol. Jahrg. 36, II.); secundum ipsum G fere ubique textum originalem retinuit, verum S quoad totius dispositionem (Anordnung des Ganzen) textu G melior est.

Krestnikov novam invenit viam. Verum criterium existimat posse esse solam versionem armenicam utpote tertiam: nam licet interna cuiusque versionis argumenta multum ponderis habeant, nimis tamen a subiectiva legentis persuasione dependent praesertim, si G et S, ut

harum fautores ipsi fatentur, variis in locis textum originalem minime intactum nobis conservarunt (p. 33. sqq.).

Sequenti autem ratione procedit: Ostensa trium harum versionum plena a se independentia A, S, G inter se comparat et cum in primis 2 capitibus A et S inter se conveniant, G multum differat, censet textum originalem haberi in A et S; et cum textus A solum duo capita ad nos pervenerint cumque ex altera parte mutationes in G huius insertione narrationi „vitae B. et Jo.“ limitatae esse videantur, ideo ubi indoles narrationis mutationem exigit, S textui G anteponendus est.

Imprimis autem advertendum videtur: textum A pertinere ad saec. V.; S vero non esse posterius quam 2. dimidio saec. VI. compositum: immo cum S codici tractatus didactico-practicos continenti insertus sit, impossibile esse censet auctor, ut compilator huius codicis ipse e Graeca lingua transtulerit, non versionem iam exsistentem suo codici inseruerit; hanc auctoris opinionem mala nominum Graecorum propriorum versio comprobat: ideo Krestnikov iam prius versionem illam adornatam esse et compilatorem ea usum esse concludit (p. 40. sq.). Dein de relatione A, G, S ad invicem auctor tractat. A et S esse a G independentes sequentia ostendunt: 1. A et S de attributis divinis in c. I. loquuntur, G breviter rem persolvit; 2. In A et S humanum genus quadrupliciter dividitur, in G tripliciter (c. II.); 3. idem genealogia docet; 4. G miram de singularum creaturarum destinatione sententiam in A et S contentam prorsus omittit. A esse a S independentem inter alia his demonstrat: *α*) A habet ‚*ἐν πνεύματι ἁγίῳ*‘ — S omisit: *β*) A habet *γενεαλογοῦνται*, S ‚religionem suam ducunt‘ vertit (p. 44. sqq.).

G non solum textum originalem abbreviavit, sed et apologiae constructionem mutavit (p. 48.). Cur autem hoc factum sit, auctor e narrationis, cui apologia nostra inserta est, indole, derivat. Conscriptor enim narrationis non magno talento nec phantasia pollens, e variis documentis suum opus compilavit. Inter alia, cum christianismi prae paganismo eminentiam ostendere vellet, apologia Aristidis usus est eamque ad totum narrationis characterem adaptavit. Revera autem tali modo narrationis auctorem processisse, Krestnikov, singula percurrendo, illustrat.

Iam primo capite G attributa Dei negativa cum eorum philosophica probatione, cum Nachor, qui hanc apologiam coram Indianorum rege recitabat, philosophiae graecae prorsus iguarus esset, simpliciter omisit. Sed maximam differentiam, quae inter A, S et G exsistit, humani generis partitio constituit. G totum hominum genus in gentes, iudaeos, christianos, dividit; e contra A, S in barbaros, graecos, iudaeos et christianos. Harnack et Hennecke primam (i. e. trifariam) genuinam esse contendentes triplicem maxime rationem urgent: *α)* hanc fuisse opinionem scriptorum saec. II[i]; *β)* divisionem hanc aliis esse clariorem; *γ)* quodnam sit fundamentum alius divisionis, utrum religio an natio, non constare (p. 57. sqq.). Krestnikov — in genere hac in re Seeberg sequens — quadruplicem partitionem defendens, hasce pro sua opinione rationes adducit: *α)* ‚vitae Barlaam et Joasaph‘ auctorem,

cum Graeco-Romani iudaeos et christianos barbaris adnumerarent, quadruplicis divisionis fundamentum ignorare; *β)* posteriore in capite mentionem de Aegyptiis, de quibus antea nihil dictum est, invenisse; *γ)* auctorum aliam divisionem apud coaevos videntem, vocem ‚barbari', quae temporis, in quo scribebat narrationem, circumstantiis minime conveniebat, omississe et sic, ut triplicem partitionem admitteret, coactum esse. Consequenter ad hanc partitionem genealogiam iudaeorum et christianorum in alium locum, ubi de his sermo est, remittit — graecorum autem genealogiam, quae nihil aliud erat nisi deorum enumeratio, de qua apologia infra loquitur et aegyptiorum, quorum genealogiam nesciebat, omittit. Bene Krestnikov, cur Aristides aliam quam sui temporis scriptores, partitionem admittat, explicat: christiani, inquit, sui a barbaris discriminis conscii, hoc discrimen gentilibus opponebant: id ipsum discrimen Aristides, cum humanum genus quadrupliciter dividit, prae oculis habet (p. 65 sqq.). E contra triplicis divisionis in quadruplicem mutationem vix ac ne vix quidem explicare valemus (p. 65. et 68.).

Nec magnam facessit difficultatem, quod S (c. XII.) de Aegyptiis, de quibus nullam prius mentionem fecit, loquitur; hoc enim Krestnikov omnino recte existimat ideo fecisse, ut in his ultimam errorum religiosorum periodum ostenderet (p. 74.). Quod philosophorum doctrinam de deorum cultu attinet, S textui G praeferendus videtur. S enim magis rerum veritati accedit, quando Graecorum philosophos affirmat, dum naturae deorum unitatem non negantes polytheismi cultum defendere vellent, sibi ipsis contradixisse (p. 77.).

De primis autem duobus capitibus inquisitionem sic concludit: „S (sicut et A) сохранилъ общую схему произведенія въ первоначалномъ видѣ и, за немногими исключеніями, нигдѣ не допускалъ сокращенія противъ подлинника; между тѣмъ G не только сократилъ содержаніе, но и измѣнилъ общую схему его" (p. 78.).

Quoad sequentia capita, ubi A non habetur, Krestnikov S et G ad invicem comparat. G c. XIV., quod de Iudaeis disserit, — stylus verbaque hoc in capite narrationi ‚vitae B. et J.' valde similia sunt, — mutavit; S vero Iudaeorum cultum reprimendo eos potius angelis quam Deo serviisse dicit (p. 81. sqq.).

In c. XV.—XVII., ubi de christianorum vita sermo est, S adeo vividis coloribus eam describit, ut in ea vitam christianorum saeculi II^i. depictam videamus: — G autem s u i temporis christianorum vitam describit (p. 83. sqq.).

In c. III.—XIII. G — paucis exceptis — textum originalem retinuit. Sed speciale hic observari potest. In aliis capitibus G abbreviator est, hic quaedam adiecit nempe de obiectis cultus religiosi apud Chaldaeos. Sententiam autem miram: de creaturarum destinatione in S interpolatam esse Krestnikov censet et quidem in ipso textu originali a lectore quodam (p. 91.).

Breviter: Krestnikov defendit A, S, G esse ab invicem independentes; quoad priora II capita A esse criterium pro S et G. De singulis vero haec habet: ‚vitae B. et J.' auctor licet, suae narrationi

apologiam inserens, eam abbreviaverit narrationique accomodaverit, tamen genuina verba expressionesque Aristidis conservavit et in christologia duabus vel tribus insertionibus contentus fuit (p. 96. sq.). S tamquam fide dignus testis haberi potest: in hac enim versione ne una quidem notio, quae Aristidis non sit propria, habetur; — in singulis tamen vocibus et expressionibus G textu syriaco fidelior est. Ideo ubi G et S consentiunt, G praebet nobis genuinum Aristidis textum, S vero fidelem, immo verbalem versionem. Ubi G et S differunt, ibi S primitivum continet sensum, G abbreviat, immo ad narrationis indolem, si opus est, accommodat (p. 100. sqq.).

Quod apologiae inscriptionem attinet, primam genuinam esse Krestnikov dicit, scilicet: *Αὐτοκράτορι Καίσαρι Ἀριστείδης φιλόσοφος Ἀθηναῖος*; — hanc enim Eusebius, Hieronymus, A, immo sub quodam respectu et S habent. Hieronymi et Eusebii testimonia fide digna esse duabus praesertim innixus rationibus demonstrat: *α*) Eusebius et Hieronymus apologiam apud multos exsistere testantur; *β*) Hieronymus per epitheta — quae apologiae de facto competere auctor ostendit — Aristidi addita ab Eusebio independentem sese prodit (p. 103 sqq.). Immo et apologiae argumentum circumstantiaeque in ea descriptae Hadriani potius quam Antonini temporibus conveniunt (p. 121. sqq.). Sed cum Hadriano Antoninus Pius successisset, christianus quidam — ipsum auctorem hoc fecisse probari non potest — Antonino Pio apologiam traditurus, secundam inscriptionem cum Antonini nomine composuit. Haec inscriptio in secunda redactione erat: *Αὐτοκράτορι Καίσαρι Τίτῳ (Αἰλίῳ) Ἀδριανῷ Ἀντονίνῳ Σεβαστῷ Εὐμενεῖ* (Harnack et Seeberg *εὐσεβεῖ*) *Μαρκιανὸς Ἀριστείδης φιλόσοφος Ἀθηναῖος* (pag. 125. sqq.).

Quod autem ipsam apologiam attinet, negari nequit „что она составлена очень искусно“ (p. 159). Aristides, apologiam edens, novam indicavit viam ad religionem christianam defendendam; in sua tamen de paganismo opinione ab aliis apologetis eo differt, quod fore, ut gentiles aliter de religione christiana sentiant, spem fovet.

Et licet apologia ex professo de dogmatibus non tractet, multos tamen fidei christianae articulos commemorat (cf. Bardenhewer, Patrologie [2], Freiburg, 1901. Quod ut ostendat, Krestnikov breviter doctrinam in apologia contentam colligit, symbolum, quod ex ea desumit, eo tempore probabiliter vigens adicit (p. 162. sq.).

Pro sacrae scripturae canone apologia non est magni valoris; sed cum ex una parte de evangelii apud christianos exsistentia (*τὸ παρ' αὐτοῖς λεγόμενον εὐαγγέλιον* c. II., de Christi vita) deque, *γραφαί* christianorum loquatur, et cum ex altera parte multis locis ad textus sacros allusionem faciat, neque hac in re apologia spernenda est (pag. 164 sqq.).

Qui apologiam Aristidis et epistolam ad Diognetum inter se diligenter comparaverit, ei sua sponte oborietur quaestio, sintne haec duo opera unius et eiusdem auctoris. Krestnikov hanc rem attingens Kihn, licet eius argumenta firma esse neget, assentitur; id autem ob triplicem rationem admittit: *α*) sententia de gentilibus in oppositione

ad alios apologetas eadem fere est atque in apologia Aristidis: β) Aristides sicut et auctor epistolae, licet Iudaeos ob monotheismum laudet, eorum tamen cultum eundem atque angelorum cultum esse dicit; γ) In epistola ad Diognetum sicut et in apologia expressae s. scripturae citationes non habentur, tantum allusiones: ideo cum summa verisimilitudine (et apologia et) epistola ad Diognetum Aristidi attribuenda est (p. 169 sqq.).

In secunda parte de homilia et fragmento (ex epistola ad philosophos) tractat. Nondum — ait auctor — de hisce duobus operibus diligenter inquisitum est. Eos, qui homiliam Aristidis opus esse negant (Himpel, Harnack etc.), голословно, безъ всякіхъ доказательствъ (sine ulla ratione) id facere dicit (p. 8. et 202.). Cum Zahn et Seeberg merito adnotat: improbabile esse, ut, si de opere supposititio ageretur, potius Aristidi, — qui aliis nequaquam illustrior erat nec ulli praeerat ecclesiae quam alicui alii adscriberetur. Immo internum argumentum, ex similitudine multiplici cum apologia ductum utriusque operis eundem auctorem esse suadet. Quam epistolam non esse scriptam posteriore tempore, i. e. IV. vel V. saeculo, cum nulla ad nestorianismum vel monophysitismum allusio habeatur, extra omne dubium ponitur. Ideo, si Aristidi eam adscripserimus, legitime procedemus (p. 203 sqq.).

Fragmenti autem authentia ab eo dependet, utrum armenicus „Liber testimoniorum", ex quo fragmentum hoc secundum Pappe desumptum est, spurios textus contineat necne (p. 214 sq.).

In prima appendice apologiae duplicem russicam versionem ex A et S petitam addito insuper textu graeco (G) nec non homiliae et fragmenti nobis versionem praebet. In adnotationibus, ubi recedit a textu, verbalem proponit versionem et differentiam textuum, si occurrit, adnotat. Si opus auctoris pervolvimus, confestim, quo emineat prae aliis, conspicimus. Imprimis aliorum studia conclusionesque breviter adnotat, et quidnam valeant, rationibus additis edicit et cuinam sententiae et quam ob rationem assentiendum esse videatur indicat.

Ab aliis autem differt in sententia de A, G, S ad invicem relatione nec non de apologiae inscriptione. Textus autem versionem quod attinet, animadversionibus ab aliis factis diligenter utebatur: in A transferendo praecipue versionem a Himpel (Theol. Quart. 1880. s. 109. sqq.) adornatam perlustrabat; relate ad G etiam russicos codices, qui — saltem partim — textui in Patr. Graec. t. 96. Migne similes sunt, respiciebat, Aristidis autem vitam ex apologiae doctrina aliisque in ea contentis indiciis breviter proponit (cf. p. 198 sq.).

M. Haluščynskij.

M. Popov, **„Арсеній Мацѣевичъ, митрополитъ Ростовскій и Ярославскій". (De Arsenio metropolita.)** С.-Петербургъ. 1905. (VII.+264+XXX.) 2 руб.

Cum de bonorum ecclesiasticorum in Russia saecularizatione vel de ‚s. synodi' canonica constitutione sermo occurrit, Arsenius Macěevič nequaquam praetermitti potest. Ideo, cur de ipso plurimi — praesertim ab a. 1862. — inquirant, nullo negotio patet. Alii tamen aliter de ipso sentiunt: quidam de eius persona quaestionem flocci faciunt: alii eum

temporis circumstantiis sese accommodare noluisse dicunt: alii denique — ad quos M. Popov pertinet — eum utpote eximium ac fortem episcopum, summis laudibus efferunt.

Arsenius, a. 1697. in Vladimir Volynskij natus, peractis in variis seminariis studiis, a. 1716. monachus factus est. Ipse natione Polonus fuit; in baptismo Alexandri nomen ei inditum est, — monachus factus Arsenius nominatus est. Ab a. 1718—26 in Academia Kioviensi studiis philosophicis et theologicis vacavit.

A. 1741. episcopus in Tobolsk designatus est. In iuramento suo consecrationis tempore emisso verba quaedam a regulamento Petri M. praescripta, cum praesidentis ‚s. synodi' auctoritate protegeretur, deliberate mutavit (p. 8); quod ei post 22 annos a nominata consecratione crimini versum est. Cum in suam dioecesim intrasset, clerum, qui nec eruditione nec moribus a vulgo differebat, sicut ex una parte reformare conabatur, ita ex altera parte ecclesiasticum privilegium fori omnibus viribus defendebat. (9 sqq.).

At iam 10. febr. 1742. Petropolim proficiscitur, ubi brevi post metropolita in Rostov et membrum ‚s. synodi' nominatur. Iuramentum tamen tamquam ‚s. synodi' membrum, cum in eo haec verba: „confiteor porro et iureiurando assevero supremum huiusce collegii (scilicet ‚synodi') iudicem esse ipsum totius Rossiae imperatorem" continerentur, emittere recusavit. Cum autem haec verba in alia — nempe Christum esse supremum iudicem — sicut ipse volebat, mutata essent, ipse iuramentum nec secundum hanc emendatam formam emittere voluit. Ideo imperatrice hisce de rebus certiore facta, in Rostov proficiscitur (p. 14). Cum autem synodus, cur in suis sessionibus ut membrum non appareret, interrogasset, Arsenius se huius omissionis causas imperatrici exposuisse respondit. Lis quidem in eum illata est, sed cum imperatrix et ‚s. synodi' praesidens pro ipso essent, eo finita est, quod nova iuramenti forma combusta est (p. 15 sq.).

Ep. Arsenius, sicut iuramentum ut membri synodalis requisitum ab ipso praestare neglexit, ita etiam ipsius synodi plenam independentiam, quantum in eius viribus erat, defendere studebat (p. 24).

Cum in Rostov advenisset, omnia reformare intendebat: ipse seminarium in Jaroslavl reorganizavit; contra eos, qui ‚raskolniki' vocantur, primus, rituali differentia ut re secundaria et accidentali praetermissa, de causa eorum separationis ab ecclesia orthodoxa tractavit eorumque opinionem Christi ecclesiam in terris disparuisse debellavit (p. 26). Eodem tempore reliquiarum s. Demetrii Rostoviensis inventio atque elevatio facta est; — de cuius sancti primis miraculis singularia quaedam narrantur (p. 46 sqq).

Maxime tamen Arsenius contra bonorum ecclesiasticorum saecularizationem pugnabat; id quod eius remotionem accivit. Licet iam saec. XIV. et XV. ecclesiam proprietatem possidere posse communiter idque explicite admissum sit, tamen tempore procedente, cum proceres populo imperare cuperent cumque populus ipse independentiam maiorem accipere desideraret, magis magisque hoc ecclesiae ius impugnari coeptum est. A. 1666 autem ecclesiae potestas possidendi quam maxime limitata

est: — ab hoc enim anno ecclesia nihil novi iam acquirere poterat; immo ipsa bonorum possessorum administratio variis modis circumscripta est (p. 66). Qua agendi ratione imprimis Petrus M. usus est, eius vero successores ipsius vestigia secuti sunt (p. 67). Qua de causa 18. Iulii a. 1726 „коллегія экономіи" (collegium oeconomicum) constitutum atque a. 1738. senatui subiectum est (cf. p. 68. 70).

Arsenius, neminem timens, vetera documenta, quae ecclesiae possessionem probabant, quaerebat eamque ecclesiae vindicabat (57 sqq). Collegio oeconomico praesertim se opposuit idque omnibus armis licitis oppugnabat, — verum, cum a nullo synodi membro iuvaretur, nihil ipse assequi potuit (p. 75). Id unum tantum effecit, ut imperatrix Elisabeth saecularizationis decretum subscribere recusaret („kak hotjat poslě moej smerti, a ja ne podpišu" (p. 81).

Aliter tamen Petrus III. (p. 84) et eius uxor Catharina II. sentiebant. Constituta ab ipsa a. 1762 „духовна коммиссія" (ecclesiastica commissio) cleri querelis satisfacere debuit. Optimates tamen et populus, fortiter sese hisce conatibus opponentes, saecularizationem, cui et ipsa Catharina favebat, obtinere conabantur (p. 94 et 100 sqq). Ep. Arsenius, ut hoc impediret, omnia tentabat: in ritu ex a. 1763. in dominica orthodoxiae bonorum ecclesiasticorum raptores anathemati tradidit (p. 105). At quid ipse solus efficere potuit? Collegium ecclesiasticum, quod 4 laicis et 3 episcopis constabat, unanimiter saecularizationem decrevit (p. 117 sqq).

Arsenius, ut ecclesiae proprietatem defenderet, duas epistolas sat graves et fortes, quae ruinae eius causa fuerunt — ad s. synodum mittere ausus est (cf. p. 125 sqq et 132 sq). Catharina imperatrix hac de re certior facta, ep. Arsenium non solum ut politicum transgressorem, sed etiam ut s. scripturae falsum interpretem iudicari iussit (129). Brevi post Arsenius a militibus captus in carcerem deductus est.

Synodus, imperatricis iram timens, ep. Arsenium ob epistolas ad synodum missas et ob ritum in dominica orthodoxiae mutatum removit et in monasterium 7. apr. a. 1763. includi iussit (p. 140 sqq). Id accidit ei, qui ecclesiae iura strenue defenderat.

Tunc autem temporis, cum omnes episcopi — praeter ep. Ambrosium (Зертисъ-Каменскій), qui perterritus obmutuit — imperatricis consiliis assentirentur, Catharina II. 26 febr. 1764. omnia bona ecclesiastica saecularizavit (cf. p. 175 et 153). Quae bona simili modo tractavit, ac saecularizatores tractare solent (cf. p. 236.): homines vero, qui prius sat liberi fuerant, durae servituti tradidit (p. 178: крѣпостная зависимость).

Ob dicta quaedam, quae Catharinae II. scelera videbantur esse, iterum lis instituta est: Arsenius etiam a monachatu remotus a. 1763. in castellum in Revel, ubi durius quam antea tractabatur, conclusus est. (p. 200 sqq., 214 sqq.. 225). Catharina II., odio Arsenii ducta, ad crimina, quae Arsenio a synodo et civili iudicio obiciebantur, nova addidit, alia autem auxit, immo etiam aliud nomen ei indidit: Andreas Vral eumque ut vilissimum plebeium dure tractari iussit (p. 226 sq., 228 sq.). Arsenius hisce miseriis obrutus, tandem 28. feb. 1772. ex hac vita decessit (p. 253).

Ut hoc modo Arsenium tractaret, synodus timore adducta est (p. 264).

Qua ep. Arsenii historia ante oculos habita iam multa facta illius temporis novam lucem accipiunt. Licet enim Russi quam maxime clament ‚synodum' regere ecclesiam rossiacam idque legitimum ecclesiae regimen esse, facta tamen aliud suadent. Quam auctoritatem imperator in rebus ecclesiasticis apud Russos habeat, hoc opus a Popov compositum, nos edocet (cf. 14 sqq., 77, 79, 86 sq., *120, 129, 144* sq., 168, 187 et passim). Etenim non solum in rebus politicis, quae ad eius forum pertinent, sed etiam in ecclesiasticis ipse, quidquid placet, agit: in synodum autem tales, qui regiminis desideriis liberales se praebent, deliguntur. Quae praxis etiam theoretice membrorum synodalium iuramento (imperatorem supremum iudicem essem synodi) comprobatur (cf. supra).

Quaedam denique de ipso cl. auctoris opere notanda sunt: imprimis, quinam internus Arsenii status et animi ingeniique indoles fuerit, quantum de homine iudicare licet — ex hoc opere non satis discimus. Deinde et prima et altera lis melius explicanda et evolvenda erat. Et quod maximum est, quae de synodi membris rebus in lite Arsenii gestis narrantur, nequaquam clare aut accurate perfecteque proposita sunt. Quibus tamen non obstantibus, et propter litteraturae copiam et propter ipsam compositionem, opus a Popov conscriptum, cum res narrata sane ad multos pertineat, etiam speciali attentione dignum videtur esse.

M. Haluščynskij.

N. Lipskij, **Психологическія основы умственнаго и религіозно-нравственнаго воспитанія въ дошкольный періодъ.** Нѣжинъ. 1905. **(Psychologica fundamenta rationalis et religioso-moralis educationis aetate scholam praecedente.)** Auctore *N. Lipskij*, sacerdote (orthod.). Nežin. 1905.

Finis huius libri est, explanare fundamenta bonae educationis. Quia vero, ut statim initio (p. 1.) auctor dicit, finis educationis est efficere in liberis ordinatam evolutionem tum physicarum virium, tum psychicarum facultatum, necesse est nosse has facultates et vires, legesque, quibus reguntur. Ideo fundamenta educationis in psychologia tamquam subsidiaria scientiae paedagogiae sunt quaerenda. Non vero in sola psychologia, si christiana educatio prae oculis habetur. Illius enim est non solum vires liberorum evolvere, sed evolvere eas ad certum finem, ad bonum, quale christiana religio intelligit.

Christianam religionem auctor semper prae oculis habens, rectam proponit in suo libro doctrinam de anima ut substantia spirituali, de mundo corporeo a nobis re distincto, de essentiali discrimine inter homines et bruta, de Deo, Ente absolute perfecto, infinito, a quo omnia pendent. Vitae psychicae, qualis in infantibus sese manifestat, copiosas adducit observationes. Pro educatione liberorum multas utilissimas proponit regulas semper ad religiosam eorum educationem respectum habens. Attamen in accuratiore philosophica explicatione vitae psychicae influxus modernae philosophiae apparet. Influxum hunc non esse rectum, ostendere volo ex comparatione cum sententiis philosophorum scholasticorum, quorum philosophicae explicationes magis consentaneae sunt veritatibus, quas auctor ceteroquin firmiter tenet. [Quia in hoc articulo brevitatis gratia solum viam, qua scholastica philosophia procedat et praecipuas huius viae rationes ostendere possum, commendo ad legendum: S. Thomae Aq. »Summa contra gentiles«. E scholasticis modernis: P. Ioan. Urráburu »Institutiones

philosophicae, quas Romae in pontif. universitate Greg. tradiderat. — Logica, Ontologia, Cosmologia, Psychologia 2 Tom., Theodicea (Valisoleti A. Cuesta), Dr. Kostantin Gutberlet: Der Mensch; Lehrbuch der Philosophie, Logik, Psychologie, Ethik, Allgemeine Metaphysik, Naturphilosophie, Theodicee (Münster, Theissing), Tilman Pesch: Die großen Welträthsel (Freiburg, Herder), Cathrein: Moralphilosophie (Freiburg, Herder), Dr. E. Kadeřávek: Psychologie.]

Totum librum dividit auctor in quattuor partes, quibus praemittit aliquas notiones praevias. Recte annotat, radicale adesse discrimen (коренное различіе) inter physicum et psychicum (p. 2., 3.). Argumentum vero ad hoc, (omne physicum est extensum, omne psychicum inextensum) non est strictum. Certum quidem est tum physica corpora, tum phaenomena mere physica, quorum sola corpora sunt subiectum, esse omnia extensa. Item certum est, animam et omnia ea phaenomena psychica, quorum sola anima est subiectum, inextensa esse (actus intellectus et voluntatis). Exstant vero etiam phaenomena psychica extensa, ea nempe, quorum et anima et corpus (scil. organum) substantialiter inter se unita sunt subiectum (actus sensuum, inter quos saltem actus tactus interni et externi clare extensi conscientia percipiuntur, plus vel minus clare actus gustus et olfactus). Auctor utique actus sensuum in sola anima ponit, ideoque inextensos esse censet, sed immerito, ut posterius ostendetur. Vera ratio essentialis discriminis inter physicum et psychicum ea est, quod actus psychici repraesentativi sunt (actus cognoscitivi) vel repraesentationes sequentes (actus appetitivi), phaenomena vero physica ne minimum quidem illius perfectionis »repraesentare aliquid« in se continent. Auctor hanc rationem ideo non adduxit, quia actus repraesentativos ut elementares actus animae non agnoscit.

Notionem ipsius animae bene exprimit auctor, dum dicit, illam esse substantiam spiritualem (p. 4 духовная субстанція). (Notionem substantiae non adhibet hic primariam i. e. ut ens per se stans, sed secundariam, i. e. ut subiectum permanens in oppositione ad ei inhaerentia accidentia mutabilia). Animam ut substantiam spiritualem recte demonstrat ex eius actibus et quidem: 1. Ex eis, quibus, manifestatur unitas nostrarum cognitionum — единство сознанія (p. 5). Actus, quibus cognosco silvam, in qua deambulavi, homines, quibuscum in hac via locutus sum etc., multiplices sunt et tamen totum unum efficiunt. Hoc tantum ratione unius substantiae, quae eorum est subiectum, fieri potest. 2. Ex actibus, quibus manifestatur unitas personae (p. 6 Cognosco, me sub aliquo respectu mutari, sub alio respectu semper immutatum manere: Ego, qui nunc tamquam vir profundis quaestionibus studeo, identicum me cognosco cum illo meo »ego«, quod habui, cum tamquam puer ludebam). Realis illa identitas mei »ego« omni tempore vitae meae non potest explicari, nisi meum »ego« sit realis substantia permanens re a suis actibus distincta, non vero mera series actuum (p. 6, 7 духовная субстанція естъ нѣчто отдѣльное отъ нашихъ духовныхъ состояній).

Ex influxu, quem anima et corpus invicem exercent, intimam inter ea relationem ostendit Illam relationem esse unionem substantialem, latere eum videtur.

In prima libri parte agit auctor de actibus cognoscitivis et quidem primum sensuum, deinde intellectus, bene annotans, omnem cognitionem, immo omnem psychicam vitam animae incipere a sensibus. Hoc non vult intelligere sensu Lockii et Condillacii (acsi sensationes essent unica elementa, e quibus tota animae vita evolveretur), sed potius sensu Leibnitzii, qui ad verba Lockii: »Nihil est in intellectu« — addidit; »nisi intellectus ipse« (p. 8). Sensu hoc auctorem in alterum incidisse extremum, quo intellectus potius faceret suum obiectum, quam cognosceret, videbimus, ubi de cognitione intellectuali erit sermo.

Cognitionis sensitivae adducit quinque species: visum, auditum, tactum, olfactum, gustum et distinguit in hac cognitione tria: 1. Actionem obiecti in organum corporis (actus physicus), 2., irritationem organi et cerebri (actus physiologicus) 3. id, quod in anima producitur (actus psychicus). Falso ab auctore assumitur, sensationes esse in sola anima. Nam conscientia teste ipsos actus saltem aliquarum sensationum (tactus interni et externi clare, magis vel minus clare actus olfactus et gustus) extensos percipimus, quod impossibile esset, si eorum subiectum sola inextensa anima esset et non etiam extensum corpus (nempe suum cuiusque sensationis organum). Cum hac quaestione altera cohaeret, nempe, substantialis unio animae cum corpore (in unam substantiam completam). Unionem hanc exposcit etiam influxus corporis in animam. Non potest enim corpus extensum in inextensam animam influere nisi ratione unionis in unam substantiam.

Deinde censet auctor prima elementa vitae psychicae esse non repraesentativa (ощущенія = sensiones = počitky), e quibus novo addito actu (localizatione) repraesentationes oriuntur, non agnoscens actus, qui essentia sua sint repraesentativi, quorum nempe essentialis perfectio sit, ut non solum realitatem aliquam habeant, sed ut eadem sua realitate obiectum a se distinctum (vel reale vel possibile) exprimant, repraesentent, cognoscant. Sic per localizationem sensionum explicat originem repraesentationum spatii et etiam obiectorum sensibilium (отнесеніе ощущеній къ тѣмъ или другимъ частямъ нашего тѣла, или къ точкамъ, находящимся внѣ насъ въ пространствѣ, называется локализаціей ощущеній . . . . этотъ процессъ есть уже присоединенный нами къ ощущеніямъ, а не заключающійся въ нихъ съ самаго начала p. 25).

Repraesentatio est igitur secundum auctorem actus compositus ex sensione et localizatione sensionis et vocatur apperceptio (воспріятіемъ называется локализированное ощущеніе соединенное съ сознаніемъ вызвавшей его причины или овъекта, p. 38).

Haec theoria cognitionis humanae, quam tenet auctor sine sufficiente ratione asseritur, immo est impossibilis. Conscientia nostra enim illam nullo modo confirmat. Signa cognitionis infantium, quae pro ea afferuntur, non plus demonstrant, quam infantium cognitionem valde imperfectam esse. Illi enim initio non dignoscunt corpus proprium tamquam distinctum ab obiectis sibi externis, non cognoscunt tres dimensiones corporum, sed tantum duas, non cognoscunt accurate distantiam corporum ad invicem et a seipsis. Ex hoc tamen saltem non sequitur, infantes primis actibus cognoscitivis non habere repraesentationem spatii iuxta duas saltem dimensiones et qualitatum sensibilium. Theoriam hanc impossibilem esse, apparet, si interrogamus, quomodo per actus, (sensionem et localizationem), qui neque entitative, neque repraesentative extensionem continent, repraesentatio extensionis oriri possit? Hoc idem est, acsi ex compluribus zero (0) numerus positivus oriri dicatur.

Scholasticorum philosophorum theoriam, iam ipsos elementares actus vitae psychicae esse repraesentativos conscientia confirmat. Nam actus saltem visus et tactus statim, cum fuerint eliciti physica necessitate ita clare exprimunt qualitates sensibiles extensas (colores, resistentiam), ut intellectus eadem physica necessitate moveatur ad iudicium formandum, qualitates has formaliter extensas (non solum causaliter) esse extra ipsos actus eas elicientes, item qualitates sensibiles (colores, resistentiam etc.) formaliter tales extra ipsos actus existere, quales sensationibus exprimuntur. Quod physica necessitate fit, id ab ipsa natura (essentia) fit. Ideo ipsa natura vel essentia cognoscitivorum actuum talis est, ut in sua realitate obiectum distinctum (vel reale vel possibile) intentionaliter contineant, i. e non solum realitatem aliquam habeant, sed simul illa sua realitate obiectum a se distinctum exprimant, repraesentent, cognoscant. Natura non fallit, ideo quamdiu

facultates cognoscitivae in sua naturali operatione non impediuntur (morbo vel quavis abnormitate), quamdiu etiam obiectum facultatibus cognoscitivis proportionate et per media ab ipsa natura data sese manifestat, obiectum formaliter tale est, quale cognoscitur i. e. inter obiecti qualitates (perfectiones) et eorum in anima rapraesentationes vera similitudo imaginis adest. Hoc est praecipuum fundamentum cognitionis humanae, quod philosophi scholastici Aristotelem secuti tenebant et tenent.

Ex hac ratione, concessa auctoris sententia, sensationem ne minimam quidem similitudinem habere cum actu physico et physiologico, ope quorum obiectum se animae manifestat (hos enim neque repraesentat, neque cognoscit), concedi non potest, eam non habere veram similitudinem cum suo obiecto, quod revera repraesentat.

Difficultates contra hanc sententiam affert auctor duas: 1⁰ Si id, quod nostris sensationibus colorum, sonorum etc. extra nos respondet, non in motu consisteret sed adesset inter sensationem et eius causam similitudo imaginis, non possent explicari multa phaenomena physica, ut e. g. interferentia lucis, soni etc. (p. 14. 15.). 2⁰ Sensationes sibi similes essent imagines obiectorum sibi dissimilium (sensatio lucis oritur, quando oculus percutitur, vel nervus secatur, vel vi electrica irritatur).

Difficultas prima vim habet contra theoriam, quae vocatur, emanationis (lucis etc.), nullam vero vim habet contra sententiam neo-scholasticam asserentem, qualitates sensibiles simul cum motu, dependenter ab eo, proportionateque cum eo in corporibus oriri, interire, crescere, decrescere. An fieri nequit, ut ab eadem causa (vi motrice), a qua motus localis in subiecto extenso producitur, simul et proportionate cum motu alia qualitas sensibilis producatur, augeatur, minuatur, e. g. lux in particulis carbonii, sonus in aëre?

Secunda difficultas probat quidem, medium externum, quo sensationes proxime excitantur, esse motum (quod in scholastica sententia non negatur), probat etiam sensationes oriri posse etiam tunc, quando physicum medium, quo ipsae excitantur (motus) aliunde procedit, quam ab ipsis qualitatibus sensibilibus. Quid inde sequitur? Hoc tantum ex eo recte sequitur, posse nonnumquam esse sensationes, quae obiectivum valorem non habent vel quibus obiectum simile non respondet. Et revera saepe obiectum sensationibus simile non adest (e. g. in febri et al. c.), in multis casibus non est facile dignoscere, utrum medium, quo sensationes excitantur ab ipsis qualitatibus sensibilibus an ab alia causa procedat et consequenter non est facile dignoscere, utrum obiectum sensationibus simile revera adsit necne. Ex eo vero nullo modo sequitur, sensationes numquam exprimere obiectum sibi vere simile quod tamquam ordinaria causa ope motus ipsas excitet. Ad hoc agnoscendum cogit nos ratio noëtica — facultates cognoscitivas, quamdiu in sua naturali perfectione non impediuntur et quamdiu ab obiectis sub ordinariis a natura datis conditionibus determinantur, veraces esse, obiectivum valorem cognoscitivum habere, id exprimere, quod revera extra eas tale (simile) est. Haec ratio maximi est momenti, nam tantum in illa obiectivus valor cognitionis non solum sensitivae, sed etiam intellectivae cognitionis firmiter stare potest.

De ulterioribus sensitivae cognitionis actibus complures rectas sententias adfert. Loquens de repraesentationum associatione, legem propinquitatis (loci et temporis) et similitudinis (vel contrarietatis) adducit. Memoriam definit facultatem conservandi in anima repraesentationes habitas easdemque (non numero easdem, sed similitudine) posterius reproducendi (p. 58.). Phantasiam definit animae activitatem, qua per varias mutationes et combinationes apprehensionum novas repraesentationes facit recteque animadvertit, phantasiam non posse quidquam absolute novi addere. sed solum aliquid omittere et

repraesentationes prius habitas diverso modo componere. Quoad relationem horum actuum ad obiectum cognitum idem dicendum est, quod supra.

Cognitionem sensitivam a prima infantia magni esse momenti ad educationem praesertim religioso-moralem aliquot locis bene auctor annotat atque illa, quae ab iis, qui liberos educant fieri debent, exponit. Parentes ante oculos liberorum ea ponere debent, quae ad eorum bonam educationem conducere possunt. Cubiculum, in quo liberi habitant, est primum obiectum eorum observationis. Si in tali cubiculo sunt pulchrae imagines religiosae, praesertim Salvatoris liberis benedicentis, B. V. Mariae, si nonnumquam coram imagine lampas ardet, si vident liberi patrem matremque coram imagine genuflectenes, orantes, si attenti fiunt, hac imagine repraesentari Deum, qui hic invisibiliter est praesens, auditque eorum orationes — quam profundam impressionem relinquunt haec omnia in animis liberorum. Multo maiores accipiunt impressiones in anima, si ducuntur in ecclesiam, ubi vident multas imagines, lampades ardentes, homines orantes, ceremonias (p. 31.)

Haud minus momentum quam visus habet auditus, qui non solum externa cognoscit, sed percipiens verba aliorum hominum intellectui dat possibilitatem ad intima cordis eorum penetrare. Quanta igitur prudentia adhiberi debet in sermone, quem liberi audiunt. Loquens auctor de associatione repraesentationum, recte monet, ne fiant associationes fidei contrariae — superstitiosae (e. g. transitus leporis in via coram homine — et signum proxime imminentis alicuius calamitatis etc.). Phantasiae praberi debent bona obiecta, vitari narrationes nimis phantasticae; praeponendae res historicae, praesertim facta e vita Christi Domini et sanctorum. (Reliquum sequetur)

C. Jež.

Православная Богословская Енциклопедія. Tomus VI. (Іаванъ — Іоаннъ маронитъ) r e d. dr. theol. prof. N. N. Glubokovskij — editores successores professoris A. P. Lopuhin. Petropoli 1905 [1].

Quod primum annotandum esse videtur, id est: tomum nominatum sub noti atque clarissimi prof. dr. Glubokovskij redactione editum esse. Verum dolendum est eum tantum tempore ad finem vergente ultimam manum apponere potuisse, eamque ob rem — ut ipse initio annotat — si non omnia eiusdem dignitatis inveniantur, nequaquam ei imputandum est. Multa tamen etiam mediis in articulis, uncis inclusa, Glubokovskij addidit.

Si huius encyclopaediae paginae diligentius perlustrantur, multa capita ex operibus Haucki ‚Real-Encyclopaedie' vel Herderi ‚Kirchenlexikon' descripti videntur esse. Ut alia omittam — si hi articuli russicae encyclopaediae: Iacobitae col. 12 sqq.; Iacobus Nisib. col. 118 sqq.; Iacobus e Sarug, col. 122 sq.; Iacobus Tusculanus col. 156 sqq.: Iacobus de Benedictis, col. 161 sqq.; Iacobus Blarer, col. 166 sqq.; Iacobus Edessenus. col. 124 sqq; Ianuarius col. 178 sq.; Iason, col. 179. sq.; Iesuati, col. 219 sq.; Iesuitae col. 220 sqq.; Iesuitica ethica col. 225 sqq.; Ierusalem col. 363, — si hi articuli cum eis, quae in protestantica encyclopaedia a Hauck edita habentur, comparantur: — n i m i a quaedam dependentia a protestantica encyclopaedia cernitur. Et quod maximum est, etiam ea, quae de rebus Orientalibus sunt, transscribuntur.

Id quoque advertendum est, eosdem errores et praeiudicia in nonnullis capitibus adversus ecclesiam catholicam in utraque encyclopaedia

[1]) Tomi I. censuram vide S. L. T. I, p. 110—124; aliorum postea fiet. R e d.

inveniri: videatur in russica encycl. Iacobus de Voragim, Iacobus e Sarug: Iacobus Blarer, Ianuarius. Alia capita magnam dependentiam a Herderi Kirchenlexikon prae se ferunt.

Ut autem res exemplo illustretur, quosdam articulos fusius considerabimus. A. Bulgakov, de Iesuitarum, qui saec. XVI. et XVII. plurima etiam in Russia egerunt, historia agens, solum quae in sinistram partem explicari possunt, adducit ita, ut Glubokovskij ultimam correctionem peragens, res etiam maximi momenti omissas uncis inclusas addere coactus sit velut de eorum studiis scientificis et de eorum vexationibus.

Quae vero A. Bronzov de Iesuitarum doctrina morali disserit, excepto praecepto de ámore proximi, — haec eadem in protestantico opere Real-Encyclopaedie sub titulo Iesuitae — inveniuntur. [A. Palmieri ad haec notat in censura, quam facit in Revue d'histoire ecclésiastique 1906, p. 494: „Puisqu' il s'agit d'un ordre religieux qui a joué un rôle si marquant dans l'Église catholique et a puissamment contribué au développement des sciences sacrées, il aurait été spécialement opportun de se souvenir ici de l'adage: Audiatur et altera pars. On aurait dû, en particulier, attribuer moins d'importance aux pamphlets de l'ex-jésuite Paul Hoensbroech, que le tribunal de Cologne vient de condamner pour n'avoir pas su faire la preuve de ses accusations contre la morale des Jésuites (cfr. Kölnische Volkszeitung, 3, 4, 7 et 10 avril 1905). On aurait dû par contre prendre en considération les arguments apportés dans cette question par le P. B. Duhr dans son ouvrage Jesuiten-Fabeln, qui est arrivé en peu de temps à une quatrième édition (1904)].

Praeiudicia ad summa evecta esse videntur in articulo ab A. Šostin composito: Іезуиты и іезуитско-католическая исповѣдь по сравненію съ православною. Quidquid enim in doctrina morali catholicorum sinistre exponenda consequi potuit, hoc effecit. Secundum ipsum s. Alphonsus de Liguori in opere suo morali commentarios in Medullam Busenbáumii scripsit. Attritio est Iesuitarum commentum (cf. Denzinger Enchiridion [9]: Conc. Trid. sess. XIV. cap. 4.); si ea, quae catholici de contritione dicunt, vera sunt, confessio superflua est. Immo si attritio ad poenitentiae sacramentum valide suscipiendum sufficit, homo sine actu amoris Dei salvari potest et quivis sine ulla intermissione peccare potest, dummodo confessionem instituàt. Contritionem perfectam sine poenitentiae sacramento peccata delere posse nulli patri in mentem (sed cf. modo Io. Chrysostomi opera!) venit. Qui in occasione proxima necessaria versantur, secundum catholicos semper, licet in omni confessione eadem peccata declarent et in eodem officio, quod eis peccati interrupti occasio est, manere velint, absolutione donandi sunt (cf. col. 237 sqq). Cum de condicionibus ad peccatum grave committendum requisitis agit, — háec ásserere audét: ‚Не подлежитъ, напр., сомнѣнію, что по теоріи Альфонса Лигуори отреченіе Апостола Петра вовсе не было бы грѣхомъ тяжкимъ, въ которомъ пришлось бы каяться съ горкими слезами' (Secundum theoriam Alphonsi negatio apost. Petri peccatum grave, pro quo poenitentia cum

multis lacrimis esset praestanda, non fuit (col. 242). Simillima his plurima habet.

Nec aliis multis locis omni ex parte veritati, licet errores non sint tanti, videtur satisfactum. Quae enim sub titulo Іерусалимская латинская патріархія de catholicorum conaminibus ab A. Pavlov dicta sunt, historia teste paulo aliter se habent.

Similiter et Th. Titov, quid orthodoxi ex sua parte unitis intulerint et quid sit unio cum ecclesia catholica, intelligere et animadvertere omisit. Quae I. Andreev de Ioannis IV. Ieiunatoris humilitate et humanitate scribit, non in omnibus cum historia quadrant; P. Běloděd in capite de s. Ioanne Chrysost. homiliam sub titulo: ‚Iterum insanit Irodiada' ipsi Chrysostomo adscribit (cf. Bardenhewer, Patrologie [2] p. 287: Rauschen, Grundriss der Patrologie p. 114. 1903. Freiburg). Quae I. Sokolov de hierarchia scribit, confusa sunt. Non enim negamus vocem: ‚hierarchia' a Dionysio Areop. (vulg.) introductam esse, sed hoc ad rem, quae agitur, non vehementer pertinet (cfr. col. 262). Qua ratione idem scriptor, agens de synodo Ierosol. (1672.) contra Cyrillum Lucarim habita, huius concilii decretis „авторитетно-каѳолическій характеръ" tribuat, non facile intelligitur (col. 442 sq.); eorum, quae Pichler, Trivier, alii scripserunt ne mentionem quidem facit.

His tamen non obstantibus, si nonnulla excipiantur, encyclopaedia valore ac dignitate sua non destituitur. Articuli enim, qui de rebus russicis vel ecclesiae Constantinopolitanae agunt, et propter se et propter operum hisce de causis tractantium abundantem enumerationem magna cum utilitate et fructu legi possunt satisque ad instructionem conferunt. Immo nonnulla capita magna eruditione conscripta sunt; velut articulus ab ipso Glubokovskij compositus: Concilium apostolorum Hierosolymis, col. 427 sqq., doctrina excellit, ubi auctor factum historicum concilii peracti et decretorum auctoritatem defendit.

Dein, ut iusti simus, non omnes articuli, qui de ecclesia catholica agunt cum veritatis laesione conscripti sunt. Ita A. Vjazigin narrationem de Iohanna papissa inter fabulas relegat (col. 738).

Denique hoc animadvertere non omittimus: sequentes encyclopaediae tomos, quod novi redactoris persona praesagire permittit, doctrinae exigentiis magis accommodatos fore. *M. Haluščinskij.*

Ex titulis ad studii biblici provinciam pertinentibus nonnulli, qui gravissimi sunt, hoc volumine continentur. Itaque iuvabit aliqua attigisse.

Vocabulo Iesus Christus sex articuli occupantur. 1. Iesu Christi opus et Persona iuxta historiam evangelicam 2. I. Chr. qua pastor 3. I. Chr. exemplar moralitatis 4. Externa I. Chr. species. 5. I. Chr. in monumentis iconographicis. 6. Cordis I. cultus et sodalitates.

T. Butkevič, qui art. primum concinnavit, praesertim de I. Chr. divinitate exponenda sollicitus erat. Litteras Russorum christologicas sedulo recensuit et tamquam fontem principalem adhibuisse videtur. Hypercriticorum opera rationalisticis studiis indulgere notavit, catholicorum tamen Romanorum copiosam litteraturam non qua aequum erat numerositate in tabellam bibliographicam assumpsit, quamquam non

tantae operae erat ex Fonck indice, ad quem remittit, saltem principaliora adnotare. Nescio an uberior aliquantulo articulus esse potuerit, praesertim eo, quod integri N. T. doctrinam auctor diligentius excoluisset.

Articulo secundo V. Sokol'skij munus pastorale Christi et ecclesiae divinitus per Spiritum S. institutum argumentis e s. Scriptura rite intellecta contra protestantes generatim atque in specie contra Vinet sat feliciter demonstrat. Sequitur Nectarium Kephalam potissimum e Graecis, e Latinis Aertnys.

Parti tertiae (A. Bronzov) accuratior de sui conscientia Iesu expositio et fundamentum solidius et magis dilucidam dispositionem forsan praebere potuerit. Ceterum usui practico, cui bibliotheca multis destinata inservire vult, valde utilia erunt.

Complures „typi byzantini" varietates imaginibus additis exhibet art. quintus, qui quartum quasi complet. Pauca quaedam ex catacumbis quoque adhibita sunt. Indiculo litteraturae saltem nomina de Rossi, Garucci, Wilpert exhiberi oportebat.

Quae de cultu sacratissimi Cordis Iesu a P. Tyčinin e Hauck-Herzog VII³ 777—782 transcripta sunt addito tantum manco scriptorum catholicorum elencho, exemplo esse possunt, quomodo de rebus catholicis scribi non oporteat. Non derivata turbida, sed fontes genuini instrumenta sunt aequi scriptoris! Non sufficit catholicos (Nilles) allegasse, sed legendi sunt. Immerito quoque T. relationem Svoboda cum Ruffer necnon Romam et Iesuitas committit.

Catholica sunt, quae D. Bogdaševskij ad vocabulum „S. Ioannes Apostolus" scripsit, quamvis et hic ignoratio, non adeo ignorantia, operum catholicorum redeat. In specie sermones a Ioanne relatos genuinos esse Domini sermones vindicat. Quaestiones controversas quod attinet: vitam Iesu publicam tribus tantum Paschatis circumscribit, diem ultimae coenae diffinire quidem non vult, adstipulatur autem sententiae agnum paschalem ab omnibus 13 Nisan (feria V.) mactatum et a Domino et Iudaeis quoque pro lubitu manducatum esse; „presbyterum" Ioannem ab Apostolo diversum recte (potuit tamen fortasse consultis catholicis efficacius) reicit. Minus recte p. 832 de synopticis a Ioanne emendatis discussio inducitur, quia inspiratus liber determinationem quidem admittit, non autem emendationem (исправленіе, поправка).

Ex N. T. placet fortasse sententiam Al. Lebedev „de fratribus Domini" novisse. L. putat s. Ioannem hac quoque in re synopticos supplere et Cleophae uxorem vocare, quae apud synopticos mater est fratrum Domini. Cetera satis probantur audienti sed durius manet sententiae membrum Mariam Cleophae vocari B. Virginis „sororem" propter propinquitatem cum Ea ex parte viri (чрезъ родство своє съ Нею по своему мужу). Ceterum L. monet maiorem theologorum russicorum partem a parte sua non stare, sed varietatem sententiarum inveniri, et Helvidii quoque sententiam non quidem scriptorem sed Vereščagin pictorem patronum habere.

Ex V. T. Iahve et Iahvista et Ieremias et Ierosolyma praecipua huius tomi vocabula sunt. Nominis tetragrammatis (A. Glagolev) explicatio grammatica et spiritualis sufficiens datur; minus recte tamen (p. 199.) Ehjeh forma vel Kal vel Hiphil dicitur, quia forma אהיה in genere Hiphil Ahjeh transcribenda esset. — Fontium Pentateuchi variorum ex nominibus divinis distinctiones coniecturae et supposita dicuntur, quae vi ad assensum obligante carent (V. Rybinskij). Ceterum ad Pentateuchum remittitur. — In Ieremia propheta deuterocanonicam de idolorum vanitate epistolam, quae in V. cum libro Baruch (c. 6) coniuncta legitur, quam tamen Russi orthodoxi non habent, tamquam non canonicam nec genuinam enervatis iam dudum argumentis, quorum infirmitatem saltem a Knabenbauer (Comment. in Dan.... p. 447-450) et Cornely (Introd. II., 2, 413) cognoscere potuit, M. Posnov reicere conatur. Quoad reliqua cum biblistis catholicis consentit, quin tamen ullum catholicum librum alleget. Scopo Encyclopaediae practico bene servient lucubrationes historica et theologica Ieremiam et eius tempora spectantes.

V. P. Rybinskij agens de auctoritate libri Iesu Sirach (c. 601) concedit eam magnam inde ab omni tempore fuisse, saepissime locos eius allegatos esse, ipsum scripturam, librum a Spiritu s. dictatum vocatum esse, in graecis latinisque codicibus semper inter canonicos fuisse. Nihilo minus, inquit, in notis librorum canonicorum libellis, a Melitone, Origene, Cyrillo Hieros., Gregorio Naz., Amphilochio, Patribus Conc. Laodiceni compositis, liber I. S. non recensetur. Ideo neque in orthodoxa orientali ecclesia canonicis adnumeratur. Ex russica de eo litteratura solius Roždestvenskii oratio „Vnov otkrytyj evrejskij tekst knigi I. Sir. i ego značenie dlja biblejskoj nauki. Spb. 1903 commemoratur; cur nuper edita commentatio S. Bulgakov, Nravstvennoe učenie I. Syna Sirahova, est'li v nem otličie ot učenija v knigah kanoničeskih (in Kurskija Eparhial'nyja Vědomosti, g. 34, 6, 106—111: 7, 116—23; 8, 138—45) omnino praetermissa sit nescio.

Longissime et doctissime tractatur de Hierosolymis (c. 363—580). A. Glagolev de topographia Hierosolymorum presse sequitur Hauck-Herzog. Crassiores typi, quibus numeri capitum s. Scripturae impressi sunt, cum nullum momentum praecipuum in hac expositione in illis sit, certe vitandi erant, quia oculos legentis, sicut et alibi, multum offendunt, eo vel magis quia perspicuitati praeter aliquot „a linea", ut dicunt, fere nihil inservit. Ceterum videtur forma paginarum, quam typographus in sequenti capite per exceptionem adhibuit, columnis esse praeferenda. In hoc capite, quod inscribitur „Hierosolyma christiana, delineatio historica et monumenta" N. Kondakov plurima perbelle exponit, quae clarius et vividius sistuntur viginti monumentorum depictorum tabellis.

Quoad omnia notandum unum videtur. Quae omnibus destinata sunt („общедоступно"), si fieri potest, magis etiam accurata sint oportet, cum plurimi tempus inquirendi ulterius non inveniant. Hinc vera et certa tantum etiam de catholicorum rebus exhibenda erunt, si cleri culturam, non praeiudicia, viri docti, encyclopaediae editores, provehere student. *C. Večeřa.*

Странникъ — Strannik 1905. Nr. 5—9.

M. Avdaškevič, Filaret Moskovskij i ego značenie na pravoslavnom vostokě (Philareti Moscoviae metropolitae in Oriente auctoritas) I., 697—730. — Filaret, dimidio saec. XIX. metropolita Moscoviensis, saepius cum gubernio Russico de necessitudinibus cum ecclesia Constantinopolitana renovandis et sustentandis egit; ad dissensiones vitandas solum litterarum »officialium« commercium commendabat, »officialem« autem gubernii sive ecclesiae Russicae apud patriarcham Constantinopolitanum legatum dissuadebat, cum consensus multis in rebus vix posset sperari. In acri graeco-bulgarica controversia ecclesiastica Bulgaris favebat, tamen »officialem« gubernii Russici interpositionem dissuadebat.

S. Runkevič, K biografii patriarḫa Adriana (Ad biographiam patr. Adriani) I, 731—748. — Excerptum ex documentis archivi imperialis. Adrian ultimus fuit ecclesiae Russicae patriarcha († 1700).

V. I. Popov, V čem sostoit istinnoe obrazovanie čelověka (Qualis verus animi cultus sit) I, 770—783; 916—930.

S. Runkevič, Mitropolit Silvestr (ḫolmskij ili volynskij) i ego perepiska s Petrom Velikim (eius cum Petro M. litterarum commercium) II, 21—37; 184—194.

S. Runkevič, Mitropolit Stefan Javoskij v ego perepiskě s Petrom Velikim. II, 320—336.

N. N. Glubokovskij, Blagověstie sv. apostola Pavla po sravneniju s evangeliem Ḫristovym (Evangelium S. Pauli comparatum cum evangelio Christi) I, 841—865; II, 3—20, 145—171. — Introductio in amplum librum »Blagověstie sv. ap. Pavla po ego proisḫoždenijuisuščestvu« (Spb. 1905), in ipso libro typis expressa pg. III—LXX; de ipso libro accuratior recensio in folio nostro collocabitur.

Th. A. Kurganov, Čto takoe liberalizm (Quid sit »liberalismus«). II., 295 - 319.

In nr. 5. (pg. 838) N. G(lubokovskij) laudat librum Dr. L. Fonck, Die Parabeln des Herrn [2] (Innsbruck 1905).

Prof. A. Bronzov in nr. 7. (II., 137—139) acriter aggressus est P. A. Špaldák eiusque lucubrationem »De Russorum doctrina de moribus« (Slav. l. th. I., 28—31; 63—69). P. Špaldák respondit breviter in »Strannik« II., 396—398. A. Bronzov vero denuo acerrime in P. Špaldák invectus est (II., 398—407) sub inscriptione »Obrazčik iezuitskoj polemiki«. Talis tenor in pugnis litterariis in occidente apud viros doctrinae et scientiae servientes rarissime invenitur, in Russia vero saepius occurrit et progressui scientiae valde obest, cum tali modo confusio et discordiae et odia detestabilia oriantur, quae »viros scientiae« minime decent eorumque animos perturbant. A. Bronzov utitur verbis velut »pudeat te, pudeat te, o iesuita« (pg. 405) aliisque similibus, quae lingua latina vix possint exprimi. Nos de scientia russica libenter referemus, talem vero pugnandi modum detestamur et spernimus. Dr. *F. Grivec.*

„Ученыя Записки Императорскаго Казанскаго Университета“ a. 73. Kazan' 1906, fasc. 1—4.

In his commentariis, qui ab universitate Kazaniensi eduntur, ad theologos pertinet imprimis censura libri ab E. v. Dobschütz compositi »Die urchristlichen Gemeinden« Leipzig 1902, facta a D. Šestakov (in fasc. 1.; 29 pag.). Exposito libri argumento iure exprobrat scriptori illi studium christianismum privatum seu domesticum a publico separandi et »moralitatem« christianam »mysticismo« christiano anteponendi. Re ipsâ duae hae christianismi partes — privatus seu mysticus et publicus seu moralis — inter se ita connexae sunt, ut altera cum altera

et stet et cadat. Paulus apostolus, ut missionarius, non potuit non esse columen privati potissimum mysticique christianismi. Singulos ad privatam ac mysticam communionem cum Deo exhortabatur. Neque ideo asceta fuit, quia Iudaeus fuerat et Pharisaeus, sed quia ascetismum viae ad communionem cum Deo compendium esse iudicabat. Nihilo minus idem Paulus noverat viam hanc non esse multorum. Unde non omnes ad eandem ineundam invitabat; sciebat sane Christum non solum in desertum migrasse, sed etiam nuptiis benedixisse. Recte quidem Dobschütz dicit Paulum »moralitate« sua fastigium morale christianorum eius temporis superasse. Sed hac ipsa animadversione moveri debuit, ut quareret, unde tanta Pauli excelsitas ac virtus profecta sit. Ipse bene ostendit moralem christianismi partem in Pauli praedicatione non magnopere eminuisse. Manifestum est vim ac virtutem huius magnae praedicationis a privato, mystico Pauli christianismo manasse, ab animi Deo propinqui ardore. Oportet tandem aliquando abici opinionem, monachum non esse nisi aridum frigidumque ascetam et laxari notionem christianae beneficentiae, ut etiam spiritualia beneficia comprehendat. Duae partes illae numquam potuerunt esse separatae, quia christianismus moralis sine mystico esset velut planta sine radice homo bonus sine amore Dei. Error Dobschützii fortasse ex timore ascetismi ortus est, quem ipse idem esse ac mysticismum (cuius pars quaedam est) existimare videtur. Nimium eiusdem studium »christianismi moralis« etiam in aestimandis monumentis litterarum apparet. Tempora, quibus christianismus mysticus elucet atque eminet, abundare litteris aetatis imaginem quam pulcherrimam facientibus dicit; velut Act. Apostol.; at, ubi christianismus »practicus« floruit, fideliores existimat esse fontes; Hermam v. g. iam paene criminari se suosque fratres; nigros colores eius picturae arguere sublimitatem morum, sinceritatem, veracitatem. Et haec quidem Dobschütz dicit, postquam paucis ante paginis eundem superbiae ac vanae de se praedicationis accusavit. Quae in uno homine aegre componuntur.

In fasciculo 3. I. Stratonov in commentatione sua »Zamětki po istorii zemskiḥ soborov Moskovskoj Rusi« exponit inter alia de origine libelli »Besěda Valaamskiḥ čudotvorcev«, quem inter a. 1503—1510 compositum esse ab homine laico existimat.

In eodem fasciculo B. Spinozae Tractatus theologico-politicus a M. Lopatkin in Russicum versus edi coeptus est.

Письма и донесенія іезуитовъ о Россіи конца XVII. и начала XVIII. вѣка. С. Прб. 1904. **Litterae secretae Iesuitarum, qui in Russia, Petro Primo regnante, fuerunt.**

De conversione Russorum missionarii bonam spem habebant, si tamen libertas religionis populo concederetur. „Russia sive Moscovia non est nux infragibilis, si optimus Deus misereretur, tantum opus esset unicâ licentiâ caesarea: indicibile, quanta populi copia partibus nostris accederet“ (pag. 234). „Ingens brevi seges fieret, si solum daretur facultas cuilibet ad libitum“ (pag. 250). Conversionem hanc autem sine magnis iacturis haud fieri posse, optime sciebant. „Hoc, fateor“ — ita scribit quidam eorum — sine martyribus non ageretur negotium, sed hoc est, quod pro praemio a Deo grati suscepturi essemus“ (pag. 234). Omnium primum exoptabant, ut possent reducere omnes illos, qui in absentia sacerdotum catholicorum transiverunt ad schisma (pag. 237). Sed eventus exspectationi minime respondit. Numerus conversorum revera valde erat exiguus: a. 1698 „accesserunt ex haeresi sanctae ecclesiae personae tres; unitus fuit ecclesiae unus

item unus reunitus". a. 1699 ab haeresi ecclesiae accesserunt duo", a. 1700 „ab haeresi ecclesiae accesserunt tres, unitus ecclesiae unus", a. 1701 „ab haeresi ecclesiae accessit unus" . . . — ita sonant tristes sane relationes missionariorum.

Quae de clero russico missionarii scripserunt digna sunt, ut ad ea animum attendamus. Liceat nobis saltem haec pauca excerpere: „Sunt multi monachi, vel uniti, vel unioni proximi, plurimi de rebus nostris optime sentientes. Kyoviae unum totum monasterium est unitorum, qui dexterrime sciunt eludere technas huiatium, passim tamen ab huiatibus vocantur haeretici; item non procul a Moscua urbe totum monasterium unitum, cui praeest archimandrita, vir sapientissimus et sanctae vitae, qui semper evocat candidatos occulte ex Polonia. Scit sua prudentia omnia bellissime disponere, de facto omnes habet Polonos in suo monasterio, sed bene ruthenicam callentes, qui supponuntur esse Rutheni ab aliis . . . Sunt plurimi alii, quos solus metus ab unione deterret" (pag. 234). „Certe lacrymis deplorandum, quod populus ista fame quoad animam perire debeat, non enim audiunt conciones ullas; hoc fit saltem, ut legant post decantatum evangelium ex ambona homilias s. Chrysostomi slavonice; sed, bone Deus, populus praeter verba sonumque nil intelligit. Melius fit in ecclesia cathedrali, ubi super quodlibet evangelium leguntur homiliae simplici et pro captu accomodato modo, compositae a quodam episcopo Lithuano unito ritus graeci. Unus hic erat p. Andreas Basilianus, vir nostris partibus addictissimus, qui multum instruere solebat plebem per conciunculas suas, sed iam diem obiit; alter fuit Petrus diaconus, qui nunc in exilium missus est; unicus superest pro concionibus capax, Poborsky, czari confessarius, nostris partibus benevolus valde. Nil est in causa, nisi poporum negligentia, quod nullus inveniatur pro his rebus aptus; libros certe habent plurimos et pulcherrimos tum e ss. patribus, tum ex aliis translatos in ruthenicum, danturque illis gratis absque pretio, sed nemo est, qui legere velit. Hinc illa miseria, quam ipsi Rutheni fatentur et deplorant, ut popae nesciant, etsi vellent, plebem in fidei mysteriis instruere. Plebs libentissime conciones audiret, et dum veniunt ad templum nostrum, aperto ore, immoti auscultant, licet nil intelligant. Audivi optari a pluribus, ut liceret nobis dicere ruthenice, sed de hoc spes nulla est, quod nobis concedendum sit (pag. 233).

M. N. Esaulov, **Научныя основы религіи. (Subtiliora religionis fundamenta.)** Varšava 1904, 48 pag. — Дополненія къ сочиненію Научныя осн. рел. (Supplementum.) Varšava 1905, 15 pag.

Libellus videtur spirare primum ardorem ac persuasionem hominis ab infidelitate reducis, quod certe legentis animum delectat. At doctrina parum excellit. Hic scriptor enim undique praebet se ignarum eorum, quae ad defendendam religionem christianam ab aliis scripta sunt. Argumentum eius, quo Deum esse demonstrat, nec clare nec tuto proponitur. Conatus eius, mysterium ss. Trinitatis propius admovendi ad rationem humanam (Pater = voluntas, Filius = potentia seu virtus, Spiritus = mens), qui, praeterquam quod in Deo potentiam et a voluntate et ab intellectu distinctione saltem »rationis ratiocinatae« quam scholastici vocant, distinctam esse supponit, omni ratione theo-

logica caret, frustra captus est. Coniunctio immortalitatis a mente humana ad aequitatem restituendam postulatae cum lege statica rerum corporearum ingeniosa sit, argumentum ex se ipso aptum non est. Etiam in exponendis officiis hominis similes comparationes occurrunt; praeter quas tamen theologus nihil novi ex libello hauriet.

Tentamen bibliographiae patristicae.

Afrem (Ephraemus): Zabělin, Prepodobnyj Efrem Sirin i ego propovědi (in Rukovodstvo dlja sel'skiḫ pastyrej 1874); circ. 50 pag. — Sokolov A. K., Žizn' sv. Efrema Sirina, Ḫarakter ego sočinenij i čerty iz ego učenija (in Pribavlenija k tvorenijam sv. otcov 1848, t. VII.); 82 pag. — Sokolov A. K., Někotoryja čerty iz učenija sv. Efrema (Prib. k tv. sv. ot. 1849 t. VIII.) 75 pag. — Filaret, Istoričeskoe učenie ob otcaḫ cerkvi t. II² (1882) p. 75—96. — Barsov N., Sv. Efrem Sirin kak propovědnik (Ḫrist. Čtenie 1886 I., 732). — Smirnov P., Propovědi sv. Efrema Sirina. Kiev 1895. — Levašev, Obrazcy cerkovnago pěsnopěnija (Duḫovnaja Beseda 1873-4) 22 pag. — Cerkovnye propovědniki v IV věkě (Duḫovnyj Věstnik 1875) pag. 23; sec. Tableau. — N. Ušakov, Pokajannaja molitva Efrema Sirina i čerty ego žizni. M. 1905.

Opera in Russicum versa: orationes in Hristianskoe Čtenie 1821, 22, 23, 29, 31, 32, 35, 36, 37, 38, 39, 40, 42, 45, 46, 47; tractatus ascetici ibidem a. 1827, 31. 33, 34, 35, 53; in Voskresnoe Čtenie a. 2, 3, 5, 10—13, 16, 22; Tvorenija ed. ab academia spir. Moscoviensi 8 tom. — 12 R.

Canones apostolici: O pravilaḫ svj. apostol.. (Ḫrist. Čt. 1841, III., 456—471.) — I. Stratilatov, Drevnost' i važnost' Apostol'skiḫ pravil. Spb. 1865 (228 pg.). — Arḫim. Ioann, Opyt kursa cerkovnago zakověděnija. Spb. 1851, I., 122—136. — N. K. Sokolov, Iz lekcij po cerkovnomu pravu. M. 1874 p. 94—118. (cf. Pravosl. Obozr. 1874 mai, ijun'). — Panov, Sravnenie pravil apostol'skiḫ s sootvěstvennymi im pravilami soboru antioḫijskago. Rukovodstvo dlja sel'skiḫ past. 1879 (9+7 pg.). — Laškarev, Pravo cerkovnoe. Kiev 1886, p. 118—128. — Suvorov, Kurs cerkovnago prava. Jarosl. 1890 p. 218—223 (Cf. Vremennik Demidovskago juridič. liceja, L.). — A. V. Gorskij, Istorija Evangel'skaja i cerkvi apostol'skoj. M. 1883, p. 648—665 (cf. Pribavl. k tv. sv. oo. 1883, č. 31, p. 391—5).

Slavica lingua editi sunt Petropoli 1839, 1843; Moscoviae 1876.

Clemens Rom.: P. S., Svjatyj Kliment, episkop rimskij. Patrologičeskij očerk. Spb. 1852 (32 pg.). — P. Preobrjaženskij, Pisanija Mužej Apostol'skiḫ. M. 1862, p. 79—100; 161—8. — K. Skvorcov, O pervom poslanii Klimenta rimskago k Korinthjanam (Trudy K. d. Akad. 1874, II., 48—67). — K. Skvorcov, Kogda napisano vtoroe poslanie Klimenta k Korinthjanam? (Trudy K. d. Ak. 1874 I., 3—23.) — Filaret, Istor. uč. ob oo. c.² I., 7—18. — Al. Priselkov, Obozrěnie poslanij svjatago Klimenta, episkopa rimskago, k Korinthjanam. Vyp. I. Spb. 1888. XII.+136+IV. (rec. N. Barsov in Ḫrist. Čt. 1888 I., 525—532. — E. Lovjagin, Izbrannyja města iz grečeskiḫ pisanij sv. otcev cerkvi do IX. věka. Č. I. Spb. 1884, p. 1—3. 291. — T. Krutikov, Muži Apostol'skie. Voronež 1892 (Voron.

eparh. Vědomosti No 1). — D. Gusev et A. P. (editor), Čtenija po patrologii. V. I. Kaz. 1896, 102—156. — De „Clementinis" scripsit J. Pobědinskij-Platonov in Pravoslavnoe Obozrěnie 1860. I., 151—172; 397—437; II., 339—384.

Epistolae (I.) s. Clementis capita 59 versa sunt in Russicum ap. P. Preobraženskij, Pisanija Mužej Ap., p. 101—158; nova 6 cap. v. apud A. Prisel'kov, l. c.; epistolae alterius, quae Clementis esse dicitur, capita I.—XII. versa sunt ap. P. Preobraženskij, l. c., p. 169—180; XII.—XX. ap. N. Barsov, Istorija pervobytnoj hristianskoj propovědi. Spb. 1885, p. 162—5.

Constitutiones apostolicae: N. V. Blagorazumov, O postavlenijah apostol'skih. (Prav. Obozr. 1862 t. VII., apr. p. 446—483; t. VIII., maj p. 1—32; ijun' 162—176; avg. 385—430). — N. K. Sokolov, Iz lekcij po cerkovnomu pravu. M. 1875, p. 118—126. — N. A. Zaozerskij, Sostojanie cerkovnago prava v donikejskoj cerkvi. (Čtenija v obšč. ljub. duh. prosvěšč. 1882, I., fevr. 141 etc.) — N. A. Zaozerskij in Pribavl. k Tvoren. sv. otcev, č. 43 (1889 I. et II.) p. 170—235; 476—496; 514—523. — I. S. Berdnikov, Dopolnenie k kratkomu kursu cerkovnago prava pravosl. greko-rossiskoj cerkvi. Kaz. 1889. p. 321—3.

In Russicum versae editae sunt ab I. N., Postanovlenija Apostol'skija. Kazan' 1864.

Doctrina 12 apostolor: Vl. Solov'ev, Sobranie sočinenij Vl. S. Solov'eva t. IV. p. 196—213. Učenie 12 apostolov (cf. Prav. Obozr. 1886, No 7; Čtenija v obšč. l. d. p. 1887. No 3—4). — K. D. Popov, Učenie 12 apostolov. (Trudy 1884, No 11, p. 344—384.). — K. D. Popov, Zamětka po povodu „Vvedenija" Vl. Solov'eva „k russkomu izdaniju" (Trudy 1886, No 12, p. 725—731).

Hermas.

P. Preobraženskij, Pisanija Mužej Apostol'skih. M. 1862, p. 183—222 (nova ed. 1902). — P. Skvorcov, Kogda napisana kniga Pastyr'? (Trudy K. d. Akad. 1872, III., 205—241). — Filaret, Istor. uč. ob oo. c.[2] I., 31—35. — T. Krutikov, Muži Apostol'skie. Voronež 1892 (Voron. eparh. Vědomosti No 2—4). — D. Gusev, Čtenija po Patrol. Kaz. 1896 p. 211—277 (Pravosl. Sobes. 1896: Svjatoj Erm i ego kniga Pastyr').

In Russicum versus est eius liber a solo P. Preobraženskij, Pisanija Mužej Apostol'skih. M. 1862, p. 223—346.

Polycarpus.

P. Savajtov, Svjatyj Svjaščennomučenik Polikarp. (Duhovnaja Beseda 1858, No 9, p. 336—348). — (Arhim. Polikarp), Okružnoe poslanie smirnskoj cerkvi o mučeničestvě sv. Polikarpa. (Hrist. Čt. 1821, I., 125—141). — K. Skvorcov, O poslanii sv. Polikarpa smirnskago. (Trudy Kievskoj duh. Akademii 1872, II., 452—462). — I. Smirnov, Duhovnoe prosvěščenie v drevnej hristianskoj cerkvi. (Čtenija v obšč. ljubit. duhovn. prosvěšč. 1871, aprěl' p. 1—4). — Filaret, Istor. uč. ob oo. c.[2] I., 26—31. — T. Krutikov, Muži Apostol'skie. Voronež

1892 (ex Voronežskija eparhial'nyja Vědomosti 1892 No 8—9.) — A. Martynov, Svjatyj Polikarp smirnskij i ego poslanie. (Věra i Razum 1894, No 3, p. 129—156.) — D. Gusev, Čtenija po Patrologii (I.) Kazan' 1896, p. 193—211.

Arhim. Polikarp vertit 9 capita ep. ad Philipp. in Hr. Čt. 1821, I., 115-124; idem iterum editum est Mosc. 1835 sub inscript. »Perevody s grečeskago jazyka na russkij«, p. 1-8. -- Totam transtulit P. Preobraženskij, Pisanija Mužej Apostol'skih. M. 1862, p. 441—450.

Eusebius Caes.: N. Rozanov, Evsevij Pamfil, episkop Kesarii palestinskoj [2] M. 1881 (cf. Čtenija v obšč. lj. d. p. 1879—80; recens. M. Muretov in Pravosl. Obozr. 1881). — A. P. Lebedev, Cerkovnaja istoriografija v glavnyh eja predstaviteljah [2] Spb. 1903, p. 10—110. (cf. Čtenija v obšč. lj. d. p. 1890).

Ioannes Chrysostomus: Levickij, Popěčitel'nost' sv. Ioanna Zlatousta o rasprostranenii Evangelija meždu jazyčnikami (in Pribavl. k tvor. sv. o. t. II.) 49 p. — V. I. Lebedev, Podrobnoe opisanie žizni i pastyrskoj dějatel'nosti I. Z. M. 1860 (ante in Pribavl. k tv. sv. o. t. XIV.—XVI.) — M. Bogoljubskij, Mysli sv. I. Zl. o hristianskom brakě i o vzaimnyh objazannostjah hristianskih suprugov. (Dušepoleznoe Čtenie 1861, N⁰ 9.) — Agapit, Žizn' Zlatousta M. 1874. — Filaret, Istor. učenie ob oo. c. t. II² (1882) p. 190—252. — V. G-skij, Sv. I. Z. kak tolkovatel' Sv. Pis. (in Pravoslavnoe Obozrěnie 1889. Sept. et Oct..) — I. I. Malyševskij, Sv. I. Z. v zvanii čteca, v saně diakona i presvitera (in Trudy kievskoj duhovnoj akademii 1890 [oct.], 1891 [febr. mai.] 1892 [apr., aug., sept..]) — A. Rain (A. P. Lopuhin) Sv. I. Z. i semejnaja žizn' ego vremeni (in Hrist. Čt. 1895 I., 225—248; 465—504.) — A. Rain, Sv. I. Z. i teatral'nyja zrělica ego vremeni (Hrist. Čt. 1896 I., 171.) — Hr. Papadopulo, Tvorenija sv. I. Z. s filologičeskoj storony (Hr. Čt. 1895, I., 411.) — A. A. Bronzov, O pashal'nom, oglasitel'nom slově sv. I. Z. (Hr. Čt. 1897, II., 411.) — A. A. Kirillov, Dogmatičeskoe učenie o tainstvě Evharistii v tvorenijah sv. I. Z. (Hr. Čt. 1896, I., 26. 545.) — M. I. Orlov, Pashal'noe oglasitel'noe poučenie (Hr. Čt. 1896, I., 482.) — V. I. Popov, Učenie sv. I. Z. o vospitanii dětej (Hrist. Čt. 1897, II., 639.) — A. P. Lopuhin, Sv. I. Z., kak propovědnik čelověkoljubija i milostyni. (Hr. Čt. 1897, I., 27. 245.) — M. Grigorevskij, Učenie sv. I. Zl. o brakě. Arhangel'sk 1902 (cf. Strannik 1898.) — I. Dobronravov, Pričiny bezuspěšnosti cerk. propovědi po učeniju Z. (in Rukovodstvo dlja Sel'skih Pastyrej 1904, I., 11, 282—6. — I. Latynin, Osnovnyja čerty mirovozzrěnija Z.: *a)* Promysl i nrav. svoboda čelověka (Pravoslavno-Russkoe Slovo I., 2, 155—163); *b)* Grěhopadenie čelověka (3, 244—8); *c)* Vzaimnootnošenie blagodati i svobody čelověka (4, 338—40); *d)* O blagodatn prizyvajuščej (5, 447—451.) *e)* Ob uslovijah polučenija blagodatn. pomošči (6, 560—5:) *f)* O blagodat. pomošči čelověku (7, 626—9:) *g)* Suščnost' hrist. žizni (8, 727—32:) *h)* Suščnost' i osnov. osobennosti hrist. žizni (9, 812—7: 10, 893—901:) *i)* Objazannosti

k Bogu (II., 171. 246. 349. 430. 509. 589. 716. 846.) — P. P. Ponomarev. Učenie sv. I. Z. ob Evharistii (Pravoslavnyj Sobesědnik 1904. I., 510—28; 654—73. — A. V. Kruglov, Vselen. učiteli. III; I, Z. ² M. 1904 (130 p. — 0·45 R.) — P. P. Ponomarev, Iz istorii sv. predanija. 4. Učenie o sv. predanii sv. I. Z. i pr. Efrema Sirina (Prav. Sobes. 1904, II., 745—55.) — P. Z. Běloděd, I. Z. (Pravoslavnaja bogoslovskaja enciklopedija t. VI. 1905. 909—41.) — A. I. Sobolevskij, I. Zl. v russkoj pis'mennosti (Prav. bog. encikl. t. VI., 941—7.)

In Russicum versa sunt eius opera (praeter versiones palaeorussicas, de quibus cf. A. S. Arhangel'skij, Tvorenija otcov cerkvi v drevnerusskoj pis'mennosti [in Žurn. Minist. Narodnago Prosvěšč. 1888]; A. I. Sobolevskij, Perevodnaja literatura Moskovskoj Rusi XIV—XVII. sv. Spb. 1903) a professoribus academiae spir. Petropolitanae (hoc anno secunda editio completa erit). Praeterea edita sunt: Tolkovanija Zlatousta na poslanija Ap. Pavla. M. 1839—44; Bes. an Evang. Matheja M. 1840; Slova o svjaščenstvě (perev. I. Kolokolov) Spb. 1874. O děvstvě (M. Víktorovoj) Spb. 1892 etc.

„Византійскій Временникъ". (Chronica Byzantina.) Tom. X. Vyp. 3—4. Spb. 1903. (К. Л. Риккеръ.) Pag. 357—708. — Tom. XI. Vyp. 1—2. Spb. 1904.

A. Papadopulos-Kerameus, Акаѳистъ Божіей Матери, Русь и патріархъ Фотій (Akathistos Deiparae, Russia et Photius patriarcha). Pulcherrimum hymnum graecum, nostro Te Deum aliqua ratione similem, qui in ecclesia graeca in vigilia 5. dominicae Qudragesimae stando (unde nomen eius ortum est) cantari solet pro gratiarum actione metropolis et imperii ab impetu Avarorum a. 626 conservatae, non VII. aut VIII. saeculo sed tempore posteriore compositum esse existimat eiusque auctorem Photium patriarcham (cc. 860) fuisse suspicatur; cuius rationes cum Russis describit (pag. 357—401).

Idem graeco sermone historiam Marci Xylocarabis, patriarchae oecumenici (a. 1466—7) tractat, qui doctrinam graecam ab ecclesia catholica et unionis inter utramque ecclesiam conciliandae studiosis acriter defendebat.

P. Lavrov (pag. 517—532) censuram facit libri bohemici a Fr. Pastrnek (a. 1902) editi: »Dějiny slovanských apoštolů Cyrilla a Methoda« (Historia ss. Cyrilli et Methodii apost. Slav.). Pleniorem conspectum eorum, quae de his apostolis scripta sunt, desiderat. Verum id a Č. Zíbrt in opere Bibliografie české historie eodem anno 1902 uberrime praestitum est (p. 885—928, č. 7557—8669). Ss. apostolos docet contra Pastrnek non ideo Constantinopolim neglexisse et Romam profectos esse, quod de assensu illic obtinendo desperarent, sed propterea, quod Moravia et ceterae provinciae, quibus operam dabant, in rebus politicis Romae parebant. Denique negat hunc librum esse perfectum expletumque.

Bibliographia in recensendis libris slavicis satis manca est et praeterita (velut liber N. A. Načov, Vrěme i životъ na sv. Borisa-Miḥaila, editus 1901 indicatur demum exeunte a. 1903).

G. Il'inskij, Къ исторіи славянскихъ азбукъ. (Ad historiam formarum litterarum Slavorum.) T. XI. Отдѣлъ I. 45—48. Auctor voluit an. 1903 in monasterio Admontino Styriae reperire manuscriptum Slovenicum e XIV. saec., quod ibi vidit historicus Styriacus, Muḥar, et de quo etiam Šafařík, Radič, Glaser loquuntur. Sed frustra quaerebat illud; ad manum eius venit tamen antiquus codex Ruperti Tuitiensis († 1135.), in quo praeter commentarium in s. Ioannem continetur etiam

folium cum alphabeto variarum gentium: Indorum, Persarum, Latinorum, Slavorum, Graecorum, Chaldaeorum, Hebraeorum.

Ex comparatione patet 1. litteras Persarum easdem esse, ac litteras cursivas Graecorum 2. alphabetum Slavorum consistere ex litteris Graecorum et initialibus, et cursivis. Non liquet, cur desint notae sonorum linquae Slavicae propriorum. Tabella, quae addita est, habetur antiquissimae azbucae Slavicae imago — etsi fragmenta Kioviensia antiquiora sunt; ceterum neque »Abecenarium bulgaricum« (Parisiis inventum) forte recentius est. Litteras »slavicas« in tabella apparet mixtas esse ex Graecis cursivis et maiusculis; etiam alia intuentium animos tenent, velut littera ь (8ª), quae memoriam affert obscuri signi glagolitici consonantis ь̣; alioqui pauca glagoliticis signis similia sunt. Singularis forma consonantis b (an v? certe non duo signa occurrunt), quae convenit cum ea forma glagolitica b, quam dicunt esse recentiorem, conversâ ad sinistram, potius opinionem V. Vondrák de origine huius signi glagolitici (ex litteris Samaritanis), quam V. Jagić (ex μβ) suadere potest; maxime mirum videtur esse signum illud ei, quo paragraphi signari solent (§), non dissimile loco 11.; et signum exhibens formam crucis loco 22.

Jul. Kulakovskij, Къ вопросу объ имени и исторіи ѳемы »Опсикій«. I. 49—62. Completur hic prior commentatio »Памятникъ славянъ въ Виѳиніи VII. вѣка« scripta ab A. Pančenko et inquiritur in originem nominis thematis »Opsikia«. Nomine hoc designabatur pars Asiae M. inter septemtriones et occasum solis spectans; ex decretis complurium imperatorum patet, ibi habitasse cohortem regiam, quae »ὀψικία« i. e. obsequium appellabatur.

S. Papadimitrij, Бракъ русской княжны Мстиславны Добродѣи съ греческимъ царевичемъ Алексѣемъ Комниномъ. I. 73—98. Dissertatio haec valde utilis est ad cognoscendas relationes Graecorum et Russorum XII. saec. Dobroděja Mstislavna, neptis Vladimiri Monomachi principis nupserat an. 1122. Alexio, primo filio imperatoris Ioan. Comneni; ad dignitatem imperatricis autem non pervenit; vir Alexius mortuus est iam an. 1142, ante Ioannem patrem suum. Commentatione hac impugnatur Loparev, qui Dobrodějam artem magicam e Russia Byzantium advexisse docebat; haec opinio narratione Graeci historici Balsamon male intellectâ orta est. Mater magiae habetur et est Oriens.

L. Petit, Documents inedits sur le concile de 1166 et ses derniers adversaires. II. 465—493. Quae gesta sint in concilio anni 1166. narrat nobis, idque incomplete, Nicetas Acominatos. Agebatur de explicandis verbis Christi: »Pater meus maior me est.« Arbitri partibus susceptis Manuel imperator decrevit secundam Personam divinam inferiorem esse solum ratione Filii hominis et Verbi incarnati. Nonnulli episcopi duce Pantechne hanc sententiam initio impugnabant, sed postea tamen decretum subscripserunt. Acrius impugnari coepta est demum post mortem Lucae, acris et severi patriarchae Const. († 1169), a duobus viris: Constantino, episc. Corcyrensi et Irenico, monacho in monte Asiae M. Boradion, affirmantibus, verba Christi intelligenda esse de sola natura humana a persona divina ratione separata. Fuit igitur lis de verbo; nihilominus obloquentes anni 1170. nomine haereseos condemnati sunt.

Adduntur hic documenta, quae sententias damnationis continent et quae ipse scriptor nuper invenit in monasterio Vatopedino in monte Athone.

E. Rědin, Голгоѳскій крестъ въ лицевыхъ рукописахъ сочиненія Козмы Индикоплова. (De cruce Golgothensi in codicibus manuscriptis Cosmae Indicopleustae.) II. 541—573. Imagines crucis in Byzantinis et Russicis manuscriptis pertractantur. Crux antiquae periodi artis christianae invenitur in solo codice manuscripto Cosmae Laurentiano; manu-

scriptum physiologi Smyrensis exhibet iam crucem II. periodi i. e. post IX. saec., quod indicant duo angeli. In codicibus Russicis minoribus Cosmae invenimus duplicem crucem: octoformem et septiformem. Prior forma profecta est ab arte Byzantina IX. saeculi. Sub cruce eminet ubique culmen Golgothae cum calva Adami, recta videmus murum Hierosolymitanum et in lateribus imagines Petri et Pauli, Isaiae et Ieremiae, Iacobi Alphaei et Silvestri papae. Loco Iacobi est in duobus manuscriptis Clemens Romanus. Cum in codice Laurentiano ad crucem stent soli apostoli Petrus et Paulus, conicitur compositionem posteriorem ortam esse apud Russos vel Austro-Slavos.

Vlad. Saharov, Опытъ изслѣдованія текста Ἐκ τοῦ Σπανέα. (Conamen examinandi textum Ἐκ τοῦ Σπανέα.) I. 99—114. Sub nomine Σπανέας tradit nobis Krumbacher Byzantinum carmen didacticum. Ex multis textibus idem poëma exprimentibus antiquitate excellit is, qui e manuscripto saeculi XIII. descriptus editus est. Commenta aliorum de carminis huius fonte et proposito Saharov refutat ostendens multos locos omnino rĕspondere didacticis libris Sacrae Scripturae. Opinionem a Schmitt, propositam hoc carmen esse Alexii Comneni cum in textu Vat. 1276. referatur ad filium Mariae, sororis Alexii et uxoris regis Siciliae incertam iudicat; nomen Σπανέας enim in inscriptione textus antiquissimi non legitur et in aliis textibus valde mutatur. E vocibus formâ quidem veteribus, sed novis elocutione et significatione id carmen saec. XII. ortum esse conicit. — Defuncto hoc scriptore commentatio mansit imperfecta.

N. A. Weiss, Βυζαντιναὶ ἐπιγραφαὶ Γορτυνίας. I. 63—72 agit de non nullis inscriptionibus in Gortynia inventis.

M. Krašeninnikov, О рукописномъ преданіи Константиновскихъ »извлеченій о послахъ«. Ἐκλογαὶ περὶ πρέσβεων. Huius commentationis maior pars edita est iam in VIII. tomo an. 1901. et X. an. 1903. Idem in supplemento huius XI. tomi edidit »Svědĕnija o grečeskih rukopisjah kanoničeskago soderžanija v bibliotekah monastirej Vatopeda i Lavry Sv. Athanasija na Athoně (104 p.) ubi describit 50 manuscriptos codices monasterii Vatop. et 41 Lavrae. —*a*

SERBICA.

Glasnik Pravoslavne Crkve. — Tauruni (Belgrad) 1905. Nr. 6—9.

S. U. Veselinović: Sirmijska episkopija u IV. veku. (Dioecesis Sirmiensis saeculo IV.). 463—480.

Descripto statu dioecesis ab eius incunabulis et tempore persecutionum, reicitur (468—469) opinio aliquorum scriptorum (Pavić, Arijanstvo u Panoniji Srijemskoj), Sirmium iam ante concilium Nicaenum fuisse sedem metropolitanam et episcopum Domnium (Domnion) Pannoniensem, cuius nomen est inter episcopos enumeratos Nicaeae ut praesentes, metropolitam Sirmiensem; potius dicendum esse eum fuisse episcopum Stridonensem, sicut in aliis scriptis revera nominatur, et »Pannoniensem« ideo ipsum dici, quia erat episcopus provinciae (politicae, non ecclesiasticae) Pannoniensis. Porro tractatur de episcopo Photino eiusque haeresi, de conciliis Sirmii a. 351., 357. et 358. habitis ac de tribus formulis Sirmiensibus, quae dicuntur (470—479), denique de interitu dioecesis ab Attila impugnatae (a. 441.)

Idem: Biblijski Apokrifi (De libris apocryphis). 569—577. —

Assignata varia significatione, qua diversis temporibus vox »apocryphi« usurpabatur, ejusque definitione posita »Apocryphi sunt libri, quos ecclesia ex canone s. Scripturae excludit non tantum quia inspirati non sunt, sed etiam quia errores in se continent« pag. 571. recenset singulos libros apocryphos utriusque Testamenti et quae de eis nota sunt, adnotat. Quod ad discrimen inter libros apocryphos

deuterocanonicos et pseudoepigraphos attinet consentit cum theologis catholicis contra protestantes. (p. 571.)

S. Domentijan, Religiozna arhitektura istoka (De Orientis architectura religiosa) 480—490 (Aegyptus); 577—582 (Phoenicia).

Supplementi instar eduntur »Lectiones ex patrologia« (Lekcije iz Patrologije) conscriptae a S. M. Veselinović; hucusque editae sunt pg. 1—32. — Aliud supplementum est (pg. 1—16) celebre opus Vigouroux »Manuel biblique« versum ex recentissima (XI.) editione gallica; versioni operam dat prof. P. Protic, qui in introductione magnopere laudat Vigouroux. P. Protić nonnullas sententias Vigouroux vel omisit vel mutavit, maxime ubi »ratio (tendencije) catholica« auctoris clarius apparet, velut in tractatu de inspiratione, de canone, de regulis interpretationis etc. *G. R.*

„Istočnik“ 1905. nr. 1—12 (Pg. 400). Dirigente prof. *I. Radonić.* — Prodit singulis mensibus in Sarajevo, pretio 8 Cor. —

Toto anno 1905 una tantum allata est dissertatio »scientifica«, scilicet: »Byzantii ad ecclesiam Romano-catholicam relatio ante dimidium saec. XV« (ad illustrandam unionem Florentinam; conscripsit dr. I. Radonić), pg. 4 sqq., 34 sqq. Reliquae dissertationes graviores e lingua Russica translatae sunt In disciplina ac scientia theologica igitur folium hoc non multum valet; tamen clero pastorali et omnibus, qui condiciones ecclesiae »orthodoxae« in Bosnia et Hercegovina cognoscere volunt, magnae est utilitatis.

Nr. 7—8. typis expressa sunt statuta ecclesiae Serbicae (cf. Slav. l. th. 1906, pg. 58), a patriarcha Constantinopolitano et imperatore austriaco approbata. — Nr. 12 (pg. 350—366) publicatae sunt litterae, quas metropolitae una cum statutis tamquam commentarium quendam patriarchae miserunt; litterae ad statuta recte intelligenda multum iuvant. Hucusque in Bosnia-Hercegovina inter Serbos in rebus ecclesiasticis magna confusio ac perturbatio dominabatur; statuta praesentia demum res ecclesiasticas ordinare intendunt. Statutis, ab episcopis ad exemplar ecclesiae Constantinopolitanae et ecclesiarum autocephalarum (a patriarcha Cpo independentium) redactis, viri e clero ac populo electi nonnulla (12) capita a statutis discrepantia tamquam »votum separatum« adiunxerunt (pg. 366—374). Quae capita imprimis regiminis civilis »non orthodoxi« in res ecclesiae vim omnino amovendam esse conclamant; praeterea potestatem episcoporum limitandam esse. Patriarcha quod ad influxum gubernii civilis attinet, »voto separato« nihil concessit; potestatem episcoporum autem revera iuxta capita voti separati limitavit in re certe gravi, nempe de eligendis membris iudicii episcopalis, quorum 6 a clero ac populo et solum 2 ab episcopo eligentur (§ 181.).

In parte bibliographica omnes libri Serbici theologici notantur, partim etiam recensentur. — Nr. 4 (pg. 126) »Slav l. theol.« paucis recensentur. *G. R.*

QUAEDAM, DE QUIBUS THEOLOGI UTRIUSQUE ECCLESIAE DISSENTIUNT.

VI.

Doctrina Russorum de canone Veteris Testamenti.

Concinnavit Jašek Ad.

Non omnes occidentales auctores pertractantes historiam canonis Veteris Testamenti attingunt etiam doctrinam Russorum theologorum de canone librorum sacrorum V. T. Nonnulli scriptores proferunt quidem hac de re opiniones, sed plerumque non veras, praecipue vero nullas vel falsas de auctoritate deuterocanonicorum librorum N. T. apud Russos.

Legamus, quae scribit Aug. Dendero [1]): „Ecclesia Graeco-Russica seu Moscovitica quoad canonem cum ecclesia Catholica quoque convenit. Id constat tum in genere ex eo, quod Moscovitae eandem fidem cum Graecis profiteantur, tum in specie ex authentico indice a. 1582. Moscoviae confecto, omnium capitum doctrinae, in quibus Graeci et Russi ab Ecclesia Catholica discrepant; si quidem in eo de librorum canone nulla fit mentio. Idipsum praeterea ex eo ernitur, quod inter varias controversias, quae variis temporibus exortae sunt inter Ecclesiam Russicam et Ecclesiam Catholicam de canonica auctoritate librorum numquam fuit disputatum". Rud. Cornely [2]) in praeclara sua Introductione prolatis sententiis Photii et Cyrilli Lucaris demonstrat ex operibus a Kimmel [3]) editis biblia Russorum recte omnes nostros deuterocanonicos libros suis locis inter protocanonicos continere et Philaretum metropolitam in Catechismo suo exclusis s. Cyrilli Hierosolymitani et s. Athanasii auctoritate libris deuterocanonicis a canone doctrinas protestanticas inter Russos propagasse. Eadem a V. Strack [4]) et Cornely accepit A. Loisy [5]). Dr. Herm. Zschokke [6]) in adnotatione quadam eximiae alioquin Historiae A. T. exclamat: „Pro dolor! Etiam Russorum theologi recentiores quoad valorem librorum deuterocanonicorum sententiam Protestantium tuentur. Confer Macaire Int p. 493. W. D. Philaret, Archiepiscopus Moscoviensis († 1867) primus docebat, Libros deuterocanonicos non esse inspiratos, sed solummodo tamquam ab omni errore fidei et morum immunes ab Ecclesia declaratos". Copiose et omni cum diligentia perscribitur historia et status canonis V. T. apud Russos usque ad tempora Philareti (quae sequuntur minus pertinent ad historiam canonis) in opere, quod attinet historiam canonis V. T. in variis ecclesiis, celeberrimo, quod scripsit episcopus Mullen [7]): sed non usus fontibus russicis — recentioribus omnibus omissis — totam doctrinam, praecipue praesentem theologorum Russorum afferre non potuit. Sapienter scribit Dr. Jar. Sedláček [8]) in sua Introductione: „Ecclesia russica in concilio Hierosolymitano a. 1672. cum Graecis faciebat et Graecorum canoni consentiebat. Aliquando addit autem Psalmum 151, Orationem Manassis ad finem Paralipomenon et quartum librum Esdrae ad finem V. T. In nonnullis editionibus

---

[1]) Aug. Dendero, Institutiones biblicae ad mentem Leonis XIII. in Encyclica „Providentissimus Deus" tiron. accommodatae [2]. Genuae 1895. p. 107.

[2]) Rud. Cornely, Historica et critica Introductio in U. T. libros sacros. Pars I. Introductio generalis. Parisiis 1885. p. 119—121.

[3]) Ernestus Julius Kimmel, Monumenta fidei Ecclesiae Orientalis Jenae. MDCCCL

[4]) Artic. Kanon in Herzog'Real-Encyclopedie. 2ed. VII. p. 446.

[5]) A. Loisy, Histoire du Canon de l'Ancien Testament. Paris 1890. p. 243—245.

[6]) Dr. Hermannus Zschokke, Historia Sacra Antiqui Testamenti [5]. Vindobonae 1903. p. 386.

[7]) Tobias Mullen, The Canon of the Old Testament. New York. 1892. Chapter XIV.—XVII. p. 196—261.

[8]) Dr. Jar. Sedláček, Úvod do knih Starého Zákona. Praha 1904 05. 53 p. 40.

fit discrimen ita, ut libri deuterocanonici appellentur verbis s. Athanasii, qui dicit, eos utiles esse ad legendum."

Ut praesertim falsas opiniones prolatas a Dendero — ecclesiam Moscoviticam convenire quoad canonem cum ecclesia catholica — et a Zschokke — Philaretum primum alienam a traditionali doctrinam propagasse — everteret, Alexander Dombrovski, sacerdos seminarii in Kovno, scripsit in Revue biblique [9]) commentationem, ubi allegatis locis ex theologicis libris orthodoxorum scriptorum demonstrare vult iam per totum saeculum XVII. fuisse communem doctrinam theologorum Russorum, id quod Philaretus docuit.

Quae est igitur doctrina russicae ecclesiae de canone librorum V. T.? In conciliis ecclesiasticis a Russis ipsis quaestio haec hucusque decisa non est [10]), qua de causa agi potest solummodo de doctrina singulorum Russorum theologorum in catechismis et theologicis libris approbatis et ad studium praescriptis a s. synodo.

Russorum theologi numerant inter dogmaticos errores in doctrina Romanae ecclesiae etiam discrepantiam quoad numerum librorum sacrorum V. F. In libro a s. synodo ad usum seminariorum approbato Программа обличительнаго Богословія для духовныхъ семинарій legimus: „Defectio romanae ecclesiae a doctrina ecclesiae russicae . . . : In fontibus doctrinae eccl.: De sacra scriptura et traditione: Adiectio canoni V. T. librorum apocryphorum" [11]). Eug. Uspenskij [12]) de memorato Ecclesiae catholicae „errore" agens, haec dicit: „Defectio ecclesiae romanae ab orthodoxa consistit in primis in eo, quod de canone librorum V. Foederis secus iudicat. . . . Docens enim convenienter cum ecclesia orthodoxa Verbum Dei i. e. Sacram Scripturam et Sacram Traditionem unicum doctrinae christianae fontem habendas esse, ecclesia Romana recessit ab orthodoxa in doctrina de Sacra Scriptura in eo, quod librorum V. F. canonem auget, adiciens libris canonicis V. F. etiam non canonicos". . . . Enumeratis libris deuterocanonicis pergit: „Omnes hos libros ecclesia Romana iuxta definitionem conc. Tridentini corpori canonicorum librorum adiungit eandemque atque his auctoritatem eis attribuit. Iam vero id contrarium est doctrinae ac fidei antiquae ecclesiae iudaicae, quae secundum eandem fidem omnia piorum virorum scripta, post aetatem prophetarum in lucem emissa atque a latinis divinitus inspirata habita, quamvis magnopere veneretur, in canonem tamen librorum divinitus inspiratorum nequaquam rettulit, sed

---

[9]) Alexander Dombrovski, La doctrine de l'église russe et le canon de l'Ancien Testament. Revue biblique. Paris. 1901. Tom. X. p. 267 - 277.

[10]) Cfr. G. Smirnov-Platonov, Неканоническія книги Ветхаго Завѣта in Правосл. Обозрѣніе 1862. IX. p. 24, — P. Jungerov, Общее историко-критическое введеніе въ священныя ветхозавѣтныя книги. Казань. 1902. p. 204.

[11]) P. 1: Отступленіе римской церкви отъ православной въ ученіи: . . . Объ источникахъ церковнаго ученія: Свящ. Писаніи и свящ. Преданіи . . . включеніе ветхозавѣтныхъ апокрифическихъ книгъ въ число каноническихъ.

[12]) Evg. Uspenskij, Обличительное Богословіе [3]. С. Петербургъ. 1898. p. 17—19. Cfr. Alex. Dombrovski, Revue biblique, l. c.

eidem solum apposuit. Qua igitur ratione ducuntur theologi Romani, cum eiusmodi scripta canoni librorum divinitus inspiratorum inserunt? In concilio Tridentino sess. IV. definitum est non esse opus conformari Iudaeis, qui nonnullos libros sacros Codici librorum divinitus inspiratorum non inseruerint, sed sequendam esse hac in re traditionem ecclesiae christianae. Iam vero quaeritur, in quo fundata sit haec traditio? Si enim credimus ecclesiae V. F. teste apostolo concredita fuisse eloquia Dei (Rom. 3, 2), ergo credendum est etiam illam Deo auctore fideliter ea integra (въ правильномъ видѣ) et tenuisse et conservasse. En causa, cur christiana ecclesia N. T. et recipere debuerit et reapse receperit tot et tales libros sacros V. F., quot et quales ab ecclesia V. F. tenebantur, nulla immutatione admissa".

Jungerov in libro suo ab ecclesiastica congregatione Kazaniensis accademiae approbato, qui ad optimos id generis in russica theologica litteratura pertinet, delineata historia canonis V. T. ad finem summam faciens adicit[13]): „Russica orientalis christiana ecclesia ab ipso principio usque ad hoc tempus in quaestione de canone iudaicam traditionem et iudaicum canonem sequebatur; ita decernebatur apud nos haec quaestio per patres, concilia et doctos theologos. Non canonicorum librorum auctoritas non aequiparabatur canonicis et legebantur a catechumenis et ad excitandam pietatem.

Iidem quoad auctoritatem aestimabantur magis profanis quotidianis operibus, adiciebantur semper operibus biblisticis et editionibus bibliorum et ducebantur stabiles (immutabiles) partes bibliorum — verba Dei. Occidentalis Romana ecclesia a principio usque adhuc in oecumenicis conciliis, decretis pontificum et canonibus aequiparat non canonicos libros canonicis. Ecclesiae protestanticae, cum inclusissent canonem V. T. in canonem iudaicum, reiecerunt omnem auctoritatem non canonicorum librorum et eiecerunt eos ex bibliis, maxime in editionibus Societatum biblicarum".

Secundum haec verba alia est igitur doctrina Russorum de canone V. T. atque doctrina ecclesiae Romanae, et alia atque ea, quam theologi protestantici in scriptis et bibliis propagant atque tuentur.

---

[13]) Общее введеніе p. 217: Православ. восточная христіанская церковь, съ самаго начала и до послѣдняго времени, руководилась въ вопросѣ о канонѣ іудейскимъ преданіемъ и іудейскимъ канономъ; такъ рѣшался здѣсь этотъ вопросъ отцами, соборами и учеными богословами. Неканоническія книги не уравнивались въ авторитетѣ съ каноническими и назначались для чтенія оглашеннымъ и для нравственнаго назиданія. Но онѣ по авторитету всегда ставились выше обыкновенныхъ естественныхъ произведеній, помѣщались всегда въ библичейскихъ спискахъ и изданіяхъ и считались неизмѣнною частію Библіи — слова Божія. Западная римская церковъ издревле и до послѣдняго времени, въ общецерковныхъ соборахъ, папскихъ и каноническихъ опредѣленіяхъ, придавала неканоническимъ книгамъ авторитетъ равный съ каноническими . . . Протестантскія общины, ограничивъ ветхозавѣтный канонъ іудейскимъ канономъ, отвергли всякій авторитетъ неканоническихъ книгъ и изъяли ихъ изъ состава Библіи, особенно въ изданіяхъ Библейскаго общества.

Ad quaestionem, quosnam libros canonicos V. T. theologi ecclesiae orthodoxae nominent, respondeo verbis catechismi ecclesiae russicae a Philareto compositi [14]). Q(uaestio): Quot sunt libri sacri Veteris Testamenti? R(esponsio): S. Cyrillus Hierosolymitanus, s. Athanasius Magnus, s. Ioannes Damascenus numerant 22; quos ab Hebraeis lingua sua conscriptos servari. Cfr. Ath. Ep. 39 de Fest., Ioan. Dam., De Fide orthodoxa libr. IV. c. 17. Q.: Cur Hebraeorum numeratio consideratione digna est? R.: Quia ipsis, ut s. apostolus Paulus loquitur, concredita fuerunt eloquia Dei; et christiana ecclesia V. T. accepit libros sacros N. T. ab ecclesia hebraica V. T. Rom 3, 2. Q.: Quomodo igitur numerant libros sacros V. T. santus Cyrillus et sanctus Athanasius? R.: Hoc modo: 1. Liber Genesis, 2. Exodi, 3. Leviticus, 4. Numeror., 5. Deuteronomii, 6. Iosue, 7. Iudicum et una cum eo ut additamentum liber Ruth, 8. primus et secundus liber Regum, ut duae unius libri partes, 9. tertius et quartus liber Regum, 10. primus et tertius liber Paralipomenon, 11. liber Esdrae primus et secundus eiusdem vel quo nomine Graeci utuntur, liber Nehemiae, 12. Esther, 13. liber Iob, 14. Psalterium, 15. Proverbia Salomonis, 16. Ecclesiastes eiusdem, 17. Canticum Canticorum eiusdem, 18. liber prophetae Isaiae, 19. Ieremiae, 20. Ezechielis, 21. Danielis, 22. duodecim prophetarum". Enumeratos libros habet nunc russica ecclesia pro divinis et canonicis eandemque auctoritatem, quam ecclesia catholica, eis tribuit. Haec est communis hoc tempore theologorum Russorum doctrina, „quam in scholis et in libris docere pergunt" [15]).

---

[14]) Пространный христіанскій катехизисъ правосл. каѳолич. вост. ц., разсматр. и одобр. Сбятѣйшимъ Синодомъ. Москва. 1842, p. 10—12: Вопр.: Сколько священныхъ книгъ Ветхаго Завѣта? — Святый Кириллъ Іерусалимскій, святый Аѳанасій Великій и святый Іоаннъ Дамаскинъ считаютъ ихъ двадцатъ двѣ, примѣняясь къ тому, какъ ихъ считаютъ евреи на своемъ первоначальномъ языкѣ. Аѳан. посл. 39 о празд. Іоан. Дам. Богосл. кн. 4, гл. 17. — Вопр. Почему достойно вниманія счисленіе евреевъ? — Потому что, какъ говоритъ апостолъ Павелъ, ввѣрена быша имъ словеса Божія, и новозавѣтная христіанская церковъ приняла ветхозавѣтныя священныя книги отъ ветхозавѣтной церкви еврейской. Рим. 3, 2. — В. Какъ же исчисляютъ ветхозавѣтныя книги святый Кириллъ и святый Аѳанасій? — Слѣдующимъ образомъ: 1. Книга Бытія, 2. Исходъ, 3. Левитъ, 4. Числъ, 5. Второзаконіе, 6. Іисуса Навина, 7. книга Судей и вмѣстѣ съ нею, какъ бы ея прибавленіе, книга Руѳъ, 8. первая и вторая книга Царствъ, какъ двѣ части едной книги, 9. третія и четвертая книги Царствъ, 10. первая и вторая книги Паралипоменонъ, 11. книги Ездры первая и вторая его же, или по греческому наименованію, книга Неемін, 12. Есѳиръ, 13. книга Іова, 14. Псалтиръ, 15. Притчи Соломона, 16. Екклесіастъ его же, 17. Пѣснь Пѣсней его же, 18. книга пророка Исаіи, 19. Іереміи, 20. Іезекіиля, 21. Даніила, 22. двѣнадцати пророковъ.

[15]) Cfr. Alexander Dombrovski, Revue biblique, c. p. 273. Eundem numerum et ordinem librorum canonicorum V. T. habent: A.. Makarij, Введеніе въ православное богословіе. С. Петербургъ 1847. § 124. P. Jungerov, op. cit., p. 207.

Inquiramus monumenta et scripta, quae ad fidem ecclesiae russicae pertinent, ut videamus sintne vera verba a Jungerov prolata [16]): „Russica orientalis ecclesia ab ipso principio usque ad hoc tempus in quaestione de canone a iudaica traditione et iudaico canone non recessit; sic apud nos haec quaestio per patres, concilia et doctos theologos disceptabatur.

Fidem et Sacram Scripturam acceperunt Russi a sancto Methodio. In Vita s. Methodii traditur hic Sacram Scripturam ex graeca lingua in linguam veteroslavicam vertisse exceptis libris Maccabaeorum [17]).

Nestor mentionem faciens rerum a ss. apostolis nostris, gestarum notat: „Deinde verterunt Psalterium, oktoichon et ceteros libros". E contextu et praecipue e sequentibus verbis eius cognoscimus nomine „ceterorum librorum" eum intelligere ceteros libros Sacrae Scripturae, sc. omnes praeter Psalterium. „Methodius instituit duos presbyteros tachygraphos magnos et vertit omnes libros omnino ex lingua graeca in slavicam" (Lětopis' Nestorova cap. XX.).

Monumentis ipsis verba Vitae (aut Nestoris) non possumus probare, praesertim, cum versio librorum deuterocanonicorum in veteribus codicibus non sit conservata — occupata Russia a barbaris Tartaris saec. XIII. cultus in Russia sit disturbatus et multa pretiosaque monumenta dissipata, quo loco etiam codices et multi libri Sacrae Scripturae prorsus perierunt — exceptis fragmentis Sapientiae Salomonis et Iesu filii Sirach. Brevi tempore post mortem s. Methodii versio veteroslavica erat per totam Russiam pervulgata, prout testantur codices manuscripti bibliorum et loci biblici a scriptoribus allegati, qui ex his temporibus ad nos usque permanserunt „A saeculo XV. praeter alios codices et fragmenta librorum sacrorum ad nos manavit codex totius Sacrae Scripturae — qui dicitur codex Gennadii, eiusque non unicum tantum exemplar. Ab omnibus agnoscitur manuscripta Gennadii continere slavicum textum Sacrae Scripturae non ex tempore transcriptionis, sed aperte antiquiorem, grammatice, phonetice palaeographice saec. XI. redolentem, itaque aetati ss. Cyrilli et Methodii propinquum cum bulgaricis quidem correcturis. Novitate differt ibi textus librorum Regum et prorsus aliam atque Cyrillo-Methodianam originem habet textus Paralipomenon, Esdrae, Nehemiae, Esther, Tobiae, Iudith, Sapientiae Salomonis: qui libri translati sunt e Vulgata, quod tempore Gennadii esse factum videtur. Sed evenisse potest etiam, ut, hi libri, etsi vetere Cyrillo-Methodiana versione propagati essent in Russia, tamen, tempore Gennadii non invenirentur et etiam hucusque ignoti

---

[16]) Vide supra.

[17]) Ioannes, exarcha Bulgar. (892—927) testatur: »Великій Божій архіепископъ Меѳодій, братъ св. Кирилла, преложи вся уставныя книги 60 отъ еллинска языка на словенскъ«. Nonnulli theologi russici (Filaret, prof. Malyševskij, Gorskij, Nevostruev) putant verbum »уставныя« = κεκανονισμένα et numerum sexaginta indicare s. Methodium solummodo protocanonicos libros vertisse (V. T. 33 et N. T. 27) et terminum „libros Maccabaeorum" continere nominationem (pars pro toto) librorum deuterocanonicorum. Sed similes conclusiones sunt mera commenta carentia argumentis.

sint. Hoc modo tota Sacra Scriptura in Slavicum versa perdudum in Russia pervulgata est". Id sine ira et studio prof. Jungerov confitetur [18]).

Quaestio nunc est, qualem auctoritatem sancti nostri apostoli, sive omnes libros Sacrae Scripturae transtulerunt, sive quacumque de causa versionem quorumdam omiserunt, libris deuterocanonicis tribuerint, cum de protocanonicis nulla sit controversia.

Profecti sunt sancti fratres e Thessalonica saeculo IX. Certe doctrinam attulerunt, quae ea aetate de canone in Oriente communis erat. Doctrinam eandem tunc fuisse in Oriente et Occidente cognoscimus ex eo, quod fratres ad eam confirmandam Romam venerunt et Papa Hadrianus eorum doctrinam revera comprobavit.

Qualis igitur fuit in Oriente et Occidente eo tempore, (saec. VIII. et IX.) status doctrinae de canone?

In Oriente, exceptis duobus viris, qui hac in re nec usum nec doctrinam suae aetatis sequebantur, communis erat doctrina de canone librorum sacrorum V. T. consentanea cum decretis conciliorum Carthaginiensium (III. a. 397 [19]) et IV. a. 419 [20]) ignorantium discrimen inter auctoritatem, vim dogmaticam, originem divinam librorum protocanonicorum et librorum deuterocanonicorum. Maximi momenti est pro nobis etiam testimonium Photii. „Qui maximus ecclesiae occidentalis hostis et adversarius, quum ad suum schisma excusandum minimas, quae eo tempore Orientales inter et Occidentales exstiterunt, discrepantias conquireret, non tantum canonis diversitatem silentio non pressisset, nisi hac in re perfecta harmonia adfuisset, sed etiam in suo Nomocanone et sua canonum collectione Carthaginiense decretum de V. et. N. T. libris non retulisset, nisi illud in graeca ecclesia vim legis habuisset. Postquam vero a Romana unitate omnino recesserunt, Graeci eundem canonem retinuerunt" [21]).

Theologi Russorum [22]) pro sententia sua ad eius aetatis Patres S. Ioannem Damascenum († 754) et Nicephorum, patriarcham Constantinopolitanum (806—815) provocant. Quod priorem attinet, cuius auctoritatem orthodoxi magni aestimant [23]), verum est eum adduxisse viginti duos libros in quattuor Pentateuchos cum appendice duorum librorum divisos [24]), sed eius testimonium ad doctrinam de canone momentum non affert, quia non suam, sed s. Epiphanii recensionem canonis synagogae solummodo transcripsit, nec raro libris Sapientiae et Ecclesiastico pro divinis usus est [25]). „Nicephorus in sua Stichometria a Synopsi

---

[18]) Obščee ist.-kr. vvedenie, p. 512—513.
[19]) Mansi, Coll. Concil., III., p. 924.
[20]) Mansi, Coll. Concil., IV., p. 430.
[21]) R. Cornely, Introd., p. 119—120.
[22]) P. Jungerov, O. i.-k. vved., p. 181—182.
[23]) P. Jungerov, l. c.
[24]) De fide orthodoxa. IV., 17. Migne, Patrol. gr. 94, 1180.
[25]) R. Cornely, Introd., p. 121. Loisy, Hist. du Can. p. 144—145. M. Magnier, Étude sur la Canonicité des Saintes Écritures. I. Paris 1892, p. 316 - 319.

Ps.-Athanasiana, quam in compendium redegit, totus dependet, ita ut nec suam nec suae aetatis, nec suae ecclesiae sententiam referre dicendus sit, sed velut historicus fidelis anterioris cuiusdam aetatis documentum conservare voluerit; idque eo magis est concedendum, quia stichometria eius non est nisi chronographiae eius appendix quaedam" [26]).

Ne unus quidem scriptor aetate ss. apostolorum Slavorum canonem Palaestinensem defendit; propterea iure concludimus ss. Cyrillum et Methodium in patria ad doctrinam, qua eadem auctoritas deuterocanonicis ac protocanonicis libris vindicatur, adsuevisse. Quae doctrina Romae non potuit labefactari, sed affirmata est, quippe quae eadem in Occidente ab universa ecclesia eo tempore ut communis recepta esset [27]).

Quem statum doctrinae de canone saec. VIII. et IX. etiam theologi Russorum agnoscunt. „In hoc discrimine, quod orientales orthodoxi theologi (sc. s. Ioannes Dam. et Nicephorus) inter canonicos et non canonicos libros V. T. fecerunt, tamen etiam hi inseruntur semper bibliorum exemplaribus. Numerosi codices manuscripti superstites [28]) graecorum bibliorum a saec. VI.—XVI. plerumque una cum canonicis continent etiam non canonicos libros totos aut fragmenta eorum. In exemplaribus versionis syrohexaplaris, confectae a Paulo, episcopo Telli (613—616), qua ecclesia syriaca utebatur, etiam omnes non canonici libri inveniuntur, item in armenica, arabica et veteroslavica Cyrillo-Methodiana versione comprehendebantur omnes non canonici libri, in hac ultima tamen exceptis libris Maccabaeorum. In liturgia libri non canonici in orthodoxo-orientali ecclesia sine dubio adhibiti sunt [29]).

Num igitur aliam doctrinam ss. Cyrillum et Methodium tradidisse putabimus atque eam, quam totus Oriens et Occidens unanimiter et concorditer confitebatur! [30])

---

[26]) R. Cornely, Introd., p. 120 Cfr. Loisy, Hist. du Can., p. 145—149; Magnier, Étude, I., 319—323.

[27]) R. Cornely, Introd., p. 118. Fr. Vigouroux, Dictionnaire de la Bible. Paris. T. VIII., p. 161.

[28]) Cfr. Henry Barclay Swete, An Introduction to the Old Testament in Greek [2]. Cambr. 1902, p. 122—170.

[29]) P. Jungerov, Obščee vved., p. 183: »При указываемомъ восточными православными богословами различіи въ авторитетѣ каноническихъ и неканоническихъ ветхозавѣтныхъ книгъ, послѣднія помѣщались всегда въ составѣ библическихъ списковъ. Сохранившіяся многочисленныя греческія библейскія рукописи съ VI.—XVI. вв. содержатъ обычно въ цѣльномъ видѣ или отрывками и неканоническія книги въ ряду съ каноническими. Въ спискахъ сирогексаплярнаго перевода, составленнаго Павломъ, епископомъ Теллы (613—616 гг.), и имѣвшаго церковное употребленіе въ сирской церкви, находятся и всѣ неканоническія книги; также въ армянскомъ, арабскомъ и древнеславянскомъ Кирилло-Меѳодіевскомъ переводѣ находились всѣ неканоническія книги, въ послѣднемъ впрочемъ »развѣ Маккавей«. При богослуженіи неканоническія книги въ православно-восточной церкви, несомнѣнно, употреблялись«.

[30]) M. L'Abbé Const. Chauvin, La Bible depuis ses origines jusqu' à nos jours [3]. II. Paris 1903, p. 19: „Quoi qu' il en soit, les hésitations de ces deux Pères (sc. s. Ioan. Dam. et Gregorii [590—604]) . . . ne

Consentiunt critici vetero-slavicam versionem Sacrae Scripturae factam esse e LXX., eamque e textu, quem Lucianus [31]) recensuit. LXX. autem omni discrimine inter protocanonicos et deuterocanonicos libros sublato omnes pari auctoritate continet. Id iudicandum est etiam de versione veteroslavica. Ne unum quidem exemplar huius priscae versionis usque ad nos pervenit: Pentateuchus extat cum subscriptione Cyrilli Novgorodensis sacerdotis a. 1136, ex tempore posteriore Iosue, Iudicum, Ruth, Prov. Salomonis, ex XI. saec. Psalterium, quos omnes libros philologi reliquias esse veteroslavicae cyrillo-methodianae versionis existimant. Demum ab a. 1581. cura Constantini principis Ostrogae editi sunt omnes libri sacri lingua vetero-slavica, in quibus (secundum bibl. Gennadii 1499) Paralipomenon, primum Esdrae, Nehemiae, Tobiam, Iudith, primum et secundum Maccabaeorum e Vulgata, Estheris prima 16 cap. e hebraico [32]), ultima 6 e Vulgata versa esse, omnesque ceteros libros e codicibus LXX. originem duxisse iudicant. Hic libri deuterocanonici cum protocanonicis eodem loco et numero habentur. Ab hac celeberrima editione Sacrae Scripturae Ostrogensi omnes posteriores editiones bibliorum russicorum semper utrosque libros V. T. continent [33]). In editionibus huius temporis (ed. 1882) a s. synodo approbatis inveniuntur hi libri V. T.: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudices, Ruth, I.—IV. Regum, I., II. Paralip., I. Esdrae (I. Esdrae Vulg.), liber Nehemiae, II. Esdrae (III. apocr. Vulg.), Tobias, Iudith, Esther (cum fragmentis deuteroc.), Iob, Psalterium, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Canticum Canticorum Salomonis, Sapientia Salomonis, Sapientia Iesu, filii Sirach, Iesaias, Ieremias. Lamentationes Ierem., Epistola Ieremiae (Baruch VI.), Baruch, Ezechiel, Daniel (cum fragmentis deuterocan.), duodecim Proph., I., II., III. Maccabaeorum, IV. Esdrae (IV. apocr. Esdrae Vulg.) [34]) Libri deuterocanonici commiscebantur protocanonicis; demum ultimo hoc tempore in nonnullis editionibus ante libros deuterocanonicos adnotatur: „utiles ad legendum“.

Antiqui scriptores Russorum numquam faciunt discrimen auctoritatis divinaeve originis librorum protocanonicorum et deuterocanoni-

---

trahissent que de sentiments individuels et ne diminuent en rien la foi générale de l'Eglise qui, depuis le VIe siècle jusqu' au Xe, admit intégralement la Bible et crut à sa divine auctorité“. Cf. Mangenot in Dictionnaire de Théologie catholique. II. Paris 1904 (Canon).

[31]) Cfr. M. Blagověščenskij, Книга Плачь. Кіевъ 1899, p. 217—220: P. Jungerov, O. i.-k vved., p. 394; De Lagarde, Librorum V. T. canonicorum pars I. Göttingen 1883, p. XV.; H. Barclay Swete, An Introduction [2], p. 121; Carl Heinr. Comill, Einleitung in die kanonischen Bücher des Alten Testaments. Tübingen 1905. 5 ed., p. 329. In Kitto-Cyklopaedia — artic. Versions ponitur veteros lavicam versionem e Vetere Itala factam esse.

[32]) Al. Sobolevskij, prima 9 capita e Graeco iam antea translata fuisse arbitratur (Věstnik arheologii i istorii X.).

[33]) Nest. Dagaev, Исторія ветхозавѣтнаго канона. С. Петербургъ. 1898, p. 254.

[34]) In nonnullis editionibus adduntur: CLI. Psalmus in fine Psalterii et Oratio regis Manassis in fine II. Paralip.

corum N. T. Nestor, antiquissimus scriptor (1056—1114) annalium Russorum, monachus claustri Pečerensis, multum in Sacra Scriptura volutatus, quam saepissime allegat in operibus suis, indiscriminatim affert libros protocanonicos atque deuterocanonicos. In Annalibus (Лѣтопись) invenimus locos ex Sapientia Sal. 3. 1. 4 (An. cap. XXXIV.), 5, 16—17 (An. cap. XXXIV.), Ecclesiastico 1, 6—17 (An. cap. XLVII.) Daniele 3, 28. 32 (An. cap. LXXVII.), mentionem trium puerorum in camino ignis (An. cap. XXXI.). Verum est hoc in opere non agi de rebus fidei et morum, sed nihilominus cognoscimus Nestorem nullum fecisse discrimen inter libros protocanonicos et deuterocanonicos.

In concilio Florentino (1438—1445) disceptabatur de controversiis inter orientalem et occidentalem ecclesiam, sed nulla fit mentio de canone Scripturarum. Aderant etiam legati ex Russia [35]). A. 1582. confectus est Moscoviae authenticus index omnium capitum doctrinae, in quibus Graeci et Russi ab ecclesia catholica discrepant, sed de canone librorum sacrorum silebant. Ex quibus sequitur fidem utriusque ecclesiae de canone V. T. iis temporibus eandem fuisse. Et communem hac aetate doctrinam expressit una cum Patribus concilii Florentini Eugenius IV. cum in decreto unionis Jacobitarum profiteretur: „Unum atque eundem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est Legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur s. Romana ecclesia auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante Utriusque Testamenti sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur: Quinque Moysis . . . . . Esdra, Nehemia, Tobia, Iudith, Esther, Iob . . . . Cantico Cant., Sapientia, Ecclesiastico, Isaia, ... Malachia, duobus Maccabaeorum, quattuor Evangeliis etc. [36]). In tota antiquitate russicae litteraturae nihil invenimus, quod canoni librorum sacrorum, quem ecclesia Romana et Graeca agnoscebant, repugnaret, immo vero adsunt documenta, quibus fulcitur sententia: Ecclesiam russicam primitus in doctrina de canone V. T. omnino convenisse cum ecclesia catholica.

Cum Cyrillus Lucaris, nimius fautor et defensor Protestantismi [37]), doctrinam Lutheri et Calvini propagare coepisset, approbavit canonem

---

[35]) Ex Russis orthodoxis unionem ecclesiarum subscripsit Avraamij Suzdalskij.

[36]) Cfr. R. Cornely, Introd., I., p. 130—131: Loisy, Hist. du C., p. 178—179.

[37]) „Haud praetereunda est aperta, quam Cyrillus non diutius dissimulavit, ad dogmata reformatorum inclinatio“ . . . confitetur ipse Kimmel, Monum. fid. p. XXXIX. et aliis locis e. g. XIX.—XX., XXXII., XXXVII., XLI. Mullen, The Canon, p. 206 scribit: „Elevated to this lofty position (patriarchae Alexandrini, a. 1602) he decided on exercising his personal and official influence in the consummation of a project, which he seems to have long contemplated — the adoption of Calvinism in some forme by the schismatical Greeks. With this object in view he opened a correspondence with Cornelius Von Hagen, Dutch ambassador at Constantinople, David le Leu de Wilhelm, a Dutch statesman, John Uytenbogaert, the Calvinist minister at the Hague, and George Abbot, Anglican archbishop of Canterbury.

viginti duorum librorum V. T. Adducam eius verba, prout a Kimmel [38]), afferuntur, ut videamus talem doctrinam eo tempore prorsus insolitam fuisse theologis et praesulibus ecclesiae graecae et russicae: „Christianae fidei confessio Cyrilli Lucaris, patriarchae Constantinopolitani; Quosnam libros Sacrae Scripturae nomine dignaris? Sacram Scripturam canonicos omnes libros appellamus, quos tamquam fidei ac salutis nostrae regulam accepimus atque ideo retinemus eaque potissimum de causa, quod divinitus inspiratam nobis suggerant doctrinam, quae tum ad illuminationem et perfectionem illius, qui ad fidem accedit, sufficiat: hunc vero canonicorum librorum numerum esse credimus, quem Laodicensis synodus [39]) pronuntiavit et quem Catholica et Orthodoxa Christi ecclesia a Spiritu Sancto illuminata in hunc usque diem confitetur. At ii, quos apocryphos nominamus, hoc propterea nomine insigniuntur, quod eandem a Spiritu Sancto auctoritatem et approbationem non acceperint, quam qui proprie et citra controversiam pro canonicis habentur, quorum ex numero sunt Pentateuchus, Hagiographa ac Prophetae, quos Laodicensis synodus legendos esse statuit, Veteris nempe Testamenti libros viginti duos". Sed iam successor patriarchatus eius

---

Abbot, at the request of Cyril, succeded in inducing King James to admit to the University of Oxford Metrophanes Critopulus, a native of Berea, who, after studying there, was on his return to spend some time in Germany, in order to be fully equipped for assisting in the evangelization of Greece. The indefatigable Cyril, it seems, had, besides Metrophanes, several other young Greeks studying in Protestant universities, and destined to take part in the labors of the same mission". Metrophanes Critopulus revera accepit et propagavit doctrinam protestanticam. Cfr. eius Ὁμολογία τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς apud Kimmel, II., p. 104—106.

[38]) Kimmel, I, p. 42: Ἀνατολικὴ Ὁμολογία τῆς Χριστιανικῆς πίστεως τοῦ Κυρίλλου: Ἱερὰν γραφὴν ποῖα βιβλία καλεῖς· Ἱερὰν γραφὴν πάντα τὰ κανονικὰ βιβλία λέγομεν. ἅπερ ὡς κανόνα τῆς πίστεως ἡμῶν καὶ τῆς σωτηρίας παρελάβομεν καὶ κρατοῦμεν· μάλισθ' ὅτι θεόπνευστον ἡμῖν παραβάλλουσι τὴν διδασκαλίαν, καὶ αὐτάρκη κατηχῆσαι, φωτίσαι καὶ τελειῶσαι τὸν τῇ πίστει προσεχόμενον. Ταῦτα δὲ τὰ κανονικὰ βιβλία τοσαῦτα τὸν ἀριθμὸν εἶναι πιστεύομεν, ὅσα ἡ ἐν Λαοδικείᾳ σύνοδος ἀπεφήνατο, καὶ ἡ τοῦ Χριστοῦ καθολικὴ καὶ ὀρθόδοξος ἐκκλησία ὑπὸ τοῦ παναγίου πνεύματος φωτισθεῖσα μέχρι τοῦ παρόντος ὑπαγορεύει. Ἅπερ δὲ ἀπόκρυφα λέγομεν, διὰ τοῦτο τὸ ἐπώνυμον οὕτως ἔχουσιν, ὅτι τὸ κῦρος παρὰ τοῦ παναγίου πνεύματος οὐκ ἔχουσιν ὡς τὰ κυρίως καὶ ἀναμφιβόλως κανονικὰ βιβλία, ἐν οἷς ἡ τοῦ Μωυσέως πεντάτευχος, καὶ τὰ ἁγιόγραφα, καὶ οἱ προφῆται, ἅτινα ὥρισεν ἀναγινώσκεσθαι ἡ ἐν Λαοδικείᾳ σύνοδος, ἀπὸ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία εἴκοσι δύο".

[39]) In LX. canone relato ad provinciale concilium Laodicenum, quod habitum est (363?) ab aliquot praesulibus Phrygiae, legimus: „Haec sunt, quae oportet ex Vetere Testamento legi: Genesis, Exodus i. e. exitus ex Aegypto, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iesus Nave, Iudices et Ruth, Esther, Regnorum primus et secundus, Esdrae primus et secundus, liber Psalmorum, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica Cantic., Iob, duodecim Prophetae, Isaias, Ieremias et Baruch, Lamentationes et epistolae, Ezechiel, Daniel, Novi autem Testamenti haec. Evangelia quattuor" etc. Sed multi gravesque scriptores adductum canonem germanum esse negant, cum iam omnes antiqui collectores eum ignoraverint. Cfr. R. Cornely, Introd. I., p. 98—100; Magnier, Étude I., p 301—305; Loisy, Hist. du Can., p. 105—106. Litteraturam vide Vigouroux, Diction. VIII., p. 151.

Cyrillus Contaru condemnavit eius errores. Cum autem ad sedem Constantinopolitanam Parthenius evectus esset celebrato concilio, cui interfuerunt tres patriarchae, viginti et unus episcopi, aliae dignitates, misit epistolam synodicam ad synodum provincialem, quam Petrus Mogila in urbem suam Iasios convocavit, ibique cum tribus episcopis, quibus praefuit, aliisque suae provinciae clericis ac nobilibus hominibus proscripsit doctrinam Cyrilli Lucaris his verbis [40]: „Insuper et quas suis attexuit capitibus quaestiones prolatae fuerunt: et has quidem nihilo meliores capitibus eadem universa sancta synodus invenit. Quippe elaboratas a sanctis patribus Sacrae Scripturae expositiones et hic uti supra non modo respuit, verum et nonnullos eiusdem Scripturae libros velut canonicos a sanctis et oecumenicis synodis receptos expungit . . . . Quapropter dicta capita et quaestiones communi suffragio (inquit haec sancta synodus) absolute damnamus et tamquam haereses ubique spirantia atque ab orthodoxa, quam profitemur, fide prorsus aliena, nostris ab liminibus proscribimus". Subscripta sunt nomina Parthenii, patriarchae Constantinopolitani, Petri Mogilae [41]), archiepiscopi Ciobi (Kiev), episcoporum octo, curatorum synodi triginta quinque, inter quos item multi erant episcopi aliique magnae dignitatis viri.

Itaque Petrus Mogila nomine totius Magnae Russiae subscripsit canonem anathematizantem doctrinam Cyrilli Lucaris, qui „nonnullos canonicos libros Sacrae Scripturae expunxit" i. e. amovit a canone agnito atque approbato a ss. patribus et oecumenicis synodis. Agitur sine dubio de aliquibus libris deuterocanonicis, quos neque concilium Laodicenum enumerat.

In provinciali concilio Iasiis habito Petrus Mogila „catechismum (cuius primus auctor fuisse fertur Isaias Trophimovicius Kozlovskius, monasterii Kioviensis Nicolao dicati Igumen, qui vocatur) iterum atque saepius legit, ut quaecumque minus probarentur, resecaret, et quae desiderarentur, adicere

---

[40]) Kimmel, Mon. fid. I., p. 415—416: „Πρὸς τούτοις ἐνεφανίσθησαν καὶ ἃς τοῖς κεφαλαίοις προσέθηκεν ἐρωτήσεις, καὶ ἐγνώσθησαν πάσῃ τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ συνόδῳ οὐδὲν ἄμεινον τῶν κεφαλαίων διακείμεται. Οὐ μόνον γὰρ τῆς γραφῆς ἑρμηνείας, τὰς τοῖς πατράσιν ἡμῶν ἐκπονηθείσας, ὡς καὶ πρότερον παρακρούεται, ἀλλὰ καί τινα τῆς ἐκείνης ἀθετεῖ βιβλίων, ἅπερ αἱ ἅγιαι καὶ οἰκουμενικαὶ σύνοδοι ὡς κανονικὰ ἐδέξαντο . . . Διὰ τοῦτο τά τε κεφάλαια ταῦτα καὶ τὰς ἐρωτήσεις κοινῇ ψήφῳ τελείως (φησὶν ἡ ἁγία σύνοδος αὕτη) ἀνατρέπομεν καὶ τῆς ἡμετέρας αὐλῆς ἀπελαύνομεν ὡς αἱρέσεων πεπληρωμένα καὶ πάντῃ ἀλλότρια τῆς ὀρθοδόξου ἡμῶν πίστεως".

[41]) Petrus Mogila a. 1632 sedem metropolitae Kioviae obtinuit; erat vir amplissimo genere oriundus, scientia conspicuus, optime de Russorum ecclesia meritus. Alteri synodo adversus Cyrillum Lucarim habitae nomen subscripsit his verbis: „Τῇ συνοδικῇ ταύτῃ ἐπιστολῇ τοῦ παναγιωτάτου πατρὸς καὶ ποιμένος ἡμῶν Πατριάρχου Κωνσταντιν. συμφωνῶν ἐν πᾶσι καὶ συναιτῶν ἐγὼ Πέτρος Μογίλας, ταπεινός, Ἀρχιεπίσκοπος Μητροπολίτης Κιόβου καὶ Ἁλικίας καὶ πάσης Ῥωσίας Ἔξαρχος τοῦ ἁγίου ἀποστολικοῦ θρόνου τοῦ Κωνσταντινουπόλεως Ἀρχιμανδρίτης τῆς Λάμπρας Πιετζαρίου ὑπογράφω ἰδίᾳ χειρί δι' ἐμέ τε καὶ ἐκ προσώπου πάσης τῆς ἐν Χριστῷ ἐκκλησίας τῆς ὀρθοδόξου καὶ καθολικῆς τῆς οὔσης ἐν τῇ μικρᾷ Ῥωσίᾳ".

Res ipsa docet hoc symboli breviarium lingua russica fuisse compositum. Iam opus fuit, ut in graecam transferretur linguam, quam operam ab ipso Petro Mogila libro tributam esse puto. Hanc fuisse libelli rationem et ipsa rei natura docet et titulus significat, quem scribit Nectarius fuisse: *Ἔκθεσις τῆς τῶν Ῥώσων πίστεως.* Ut igitur Constantinopolitanus patriarcha sua auctoritate librum confirmaret, petierunt, qui iam illam expositionem domi comprobarant, ut in Moldaviam, ab utraque urbe pari fere spatio remotam, legati mitterentur, penes quos esset, de re liberare. Missi sunt Constantinopoli Porphyrius, Niceae metropolita, et Meletius Syrigus, magnae ecclesiae doctor, patriarchae vicarius et plenissima synodi universae facultate instructus. Moscovia vero delegati sunt tres viri Iesaias Trophinus, Iosephus Cononovicius et Ignatius Xenovicius, quos Nectarius a scientia et prudentia mirifice collaudat, quippe cuncti iam synodo Constantinopolitanae contra Cyrillum habitae assentiendo suam mentem aperuerant. Quorum virorum conventus, Iasiensis synodi quasi continuatio ac finis libro in censuram vocato ultimam limam admovit, ita ut opus Kioviae inchoatum et in Moldavia emendatum dignum videretur, quod quattuor patriarchis sanciendum et confirmandum traderetur. Russici patriarchae consensus non fuit opus, cum ipsa confessio a Russis profecta ac proposita esset. Illi igitur patriarchae non dubitarunt suis nominibus subscriptis commendare librum eique totam Orientalem ecclesiam obstringere a. 1643" [42]). Liber in lucem prodiit ornatus titulo „Confessio orthodoxa fidei catholicae et apostolicae ecclesiae Orientalis" [43]). In hoc catechismo deuterocanonici libri eadem auctoritate ac protocanonici habentur. In Quaestione X. Partis I. [44]): „Scrutator enim disputatorque divinae maiestatis vetatur a Scriptura dicente" . . . allegatur Sirach 3, 22—24 sec. Vulg. (ibi indicatur Sirach III, 20.). In Quaestione XVI. Partis I. [45]): „Sic Scriptura dicit" . . . . allegatur Sirach 23, 28 (ibi XXIII., 29) et Sirach 42, 19 (ibi XLII, 19. 20). In Quaestione XXIII. Partis I. [46]): . . . . „sicut in Scriptura dicitur" . . . . allegatur Sirach 15, 11—18 et 15, 21 (ibi XV, 11; XV, 20). In Quaestione XXVIII. Partis I. [47]) allegatur Ecclesiastici 12, 7. In Quaestione LXVII. Partis I. [48]) . . . . sic enim in Sacra Scriptura legitur" . . allegatur Sap. 3, 1. In Quaestione XLVII. Partis I. [49]) provocatur ad argumentum Tobiae 2. In Quaestione IX. Partis III. [50]) legimus: „Quid est eleemosyna? . . . . Est vero haec virtus homini christiano vel maxime necessaria, docente Sacra Scriptura (*καθὼς διδάσκει*

---

[42]) Kimmel, Mon. fid., I., § 5, p. LII.—LIII.
[43]) Ὀρθόδοξος ὁμολογία τῆς πίστεως τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἀνατολικῆς.
[44]) Kimmel, Mon. fid., I, p. 67.
[45]) ibidem, p. 75.
[46]) ibidem, p. 86.
[47]) ibidem, p. 93.
[48]) ibidem, p. 137.
[49]) ibidem, p. 2 7.
[50]) ibidem. p. 264—65.

ἡ ἁγία Γραφὴ λέγουσα): Eleemosyna enim a morte liberat et ipsa omne peccatum expiat et qui eleemosynas ac iustitias faciunt: illi saturabuntur vita (Tob. 12, 9). Et in Novo Testamento hunc in modum eleemosynam commendat Scriptura" . . . . allegatur Matth. 19, 21. In Quaestione XXIV. Partis III. [51]) Scripturae nomine allegatur Sir. 10, 7. Ex adductis exemplis patet locos librorum deuterocanonicorum Sacrae Scripturae testimonia habita esse neque discrimen inter protocanonicos et deuterocanonicos libros factum esse. E. gr. in Quaestionibus X. et. XVI. Partis I. verbo Scripturae inducitur testimonium Sir. 3, 22—24 eademque vis ei tribuitur ac testimoniis Gen. 1, 26, Apoc. 2, 23, Dan. 2, 22, II. Reg. 5, 26, Act. 5. Quoniam in catechismo dogmata exponuntur et confirmantur [52]), cognoscimus, Protestantismum sapere verba Cyrilli Lucaris discipuli Metrophanis Critopuli, ad quem theologi Russorum saepe provocant [53]): „Reliquos vero libros, quos nonnulli adnumerare Sacrae Scripturae cupiunt, ut librum Tobit, librum Iudith, Sapientiam Iesu filii Sirach, Baruch et Maccabaeorum libros non abiciendos quidem existimamus, cum multa ethica, plurima laude digna iis comprehendantur. Ut canonicos autem et authenticos libros numquam eos christiana ecclesia recepit sicut cum multi alii tum imprimis et s. Gregorius Theologus et s. Amphilochius et ultimus omnium s. Ioannes Damascenus testantur. Unde nec dogmata nostra ex his adstruere conamur, sed ex triginta tribus illis canonicis et authenticis libris, quos etiam divinitus inspiratam et Sacram Scripturam appellamus".

Tametsi enim Mogilae catechismo a cunctis Graecis approbato ac recepto, quae Graecorum esset fides, satis clare erat expositum, tamen non solum intra ecclesiae graecae terminos manserunt Cyrillianae (sc. C. Lucaris) familiae aliquae reliquiae: sed etiam extra illos non destiterunt plurimi ex Reformatorum potissimum sodalitio de consensione Graecos inter et Reformatos intercedente temere gloriari, quamquam de ingenti dissensione facile et Lucarii res et utriusque ecclesiae dogmata potuerunt persuadere. Catholici vero doctores eadem via ingressi, sibi

---

[51]) ibidem, p. 275.

[52]) Hunc catechismum magni aestimat et exemplar catechismi in ecclesia graeco-russica vocat etiam Philaretus metropolita Moscoviae. Vide Обозрѣніе богословскихъ наукъ въ отношеніи къ преподаванію ихъ выш. духовн. училищахъ состав. Высокопреосв. Митр. Филаретомъ in Čtenija v obščestvě ljubitelej duhovnago prosvěščenija. Moskva 1872 III. Otděl III., str. 38.

[53]) Kimmel, op. cit. Pars II., p. 106: Ὁμολογία τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς· „Τὰ λοιπὰ δὲ βιβλία, ἅπερ τινὲς βούλονται συγκαταλέγειν τῇ ἁγίᾳ γραφῇ, οἷον τὸ τοῦ Τωβίτ, τὸ τῆς Ἰουδείθ, Σοφίαν τοῦ Σαλομῶντος, Σοφίαν Ἰησοῦ υἱοῦ Σιράχ, Βαρούχ, καὶ τὰς τῶν Μακκαβαίων ἀποβλήτους μὲν οὐχ ἡγούμεθα· πολλὰ γὰρ ἠθικά, πλείστου ἐπαίνου ἄξια, ἐμπεριέχεται ταύταις. Ὡς κανονικὰς δὲ καὶ αὐθεντικὰς οὐδέποτ' ἀπεδέξατο ἡ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησία, ὡς μαρτυροῦσι πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι, μάλιστα δὲ ὅ τε ἅγιος Γρηγόριος ὁ Θεολόγος καὶ ὁ ἅγιος Ἀμφιλόχιος καὶ τελευταῖος πάντων ὁ ἅγιος Ἰωάννης ὁ Δαμασκηνός. Διὸ οὐδὲ τὰ δόγματα ἡμῶν πειρώμεθα ἐκ τούτων παραστῆσαι, ἀλλ' ἐκ τῶν τριάκοντα τριῶν κανονικῶν καὶ αὐθεντικῶν βιβλίων· ἃ δὴ καὶ θεόπνευστον καὶ ἁγίαν γραφὴν καλοῦμεν".

vires studuerunt addere; quo factum est, ut utraque factio de Graecorum fide vehementissime contenderet. Quapropter Dositheus, Hierosolymorum patriarcha (1672—1706), Hierosolymos convocavit concilium, ut quae a Domino esset tradita, ab apostolis promulgata et a sanctis patribus conservata Graecorum fides, universo mundo manifesta fieret, publicaque deliberatione et confessione hostes perterrerentur animique fortasse nutantes confirmarentur. Cum Calvinistae acerrimi hostes haberentur, is maxime fuit profligandus, qui illorum dogmata in Graecam ecclesiam quondam voluit inducere; ad cuius confessionem Gallici Reformati provocabant, cum Graecos eadem sentire dicerent. Cyrillus igitur Lucaris, qui huius controversiae praebuerat ansam et cuius studio intra ipsos Graecos etiam tum reliqua fuit factio, rursus erat impugnandus et, si fieri poterat, penitus exstinguendus. In qua re conficienda patres non sine dexteritate, magna vero cum vi et gravitate versati sunt. Proposuerunt ipsi patres, quorum nomine Dositheus verba facit, confessionem, quae Cyrillianis articulis e contrario responderet [54]).

In ea confessione iterum deuterocanonici libri expresse canonici his verbis declarantur [55]): „Ecclesiae catholicae regulam sequentes, Sacram Scripturam eos omnes appellamus libros, quos a Laodicena synodo Cyrillus mutuatus recenset, iis insuper additis, quos insipienter, inscite aut magis malitiose vocavit apocryphos: Sapientiam videlicet Salomonis, librum Iudith, Tobiam, Draconis historiam, Historiam Susannae, Maccabaeos et Sapientiam Sirach. Hos etenim cum ceteris genuinis Sacrae Scripturae libris ceu germanas eiusdem Scripturae partes censemus esse numerandas. Quoniam quae sancta evangelia aliosque Scripturae libros ut geminos tradidit antiqua consuetudo seu magis ecclesia catholica, et istos haec ipsa ceu Sacrae Scripturae partes procul dubio tradidit: quatenus istos qui neget, et illos recusavit. Sin vero a cunctis haud recenseri omnes fortasse videantur: isti nihilo secius a synodis nec non a multis cum antiquissimis tum nominatissimis catholicae ecclesiae theologis recensentur et Sacras inter Scripturas numerantur. Quos omnes et nos iudicamus esse canonicos et Sacram eos Scripturam confitemur“. Quod decretum subscriptum est ab iis, qui adfuerunt. „Si summam facimus“,

---

54) Kimmel, Monum. fid. Pars I., p. LXXV.—LXXVIII.

55) Kimmel, op. cit. Pars I., p. 467—468: „Στοιχοῦντες τῷ κανόνι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἱερὰν γραφὴν καλοῦμεν ἐκεῖνα πάντα, ἅπερ ὁ Κύριλλος ὑπὸ τῆς ἐν Λαοδικείᾳ συνόδου ἐρανισάμενος ἀριθμεῖ καὶ πρὸς τούτοις ἅπερ ἀσυνέτως καὶ ἀμαθῶς εἴτ' οὖν ἐθελοκακούργως ἀπόκρυφα κατωνόμασε· τὴν Σοφίαν δηλαδὴ τοῦ Σολομῶντος, τὴν Ἰουδήθ, τὸν Τωβίαν, τὴν Ἱστορίαν τοῦ δράκοντος, τὴν Ἱστορίαν τῆς Σωσάννης, τοὺς Μακκαβαίους καὶ τὴν Σοφίαν τοῦ Σειράχ. Ἡμεῖς γὰρ μετὰ τῶν ἄλλων τῆς θείας γραφῆς γνησίων βιβλίων καὶ ταῦτα γνήσια τῆς γραφῆς μέρη κρίνομεν, ὅτι ἡ παραδοῦσα ἀρχαία συνήθεια καὶ μάλιστα ἡ καθολικὴ ἐκκλησία γνησία εἶναι τὰ ἱερὰ εὐαγγέλια καὶ τ' ἄλλα τῆς γραφῆς βιβλία καὶ ταῦτα εἶναι τῆς ἁγίας γραφῆς μέρη ἀναμφιβόλως παρέδωκε, καὶ τούτων ἡ ἄρνησις ἐκείνων ἐστὶν ἀθέτησις. Εἰ δέ που δοκεῖ μὴ ἀεὶ πάντα ὑπὸ πάντων συγκαταριθμεῖσθαι, οὐδὲν ἧττον ὅμως καὶ ταῦτα παρά τε συνόδων καὶ πολλῶν ὅσων τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας παλαιοτάτων τε καὶ ἐγκρίτων θεολόγων ἀριθμεῖται καὶ συγκαταριθμεῖται τῇ πάσῃ γραφῇ, ἃ πάντα καὶ ἡμεῖς κανονικὰ βιβλία κρίνομεν, καὶ ταῦτα τὴν ἱερὰν γραφὴν εἶναι ὁμολογοῦμεν“.

adnotat Kimmel [56]. „LXXI viri nomina dederunt, inter quos VIII archiepiscopi, episcopi et metropolitae . . . . Azarias. Archidiaconus Hierosolymitanus non solum suo, sed etiam Diaconorum nomine subscripsit, item Agapius, sacerdos et oeconomus Gazaeorum. Aderat ex Maiore Russia Timotheus monachus, confiteus hanc esse fidem et Russiae et Orientalis ecclesiae; assensum etiam nomine subscripto praebuit Apocrisiarius serenissimi Moscoviae imperatoris Alexii Iosaphat, Hieromonachus, Archimandrita sancti Sepulcri".

Ex adductis monumentis et locis [57]) luce clarius patet, quae fuerit primitus doctrina Russorum de canone librorum sacrorum V. T.: eos recepisse, tenuisse, approbasse, defendisse eundem canonem V. T., quem definivit Romana ecclesia in concilio Tridentino [58]) et Vaticano, in quibus omnes libri „integri cum omnibus suis partibus prout in ecclesia catholica legi consuerant et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis et divinitus inspiratis" accipiuntur.

(Pars reliqua sequetur.)

VII.

Sunt-ne Latini Quartodecimani?

Animadversiones nonnullae circa optatissimam, in toto christiano orbe, unâ eademque die, Paschatis celebrationem.

Luctuosissima inter Christianos in paschatis celebratione discordia, non parum affert admirationis, ne potius dicam scandali, eo quod hodie quoque id eveniat, de quo, in primis a Christo saeculis, Ecclesiae filii amare conquerebantur: quod haec, scilicet, discordia Christianam fidem ludibrio non credentium exponeret. Longum foret valdeque inamoenum de causis disserere, quae praesentem hac in re conditionem attulerunt; nec posset hoc fieri, quin praesens elucubratio, ex parte saltem, politicen attingat. Satius hinc puto viam inire conciliationis, idque non quasi aliquid novi a me excogitatum proponendo, sed ad Nicaenos ipsos Patres simpliciter provocando. Stuporem forsan mea hac verba excitabunt, eo quod cunctis innotescat ipsissimam Nicaenorum Patrum auctoritatem hinc inde tum a Graecis tum a Latinis aequaliter invocari: ab his quidem ad gregorianam paschalis computi correctionem defendendam, ab illis vero, ad eandem acriter impugnandam. Hoc me non latet; cessabit tamen stupor cum nonnulla documenta et facta in medium attulero, quae accurata fontium critice, postremis hisce temporibus, vel deperdita adinvenit, vel nova luce collustravit et novis iisque solidioribus argumentis roboravit. Arridet mihi spes quod ex eorum cognitione — si tamen id continget, ut ipsa generalis et quasi popularis evadat — magna exsurget inter Christianos displicentia, ne dicam erubescentia, de irratio-

---

[56]) Kimmel, Monum. fid. I., p. 488.
[57]) Non exhausi omnes fontes russicos, quia praecipue antiquiores litterae theologicae mihi non erant praesto.
[58]) IV. Sess., die 8. Apr. 1546.

nabilitate argumentorum quae divisioni praetextum praebuere, simul cum universali ardentique voto ut, uno alterove modo, tristissimae huic divisioni finis imponatur. Faxit Deus!

I.

GenuinumNicaeni Concilii de Paschate decretum quantum cognoscere intersit.

Non semel tantum scriptores, qui materiam de quâ agimus pertractabant, de amissione Nicaeni de Paschate decreti querelam movere; eo quod ex ipsius tantum inspectione varia eaque gravia dubia circa praecisam Concilii voluntatem dirimi possent. Ut aliquod afferam exemplum, penes multos invaluit opinio ipsos Nicaenos Patres alexandrini decennovennalis paschalis cycli esse creatores; eosque decrevisse ut tantum iuxta Alexandrinorum principia paschalis sollemnitas ab omnibus celebraretur. Ast contra hanc opinionem stat, inprimis, quod non semel, post Concilii celebrationem, Pascha, etiam Alexandriae, non fuit iuxta Alexandrinorum principia celebratum: deinde, vero, Romanae Ecclesiae consuetudo quae, constanter alio et proprio usa est cyclo, octoginta quattuor annorum. — Alia quoque invaluit, quae fere universalis evasit, opinio, Nicaenos Patres hoc inprimis statuere voluisse, ne unquam Christianorum Pascha in die ipsâ quartaedecimae lunae, quae Iudaeorum Paschati fuit a Deo assignata, in futurum celebraretur. Hinc admirationem parere debet, stupefactioni affinem, quod ipse Athanasius qui Nicaeno interfuerat Concilio, et cui Nicaenorum Patrum mens optime innotescere debebat, in suâ paschali epistolâ pro anno 333 datâ, paschali solemnitati ipsam praecise lunae decimaequartae diem, ut mox videbimus, assignaverit. — Ut tertium afferam exemplum, ab omnibus de re scriptoribus unanimiter asseritur, Christianorum Pascha semper sequi, numquam vero Iudaeorum Pascha praecedere debere; ast ex certissimis constat documentis quod iterata vice, annis videlicet 475 et 495, Pascha nostrum in Dominicâ respondenti diei 13 Iudaici mensis Nisan, et, consequenter, pridie Iudaici Paschatis fuit celebratum.

Ex tribus hisce difficultatum vel potius aenigmatum exemplis, facile intelligetur, quantum esset studiosorum desiderium ut tandem aliquando genuinum Nicaeni Concilii de Paschate decretum inveniri posset. Nunc vero desideratissimum hoc christianae antiquitatis documentum, quinquaginta iam abhinc annis e tenebris erutum, in lucem fuit editum et amplissimo contra diffidentes omnes commentario munitum a viro, cuius auctoritas grandis apud Orientales merito perdurat: ab inclito, inquam, benedictini ordinis filio I. B. Pitra, ad Cardinalatus dignitatem postea evecto. Sed eruditissimi huius viri opera, latino elegantique sermone conscripta, non sunt de eorum numero, quae facili manu ab omnibus teruntur; hinc Nicaeno de Paschate decreto ab ipso, anno 1858, in Spicilegio Solesmensi (T. IV, pp. 540 et seq.) vulgato, eadem propemodum sors contigit, quae eidem decreto a clarissimo Assemano in sua Bibliotheca iuris orientalis (T. IV. p. 421) publicato, evenerat. Eodem enim modo, quo Assemanense exemplar

decreti ita in doctissimo eius opere delitescebat, ut neque ipsi Cardinali Pitra prius innotuerit, quam hic suum exemplar in graeco manuscripto (N. 483) Parisiensis caesareae, nunc nationalis, Bibliothecae adinvenerit, ita et Pitrense exemplar decreti, si mea, quantulacumque ea sit, experientia me non fallit, etsi a felici adinventore iterum in opere: Iuris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta (Romae 1864. T. 1. p. 463) publici iuris factum, in eius operibus, quasi ab oculis sublatum, delitescebat et usque hodie delitescit. Donec enim decretum, de quo loquimur, perangustos mundi eruditorum limites non fuerit transgressum, etsi permagni ad concordiam in Paschatis celebratione restaurandam possit esse momenti, — in praxi, tamen, nullius erit utilitatis. Hinc occasione mihi comiter oblatâ quam lubentissime arreptâ, statim in animo posui venerandum hoc Nicaenorum Patrum, in re, quae Slavos inprimis attingit, voluntatis documentum in ephemeride „Slavorum litterae theologicae“ iterum evulgare; alias rogans religiosas ephemerides ut decretum ipsum, vel saltem eius notitiam, opportuno adiecto commentario, per totum christianum orbem diffundere satagant.

II.

Nicaenum de Paschate decretum (325).

Sanctus Athanasius, loquens in libro de Synodis (§ 5) de quaestione Paschatis, hoc observandum censuit, quod Nicaeni Patres, in suo condendo decreto, aliâ prorsus usi sunt formulâ, quam in decretis circa fidem: in his enim, quid catholica Ecclesia crederet, simpliciter affirmarunt hoc modo: „Sic credit catholica Ecclesia“; in decreto autem de Paschate, suam de re sententiam protulere, hac simpliciter voce praemissa: „Placuit (ἔδοξε litt. visum est)“. Pretiosa hinc nobis suppeditatur tessera ad decreti genuinitatem dignoscendam.

Aliam nobis tesseram suppeditat imperator Constantinus in suâ ad Ecclesias epistolâ de Synodo Nicaena. „Id aequum rectumque esse omnes iudicaverunt, ait, quod et vobis placiturum esse spopondi, ut scilicet quod in urbe Roma perque omnem Italiam, Africam, Aegyptum, per Hispaniam, Gallias, Britannias, Lybias, per universam Achaiam: per Asianam et Ponticam Dioecesim, per Ciliciam, denique, concordi sententiâ observatur, id vestra quoque prudentia libentibus animis amplectatur“ (Euseb., De vita Constantini L. III. c. 19). Pro Episcopis ad pacem Ecclesiae conferendam adunatis, tanti argumentum hoc debebat esse ponderis ad praecavendas in executione difficultates, ut nimis foret mirum, si in decreto eius mentionem silentio praeteriissent.

Hisce praemissis, ecce tandem Nicaenum de Paschate decretum, et non a quovis sine nomine scriptore, sed ab ipso Graecorum ecclesiastici iuris parente, Constantinopolitano Patriarcha Ioanne Scolastico (+ 575), in posteritatis utilitatem asservatum, ad calcem suae opellae: Collectio quinquaginta titulorum, — qui est index,

pro materia distributus, ecclesiasticorum canonum — post postremum (L^um^) titulum, qui de Paschate agit (*περὶ τοῦ καιροῦ τοῦ Πάσχα κ. τ. λ.*).

Τῆς ἁγίας Συνόδου τῆς ἐν Νικαίᾳ περί τοῦ ἁγίου Πάσχα.

Sancti Concilii in urbe Nicaea decretum de sancto Paschate.

»*Πέπρακται δὲ οὕτως τὰ δόξαντα πᾶσι τοῖς ἐν τῇ ἱερᾷ Συνόδῳ συνελθοῦσιν, ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ Θεοσεβοῦς καὶ μεγάλου Κωνσταντίνου, ὃς οὐ μόνον συνήγαγε τοὺς προγεγραμμένους ἐπισκόπους εἰς ταὐτό, εἰρήνην ποιούμενος τῷ ἔθνει ἡμῶν, ἀλλὰ γὰρ καὶ συμπαρὼν τῇ τούτων ὁμηγύρει συνέταξε τὰ συμφέροντα τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ. Ἐπειδὴ τοίνυν, ἐξεταζομένου τοῦ πράγματος περὶ τοῦ δεῖν συμφώνως ἄγειν τὸ Πάσχα ἅπασαν τὴν ὑπὸ οὐρανόν, ηὑρέθη τὰ τρία μέρη τῆς οἰκουμένης συμφώνως ποιοῦντα Ρωμαίοις καὶ Ἀλεξανδρεῦσιν, ἓν δὲ καὶ μόνον κλῖμα τῆς Ἀνατολῆς ἀμφισβητοῦν· ἔΔΟΞΕ, πάσης ζητήσεως περιαιρεθείσης καὶ ἀντιλογίας, οὕτως ἄγειν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς ἐν τῇ Ἀνατολῇ ὡς ἄγουσιν Ῥωμαῖοι καὶ Ἀλεξανδρεῖς καὶ οἱ λοιποὶ πάντες, πρὸς τὸ πάντας ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ὁμοφώνως ἀναπέμπειν τὰς εὐχὰς τῇ ἁγίᾳ ἡμέρᾳ τοῦ Πάσχα. — Καὶ ὑπέγραψαν οἱ τῆς Ἀνατολῆς ὡς διαφωνοῦντες πρὸς τοὺς ἄλλους.*«

Ita autem actum est, uti visum est omnibus in sacra synodo convenientibus sub diebus religiosi atque magni Constantini, qui non coegit solum suprascriptos Episcopos in unum, pacem genti nostrae faciens, sed etiam adfuit eorundem conventui, collatisque consiliis expendit, quae in Catholicae Ecclesiae bonum spectabant. Postquam igitur id deliberatum diligenter fuit, utrum necesse esset concentu unanimi peragi Pascha ab universa sub Coelo Ecclesia, et inventum est, tres totius orbis partes in unum consentire cum Romanis et Alexandrinis, unam vero orientalem plagam esse dissonam; *visum est,* qualibet sublatâ quaestione et contradictione, eodem more agendum esse fratribus Orientis, quo modo agunt Romani et Alexandrini atque caeteri omnes, ut cuncti in una die unanimâ mente sursum emittant preces in illâ die sanctâ Paschatis. — Et subscripserunt qui ab Oriente erant, eo quod a ceteris erant dissentientes [1]).

Prae oculis habemus quod sibi Nicaeni Patres prae omnibus inprimis proposuere. Nonne per haec verba: „qualibet sublatâ quaestione et contradictione“ et per unicam a se adductam suae decisionis rationem, quod videlicet „tres totius orbis partes cum Romanis et Alexandrinis consentiebant, unâ tan-

---

[1]) Ex codicibus sex. Vat. 843, f. 33. — Paris 1326. fol. 63. — Id. suppl. 483, f. 73. — Ven. S. Marci 226, f. 120. — Ambros. B 107. super loco 35. – Ambr. F 48. super. f. 23. — Pitra (I. B. Card.), Iuris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta. Romae 1864. T. 1, p. 435.

tum Orientali plagâ ab ipsis dissidente" satis superque ipsi id innotescere voluerunt, quod, si tres totius orbis partes iudaicum fuissent morem secuti, contraria eorum fuisset sententia?

Merito hinc mihi liceat Cardinalis Pitra verba usurpare: „Et misso demum omni cyclorum, lunarum et computationum astronomicarum tumultu, *unum* idque paucis et gravissimis statuitur verbis, ut scilicet *una die* exultantis orbis christiani iubilus paschalis in coelum usque ab universa terra sursum erumpat. Quid Nicaenorum Patrum maiestate dignius? Quid sanctitati convenientius?" (Spic. Solesm. t. IV. 541).

III.

In quonam sensu, per plures post Concilium annos, tum Romana tum Alexandrina Ecclesia locutionem „Pascha cum Iudaeis (*μετὰ τῶν Ἰουδαίων*)" suâ praxi sint interpretatae.

Tum Nicaeni in suo decreto Patres, tum Constantinus in suâ ad Ecclesias epistolâ, Romanorum et Alexandrinorum in Paschate celebrando praxim tamquam universalem ab omnibus, praeter Orientales, servatam praxim designant. Hinc sequitur, quod Romanae Alexandrinaeque Ecclesiae interpretatio locutionis Pascha „cum Iudaeis (*μετὰ τῶν Ἰουδαίων*)", tamquam totius fere Christiani tunc temporis orbis est accipienda: aliis verbis tamquam catholica illius temporis interpretatio.

Primo, ergo, interrogemus magnum Alexandrinae Ecclesiae Antistitem Athanasium, qui in supra memorato de Synodis libro (l. c.) nobis refert, quod: „Ciliciae, Syriae et Mesopotamiae populi, circa festi celebrationem claudicantes, cum Iudaeis, (*μετὰ τῶν Ἰουδαίων*) Pascha celebrabant" ipsâ praecise adhibitâ locutione, cuius catholicum investigamus sensum.

Quibus certe diebus ab anno 328, in quo Athanasius Alexandriae Episcopus fuit renuntiatus, usque ad 373, eius vitae ultimum, Alexandriae Pascha fuerit celebratum, hoc indubie dignoscimus ex ipsius Epistolis heortasticis, quibus syriaci auctoris Chronicon est praefixum, et quae legi possunt inter eius opera in Patrologia graeca editore Migne t. XXVI. et in eadem latine tantum editâ, t. XVI. pp. 643 et seq. Qui eas ergo inspexerit, inveniet, quod anno 333, dies ab Athanasio celebrationi Paschatis assignata, fuit iuxta Aegyptiorum Kalendarium dies 20 pharmuthi, quae apprime diei 15 aprilis (XVII. kalendas Maii) respondet. Nunc vero, si quis huic dato (15 apr. 333) regulas applicat paschalis alexandrini computi, illico deteget, quod iuxta hunc computum Pascha fuit illo anno, et hoc Alexandriae, in die ipsâ quartaedecimae lunae celebrata, in quâ Iudaei agnum, Paschatis nostri Christi symbolum, immolare tenebantur. Testem etiam de hoc habemus syriaci auctorem Chronici, et testem eo magis fide dignum quod minus cautam sibi permisit, illico deprehensam adulterationem, circa lunae aetatem; scribit enim: „Hoc anno (Chr. 333) Dominica Paschatis erat die XX. Pharmuthi, luna XV. (sic), XVII. kal. Maii (15 apr.)

epacta XX“ et ecce habemus confitentem reum. Nam cum epacta indicet in cyclo paschali alexandrino lunae aetatem diei 22 martii respondentem — ipsâ coniunctionis die per 30 vel 0 indicatâ — en tibi, lector, graphica demonstratio, quod anno 333 Pascha fuerit in ipsâ quartadecimâ lunae die Alexandriae celebrata.

	mart.									
Dies mensis	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31
Epactae anni 333	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29

	apr.															
Dies mensis	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	**15**	16 . . .
Epactae anni 333	0	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	**14**	15 . . .

Quodsi haec non sufficeret demonstratio, esse heic subiectus decennovennalis paschalis alexandrinus cyclus cum indicatione diei decimaequartae lunae, in quovis anno, respondentis, iuxta ordinem in magno Dionysiano 532 annorum Cyclo servatum.

Annus cycli	1	2	3	4	5	6	7	**8**
Luna XIV^a dies	2 ap.	22 mart.	10 m.	30 m.	18 ap.	7 ap.	27 m.	**15** ap.
Epacta	3	14	25	6	17	28	9	**20**
Annus cycli	9	10	11	12	13	14	15	16
Luna XIV^a dies	4 ap.	24 m.	12 ap.	1 ap.	21 m.	9 ap.	29 m.	17 ap.
Epacta	1	12	23	4	15	26	7	18
Annus cycli	17	18	19 [2])					
Luna XIV^a dies	5 ap.	25 m.	13 ap.					
Epacta	0	11	2					

Ceterum peritissimi in re, de quâ agimus, scriptores non defuere, qui ingenuam nimis syriaci chronographi adulterationem carpere vel saltem notare non omisere. Celebrem adducere sufficiat astronomum Galle in animadversionibus ad germanicam paschalium Athanasii epistolarum translationem a Fr. Larsow procuratam, necnon eruditissimum Brunonem Krusch, de quo mox erit iterum sermo [3]).

Ut nunc ad rem revertar, Alexandrinum anni 333 Pascha luculentissimum extat testimonium, quod Athanasius nullimode a Nicaeno Concilio prohibitum putabat, ne suum a Christianis Pascha in eadem die celebraretur, in quâ Iudaei pascha absolvebant suum. Videamus nunc, quid eodem tempore Romana de hoc ipso senserit Ecclesia.

In Introductione sui operis: Inscriptiones christianae urbis Romae (p. LXXXV), clarissimus I. B. de Rossi, post allatam Concilii Arelatensis (314) ad pontificem Sylvestrum epistolam, in qua legitur: „Primo loco de observatione Paschae dominici,

---

[2]) Vide Ideler, Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie. II., 199. — Lersch, Einleitung in die Chronologie. II., p. 71 etc. etc. etc. — Dionysii exigui opera. Patr. lat. ed. Migne, t. 67, pp. 494—498, ubi tamen nonnulla occurrerunt typographi sphalmata, ex comparatione corrigenda.

[3]) Larsow (F.), Die Festbriefe des heiligen Athanasius. Leipzig 1852, pp. 46 et 49. — Krusch (Bruno), Der 84jährige Ostercyclus und seine Quellen. Leipzig 1880, p. 71.

ut uno die et uno tempore per omnem orbem a nobis observetur et iuxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas" loqui pergit de Laterculo centum annorum (312—411) a Bucherio primo edito, quod a doctissimo van den Hagen accurato submissum examini fuit egregie declaratum, et a Theodoro Mommsen in suo opere Ueber den Chronographen vom Jahre 354 integre publicatum. „Quaenam illa Paschata fuerint, ait de Rossi, quae Sylvester post Arelatense decretum iuxta veterem consuetudinem quotannis indixit, nunc comperta (ex eodem Laterculo) certissime habemus" eaque sunt quae in primâ dicti Laterculi parte, ab anno scilicet 312 ad 342, exhibentur. Haec vero Paschata, iam pridem a van den Hagen Romanae Ecclesiae restituta, ad quemdam cyclum 84 annorum pertinent, cuius ipse principia feliciter adinvenit et diligentissime discussit, et quorum unum hoc est quod primus paschalis lunae limes erat luna decimaquarta. Aliis verbis ostendit van den Hagen, quod sub Silvestro Pontifice et usque ad annum 342, quoties decimaquarta luna in diem dominicam incidisset, tunc Pascha celebrabatur, idque exemplis illustrat annorum 316, 320 et, post Nicaenum Concilium, anni 333. [4]) Ei vero omnino suffragatur Bruno Krusch in suo opere: „Der 84jährige Ostercyclus und seine Quellen". Leipzig, 1880 pp. 66. 67. Ipse insuper Krusch, comparatione institutâ inter haec eadem Paschata ad annum usque 342 Romae celebrata et ea, quae S. Athanasius in heortasticis suis epistolis, eodem temporis periodo, Alexandriae celebrari praecepit, ea adamussim convenire detexit. Mea est opinio, non levibus innixa rationibus, Alexandrinam Ecclesiam, usque ad annum 360, non solum numquam in dato Paschatis a Romanâ dissensisse, sed Romanorum etiam computationem acceptasse; ast, quidquid de hoc sit, hoc minime potest in dubium revocari, anno 333. Pascha tum iuxta alexandrinam tum iuxta romanam computationem, cum decimaquartâ lunâ convenisse (Krusch p. 71). Ex hoc evidens infertur illatio, quod neutra ex dictis Ecclesiis, locutionem „Pascha cum Hebraeis" in sensu acceperit ipsi communiter attributo: quasi, scilicet, simplex Christiani cum Iudaico Paschate conventio, idem ferme foret crimen studiosissime vitandum ac Christi cum Belial procurata conventio. Contra argumenta de facto inania sunt verba. — Hinc est quod ipsa nunc vigens praescriptio, ut, lunâ XIV et dominicâ die simul convenientibus, Pascha in sequentem dominicam transferatur, multo serius, urgentibus Alexandrinis, fuit inducta, primumque eiusdem translationis exemplum a Proterio, Alexandriae Antistite, in suâ ad Leonem Magnum epistolâ de Paschate anni 455 memoratum, est anni 373.

---

[4]) Van den Hagenii opus, quod eruditi omnes permagni faciunt, titulum fert: „Observationes in Prosperi Aquitani Chronicon". Amstelodami 1733. (In Romana Casanatensi bibliotheca. B IV. 36 in CC. In Parisiensi nationali Bibliotheca. G 3657, Inventaire.) — Disquisitionem de Paschate annorum 316, 320, 333 invenies p. 314, § XXVI. Notandum quod opus sine nomine auctoris fuit publicatum.

Quaerendum nunc, in quonam sensu, qui cum Paschate anni 333 possit conciliari, tum Romae Sylvester, tum Alexandriae Athanasius, locutionem „Pascha cum Iudaeis“ intellexerint et, suâ praxi, intelligi debere docuerint. Videamus quid de re senserit Eusebius, qui et ipse Concilio Nicaeno interfuit.

In sua Vita Constantini postquam de haeresi locutus fuisset: „Alius quoque, addit, his antiquior suberat morbus longe gravissimus, qui iam pridem infestarat; dissensio scilicet de salutari festo. Quippe alii consuetudinem Iudaeorum sequi oportere asserebant: alii tempus ipsum accurate observandum esse aiebant, nec errantibus assentiendum, qui ab Evangelica gratia etiam hac in parte alieni essent“ (L. III. c. V) Loquitur hic Eusebius de antiquo morbo, qui „multo iam aevo, (ἐκ μακροῦ)“ Ecclesias turbaverat. Quae verba apprime respondent iis, quae idem Eusebius refert in sua Ecclesiastica historia (L. V. c. XXIII). „Iisdem temporibus (sub fine secundi saeculi) gravi controversia exorta eo quod omnes per Asiam Ecclesiae, vetusta quadam traditione nixae *quarta decima* luna salutaris Paschae festum diem celebrandum esse censebant, quo die praescriptum erat Iudaeis, ut agnum immolarent, eaque omnino lunâ, *in quamcumque demum diem septimanae incidisset,* finem ieiuniis imponendum esse statuebant; cum tamen reliquae totius orbis Ecclesiae alio more uterentur, qui ex apostolorum traditione etiamnum servatur, ut scilicet *non alio quam Resurrectionis Dominicae die,* ieiunia solvi liceat, synodi ob id coetusque episcoporum convenere“. Aperte hic describitur Quartodecimanorum (*Τεσσαρεσκαιδεκατίτων*) consuetudo, qui nomen suum a lunâ decimaquartâ obtinuerunt; quorum consuetudini universalis alia opponitur, ut scilicet Paschale festum nonnisi die dominicâ celebretur. Quod vero Quartodecimanorum consuetudo primaria fuerit inter eas, quae concordiam, Nicaeni Concilii tempore, in Paschatis celebratione impediebant — aliae enim obortae erant dissensiones, aequinoctium respicientes et calculationum modum — de hoc nobis sunt testes tum Constantinus, qui in suâ ad Ecclesias epistolâ comparationem instituit inter Iudaeorum consuetudinem et illam, quam, prout ibidem legitur: „a passionis die ad haec usque tempora servavimus“, ut scilicet die tantum dominicâ Pascha celebraretur, — tum Ecclesiae historiographus Socrates, qui relato Constantini de obtentâ concordia in eadem epistola nuntio: „Huiusmodi, pergit dicere, est imperatoris epistola. Ceterum Quartodecimani observantiam quartidecimi diei a Ioanne apostolo sibi traditam esse affirmant, Romani vero et qui Occidentis partes incolunt, consuetudinem, quae apud nos viget, a Paulo Petroque apostolis accepisse se dicunt“ (Hist. Eccl. l. V. c. 22). Haec verba, coronidis instar verbis Constantini adiecta, sensum non haberent,

si Nicaena de Paschate discussio duplicem inprimis haud respexisset praxim, Quartodecimanorum videlicet, qui — posthabitâ dominicae diei consideratione — ad quartamdecimam tantum lunam in Paschatis celebratione attendebant, et Romanorum, Alexandrinorum ceterorumque, qui, posthabita quartaedecimae lunae consideratione, ad dominicam tantum hebdomadae diem attendebant.

Ne lectorem defatigem argumenta adaugens de re omnibus compertâ, finem ponam huic capiti verba referens Constantinopolitani Patriarchae Ioannis Scolastici praedecessoris, sancti videlicet Eutychii. In suo de Paschate et sacrosancta Eucharistia sermone: „Ecclesia, ait, quartaedecimae quoque diei commemorationem facit in magna Feria quinta. . . . Perfectionem vero, mystici festi ac plenitudinem in sancta Resurrectione consummat, quae incipiente sextadecima die et Dominica iam intrante contigit. Quare etiam Nicaeni Patres nonnullis Ecclesiis secus agentibus, (gr. *τινῶν τῆς Ἐκκλησίας τοῦτο μὴ ποιούντων*) praeceperunt, ut omnes simul, prout tunc erat in Servatoris Resurrectione, sextadecima die incepta, quae et Dominica erat, sollemnitatem agerent, ceu perfectum iam peractumque finem consecutam. . . . Alexandrinorum autem Ecclesiae etc. scripserunt: „Nuntiamus vobis de factâ circa sanctissimum Pascha concordiâ, quia Vestrarum precum merito haec quoque pars recte fuit constituta, ut cuncti Orientales fratres, qui antea cum Iudaeis (*μετὰ τῶν Ἰουδαίων*) Pascha celebrabant, abhinc consona Romanis vobisque et nobis omnibus, qui ab initio sic Pascha observavimus [die videlicet dominica], nobiscum facturi sunt“.[5]) (Patr. gr. ed. Migne. t. 86, p. 2395).

Veniam nunc ad huius capitis conclusionem. Nullus Orientalium asserere auderet tum Romanam tum Alexandrinam Ecclesiam Nicaeni Concilii mentem circa Paschatis quaestionem ignorasse aut parvi fecisse. Liquet vero ab illis etiam post Concilium, anno scilicet 333, Pascha in ipsa quartadecimâ lunae die celebratam fuisse; hinc nisi ipsum Athanasium damnare velint, qui ipsissimam, de qua agimus, locutionem in suis scriptis usurpavit, fateantur oportet, quod, praxim Iudaeorum damnando, Nicaeni Patres non simplicem Christiani Paschatis cum Iudaico Paschate conventionem damnarunt, sed praxim illam, scilicet Quartodecimanorum, quâ Pascha Christianorum non in dominicâ tantum, sed in quacumque hebdomadae die cum lunâ quartadecimâ convenienti celebrari pergebat. Hoc et hoc tantum significat locutio: Pascha cum Iudaeis.

---

[5]) Me non latet recenter affirmatum esse: quarto saeculo, praesertim vero in Nicaeno Concilio, nullam amplius de Quartodecimanis fuisse quaestionem. Aliis praetermissis argumentis, prae oculis habemus affirmationem Constantinopolitani Patriarchae sexti saeculi. Seligere oportet.

IV.

De paschalibus inter Romam et Alexandriam disceptationibus brevissimus excursus.

Argumentum hoc non pertinet ad scopum huius scriptionis, nec posset paucis absolvi. Hoc tantum animadvertendum censeo veram harum disceptationum causam non in cyclorum diversitate aut astronomicarum computationum differentiâ, sed in hoc potissimum quaerendam esse, quod nova plane principia, Christianae antiquitati ignota, Alexandrini in paschali computo introducere sunt aggressi, neque donec eorumdem obtinuerint triumphum quievere. Subiecta haec tabula docebit.

In veteri ante-nicaeno computo.	In computo alexandrino post-nicaeno.
I. Primum paschale plenilunium, die 18 martii.	I. Primum paschale plenilunium, die 21 martii.
II. Pascha a luna XIV ad XXI. celebrari potest, octo videlicet lunaris mensis diebus.	II. Pascha a luna XV ad XXI. celebrari potest, septem scilicet lunaris mensis diebus.
III. Si intra paschalis mensis limites (22 mart. — 21 apr.) XIV luna in dominicam diem incidit, Pascha tunc est celebrandum.	III. Si intra eosdem limites, a 22. martii ad 21. apr. luna XIV. et dies dominica conveniunt, Pascha in sequentem dominicam est transferendum.
IV. A die 18 martii, a primo scilicet paschalis plenilunii die, ad 21 apr. triginta quinque dies numerantur. Pascha tamen semper intra traditionales limites (22 mart. — 21 apr.) celebratur.	IV. A die 22 martii a primo scilicet paschalis plenilunii die, ad 25 aprilis, triginta quinque dies numerantur. Decima quarta tamen luna semper intra diem 22 mart. et 25 aprilis occurrit.

Quam graves fuerint mutationes, quas Alexandrini in paschali computo inferre nitebantur nemo non videt. Praesertim vero ex parte Romanorum obstabat traditio — in syriaco quoque Chronico ad annum 349 memorata et ipsi apostolo Petro attributa — quod numquam liceret Pascha tardius quam 21 Aprilis die celebrare. Obstabat quoque insolita, ne dicam portentosa, christianae antiquitati prorsus ignota paschalis mensis usque ad 35 dies protractio. Obstabat denique, non sine quarundam conscientiarum turbamento, poena mortis in Veteri Testamento animae illi comminata, quae, praeter causas in ipsa Lege consideratas, Pascha ausa fuerit celebrare in mense secundo. (Num. IX. 10—13).

Nemo ergo mirabitur, si, occasione Paschatis anni 455, suam Imperatori adhaesionem ad datum 24 aprilis pertinaciter ab Alexanrinis defensum communicans, ipse magnus Leo hoc addere haud superfluum crediderit: „non quia hoc ratio manifesta docuerit, sed quia unitatis, quam maxime custodimus, cura persuaserit“ idipsum fere repetens in suis pro eiusdem anni Paschate Litteris formatis, in quibus haec leguntur: „malui

studio unitatis et pacis Orientalium definitioni adquiescere, quam in tantae festivitatis observantia dissidere". (Scti Leonis Opera t. I. ed. Migne. Patr. lat. t. 54) ep. 137 et 138 (pp. 1100. 1101).

Et, in suo Chronicon integrum, Prosper Aquitanus, qui Romae degebat Pontificiae Cancellariae addictus, haec scribere de Paschate anni 455 non dubitavit: „Eodem anno pascha dominicum die VIII. Kalendas Maii (24 apr.) celebratum est, pertinaci intentione Alexandrini Episcopi, cui omnes Orientales consentiendum putaverunt, quamvis Sanctus Leo, XV Kalendas Maii (17 apr.) potius observandum, protestaretur. Extant eiusdem Papae epistolae ad clementissimum Principem Marcianum datae, quibus ratio veritatis sollicitatae evidenter patefacta est, et quibus Ecclesia catholica instrui potest, quod hac persuasio *studio unitatis et pacis tolerata sit* potius quam probata, numquam deinceps imitanda, ut quae exitialem attulit offensionem, omnem in perpetuum perdat auctoritatem". (Patr. lat. ed. Migne. t. 51. p. 606).

Duplici animadversione thema hoc absolvam.

I. Anno 455, unica ab Alexandrinis allata pro dato 24 aprilis ratio haec erat, quod, in paschali eorum cyclo, praecedens dominica dies (14 apr.) cum luna XIV conveniebat. Sed Scti. Leonis pro postremo hoc dato persistentia ostendit, quod nullum pro ipso valorem Alexandrinorum offerebat ratio. Hinc patet, quod non primis tantum a Concilio Nicaeno annis, sed etiam post centum triginta annos Romana Ecclesia in eadem permanebat sententia, quod plenissime liceret Paschatis festum in ipsâ quartaedecimae lunae die, si tantum haec foret Dominica, celebrare: aliis verbis, quod locutio 'Pascha cum Iudaeis, *μετὰ τῶν Ἰουδαίων*' Quartodecimanorum tantum respiciebat praxim.

II. Secunda et maioris valde momenti animadversio haec est: Nullum grande, in vita Ecclesiae, deperditum extat exemplum.

V.

De anathemate, ab Antiocheno Concilio (341) contra Quartodecimanos lato, et ab universâ Orientali Ecclesiâ, in Synodo anno 1593 Constantinopoli habito, Latinis ad litteram applicato.

Prosecuta in Nicaeno Concilio circa Paschatis celebrationem concordia non aeque dociles ubique animos invenit: hinc est quod, quindecim a Concilio annis vix elapsis, Synodus Antiochena in suo primo canone hoc tulit contra inobedientes anathema.

Ἅπαντας τοὺς τολμοῦντας παραλύειν τοὺς ὅρους τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς μεγάλης Συνόδου, τῆς ἐν Νικαίᾳ συγκροτηθείσης ἐπὶ παρουσίᾳ τῆς εὐσεβείας τοῦ θεο-

Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti et magni Concilii, quod apud Nicaeam congregatum est, sub praesentia piissimi et venerandi principis Constantini

φιλεστάτου βασιλέως Κονσταντίνου περὶ τῆς ἁγίας ἑορτ ς τοῦ σωτηριώδους Πάσχα, ἀκοινονήτους καὶ ἀποβλήτους εἶναι τῆς Ἐκκλησίας, εἰ ἐπιμένειν φιλονεικότερον ἐνιστάμενοι πρὸς τὰ καλῶς δεδιδαγμένα. καὶ ταῦτα εἰρήσθω περὶ τῶν λαικῶν· εἰ δέ τις τῶν προεστώτων τῆς Ἐκκλησίας ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος μετὰ τὸν ὅρον τοῦτον τολμήσειεν ἐπὶ διαστροφῇ τῶν λαιῶν καὶ ταραχῇ τῶν Ἐκκλησιῶν ἰδιάζειν καὶ μετὰ τῶν Ἰουδαίων ἐπιτελεῖν τὸ Πάσχα, τοῦτον ἡ ἁγία Σύνοδος ἐντεῦθεν ἤδη ἀλλότριον ἔκρινε τῆς Ἐκκλησίας· δεῖ γὰρ στοιχεῖν τῷ τῶν πατέρων κανόνι μέχρι καὶ σήμερον Θεοῦ χάριτι ὅν καθὸ δὴ καὶ τ λοιπὰ ἡ Θεοῦ Ἐκκλησία διαφυλάττει.

de salutifera sollemnitate paschali, excommunicandos et de Ecclessia pellendos esse censemus, si tamen contentiosius adversus ea, quae bene sunt decreta, perstiterint. Et haec quidem de laicis dicta sint. Si quis autem eorum, qui praesunt Ecclessiae, aut episcopus, aut presbyter, aut diaconus post hanc definitionem tentaverit, ad subversionem populorum et Ecclesiarum perturbationem seorsim colligere et cum Iudaeis Pascha celebrare sancta synodus hunc alienum iam ab Ecclesia iudicavit: quia patrum nostrorum regulae est adhaerendum prout usque hodie, Deo adiuvante, eas servat sancta Dei Ecclesia.

Anathema hoc, — prout ex praecedentibus aperte elucet, et prout ipsum semper tota interpretata est Ecclesia. — Quartadecimanos respicit; eos videlicet, liceat mihi repetere, qui in quacumque hebdomadae die, in quâ decimaquarta caderet luna, Paschatis festum celebrabant, in ipsâ videlicet die, ut Eusebii verba usurpem: „in quâ Iudaeis praescriptum erat, ut agnum immolarent“. Universa, ad hoc non attendens, Orientalis Ecclesia, anno 1593, undecimo a promulgata gregoriana Kalendarii emendatione, in magna Synodo Constantinopoli habita, coram Tsari Moscoviae Legato, sollemniter per quattuor Orientis Patriarchas nec non permultos eiusdem Ecclesiae Episcopos, in octavo eiusdem Synodi canone — [prout videre est in Dosithei, Hierosolimitani Patriarchae *Τόμος τῆς ἀγάπης κατὰ Λατίνων,* Iassy 1698, p. 538 et in Vita Ieremiae II. Constantinopolitani Patriarchae (1572—1594) a K. N. Satha conscriptâ, Athenis 1870, pp. 89 et 91] — hanc tulit contra novum Kalendarium seu Latinorum circa Pascha novitatem (*ἀποβολὴ τοῦ νέου Καλενδαρίου ἤτοι τῆς περὶ τὸ Πάσχα Λατίνων καινοτομίας*) summi ponderis sententiam:

Κανὼν ὄγδοος.	Canon octavus.
Ἀσάλευτον διαμένειν βουλόμεθα τὸ τοῖς Πατρ σι διορισθὲν περὶ τοῦ ἁγίο καὶ σωτηρίου Πάσχα· ἔχει δε οὕτως.	Inconcussum manere volumus quod a Patribus de sancto ac salutari Paschâ fuit statutum; quodque ita se habet.
Ἅπαντας τοὺς τολμοῦντας κ. τ. λ.	Omnes, qui ausi fuerint etc.

Sequitur de verbo ad verbum usque ad finem relatus, primus Antiocheni Synodi contra Quartodecimanos canon, hic supra traditus. Hinc quaerere licet:

I. Celebrant-ne Latini suum Pascha in quacumque hebdomadae die, in quâ decima quarta occurrerit Luna?

II. Anno 341, quo Antiochena Synodus est habita, non Romana tantum sed Alexandrina quoque Ecclesia Pascha celebrare pergebat iuxta normas Laterculi, de quo supra egimus: quarum una, exemplo anni 333 confirmata, haec erat, ut „quartadecimâ lunâ et dominica die simul convenientibus, Pascha tunc celebraretur." Nonne ergo huius canonis anathema in ipsum magnum Orientalis Ecclesiae lumen Athanasium recideret?

Sed alia quoque, iis mirabiliora, Orientalem anno 1593 effugerunt Ecclesiam.

III. Post habitam anno 341 Antiochiae Synodum, celebris Rabbi Hillel II. (330—365) propriam (circa 360) nationem illo ditavit singularissimo artificio concinnato Kalendario, quod suum etiam hodie plenum obtinet vigorem, et Newtonii admirationem eliciebat. Nunc vero, quicumque huius Kalendarii regulas inspexerit, cito animadvertet, quod *numquam* decima quarta luna primi religiosi Kalendarii mensis Nisan, in diem dominicam incidere potest: hinc, iam ab anno 360, possibilitas ipsa fuerat sublata, quod Hebraeorum et Christianorum Paschatis dies unquam possent convenire. Quod Latini suum Pascha dominicâ tantum die celebrent, hoc lippis et tonsoribus notum: quod vero hebraici Paschatis dies, ab ipso Domino praescripta, non alia sit nec esse possit, nisi decimaquarta primi mensis Nisan (antiquitus: Abib) dies, de hoc fidem faciunt sacrae Litterae: unum tantum sufficiat afferre locum. „Hae sunt feriae Domini — sic legitur Levit. XXIII, 4—6 — quas celebrare debetis *temporibus suis*. Mense primo, quartadecima die mensis, ad vesperam, Phase Domini est. Et quintadecima die mensis huius sollemnitas *Azymorum* est." Hinc est quod omnes de paschali computo scriptores, de Hebraeorum paschate loquentes, non aliter, usque ad annum 1593, sunt locuti ac ipsae Sacrae Litterae. Sequitur quod Constantinopolitana Synodus *impossibilitatem* anathemate percussit.

IV. Orientalis Ecclesiae hac in re defensores reponunt, quod Iudaeorum Pascha die 15. Nisan celebratur, nosque ad Iudaeorum remittunt Kalendaria, in quibus revera, 14 dies Nisan tamquam vigilia ad Pascha celebrandum praeparatoria indicatur. Quod Israelitae, pro quibus mystici agni immolatio — symbolum veri Paschatis nostri Christi (1 Cor. V. 7.) immolationis — suam amisit significationem, ad Azyma tantum attendant ipsumque nomen Pascha ad ea transtulerint, hoc facile intelligi potest; sed Christiani, in re prorsus ecclesiasticâ, non possunt verbis alium adnectere sensum, quam illum, quem unice praebent sacrae Litterae et ecclesiastica documenta. Ad lectorem illatio. Plura nunc addere possem; unum tantum sufficiat et veniam ad totius scriptionis conclusionem.

V. Quicumque vel tenuem possidet de cyclo alexandrino notitiam, iuxta quem usque hodie dissidentium a nobis fratrum Paschata stabiliuntur, ipse scit, quod decimaquinta luna tamquam paschalis computatur, in quâ scilicet Pascha celebrare licet. Quodsi quis scire

cupiat, quot vicibus Orientalis Ecclesiae Pascha in decimamquartam inciderit lunam, sciat ipse, quod in unoquoque magno Dionysiano 532 annorum cyclo, hoc evenit septuaginta sex vicibus [6]). Si ergo ratio anathemathis, anno 1593 contra Latinos lati, haec est, quod ipsi suum interdum Pascha in decimaquintâ lunae die celebrant, tunc dicendum, quod, anno 1593, Orientalis Ecclesia sollemnissimum tulit contra semetipsam anathema.

VI.

Extat-ne modus pacifice obtinendi optatissimam in Paschatis celebratione concordiam?

Quam immerito contra Latinos prolatum fuerit anni 1593 anathema, satis liquet; speranda-ne est felix aliqua difficultatum omnium solutio, cum restauratione optatissimae in Paschalis festivitatis celebratione concordiae?

Praemittendum puto per ipsum anathema Orientalis Ecclesiae fidelium conscientias usque hodie non parum excruciari. De hoc complura et gravia afferre possem documenta. Suis plene addicti pastoribus, Orientalis Ecclesiae fideles quae exposui plene ignorant, nec parvum pro ipsis exsurgeret scandalum, si eis rerum veritas minus prudenter patefieret. Hoc addendum quod, pro suâ erga suam Ecclesiam reverentia, quidquid directe vel indirecte ipsius considerationi noceret, minime tolerarent. Ceterum, numquam Magister noster et Exemplar Christus humiliando sanavit.

Quid ergo agendum? Potius quam meam, in re tam gravi, proferam, non interrogatus, sententiam, consultius duco evulgare magni ponderis Sanctae Sedis, de quaestione Paschatis, documentum.

Anno 1897, percelebris Berolinensis Observatorii Director et internationalis Comitatus pro unificatione ponderum et mensurarum Praeses, Professor W. Förster, Emo Cardinali Rampolla, defuncti illustris Pontificis Leonis XIII a Statu Secretario, desiderium communicavit in Germaniâ pene generale et ab ipsâ protestanti Germanicâ Ecclesiâ expressum, ut, si id fieri posset, Apostolica Sedes suam adhiberet auctoritatem ad grandem, et incommodis interdum attentam, Paschatis festi mobilitatem coarctandam, id ipsum suggerens quod astronomus Römer Leibnitio suggerebat, ut scilicet eidem assignaretur tertia ab aequinoctio dominica, eius hoc modo mobilitate ad hebdomadam tantum, loco quinque, reductâ (5—11 apr.). Ecce, hîc, quale obtinuit responsum, de quo, ut mihi certissime innotuit, Germanicum Gubernium valde est laetatum.

Lettre de S. E. le Cardinal RAMPOLLA secrétaire d' État de S. S. LÉON XIII. au prof. WILHELM FÖRSTER directeur de l' Observatoire de Berlin et président du Comité international des poids et mesures.

---

[6]) Vide in Compte rendus de l'Académie des Inscriptions et belles lettres, notitiam: La Serbie et la fin d' une contestation pascale de trois siècles. 21 jun. 1901. Pièces just. III.

Rome, 6 Mai 1897.

Monsieur le Directeur,

J' ai reçu avec un vrai plaisir, et lu avec un vif intérêt, votre honorée lettre du 18 avril dernier, concernant la question de la fixation moyenne de la fête de Pâques.

Votre zèle pour l' adoption du calendrier grégorien, et la confiance avec laquelle vous vous adressez au St-Siège pour exposer vos vues à ce sujet, m' ont été très agréables et je vous offre tous mes remerciements.

Si l' on devait considérer la réforme proposée sous le seul rapport des avantages d' ordre social le projet mériterait, sans doute, un accueil favorable. Mais l' Église doit aussi avoir égard au point de vue traditionnel, à la connexion de la solennité de Pâques avec les mystères de la mort et de la résurrection du Seigneur.

En outre, le Saint-Siège doit éviter tout danger d' introduire, dans la Chrétienté, des divisions plus grandes, par suite du nouveau changement.

Toutefois, si on arrivait à écarter ce danger et à faire demander universellement la stabilité relative de la fête de Pâques, grâce à un mouvement de l' opinion publique mieux éclairée par le monde savant, l' initiative d' une pareille réforme pourrait, alors, être prise en considération par le Saint-Siège, surtout dans un Concile général.

En vous félicitant de mettre vos talents au service de la cause chrétienne et scientifique de l' adoption du calendrier grégorien, je vous offre, Monsieur le professeur, les assurances de ma parfaite estime et de ma considération.

M. CARD. RAMPOLLA.

M. le Prof. Förster.

A quovis abstineo commentario. Documentum ipsum satis de se et pro se loquatur.

Hoc unum addam quod similis quaestionis solutio, plus quam semel, in ipsâ Russiâ, iam fuerat proposita.

Caes. *Tondini de Quarenghi,*
barnabita.

Scribebam Romae, mense Martio 1906.

EXTRANEA, RES SLAVORUM SPECTANTIA.

In Lovaniensi **„Revue d'histoire ecclésiastique"** 1906. (VII.) N. 1 conspectus exhibetur litterarum bulgaricarum (p. 231—2), serbicarum (232—3), russicarum (234—240). Inter alia doctissimus auctor P. A. Palmieri describit commentationem prof. L. Miletič in Bulgarico Sbornik za narodni umotvorenija, nauka i knižnina XIX. (Sophia 1903, p. 1—369) de Paulicianis Bulgaris, i. e. de catholicis Bulgaris prope Svistov et Philippopolim; quos Miletić contra M. Drinov non ab Armenis Paulicianis profectos sed a Franciscanis conversos esse existimat. — Item commentationem I. S. Jastreblov in XLI. volumine serb. Spomenik (Tauruni 1904) de Vetere Serbia et Albania, ubi multa de monasteriis serbicis eontinentur.

Item XVIIIum Godičnjak regiae Academiae Serbicae et LXVIII. volumen Glas Srpske Kraljevske Akademije, ubi J. Tomič, qui de Ba-

sílio Petrovič, metropol. montenegr. scripserat, de rationibus Montis Nigri cum Turcia exponit.

Ex russicis tractat praeter alios librum N. Marr (Arkaun. Spb. 1905) orientalistae multis partibus doctissimi; eiusdem commentationem Kreščenie Armjan, Gruzin, Abḫazov i Alanov sv. Grigoriem in Zapiski Vostočnago otdělenija Imper. Russkago Arḫeologič Obščestva 1905 (t. XVI.), de s. Gregorio Illuminatore.

Rivista storico critica delle scienze teologiche. I. Roma 1905.

A. Palmieri, Pro teologia russa. (p. 54—55). Contra P. M. Martinez defenditur elegantia doctrinae theologorum Russorum; si nos aestimabimus labores eorum, etiam nostri ab eis aestimabuntur; ne dividantur arma opesque christianorum, sed socientur!

A. Palmieri, Il centenario di Alessio Stepanovitch Khomiakov (p. 103—104). A. Ḫomjakov (* 1. Mai 1804, † 23. Sept. 1860) a multis celebratur ob doctrinae etiam theologicae excellentiam, qui locum meliori doctrinae, ab occidentali liberiori aperuerit, revera tamen slavjanophili odium rerum occidentalium et mediocritas theologicarum eius commentationum propria sunt. Enumerantur opuscula eius theologica secundum novam editionem Sočinenija A. S. Ḫomjakova. Moskva 1900, vol. II. Sunt haec: Cerkov odna (p. 3—26) 1864. — Quelques mots par un chrétien orthodoxe sur les communions occidentales à l' occasion d' une brochure de M. Laurentie. Par. 1853 (in Russ. versum p. 27—90; in ed 3. M. 1886 p. 27—92). — Quelques mots sur les Confessions occidentales à l' occasion d' un mandement de Mgr. l' Archevêque de Paris. Leipzig 1855 (Russ. p. 91—162; ed. 3. p. 95—168). — Encore quelques mots d' un chrétien orthodoxe sur les Confessions occidentales à l' occasion de plusieurs publications religieuses, latines et protestantes. Leipzig 1858 (Russ. p. 163—247; ed. 3. p. 171—258). — Les travaux bibliques de Bunsen in Union Chrétienne 1860 (Russ. p. 248—290; ed. 3. p. 261—301). — Pis'mo k utrehtskomu episkopu žansenistu Loosu (p. 291—304; ed 3. p. 305—317). — Lettre au rédacteur de l' Union Chrétienne 1860 No 45; Russ. p. 305—314; ed. 3. p. 320—328. — Pis'mo k I. S. Aksakovu o značenii stradanija i molitvy (ed. 3. p. 329—338). — Pis'mo k K. S. Aksakovu o molitvě i čudesaḫ (ed. 3. p. 339—342). — Pis'ma k Pal'meru i Vil'jamsu (p. 315—398; ed. 3. p. 345—422). — Opyty perevodov apostol'skiḫ poslanij (p. 401—420) — Otryvki i zamětki (p. 425—430). Addimus ad hoc brevem indicem eorum, quae contra Latinos sunt (sec. edit. 3.): De infallibilitate romani episcopi p. 108—9; 189—191; 239—240; De Honorio 78. 190; de Liberio 71; de ecclesia docente p. 61—68. 140. 190—1; de concil. oecum. 48. 71—2. 102; de Filioque sine iure inserto p. 48. 355; de notis ecclesiae 362—4; de indulg 369; de divortio ob adult. 142—3; de matrimonii ministro 369; de peccato orig. 282—3; de infantium salute 389; de beatitudine 123. Ḫomjakov protestantismum putabat esse germanum catholicismi fructum. De eius doctrina theologica tractat Zavitnevič, Al. S. Ḫ. I, Trudy Ḫomjakova v oblasti bogoslovija. Kiev. 1902, p. 867—1422.

A. Palmieri, Bolletino di teologia russa (p. 188—201.) Primum exponitur de Pravoslavnaja Bogoslovskaja enciklopedija, ubi maxime desideratur conspectus fontium ac litteraturae de rebus tractatis. Velut de Dositheo Notaras, patriarcha Ierosol., Latinorum vehementi oppugnatore, non affertur a Sokolov nisi N. Kapterev, Snošenie patriarḫa Dositheja s Rossiej. M. 1891; latuerunt eum quae in Dušepoleznoe Čtenie scripta sunt a Macenko (Dosithej, patriarḫ Ierusalimskij i ego vremja. 1877 II. p. 475—496; 1878 I. 81—106; 220—240; 494—508; II. 23—50; 147—5.), item quae in Σωτήρ (Athen. Τὰ κατὰ τὸν Δοσίθεον) edita sunt; immo et quae Lebedev, Istorija greko-vost-cerkvi pod vl. Turok 1896. I. p. 57—60 notavit. — De Ignatio patr. constantinop. afferuntur fere tantum ea, quae Russi scripserunt. — Item de Isidoro, metrop.

Moscov., ne Pierlingianae quidem tractationis mentio fit. — Inter Eugenii Bulgaris opera numeratur a S. Troickij »izslědovanie o Nikiforě Vlemidě (Lejpcig 1768 i 1784) v treh tomah« (!) et »traktat ob ishoždenii Sv. Duha« (Zernicavii!).

Deinde agitur de Věra i Razum 1904; de I. G. Troickij, Talmudičeskoe učenie o posmertnom sostojanii konečnoj učasti ljudej: ego proishoždenie i značenie v istorii eshatologičeskih predstavlenij (De eschatologica doctrina in Talmud) Spb. 1904 p. VIII.+348; de Hristianskoe Čtenie 1904; de libro E. Akvilonov, Novozavětnoe učenie o cerkvi Spb. 1904, doctrina parum excellenti; de A. Burgov, Pravoslavno-dogmatičeskoe učenie o pervorodnom grěhě. Kiev 1904 (de quo nos alias plura dicemus); de D. Bogdaševskij, Poslanie svjatago apostola Pavla k Efes. Kiev 1904 p. VII+702, opere eximio.

Denique p. 201 cum P. Netzhammer (Unsere Stellung zur griechisch-orthodoxen Kirche. Salzburg 1903, p. 6) monens ab orthodoxis plenum fidei primae thesaurum servatum esse desiderat auctor, ut magis magisque catholici et orthodoxi inter se cognoscantur.

G Zattoni, L'epiclesi nell' antica liturgia romana e il suo valore consecratorio (p. 241 - 254). Auctor provocans ad formulae absolvendi mutationem, quae e deprecativa facta est indicativa, similem mutationem in signo consecrativo evenisse existimat. Antiquitus non verba Domini sola fuisse »fattore essenziale« sed etiam epiclesin. Patres epiclesi non declarandi praesentiam realem sed efficiendi sensum subiecisse. S. Gregorium M. credidisse apostolos species solo »Pater Noster« transformasse (ep. 9, 12). Gelasium I. (ad Elpid. Mansi VIII, 139. Thiel I., 486) dixisse Spiritum s. invocatum advenire ad divini mysterii consecrationem; quod tamen testimonium cum effectum Spiritus s. dependentem videatur reddere ab innocentia sacerdotis, potius aliud docet.

P. A. Palmieri, La riforma canonica della Chiesa Russa (Patriarcato e Sinodi; p. 829—844). His de rebus in nostro conspectu alio loco exponetur.

MISCELLANEA.

D. Placide de Meester O. S. B., **Le dogme de l' Immaculée Conception et la doctrine de l' Eglise grecque.** (Extrait de la Revue de l' Orient Chrétien 1904—1905). Paris 1906. 82 p.

Commentatione hac doctus scriptor, Romae in collegio Graeco professor, minus apologetice quam dogmatice inquirit in doctrinam Graecorum Patrum de immaculata conceptione Deiparae. Primum de attributis quibusdam B. M. V. agit, quae et ad hoc dogma exprimendum apta esse et ad idem a ss. Patribus adhibita esse docet. Ut nonnulla magis attendi (usus antonomasticus), alia de Patribus uberius approbari (puritate Mariam angelos superare), alia minus firma negligi (fortuitus usus verbi ἡ ἄμεμπτος loco ἡ παρθένος ibi, ubi etiam φθαρέντας occurit p. 12) potuerint, tamen efficitur, ut attributis illis confuse id exprimi consueverit, quod nunc immaculatam conceptionem uno verbo dicere solemus, exemptionem illam a peccato originali, quam a ss. Patribus creditam esse constat.

Deinde agitur de typis et figuris V. T. a Patribus ad B. M. V. dignitatem exprimendam adhibitis. Id nonnumquam eo modo fiebat,ut firmissima argumenta, Patribus de eodem illo Deiparae privilegio persuasum fuisse, inde hauriri possint.

Tum modus, quo Patres nonnullos sacrae scripturae locos (velut ex Cant., Protoevang., Salutat. ang.) explicabant, tractatur.

Denique ea, quae in Patrum Graecorum operibus ad nexum theologicum huius dogmatis cum aliis christianae doctrinae partibus spectant, et rationes theologicae, quibus iidem Patres B. M. V. privilegia probabant, exponuntur. Inter alia allegantur hic loci ad persuadendum

aptissimi de quadam immortalitate Deiparae ex Simeone Thessal. (In nativ. Deip.), de concupiscentiae immunitate ex Psello etc.

Cum res magis ita tractetur, ut credenti dogma consensus Patrum exhibeatur, quam ut adversarius eorum testimoniis prematur et includatur, multa licuit afferre, quae dubitanti non persuadent nec tamen a dogmatico aut patrologo negligenda sunt. Etenim minus clara clarioribus explicantur. Tamen firmiorum testimoniorum vis accuratius ostendi potuit; et, cum apologetae potissimum sit, singulos locos accurate examinare, tamen etiam dogmatico diligenter cavendum est, ne explicans eos »dans leur totalité« decipiatur; velut attributo ἁγία idem exprimi quod vocibus ἡ Πανάφθορος, ἡ Πανάμωμος aut Patres de »terra virgine« loquentes immaculatam conceptionem semper significasse non dixerim (cf. Čas. kat. duch. 1905 p 464—5). Optandum est etiam, ut fontes, unde patrum testimonia allegantur, accuratius indicentur.

Ceterum haec commentatio dogmatica, industrie ac studiose elaborata et doctrinae laude dignissima, magnum desiderium movet apologeticae, quam auctor in fine promittit.

Iuvat fortasse adnotare etiam opus A. Krechowieckii, de Deipara immaculata sec. evangelia et ss. Patres (2 tomi, IV.+656; 636 pag.) Leopoli editum. *A. Špaldák.*

Antoine Malvy, **L'union des Eglises Chrétiennes.** (Extrait du Messager du Coeur de Jésus. Avril 1905.) Tournai. 18. p.

Expositis scandalo aliisque malis, quae perniciosa illa ecclesiarum separatio attulit, cuius rei Japonia et Terra Sancta clara exempla praebent, desideria omnium christiani nominis vere studiosorum exprimuntur eorumque studia narrantur. Quae saeculo hoc maxime aucta sunt Memoria certe digna sunt, quae Ioachim III. patr. Constpl. 12. Iunii 1902 et Antonius, metropol. Petropol. 25. Ian. 1904 professi sunt. Rerum statu descripto concluditur ad ecclesiarum coniunctionem quam maxime necessariam esse animorum conciliationem. »Nous aurions atteint notre but si nous avions fait comprendre qu' entre les deux moitiés divisées de la chrétienté, ce qu' il faut hâter de tous nos efforts, ce n' est pas des pourparlers théologiques et des discussions de droit, mais un rapprochement des coeurs par la charité« p. 16.)

RESPONSA AD INTERROGATIONES.

1. **Liturgia orientalis** tractatur his libris russicis:

A. Dmitrievskij, Bogosluženije v russkoj Cerkvi v XVI. vèkě. Kazan' 1884. (4 R.). — Opisanie liturgičeskiḥ rukopisej ḥranjaščiḥsja v bibliotekaḥ Pravoslavnago Vostoka, t. I. Kiev 1895; t. II. Kiev 1901. (7·5 + 8 R.). — Stavlennik... s objasn. vsěḥ obrjadov i molitvoslovij. Kiev 1904. (XIII. + 343. 2.5 R.) — Drevne-Iudejskaja Sinagoga i eja bogoslužebnyja formy v otnošenii k drevne-ḥristianskomu ḥramu i ego bogoslužebn. form. Kaz. 1893. (0·5 R.).

K. Nikol'skij, O službaḥ russkoj Cerkvi, byvšiḥ v prežnyḥ pečatnyḥ bogoslužebnyḥ knigaḥ. Spb. 1885 (3 R.) — Anathematstvovanie, soveršaemoe v pervuju nedělju Velikago posta. Spb. 1879. (1·5 R.). — Obozrěnie bogoslužebnyḥ knig pravoslavnoj Rossijskoj cerkvi. Spb. 1858. (4 R.). — Ob antiminsaḥ prav. russkoj Cerkvi. Spb. 1872. (3·5 R.). — Posobie k izučeniju ustava bogosluženija pravosl. Cerkvi.[4] Spb. 1888. (3 R.). — Materialy dlja istorii ispravlenija bogoslužebnyḥ knig. Spb. 1896. (1 R.).

N. Odincov, Porjadok obščestvennago i častnago bogosluženija v drevnej Rossii do XVI. v. Spb. 1881. (1·5 R.).

N. Krasnosel'cov, Objasnenie Liturgii sostavlennoe Theodorom, episkopom Andidskim (XII. v.). Kaz 1884. (0·3 R.). — Materialy dlja istorii činoposlědovanija liturgii svjatago Ioanna Zlatousta. Vyp. I.

Kaz. 1889. (1·5 R.). — K istorii pravoslavnago bogosluženija. Po povodu nèkotoryh cerkovnyh služb i obrjadov, nynè neupotreblajuščihsja. Kaz. 1889. (2 R.).

A. Popov, Pravoslavnye Russkie Akathisty, izdannye s blagoslovenija Svjatějšago Sinoda. Istorija ih proishoždenija i cenzury, osobennosti soderžanija i postroenija. Kaz. 1903 (VI. + 636 + VI.; 3 R.).

A. Petrovskij, Apostol'skija liturgii vostočnoj cerkvi. Liturg. ap. Iakova, Thaddeja, Marija i sv. Marka. Spb. 1897. (2·5 R.). — Poslědovanie strastej po bogosluž. ustavu Ierus. cerkvi IV. i IX.—X. v.: Strannik 1904 (45) I., 3, 473—482. — Drevnij akt prinošenija veščestva dlja tainstva evhar.: Hrist. Čt. 1904, I., 406—431.

arhiep. Sergij, Polnyj Měsjacoslov Vostoka. Vladim. 1901 (6·25 R.).

M. Arhangel'skij, O tainstvě Sv. Eleja. Spb. 1895. (1·75 R.).

A. Golubcov, Činovniki Holmogorskago Preobraženskago Sobora. M. 1903. (2·25 R.); Činovnik Novgorodskago Sofijskago Sobora. M. 1899. (1·75 R.); Činovnik Nižegorodskago Preobraž. Sobora. M. 1905. (0·75 R.).

I. Mansvetov, Cerkovnyj ustav (tipikon), ego obrazovanie i sud'ba v grečeskoj i russkoj cerkvi. M. 1885.

I. Dmitrevskij, Istoričeskoe, dogmatičeskoe i tainstvennoe izjasnenie Božestvennoj liturgii. Spb. 1884. (2·5 R.).

V. Turaev, Nočnoe bogoslužènie ethiopskoj cerkvi po rukopisi No 143 Arheologičeskago Muzeja pri Kiev. Duh. Akad. Kiev 1901. (0·25 R.).

P. Dudarev, Istorija prazdnika Vozneseniija Gospodnja. Novočerkassk 1905. (0·10 R.). — Istorija prazdnika Srětenija Gospodnja. Novoč. 1905. (0·1 R.). — Proishoždenie prazdnika Blagověščenija Božiej Materi. 1904 (0·1 R.; ex Donskija Eparh. Vědomosti 1904, 8, 228—232; 9, 258—266).

A. Almazov, Ispytanie osvjašč. hlěbom. Greč. ustav soveršenija ego po rkp. XVII. v. s kratk. istor. očerkom. Odessa 1904. (0·25 R.). — Istorija činoposlědovanija kreščenija i miropomazanija. Kaz. 1885. (4 R.).

N. Pal'mov, O prosforah na proskomidii. Kiev 1902. (0·4 R.).

2. **De capite ecclesiae.** Quod E. Akvilonov in libro suo Novozavětnoe učenie o cerkvi a. 1904 denuo edito theologis ecclesiae catholicae opponit, non posse primatum componi cum imagine, qua ecclesia corpori comparatur, cuius caput est Christus, novum non est, nec apud Russos (cf. Filaret, Slova i rěči IV, 327; Gorodkov, Dogm. bogosl. po sočinenijam Filareta, mitrop. Mosk. Kaz. 1887, p. 234 etc.) nec apud occidentales primatus adversarios. Ad sententias eius »Cerkov' ne est' tělo rimskago episkopa; slědovatel'no i rimskij episkop, ne est' ni v kakom smyslě glava Cerkvi: Cerkov' ne možet byt' dvoeglavoju« (p. 43) et »pri učenii o Cerkvi, kak tělě Hristovom, rěšitel'no ne ostaetsja města dlja papskago glavenstva« responderi potest cum C. Tondini, Le pape de Rome. . ., Paris 1876, p. 188: »Dire que cette Église doit être gouvernée par un homme seul, au lieu de l'être par un certain nombre d'hommes indépendants les uns des autres, — ceci peut-il être qualifié »d'usurpation sur l'autorité de Jésus-Christ?«« »Puis donc que l'Église de la terre constitue une société visible, elle a besoin d'un gouvernement extérieur et de gouverneurs visibles; quelle que soit d'ailleurs la forme de ce gouvernement, il faudra bien appliquer, soit à un homme seul, soit à plusieurs, la dénomination de chef ou tête de l'Église« p. 191; cf. Confessio orthodoxa ap. Kimmel, Libri symb. p. 158.

Quod idem existimat doctrinam de ecclesia ut est Christi corpus negligi a theologis occidentalibus, non magis verum est. Cf. e. g. Thomas Aq. S. th. III, q. 8, a 1; Guilelmus Altisiodor., In l. 3. tract. 1, c. 4, q. 5; Io. Turrecremata, Summa de ecclesia l. 1, c. 43—69; M. Becanus, De republica ecclesiastica l. 1, c. 4; Petavius, De incarnat l. XII., c. 17, § 3; F. Stentrup

Soteriologia (Oenip. 1889), vol. II. th. 170—1, (p. 1124—1136); Vilmers, De Christi Ecclesia p. 80—5; A. Straub, De ecclesia th. 10 (p. 269—282); Bessarione Anno 1902 (6), ser. 2, vol. 2, p. 10—14. etc. Et, quod rei caput est, eadem doctrina quam accuratissime ab iis explicatur, quod ab Akvilonov fieri dici non potest. Conferatur velim explicatio huius cum theologis ecclesiae catholicae; quorum mentem paucis hic exhibere liceat.

Ecclesia est corpus Christi idque sensu improprio, cum si comparatur cum corpore Verbi (Verbum est sustentans corporis proprio sensu), tum, si spectatur natura corporis; ecclesia enim analogice tantum corpus est, etsi aliter ac societas in genere cum corpore comparatur. Esse corpus Christi non proprietas ecclesiae est, sed essentia, id quod suo modo Akvilonov videtur p. 62 expressisse.

Quaeritur, quomodo sit Christus caput ecclesiae, seu quae sit analogia inter caput physicum et caput ecclesiae. In hac quaestione solvenda non est primario attendendum ad functiones, quas physiologi capiti tribuunt, sed notio capitis physici consideranda est, quae post hominum memoriam in usu fuit et est, quaeque transferebatur. Constat enim caput sine corpore vivere non posse, Christum sane sine ecclesia posse esse; in hac re notio translata capitis videtur propius accedere ad caput taeniae quam hominis. Capitis — notione vulgari verbo subiecta, item capitis metaphorici — est 1. arctissime coniunctum esse corpori 2. coniunctionem cum eo esse causam, cur materia incorporetur seu vitae organicae particeps fiat 3. idem caput esse causam, cur membra viventia componantur in unum organismum seu corpus; 4. esse huius organismi membrum principale et totum adaequans. Haec vis metaphorica capitis innititur sane physiologicae et — quae res minime negligenda est, si quidem ideae divinae negari non possunt — ideali. Physiologice notum est caput esse microsoma; idealis vis bene exponitur in Natur und Offenbarung III, 408 ss.

Iam quomodo Christo omnes notae capitis mystici conveniunt? Secundum catholicos theologos (orientales id negabunt) eramus mortui antequam Christus venisset, quia pro peccatis nostris satisfacere non potuimus et Deus satisfactionem postulabat. Christus satisfecit, necesse autem est eius satisfactionem nobis applicari; quae applicatio consistit in eo, quod incorporamur Christo, i. e. fimus id, quod Christus est idque per Christum ipsum (sicut incorporari Adamo est fieri hominem per Adam), i. e. fimus filii Dei generatione, cuius ipse est causa non solum meritoria sed et efficiens. Nam Christus ipse est, qui baptizat. Nam sacramenta efficiunt formaliter necessitatem implendae significationis; efficiunt id per suam significationem (suam operationem, ratione distinctam ab ipso signo), quae a naturali elevata est (per relationem directe quidem ad causam [intentionem ministri competentis], indirecte autem ad institutionem Christi) ad significationem a Christo positam, quae quatenus a Christo posita est, cum non possit non esse vera, necessitatem metaphysicam impletionis affert (cf J. Müller, De sacram. in gen. Oenip. 1905, p. 153). Ut talia signa instituere posset, hoc Christus meritis suis consecutus est sec. Eph. 5, 25. s. Cf. Suarez, In III. p. t. 1. disp. 39, s. 3. Iam vero fieri id, quod est Christus, seu incorporatio, qua evadimus membra Christi, est simul formaliter ipsa deificatio nostra seu collatio vitae deiformis, supernaturalis, qua ex materia anorganica in corpus illud vivum ecclesiae transimus; quod capitis unitate continetur. Ergo Christus caput est corporis, cuius anima est — Spiritus s. Cf. Eph. 1, 23; Augustin., Serm. 268 in die Pentecost. Et haec est ecclesiae essentia, non proprietas; quippe cuius finis sit salus hominum attingenda per meritorum Christi applicationem. His perspicuis nexibus videtur res accurate et plene explicata esse.

Ad tertiam eiusdem auctoris obiectionem ab ecclesia romana falso putari regnum coelorum idem esse atque ecclesiam (p. 49) spe-

ramus fore, ut inveniatur, qui propria commentatione respondeat, cum ea de re a Russis multum tractetur et inter occidentales alii aliter sentiant [Cf. P. Ja. Světlov, Ideja Carstva Božija v eja značenii dlja hrist. mirosozercanija in Bogosl. Věstnik 1903; Strannik 1902, I, 403—426; 1118—36 (contra Schmoller et Tolstoj); V. Gomerov, Raskrytie evangel'skago ponjatija o carstvě Božiem. Kiev 1906. etc.; Franzelin, De eccl. Christi th. 7 (p. 77—90); L. Atzberger, Die christl. Eschatologie in den Studien ihrer Offenbarung im A. u. N. T. Freib. 1890, p. 217—226; L. Fonck, Die Parabeln des Herrn, Innsbr. 1902, p. 48—65; J. Schäfer, Das Reich Gottes im Lichte der Parabeln des Herrn, Mainz 1897; Bartmann, Das Himmelreich und sein König. Paderborn 1904; Zeitschrift f. kath. Theologie 1903 (27) p. 581 (Zorell); Revue biblique VIII. (1899) 1346—368 (V. Rose); cf. Rev. de théol et des quest. relig. 1902, I, p. 141—172 (J. Neel); The journal of theol. studies 1900, I, n 4 (W. Sanday); Liberté Chret. 1902, 9, col. 385—394 (J. Bovon) etc. etc.]. Ceterum argumentum eius ex illo: ‚Regnum Dei intra vos est' ductum (p. 46) debilissimum est; cur enim hic locus non possit de praesentia regis et primorum membrorum intelligi?

3. **(De purgatorio).** Inter 5 illa, quae semper improbabantur a theologis graecis, sunt (praeter »Filioque«, primatum, azyma) etiam quaestiones de purgatorio et de statu animarum sanctarum ante iudicium. (Cf. etiam catalogos errorum ap. N. Nilles, Symbolae I., (1885) 116—121). Cum de concedenda iustis ante diem iudicii visione beatifica promissa sit nobis commentatio, de purgatorio solo hic pauca exponere satis est [1]).

Doctrina catholica de purgatorio duo complectitur: a) posse animas iustas venire illuc maculis quibusdam moralibus affectas; b) has maculas deleri debere poenis satisfactoriis, antequam animae ad beatitudinem perveniant. Purgatorium esse locum quendam, licet sicut caelum et infernum saltem anthropomorphistice ut locus proprius concipi soleat, aut animas illas igne (sive supernaturali quodam, sive noto processu chemico) torqueri (quod Russi negant; cf. Makarij, Praec. dogm. bog. § 259, III., defendit v. g. F. Schmid, Das Fegefeuer nach katholischer Lehre. Brixen 1904), non contenditur; purgari animae dicuntur ab indignitate ascendendi in caelum (cf. Thomas Aq. q. 71, a. 6, ad 3), negatur autem eas actibus virtutum moralem perfectionem, augmentum gratiae acquirere (cf. Gregor. Naz., Or. 15). Poenae purgatorii sunt mere vindicativae; cur tales exigat Deus, duplex ratio est: iustitia vindicativa et sanctio seu gubernatio, »quia alias homines contemmerent in hac vita satisfactionem condignam pro mortalibus et pro nihilo ducerent peccata venialia, si pro eis nulla timeretur vindicta, dummodo in gratia morerentur«. Suarez, De purgator. disp. 45, s. 1, n. 36. Satispassio purgatorii adaequat culpam non sola per se, sed quatenus per hanc passionem applicatur satisfactio Christi; sc. docent

---

[1]) Contra doctrinam catholicam de purgatorio scripserunt inter alios: Germanus Cp., Ὁμολογία τῆς ὄντως ἀληθοῦς πίστεως; Marcus Eugenicus tribus commentationibus (bibl. Paris. n. 1218; Mosc. n. 208, 394); Meletius Pēgas, Ὀρθόδοξος Διάλογος (Vilnae 1596); Gabriel Severus, Ἔκθεσις κατὰ τῶν ἀμαθῶς λεγόντων etc.; Ioannitius et Sophronius Leichudae, Περὶ τοῦ καθαρτηρίου πυρός; ex recentior. Russ. v.: Dim. Gusev, Čistilišče u srednevěkovyh rimsko-katoličeskih bogoslovov (in Pravosl. Sobesědnik 1872, II.); T. Th. Seredinskij, Možno li molit'sja za usopših ne priznavaja čistilišča? (in Hrist. Čtenie 1868, II., 691—7); A. I. Ponomarev, Sobesědovanija sv. Grigorija Vel. o zagrobnoj žizni (in Strannik 1886); N. Ja. Běljaev, Rimskokatol. učenie ob udovletvorenii Bogu so storony čelověka Kazan' 1868.

theologi nec pro veniali peccato posse hominem praestare satisfactionem. — Haec doctrina magis ex *traditione* [cf. Basilius, In Io. 9, 16—19. M. 30, 519 s.: κάθαρσιν; Caesarius Arelat. M 39, 1946; Io. Damasc., Or. de obdormientib. ap. Mich. Glyca, Ep. ad Nilum mon.; Afrem, Hymni et sermones ed. Lamy t. I, p. XIII. (cf. Opp. syr.-lat. ed. Assem. III. praef. p. 20); Ambrosius, Serm. 20 in Ps. 118; Cyprianus, Ep. 55, n. 20 (H. 2, 638); Hilarius, In Ps. 118, v. 20 (M. 9, 522); Augustinus, Serm. 172, n. 2 (M. 38, 936); in Ps. 37, n. 3 (M. 36, 397); Greg. M., Dial. l. 4, c. 39; In 1 Reg. 3, n. 26; Constitut. apost. l. 8, c. 41 (M. 1, 1143); Gregor. Naz., Or. de mortuis (M. 46, 526) etc. Quibus additur explicari haec et alia dicta traditione de reditus ex inferno impossibilitate (de qua loquuntur Athanasius M. 27, 236; Cyprianus M. 4, 562; Ambrosius, M. 14, 542; Afrem ed. Lamy t. III, 140 s.; Gregor. Naz. M. 35, 944; Leo M. M. 54, 256; Fulgentius M. 65, 572; Petrus Chrys. M. 52, 387); locis allegatis non agi de levamine damnatorum (quale Io. Chrysost. videtur admisisse; cf. v. g. Gotti, Theol. schol.-dogm. t. 16, q. 4, dub. 1), certum est], quam ex *scriptura* probatur. Certe 1 Cor. 3, 15 illud ὡς διὰ πυρὸς obscurum esse nemo diffiteri potest; v. αὐτὸς δέ bonus Graecitatis auctor referret ad τεμέλιος; sensus tamen videtur esse, fore ut architectus malus salvetur; verte illud: sicut aliquis per ignem salvatur; quodsi ibi agitur de poena purgatorii (post mortem), aut agitur de eis, quae communiter contingunt, aut nominatim praedicatoribus non bonis nec unctione infirmorum nec alio modo poenas condonatum iri revelatum est; vero propius est nihil dici nisi salvum — sed vacuum, sine meritis — evasurum. Cf. I. Truskovskij, Rukovodstvo k obličitel'n. bogosloviju [2]. Mogilev n. D. 1889, p. 98.

Quid theologi orientales sentiunt? [2]) Anonymus quidam in libello »Dogmatische Erörterungen zur Einführung in das Verständnis der orthodox-katholischen Auffassung (Berlin 1893) p. 18 f. rem ita exponit: »Ein besonderer Ort zwischen dem Hades (der Hölle) und dem Himmel, also [?] das Purgatorium der römischen Kirche ist der orthodoxen Glaubenslehre fremd. Alle, welche nicht ein so heiliges Leben geführt haben, dass sie sofort der ewigen Seligkeit teilhaft werden, d. h. mit Ausnahme der vollendeten Gerechten, der Heiligen — alle Menschen sind zunächst der Hölle verfallen, können aber, solange beim grossen Weltgericht ihr Schicksal noch nicht besiegelt ist [cf. error Mechthildis de dubia sorte post mortem. Zeitschr. f. kath. Theol. XXV. (1901) p. 391], aus derselben durch die Fürbitten der Lebenden, besonders durch die Darbringung des unblutigen Opfers erlöst werden«. Idem liturgiam ecclesiae Romanae allegat (Tract. Absolve Domine animas oo. fid. . . . evadere iudicium ultionis . . .; Offert. Libera . . . de poenis inferni . . .). — T. Seredinskij l. c. p. 695 haec dicit: Nět izbavlenija iz ada dlja umeršiḥ v nevěrii i neraskajannosti, podobno evangel'skomu bogaču (Luk. 16, 23—26), nět izbavlenija iz ada po sobstvennym kakim libo zaslugam ili črez raskajanie (ibo poslě smerti i častnago suda nět města ni dlja zaslug ni dlja pokajanija), nět izbavlenija iz ada poslě vseobščago suda, no vozmožno izbavlenie iz ada dlja umeršiḥ v věrě i pokajanii, no ne uspěvšiḥ prinesti plodov dostojnyḥ pokajanija, vozmožno izbavlenie iz ada po molitvam cerkvi . . ., vozmožno izbavlenie iz ada poslě častnago suda«. Poenitentes igitur esse existimat eos, quibus solis preces prodesse dixerat Dionys. Areop. (vulg.), De eccl. hier. c. 8, sc. »sanctis precibus dignos«. Idem sentit

---

[2]) Cf. N. Nilles, Kalend. man. [2] II., 381—390; Loch, Das Dogma der griechischen Kirche vom Purgatorium. Regensburg 1842; Pitzipios, L'église orient. t. 1, ch. 11, n. 3; Hergenröther, Photius, t. III., p. 643 s.; Leo Allat., De utr. ecclesiae orient. in dogm. de purgat. perp. consensione (Migne, Curs. th. 18, 365—460); Katschthaler, Eschatologia. Ratisb. 1888, p. 339 ss. etc.

Makarij l. c. II. § 258. Etiam longius progressa videtur esse Confessio Orthodoxa Petri Mogilae p. I, q. 45: Οὐ γὰρ πάντως οἱ ἀποθνήσκοντες ἁμαρτωλοὶ βάλλονται εἰς τὴν γέενναν· ἀλλ' ἐν τῇ ἐξουσίᾳ κεῖται τοῦτο τοῦ Θεοῦ, ὥςτε καὶ τὸ συγχωρεῖν. Τοῦτο δὲ λέγω διὰ τὰς ἐπὶ τοῖς κεκοιμημένοις γινομένας προςφοράς καὶ τὰς διαδόσεις, αἳ οὐ μικρὰ συντελοῦσι τοῖς καὶ ἐν ἁμαρτίαις βαρείαις ἀποθανοῦσιν. Schellianum discrimen inter peccata mortalia et aeterna hic inveneris. Si, quod fieri licet (cf. Natur und Offenbarung XIII, 207 ss. 306 ss.), notiones caeli et inferni non ad loca sed ad status referuntur, nec inter ἄνω et κάτω media via quaeritur, controversia tota vertitur in eo, sitne satispassio post mortem possibilis et concedaturne et exigaturne revera. Hoc idem monet G. B. Matulewicz, Doctrina Russorum de statu iustitiae originalis. Cracoviae 1903, p. 14: »Russi quendam statum animarum, qui nostro purgatorio similis est, admittunt; praecipuum discrimen, ex quo cetera pendent, in eo est, quod Russi suppliciis, quae in illo statu animae patiuntur, nullum expiandi valorem tribuunt, quod negant illas animas reatus poenas exsolvere et iustitiae divinae posse satisfacere patiendo. Solum medium, quo illae sublevari vel liberari a poenis possunt, sunt ecclesiae suffragia. . . . Orthodoxi non tam statum intermedium negant, quam statum, in quo post mortem iustitiae divinae satisfieri potest, non supplicia reiciunt, sed purgationem. Verbo orthodoxi praeprimis satispassionis, quam dicimus, negant possibilitatem; haec igitur imprimis probanda est contra orthodoxos«. Ita res eadem agitur atque in defendenda doctrina de indulgentiis (Cf. arh. Makarij in Hrist. Čtenie 1853, I, 406 ss.; A. Franki, Dvie poslanice dvaju pravoslavnih episkopa u Dalmacii. Zadar 1881, 102—110 etc.). Refellatur igitur quod Filaret (Prav. dogm. bog.[3] II. Spb. 1882, p. 187) obicit: Bezzakonie — mysl', budto udovletvorjat' pravdě Božiej možet čelověk, a ne udovletvoril Syn Božij (§ 195—205). Quod si contigerit, iam aliis theologis occurrendum erit, qui novam de ipsa redemptione doctrinam proponunt. (Cf. P Ja. Světlov, Značenie kresta v dělě Hristovom. Kiev 1893, p. 90—212; rec. Strannik 1894, I., 164—171; Ep. Sergij, Pravosl. učenie o spasenii, Sergiev Pos. 1895; Sergievskij, Iskuplenie čelověka in Pravosl. Ob. 1871, N. 12; M. Vozdviženskij, Iskuplenie kak otkrovenie blagosti i pravosudija in Pravosl. Ob. 1885—6). Scilicet exprobrant catholicis theologis, quod Deum faciant hominem ulciscendi cupidum (Pravosl. bogosl. enciklop. V., 1084). Itaque etiam peccatis offendi Deum (quod ex notione remissionis manifestum est) et Christum, ut Deo pro peccatis vere satisfaceret, venisse ostendendum est. *Red.*

Corrigenda in fasciculo I.

P.	19	supra	v. 6	loco	Brevis	lege	(Brevis
„	„	„	15	„	theelogi	„	theologi
„	20	infra	13	„	Lopuhin	„	Lopuhin
„	„	„	12	„	Kirčevskij	„	Kirěevskij
„	„	„	1	„	exignam	„	exiguam
„	31	„	13	„	Gieseler	„	Gieseler
„	32	supra	21	„	hristianskoj	„	hristianskoj
„	34	„	16	„	174	„	(174
„	36	infra	5	„	flue	„	fine
„	40	supra	23	„	Micheau	„	Michaud
„	57	infra	2	„	Vshyd	„	Vshid
„	58	supra	1	„	8	„	1
„	59	infra	6	„	C.	„	cl.

Slavorum litterae theologicae.
Conspectus periodicus.

Dirigentibus
Dr. Jos. Tumpach, Dr. Ant. Podlaha, Ad. Špaldák, Pragae.
J. Urban, Cracoviae. Dr. Luc. Jelić, Jadrae.

Annus II. (1906) Pragae Bohemorum. Nr. 3.

BOHEMICA.

Dr. *E. Kadeřávek,* **O darwinismu** [2] **(De Darwinismo).** Praha 1906; pag. 48.

Dr. *Edward Babák,* **O theorii vývojové (De theoria evolutionis).** Brno (Brunae) 1904; 177 pag., 48 imag. — Pret. 3 C.

I. De litteris philosophicis Bohemorum optime meritus Dr. Eug. Kadeřávek hoc libro fundamenta et consectaria doctrinae darwinisticae exponit. Cuius generis hanc solam monographiam apologetae catholici litteris Bohemicis inseruerunt. Diligenter collecta hic invenies argumenta contra Darwinianorum opinionem generationis „aequivocae", „selectionis", certaminis de vita, hominis cum bestiis coniunctionis; argumenta vero adversariorum refelluntur et redarguuntur. Non quidem omnia, quae in contrariam partem afferri possunt, hoc libro comprehenduntur, neque quaecumque iam alias a doctis viris, imprimis in praestantissimo Wigandii opere (Der Darwinismus und die Naturforschung Newtons und Cuviers I.—VI. Braunschweig 1874—7) iure vituperata sunt, repetuntur, tamen satis argumentorum ad confutandam opinionem Darwinianam subicitur.

Logicae artis ratione, a Darwinianis magnopere neglectae, frequenter praedicata liber eminet; opinionis eorum notiones primas ab illa omnino abhorrere clare ostenditur. Id, quod p. 26 mediocriter significatum est, Darwinium sententiam de explicando mutuo formarum organicarum nexu mutuaque specierum dependentia, etiam sine physica origine formarum ex aliis, ratione ideali, propterea non recepisse, quod mentem totam empirismo tradiderat, pluribus tractandum videtur fuisse.

In opinione evolutionis universa iudicanda Dr. Kadeřávek aliis videtur se subiecisse. Unde discrepantes sententiae profectae esse mihi videntur: altera (p. 16; ab E. Wasmann, opinor, accepta) esse formas organicas, quae generatione atque educatione naturali (odrozením a pěstěním) ex specie naturali in systematicam transeant, altera (p. 17; communior et nostra), id esse certum, formas variantes (tvary z přechodů se těšící) species iudicari non posse. Sed quaestio haec aliena est, neque sine diligenti utriusque sectae examine solvenda.

Cum p. 27 contra argumenta ex morphologia ducta dicat origine omnium animalium satorumque posita in evolutione interna lege ordinata, homologiam organorum perfecte explicari, etiam hominis corpus evolutione ortum esse e formis inferioribus videtur existimare.

Ad extremum liceat nobis disputationem magna ex parte paulo abstrusiorem improbare. Quae magis re, quam cogitatione exponuntur ac sub aspectu paene ponuntur, facilius intelliguntur, ad persuadendum aptiora sunt. Praeterea rebus cogitationi tantum subiectis, non sensui, facile aliquid praeteritur; velut nescio, quo modo argumento p. 10 exposito similitudo generationis aequivocae cum origine crystallorum, quae negari minime potest, intercipi queat. De libro E. Babák (p. 131—6) res sub oculos subiecta ac definite tractata depromi potuit.

Hoc desiderio expresso censurae finem facimus scriptorem etiam in hoc genere librum perficiendi occasionem nacturum esse sperantes.

2. Summa laude digna est in altero libro, qui rerum doctrina atque explicatione, multis imaginibus adiuta, eminet, cautio et continentia, qua quaestio de origine specierum tractatur. Argumenta, quae ad theoriam evolutionis probandam afferri solent, nullam persuadendi necessitatem adhibere non modo non celatur, sed etiam diserte eorum exilitas proditur (velut p. 62—3 de equorum originibus). Item optime, quantopere opinio generationis „aequivocae“ a doctrina abhorreat, ostenditur (p. 131—6); quamquam quae p. 157 notantur de aenigmatis insolubilitate cum eis, quae p. 135 legimus de agnoscenda mente res gubernante, vix componuntur.

Omni genere cautionis adhibito tamen, ut sententiam omnem evitaret, quae argumentorum vim excederet, huic scriptori doctissimo, qui in Bohemica universitate Pragensi docentis physiologiae munus gerit, non contigit, id quod in libro certe pretioso, maxime desideratur. Neglecto studio eorum, quae ab aliis his de rebus scripta iam erant, id accidisse arbitror nec vereor dicere eum non solum ea, quae S. Koržinskij, (Geterogenezie i evolucija [Зап. Импер. Акад. Наукъ. T. IX. No 2. 1899] aliique scripserunt, neglexisse, sed ne Wigand quidem excussisse.

Agens de theoria evolutionis eam opinionem tractat, qua ad varias organismorum rationes, maxime autem ad similitudinem et convenientiam formarum, quam negare nemo potest, explicandas historica et physica specierum evolutio statuitur. Quod theoriae evolutionis nomen dari potest etiam illi opinioni, qua quaedam phaenomena eodem modo explicantur, at similitudinis et convenientiae, quam diximus, causa non in historica, accidentali evolutione ponitur, sed in communi ratione, qua ex operis creandi membris conveniens consensus concentusque efficiatur.

Haec opinio in hoc libro omnino negligitur. Non tantum eis, quae de organorum accommodatione eiusque hereditaria propagatione notantur, sed omni expositione eius persuasio se indicat, optimam esse illam opinionem, homologiam conformitatemque in rebus organicis manifestam, „základní shodný stavební plán“ de quo p. 33 legimus, non a priori in idea divina adfuisse, sed a posteriori historica evolutione ortam esse. Praeterea expresse negatur quicquam contra hanc theoriam afferri posse (p. 9). In hac re Mareš (Všeobecná fysiologie, p. 120) cautius videtur iudicasse, cum theoriae huius vim in absentia melioris, ut rebatur, poneret (cf. Babák, p. 153 s.).

Contra haec, cum res maxima agatur, liceat nobis semel pro semper imprimis accuratius doctrinam exponere et firmare, quam solam dignam esse existimamus, quae hypothesis vel theoria ad explicandas res huc pertinentes vocetur; quo facto docebimus neque indigere eam opinione de physica evolutione formarum legem divinam conformationis secuta.

Queruntur nostrae aetatis physici, quod philosophia scholastica rerum naturalium inquisitionem modo iniquissimo neglexerit. Sed illud certe negari non potest, idealem naturae comprehensionem, omnino alienam ab ea, quam Darwin oppugnandam sibi finxerat, iam pridem apud eos floruisse, qua si usi essent physici, ulterius sane pervenissent, quam sine ea pervenerunt. Nimirum Darwin nullam in rebus creandis mutuam dependentiam, nullum nexum concipiebat; itaque quamlibet speciem proprio ac miraculoso Dei interventu creari nostram esse opinionem fingebat. At nostra sententia vetus est, quamvis rem creatam ut singularem ac propriam solum fragmentum quoddam, partem aliquam absolutae perfectionis Dei repraesentare, eiusque notionem atque ut ita dicam ius exsistendi ex hac sola relatione ad Deum infinitum manare. Ubi similitudo quaedam apparet cum Darwinii praecepto: notas differentes notionum specificarum collisione quadam et mutua terminatione tendentiae ad infinitum, quae in quavis inest, oriri.

Sed non ita res est intelligenda, acsi fragmenta illa divinae perfectionis manifestationes essent separatae et sine connexu; contra opus Dei est aliquod totum, in quo omnia membra ad se mutuo referuntur. (Cf. Thomas Aq. S. Th. I., qu. 61, a. 3.) Ut herbas spectemus, idea herbarum, utpote partis alicuius rerum creatarum, hisce earumque relationibus determinata est. Sed idea divina herbae nec in uno individuo, nec in una forma, sed in varietate formarum differentium ad effectum adducitur, quarum singulae in multitudine individuorum apparent. Quodvis igitur individuum ut formae substratum pars est ideae effectae. Nec tamen complexio vel summa formarum singularum ideam totius aequare potest; idealis igitur cognitio herbae non fit coniunctis herbarum formis differentibus in monstrum aliquod, licet ad illam a posteriori colligendam earum cognitio opus sit.

Itaque licet multae sint res, non item multae in Deo ponendae sunt ideae, sed Deus ipse est idea rerum creatarum. Quod ut a physicis comprehendatur, opus erit illa Platonis *περιαγωγῇ* (De re publ. P. 518, D), sine qua ad intimam rerum cognitionem non est aditus. Cuius doctrinam de ideis realizandis videsis De re publ. P. 597, D vel ap. Augustinum, In Io, tr. 1, c. 17; Origenem, In Io 1, 1; Palmieri, De Deo creante 1878, th. 9, n. III etc.

Iam 1° historica evolutione non explicari omnia phaenomena, quae ideali nostra rerum comprehensione explicantur, doceamus.

Phaenomenon, quod theoriae, quam oppugnamus, favere eiusque probabilitati fundamentum aliquod praebere videtur, est phaenomenon harmoniae cuiusdam seu constantiae proportionum in rerum natura, quod idcirco sane potissimum eâ explicandum est. Sed non explicabitur.

Cum regionum septemtrionalium incolae coloribus unisonis induantur, nigro, albo, cano, meridionalium habitum colores dispares atque hilares componunt. Nec diversae solum species eiusmodi discrimen praebent, sed eiusdem speciei individua latius patentis, velut Lepus noster timidus et Passer domesticus.

Verum etiam intra eiusdem caeli limites alium habitum induunt incolae camporum incultorum, alium frumentariorum, etsi ad eandem pertinent speciem. Immo diversis anni temporibus diversae nascuntur colore bestiolae. Vere et aestate praecipite lepidoptera excluduntur ex pupis alba, luteola, cana (Pieris, Anthocharis, Rhodocera, Colias, Noctuidae, Geometridae), fulgidiora aestate fervente circumvolant (Vanessa, Zygaena, Apatura, Limenitis etc.). Vanessa (prorsa) levana duplicem formam exhibet pro diverso anni tempore.

En phaenomena etiam intra singulas species; frustra sperabitur fore, ut ab evolutionistis satis explicentur. Dicent hanc harmoniam certamine vitae productam esse. Sic ex speciebus avium, quarum ova diverso modo colorata erant, tempore procedente selectas salvatasque esse illas, quae colore humo simili et accommodato hostes latere potuissent. Omittimus incolas obscurarum speluncarum (quales sunt Sitta caesia, Certhia familiaris, Upupa epops, Coracias, Hirundo, Alcedo ispida etc.), ubi color nec prodesse quicquam nec nocere potest, numquam talem coloris, sive ovorum, sive pullorum, varietatem casu ortam prae se ferre, verum eandem ubique constantiam: omittimus item brevissimo tempore cuniculi domestici colorem mutari, si exponatur; omittimus r a r i o r e m quoque Bombycis monachae formam ('eremitas') cortici fuscae esse quam simillimam eaque occultatatam. Omittimus denique non ineptius repeti segetes ab eruncatis herbis inutilibus. (Cf. Stimmen aus Maria Laach XLVI. (1894), 175: L., 284—7, contra Kerville).

Sed a contemplatione colorum ad sonos considerandos evolutionistam ducimus. Alii soni in pinetis unisonis, et quorum quasi quidam unus est aspectus, audiuntur, alii in silvis frondiferis amoenitate et varietate delectantibus. Illic Turdus viscivorus, Parus ater, cristatus, Regulus stridentes ac pipientes edunt sonos, brevibus et rigidis languentibusque strophis: hic Sylvia luscinia, caerulecula, rubecula, atricapilla, Hypolais vulgaris, Turdus merula, musicus, Fringilla caelebs, cannabina, Calamoherpe palustris, alii varia modulatione inter se concertant. Similem convenientiam et quasi concentum inter arundineta, campos incultos, arva luxuriantia eorumque incolas invenies. Etiam inter eiusdem speciei individua hac loci diversitate varietas oritur.

Iam quaerere licet, num hic ulla commodi ratio ad phaenomena explicanda idonea evolutionistis praesto sit. Utrum Turdus viscivorus ita canat sicut musicus an hebetius, utrum Anthus arboreus, pratensis, campestris eosdem proferant sonos an immutatos, in hoc sane nihil momenti est ad res ipsorum, ad vitam aut sustentationem.

Iam, ut ad colores redeamus, num species septemtrionalis alba vel nigra facilius hostes fugit quam meridionalis rubra vel fulva? Sane albus masculorum color ex speciebus Circi cyanei, cineracei, pallidi,

non maius eis incommodum parat, quam femellarum color varius. — Ineptum conatum harmonicas picturas animalium indidem repetendi ac naevos maternos mittamus. (Cf. Altum, Der Vogel u. sein Leben[5], p. 270—274; Natur u. Offenbarung VII., 385).

Sed rem longius prosequamur. Est quaedam formarum similitudo omnibus explorata, qua fit, ut v. g. Lepidoptera ex habitu statim cognoscantur, et ex eodem papilionidae a sphingidis etc. internoscantur. Immo singulorum generum species saepe numero ad unam omnes adeo similiter coloratae sunt, ut, si totum spectes, idem color fundamentalis, eadem pictura in omnibus speciebus modificata quidem idque circumscripte ac definite, cernatur; vel ubi non colore eodem, tamen eadem forma sunt insignitae.

Iam tanta notarum similitudo certe non semper ex eisdem vel similibus vitae condicionibus, nec ex hereditate explicari potest. Sunt Lepidoptera (Sesiae), quae crabrones, ichneumones aliaque Hymenoptera simulant: in Hemipteris formae Lepidopteris similes inveniuntur, velut Akis, Drepanopteryx; Hemipterorum formam Coleoptera quaedam induunt; larvae tenthredonum speciem prae se ferunt erucarum; erucae (Deilephila nicaea) serpentium; etiam totae classes analogias quasdam exhibent.

Dividebantur olim volatilia in maiora et minora, aves et insecta; inter quae sane Lepidoptera similitudine cum illis eminent; Pterophoridarum alae ex pennis, rhachide cum vexillo videntur constare. Utrorumque volatilium genera quoque inferiora mutuo sui afferunt memoriam. Sphingidas cum Falconidis, cum Strigidis Noctuidas conferre licet. Nec Mammalium cum Coleopteris comparatio longe repetita aut artificiosa arbitranda est. Ipsa Lucani cervi, Rhynchitae, Otiorhynchi, Oryctae nasicornis nomina cum amplis Mammalium familiis, licet ex parte exstinctis, similitudinem, propter quam eis indita sunt, indicant.

Sed etiam intra eosdem ordines formae generum inferiorum seu tribuum mutuo transiliunt fines. Habitus Papilionidarum etiam in Sphingidis, Bombycidis, Noctuidis invenitur, habitus Sphingidarum in Bombycidis, Papilionidis, Noctuidis interdum occurrit etc. Microlepidoptera fere omnes praecipuos Macrolepidpterorum typos simulant. Saepe tenuissima quoque ac minutissima in variis familiis repetuntur. In Papilione Machaone quaedam ex costis seu nervis alarum posticarum elongata est, quod ad generis huius, a Linné Equitum nomine donati, typum pertinet. Eadem res in aliis Papilionidis et in Bombycidis et Geometridis et Noctuidis conspicitur. Similiter, ut avium exemplum afferamus, Lanius excubitor alba nigrarum pennarum (remigum) pictura, acute distincta ornatus est; qui ornatus aliarum quoque eius generis specierum communis est. Eundem vero distinctum in Lestride catarrhacte et parasitico, in Pipra aurantia, Xipholena pompadura et purpurea, Dacnobio brasiliensi, Betylo picato, Dendrocita chinensi, Lalage orientali, Pastore chinensi aliisque multis inveniri nonne miraris? Pennae falconum, asturum, Strigidarum, aliorum raptatorum, Picidarum, Jyngidarum, Cuculidarum, complurium psittacorum, nonnullarum Alcedini-

darum, Caprimulgidarum, Troglodytidarum, Perdicis cinereae et coturnicis, complurium phasianorum, scolopacum, numeniorum, botaurorum, pullorum Lari argentati, aliorum eandem vel similem taeniarum picturam exhibent.

Quo quaeso rerum concursu, quove casu, quo utilitatis respectu Papilio ille Machaon apices seu calcaria in alis nactus est? Quae fortuna Hesperiis quoque, Lycaenis, Saturniis, Geometridis, aliis idem contulit? Et haec sane similitudo, latissime patens, etiam elementum explicandum est, praesertim cum ipsa formarum similitudo theoriae evolutionis historicae comminiscendae ansam dederit. (Cf. Wigand. Der Darwinismus und die Naturforschung Newtons und Cuviers. I. (1874), p. 256. 261. — Natur und Offenbarung XII., 169—171: XLII., p. 276; 364. — Stimmen aus Maria Laach, XXVIII., 490. — Altum, Der Vogel u. sein Leben[5]. p. 14.)

Quae cum ita sint, opinio vulgaris de floribus et avibus a Deo vestitis veritati haud paulo propinquior videtur esse quam summa evolutionistarum doctrina.

Quid vero, si constantiae subtiliorum proportionum, velut sectionis aureae, rationem exigeremus (Stimmen a. M. L. XXX [1886], 534. 536; XXIV [1883], 356; cf. Sl. l. th. I., 137 [586]), vel sonorum harmoniae vel colorum dispositionis, quam in floribus (exemplo sint Lonicera caprifolium, Gentiana pannonica, Menyanthes trifoliata, Papaver rhoeas), in Lepidopteris (v. g. Zygaenidis), in avibus miramur?

Sed mittamus iam illam rationem non explicari, quae primum totius doctrinae huius fundamentum est, ipsam formarum similitudinem et convenientiam. Quam multa praeterea explicanda restant, quae explicandi evolutione copia nulla est

Quid, quaeso, interest (physiologice), habeatne herba aliqua folia pinnata an acerosa, integerrima an serrato ambitu, obovata an reniformia, opposita an alterna, flores epigynos an hypogynos, octopetalos an triphyllos etc.? (Cf. Nägeli, Abstammungslehre 290 s. Wigand, Der Darwinismus I, 136. 146. 422) Num ideo constantiam harum formarum casui tribuemus?

Est in vegetabilibus lex universalis ac sine exceptione, ut in quovis semine gemmulae situs sit axi herbae matris contrarius. Id utilitatis nihil praebere vel inde patet, quod in omnibus quidem herbis seminiferis contraria illa gemmulae directio seu regio in origine adsit (omnes sunt primarie orthotropae) a minore tamen parte (Urticaeis, Juglandeis etc.) retinetur, ceteris gemmulis anatropis, hemianatropis, campylotropis exsistentibus. Quae rationes, exiguae specie, in vero formarum naturali nexu ac serie cognoscenda maximi sunt momenti (Cf. F. Michelis, Das Formenentwicklungsgesetz im Pflanzenreiche. Bonn 1869 p. 390—431). Si quidquam, sane tanta constantia rationem sui sufficientem postulat.

Sed quomodo eiusmodi res historicâ evolutione explicabuntur? An caeco casu et fortuita hereditate? Modo a seria inquisitione utique alieno!

Spectetur in specie v. g. Caparica Papaia, cuius tubulosi flores staminigeri decem staminum margine quinquepartito circumdatorum, quorum quinque laciniis corollae opposita sunt, intus adnexa, longa, prominentia, quinque alternantia et considentia, memoriam omnino afferunt floris Primulacearum, quibus quinque stamina laciniis opposita et adnata sunt typica, alternantibus illis idealiter tantum indicatis nec rudimento germinis a Primulaceis alieno; contra flores pistilligeri Papaiaceae alte quinquefidati, staminum cum plurimum quinque rudimentariorum oppositorum, dilatato stigmate in germine ovulis parietalibus impleto, ex quo fructus fit cucurbitinus, alias formas aperte respiciunt. Num decreto formam Papaiacearum e forma Primulacearum tempore suo esse evolutam naturae investigationi satisfiet? Quanto dignior doctrinâ est harum rerum explicatio apud Michelis, Das Formenentwicklungsgesetz p. 181. (Cf. Natur u. Offenbarrung XV, 17).

Sed 2⁰ non solum explicandas rationes, quas unde explicet evolutionismus historicus non exhibet, proferre libet, verum etiam tales, quae cum decretis eius, ut parum ipsis consentaneae, manifeste pugnent.

Formae degenerantes, quae in omnibus organismorum tribubus maxima varietate extant, oriri (nedum ortae vigere) non potuissent, si vera esset illa theoria. Qua ratione flos Cucurbitaceae evolvi potuit, ubi stamina ita a situ suo normali recedunt, ut connata columnam in centro floris positam efficiant? Vel flos Stratiotae est ortus, ubi stamina in centro coniunguntur, sed etiam a simulacro staminiformi circumdata sunt, ita ut florem completum simulent? Quid hac in re omnis subsidiorum coacervatio evolutionistas iuvat? (Cf. Natur u. Offenb. XV., 11).

Paucis etiam adaptationem ad adiuncta illustrare liceat.

Fructificatio Orchitis masculae spermate fit aliunde per bombum allato, qui, ut mel, quo allicitur, oris fistula attingat, in sede floris apta collocatus teneram membranam, quâ illud opertum est, traicit; quod dum agit, simul capite ad pistilli columnam apresso, sacculos glutine impletos, qui in infimo retinaculo sunt, cui massa pollinaria insidet, lacerat ac retinacula soluta fronti suae agglutinat. Postea, cum avolat, massulam ex loculo extrahit, ubi recondita erat. Retinaculo brevissimo temporis spatio ($^1/_2$ min.) marcescente massa inclinatur eumque occupat situm, quo opus est, ut applicetur stigmati glutinoso, quo, dum bombus alio flore iam pastus recedit, proxima grana retinentur. Nisi ibi sacculus pollinis collocatus esset, ubi frons bombi ponitur, nisi in retinaculo esset guttula glutinans, nisi retinaculum suo tempore marcesceret et inclinaretur, nisi grana pollinaria stigmati ita admoverentur, ut nihil interesset intervalli, denique nisi stigma responderet granis in solubilissimos fasciculos distributis, fructificatio non fieret. (C. Berthold, Die Herrschaft der Zweckmässigkeit in der Natur 1877, p. 25—30). Sed quis est, quem fugiat ineptam fore huius apparatus explicationem evolutionistarum placito de organorum ad varia vitae adiuncta adaptatione applicato? Cf. Wigand, Der Darwin. II., 206—213.

Calicurgus (scurra, annulatus etc.), qui araneas proli suae nutriendae delegit, anatomiae harum accurata notitia, forte in infantia acquisita,

aptas nervorum systematis partes certo ictu compungit, alioquin ipse audaciae suae supplicium expensurus. Forsitan usum rei hereditate acceperit? Sed errorem primum capite luisset, non relicta sobole, quae perfectionem maiorem in hoc negotio acquireret! (Fabre, Souvenirs entomologiques IV., 245—7). Cf. Wigand, Der Darwinismus, I., 123—149; III., 242—5.

Haec pauca sufficere videntur ad evolutionismi opinionem infirmitatis levitatisque coarguendam.

3⁰. Nostrâ sententiâ omnia, etiam minutissima, perfecte explicari hic ostendere sane non possumus. Quin etiam fatemur, in explicatione ideali, quam tenemus, multa adhuc praestanda esse (quae exegesis libri naturae certe etiam ad theologos pertinet!), velut talem comprobationem eius per ingentem animalium varietatem, qualem in regno vegetabilium non frustra conatus est opere citato F. Michelis; de illis interim sufficiant primae lineae in Natur und Offenbarung VIII, 248—261 descriptae. Hic illud tantum notamus quemvis typum ex connexione complurium evolutionis idealis regionum oriri, non arbitrarium, sed quarum summa ideam vegetabilium (resp. animalium) exhibeat, i. e. ideam Creatoris, quae phaenomeno herbarum arborumque subest.

Restat 4⁰, ut ostendamus, universam illam opinionem, quae omnes formas procedente tempore ex unica ortas esse fert, veris argumentis carere.

a) Certum atque manifestum est quandam formarum organicarum mutabilitatem negari non posse. Unde nec antiquitus christiani docti naturaeque periti ab opinione eas mutari abhorrebant (v. g. Gregor. Naz., Or. 31, n. 10).

Explorata quoque res est oriri posse pullos nothos leonis et tigridis, caprae et ovis, Canis familiaris et lupi et aurei, Tetraonis urogalli et tetricis, Leporis timidi et cuniculi (hos etiam proliferos); et e herbis misceri praecipue Cirsia (velut palustre oleraceo, oleraceum cum arvensi, lanceolatum cum palustri); etiam Rubos, Cytisos, Asplenia, alias, ut herbas arboresque diversas mutuo inseri posse taceam. (Cf. Wigand, Der Darwinismus I, 402—4 etc.)

Organorum mutatio a quovis facile observari potest. In rosis centifoliis frequenter filamentum invenitur, cuius mutatio nondum perfecta est. In Salice repenti pistilla nonnumquam formam staminis induunt, stamina formam pistillorum (Natur u. Offenb. XI., 332); in aliis floribus petala in folia vertentia conspicies, vel e medio flore ramulum enascentem. Item amplam nonnunquam esse organorum mutabilitatem facile cognoscitur; velut Linariae vulgaris forma personata corollae, irregularitate eminenti, comparata cum peloria, regulari: vel ex bestiolis Zygaenae Ephialtae formis inter se collatis vel Arctiae Caiae erucis diverso alimento nutritis; denique columbarum formis (ap. Babák p. 104. 105 delineatis) consideratis, foetura praefinita effectis, qua etiam boves cornibus, canes crinibus privati sunt.

Hanc mutabilitatem, utique non illimitatam, id quod experimentis satis constat (cf. Wigand, Der Darwinismus I., 55—62), non cedentes tantum experientiae admittimus, sed poscimus, — non modo ad alia tuenda, ut humani generis ex una communique stirpe originem, sed propter ipsam nostram idealismi rationem.

At ab eis dissentimus, qui notionem speciei tollunt (Babák, p. 15. 157 etc.; cf. quae Wigand contra eos exposuerat, Der Darwinismus I, p. 13—38!), quique tantam mutabilitatem organismis tribuunt, ut ab una forma primaria ceteras omnes repetendas esse censeant. Ut enim quaedam organa immutari ac destrui possint, non tamen omnia aeque propria sunt, aeque ad naturam pertinent. Bos sine cornibus sit formatus, sine auribus vel cum dentibus glirium aut carnivororum non formabitur (Cf. Altum, Der Vogel und sein Leben [2], p. 241). Sicut enim varia structurae genera mutationem in quibusdam admittant necesse est, aliisque repugnent, ita mutationes specierum perpendiculi instar e medio ultro citro currunt, mutuo se tollentes (Wigand I, 236—7).

Nec praetereundum esse arbitror illam formarum commixtionem, quae in nonnullis regni vegetabilis regionibus determinationem specierum impedit, non aequali modo in omnibus speciebus inveniri, sed certis familiis se continere.

Sed urgebis interrogando, qua ratione a nobis explicentur bene figurata ecphymata et alia obiecta pathologica, etiam sectionis aureae rationem exhibentia, quae causis improvisis efficiuntur. Verum inanis est ista dubitatio, cum etiam ea, quae morbo gignuntur, speciei determinatae sint adnexa (Virchow, Vier Reden über Leben und Kranksein. Berlin 1862, p. 28).

Quodsi mutabilitatis explicatio secundum nostram rerum contemplationem a nobis postulatur, ad illam legem eam revocamus, in qua ipsa quoque specierum conformatio sita est, mutuae excursionis et commixtionis imprimis altiorum regionum formarum, aeque in regno animali atque in vegetali conspicuae (Michelis, Das Formenentwicklungsgesetz p. XVI.). Sicut igitur ad aptenodytae avis conformationem peculiarem typus mammalium aquatilium idealem vim habet, e contrario vespertilio mammale est, quod peculiarem formam atque indolem avium extrinsecus imitatur et exprimit, qua ratione transitus aut mutatio sane non probatur, — ita species intra genera typum principalem generis exprimentes, extrinsecus ad alios typos principales accedunt. Eadem est lex in crystallis conformandis; quorum varietas ex paucis formis principalibus oritur eo, quod hae quasi inter se inseruntur quodam ideali modo, ita ut singula forma plane alienam a vera forma principali speciem induere possit. Nec idcirco speciem esse determinatam stabilemque dubium fit aut consanguinitatis vinculum probatur. (Natur und Offenb. XII, 161. — T. Pesch, Instit. phil. nat. n. 604, 4⁰. C. Gutberlet, Apolog. I, 169 etc.)

Iam varietates intra species hinc potissimum esse repetendas, quod lex illa prominentiae ac mutuae penetrationis idealis typorum

hucusque pertineat, facile conicitur. Unde singulae res organicae, haec fagus, ille equus propriam indolem accipiunt, cuius quidem origo legem sequitur de variis typis coniungendis, sed plerumque nos latet. Cum apex folii Blechni Spicant in duas partes dividitur, facilius haec declinatio saltem ab interna causa repetitur, quod inferiores Cryptogamae frondosae lege bipartiuntur, et Blechnum ex eis formis est, quae relapsum de summa Filicum evolutione ac perfectione exhibent. Hac ratione patet etiam in varietatibus in nostra rerum contemplatione momenti aliquid poni ad rerum naturalium cognitionem et explicationem.

b) Haud aliter ea obiecta explicanda nobis videntur esse, quae sub nomine atavismi afferri solent, velut hypertrichosis, polymastia hominis, trinae equorum ungulae etc. (Cf. Natur u. Offenb. XLV., 1 etc.; Philosophisches Jahrbuch der Görresgesellschaft 1897, 367 etc.)

c) Sed rudimenta vel reliquiae organorum inutiles nonne decreta haec pervertunt? Vel tantum abest, ut eis labefactentur: comprobantur etiam, ut supra significavimus. Anguis fragilis praeter sternum inutile pedum reliquias sub cute crassa omnino inutiles habet, quibus ne ad fulciendum quidem corpus uti queat. Dentes incisores in foetibus artiodactylorum ruminantium, alae curtae Apterygis australis, Balanophorae elongatae superflua organa propagationis, oculi caeci animalium subterraneorum, hominis intestinum caecum, thymus, musculi ad movendas auriculas, ipsi vultus irati motus (Ziehen, Leitfaden der physiolog. Psychol. p. 201—2) aliena esse a consilio videntur, idonea olim esse potuisse. (Cf. Babák p. 43—45; 112—3. — Wiedersheim, Der Bau des Menschen als Zeugnis für seine Vergangenheit 1887 etc.). Accedunt homines microcephali, varietas musculi bicipitis (triceps) ad Simias accedens, ut villos omittam.

Verum ista omnia enumerantes, cur tacent de aliis rebus similibus? Quod calva incremento impedito formam cranio simiarum similem necessario induit (C. Aeby, Die Schädelform des Menschen und der Affen. Leipzig 1867, p. 87), non est unica deformitas explicanda. Quod vero animalia illa caeca non sine oculis creata sunt, nemo prudens mirabitur, qui idealem formarum evolutionem latius patere quam merae utilitatis rationem intelligit, ut sileam organum unquam ideo evanescere, quod otium ei permittatur, experimento nullo comprobari, illis exemplis revinci (C. H., Antworten der Natur, p. 61). Dein intelligi nequit, cur perfecta organa ad rudimenta reducta sint: cur enim Nymphalidae pedibus anticis renuntiarint, Diptera alis posticis, cur Upupa linguam aspernata sit?

d) Iam ad argumenta ex embryologia secundum legem biogeneticam a Fr. Müllero (Für Darwin, Leipzig 1863, p. 75—81) propositam et a Häckel propugnatam ducta consideranda aggrediamur. Dicunt evolutionem stirpis amputatam repeti in evolutione individui: constare enim animantia altiora, dum evolvantur, percurrere formas, quae in aliis inferioribus permaneant. In germine Acaciae longifoliae nasci folia pinnata (Babák p. 48). Avium embryones pedes habere magis articulatos, quales auctores generis eorum habuerint (Babák, p. 39—40).

Piscium immaturorum communem esse pinnam caudae indivisam, qualem squalus retineat. Etiam picturas animalium (reptilium, avium, mammalium) in individuis certo ordine frequenter se excipere, ut virgas transversas antecedant, maculae, maculas virgae longitudinales. In hominis ipsius embryone supra chordam (quod fundamentum est futurae spinae dorsi, in infimis vertebratis immutatum permanens; Babák p. 37—8) medullam formari, infra chordam canalem, per quem concoquitur: postea demum rudimenta vertebrarum ex utraque illius axis parte comparere; quo facto ad articulationem ita progressionem fieri, ut in canalis illius fronte branchiae nascantur; eas ad illud tempus spectare, quo patribus nostris in aqua habitantibus, ex aqua aër hauriendus fuerit. Embryonem 9—10 mm. longum duodequadraginta vertebras habere; unde ex quinque numerum vertebrarum hominis adulti excedentibus caudam olim constitisse iure conici. Item plus quam duodecim paria costarum hominem olim habuisse et sterno plus quam septem unitas fuisse; os pisiforme rudimentum esse digiti sexti, cartilaginem marginalem septimi (praepollicis). Lanuginem, qua foetus post sextum mensem, tegitur, foramen supracondyloideum manifesta signa esse originis speciei. Quas res aliter explicari non posse ac posita evolutione specierum altiorum ex inferioribus.

Res non tanta nobis videtur esse, quanta ab adversariis fingitur. Imprimis ipsa lex ista biogenetica mira et soli speculatorum naturae amori videtur esse data. Nam qua alia ratione natura duci potuit, ut evolutionem speciei in individuo redintegraret? (Cf. T. Pesch, Inst. psychol., t. I, n. 161, 3 fin.; Hagemann, Metaphysik[3] 1875, p. 107 s.) Sane quam in angustum cogere potuit et immutare (amnion, allantois!; cf. Babák, p. 49), hanc et negligere potuit.

Deinde certum est prima disparatione variationeque in ovis mammalium peculiarem vertebratorum formam exprimi (Kölliker, Entwicklungsgesch. d. Menschen u. d. höh. Thiere[2] Leipzig 1879, 106); et de herbis constat in embryone phanerogamarum ex quattuor cellulis constanti discrimen adesse inter rudimentum radicis et partem germinantem (W. Hofmeister, Üb. die Enstehung des Embryo der Phanerogamen. Leipzig 1849; cf. Stimmen aus M. L. XXIV., 346—7). Item consideratione dignum est Cyperaceas a Gramineis aetate adulta minus differre quam initio (C. Gutberlet, Naturphilos.[2] p. 308; Wigand, Darwin. I., 306; cf. His, Unsere Körperform. Leipzig 1875, p. 198 etc.) et larvas insectorum ad diversos ordines pertinentes saepe simillimas inter se esse, eiusdem ordinis larvas omnino discrepantes. Quod vero conformatio fetus animalium altiorum ad eandem communem dirigitur rationem, inde illud solum efficitur quamvis ampliorem classem animalium modo ac ratione esse aedificatam (Agassiz, Der Schöpfungsplan. Deutsch. Leipz. 1875, S. 170 ff.; Wigand, Der Darwinismus I. S. 344—8; Natur und Offenbarung III, 183. Nec plus illis similitudinibus tribuendum est (O. Hamann, Entwicklungslehre und Darw. S. 23. — F. Michelis, Häckelogonie[2]. Bonn 1876).

Una haec inveniri potest difficultas, quod, cum formam hominis formis animalium praelucere teneamus (Natur u. Offenbarung VIII, 260), ipsum hominem secundum communem congruentemque cum bestiis typum formari nunc concedere videmur: sed hoc veritatem explicationis evolutionisticae non evinceret, etsi haec discrepantiae species expediri non posset; quam explicare alias fortasse conabimur.

Plura de hoc argumento eaque eximia ap. Wigand, Der Darwinismus. I., 296—317; III., 246—7, 268 invenies.

Superest, ut phaenomenon metamorphoseos regressivae attingamus: ubi procedente evolutione individui perfectior gradus iam acquisitus relinquitur et forma inferior induitur. Quae res ipsis adversariis incommodior videtur esse quam nobis; nam degenerationis causa idealis facile reperitur; alia causa non item.

e) Pluris quam haec embryologica argumenta non sunt, quae ex geologia et geographia afferuntur. Etenim lacunosa illa continuatio seriesque formarum ea non est, qua vera earum consanguinitas probetur. Imprimis animantia temporum priorum multo minus inter se diversa esse et omnia corporum temperationem simpliciorem habere necesse foret quam nunc viventia. Sed neutrum inventa docent. (Cf. Römer Üb. die ältesten Formen des organischen Lebens auf der Erde: Pfaff, Schöpfungsgeschichte; Kerner v. Mar., Pflanzenleben II, 597—602 etc.) Potius contrarium fulciri potest trilobitis, calamitis, lepidodendris consideratis. Certe nullibi vestigium invenitur evolutorum paulatim organorum v. g. oculorum, nullibi vestigium acquisiti paulatim impetus et appetitus rerum idonearum. (Cf. Stimmen aus M. L. XXVIII, 481 etc.; XXIX, 248 etc.) Deinde laborant adversarii de explicandâ stabilitate nonnullarum specierum, quam palaeontologia certe demonstrat. Quae enim Babák afferre conatur (p. 64), explicatio non sunt. Quod vero in universum imperfectiora animantia antecesserint perfectiora, eius rei ratio vel haec esse potuit, quod haec multis egent rebus ad vivendum, illa paucis sunt contenta. Ceterum etiam haec rerum creatarum series idea divina est directa. (Cf. Michelis, Das Formenentwicklungsgesetz, S. 431—2). Nec profecto illa genera, quae interiere, tantum stirpis dissimilis causâ creata sunt: nam tempore historico animalia (velut Dinornis) evanuerunt, progenie nulla relicta.

Quodsi v. g. Paludinam, quae prius plana se circumvolvebat, postea in pyramidis speciem convertere se coepisse exemplaria eius demonstrent, tamen non magis eam unquam in Chamam vel aliam speciem abiisse sequitur, quam canis in leonem futura conversio inde, quod ex cane aquatico diligenti adhibita cura canis fricator fieri possit. (Natur und Offenb. XII., 428.)

Quomodo vero evolutio approbari potest, cum formae mediae, a quibus proxime v. g. carnivora originem duxerint, aliae inveniantur, si dentes, aliae si pedes (ungulae et ungues), aliae, si venter praecipue spectetur? (De Baer, Studien aus dem Gebiete der Naturwissenschaften II, 419. Ulrici, Gott und die Natur[3] p. 378; Stimmen aus M. L. XXIV, 356 etc.). Lamnunguia idem docent.

Hominem, si eandem ad stirpem ac simiae origo eius referenda est, in eadem geologica formatione inveniri necesse est, in qua reliquiae simiarum sunt: miocaena et pliocaena. Nec vero ibi quidquam eius repertum est; immo ne elephantum primigenium quidem aequalem fuisse hominum constat, teste Virchow (Ulmae 1892):

Haud magis igitur quam priora ipsa geologicorum temporum ratio evolutionismo favet.

Denique de illis formis interiectis, quas nimis miras monstruosasque esse iudicant, velut Dinotherii inter Elephantum et Trichechum, Amphicyonis inter Canem et Ursum, Ornithoscelidorum et Pterosauriorum exstinctorum idem nobis videtur quod v. g. de Cynailuro, cuius ungues et pedes et ipsum corpus porrectum regulam indicant et typum caninorum (Natur und Offenb. III, 483); perfectiones specierum mixtas in se uniunt.

Iam nec geographia improbari specierum constantiam etiam facilius ostenditur. Nam species inter se propinquas propinqua, remotas remota loca occupare nec omnino verum est, nec si verum esset, quicquam probaret. Aquae dulcis incolae Estheria, Limnadia, Apus, Branchipus toto orbe diffusi dispersique sunt. Alces palmatus (E., As., Am.), Pyxis arachnoides (As., Madagasc.), Manouria fusca (As., Au.), Iguana tuberculata (As., Am.), Bothrops lanceolatus (As., Am.), Lasius niger (E., Am.), Coccinella undecimpunctata (E., Af., As., Am.), Achatina lubrica (E., Af., As., Am.) etc. in dissitis orbis partibus habitant. E herbis in diversis partibus disseminatis hic nominentur: Lycopodium Selago, Menyanthes trifoliata, Nothoscordum fragrans, Myrica Gale, Amorphophallus Rivieri, Lysimachia thyrsiflora, Andromeda polifolia, Arctostaphylos uva ursi. Nec illarum specierum herbae, quae spatium minus amplum occupant, eo ita continentur, ut in regiones intervallis disiunctas interruptasque distributae non sint. Ut herbas montium Pyrenaeorum et Alpium et regionum septemtrionalium communes taceamus, exempli gr. quae in Helvetia, Bavaria, Austria, Tirolis meridiana Alpium centralium regione inveniuntur: Hydrocharis morsus ranae, Gladiolus palustris, Centunculus minimus, Cyclamen europaeum, Samolus Valerandi etc., in earundem Alpium Tirolensium parte septemtrionali desunt; et quae in Tirolis parte meridiana, quam Germani obtinent, desunt; Arum maculatum, Corallorhiza innata, Malaxis monophyllos, Carex baldensis, Orchys pallens etc., in circuitu florent.

Sed concedamus avibus vel ventis aliisve modis omnes illas exceptiones effectas esse; quid impedit, ne Creator universi bestiis aut herbis diversis diversa assignarit loca, cum diversitatem formarum intenderit? An praestiterit animalia rapacia omnia in una insula collocari, quam leoni Africam, tigridi Indiam provinciam decerni? Cf. Nat. u. O. 1902, 174

Itaque argumentis physicis opinio, de qua agimus, non probatur.

f) Sed dicat quispiam potuisse profecto a Deo paucos creari organismos, quibus principium evolvendi sese in alios atque alios inditum fuerit. Quo posito cum divina sapientia pugnare, ut species singulas ipse condiderit. Deum nempe ipsum ea tantum facere, quae vi-

ribus creatis finitisque fieri non possint. (Cf. Suarez, De opificio sex dier. l. 2, c. 10, n. 12).

At certum imprimis est diversitatem propinquitatemque formarum *in crystallis* hoc modo ortam non esse. Atomos vel moleculas condicionibus necessariis positis eandem semper formam coniunctione ac distributione efficere aliter non explicatur atque ideali huius formae vi; alioquin enim ex eadem materia eadem semper crystalla formarentur. Cum simplices primaeque formae in uno crystallo inter se componuntur atque implicantur, propria consanguinitas descensusque tamen absunt.

Iam cellulae a crystallis certe eo differunt, quod procreationis sunt capaces: organismi autem cellularum connexione continentur. Ita reapse origini omnium animantium ex unica cellula ex hac quidem parte nihil obstat. Quam condicionem non est cur negemus, quamquam portentosi aliquid videtur continere.

Sed hinc nondum efficitur Deum revera eiusmodi facultatem indolemque rebus creatis inseruisse; immo ne illud quidem patet, Deum id facere potuisse, potentia adaequate spectata. Etenim, si quaeras potueritne Deus e. g. hanc quercum, quae re exstat, creare, re accurate considerata nequit sine adiunctione responderi, eum potuisse: sane eam, ut quae partem ideae totius exprimat repraesentetque, universo inserere potuit; sine hac rerum universitate eam oriri potuisse ego quidem non censeo. Nimirum aliud est rei efficiendae ex una parte nihil obstare, aliud ex nulla.

Neque ipsi, qui animantium ex communi parente originem illi rationi innisi tuentur, ad hominem hanc evolutionem extendere solent, perfectum eius corpus ab ipso rerum opifice productum esse statuentes, fortasse ob eam specialem rationem, ne Adam bestiam patrem vocare debuerit.

Itaque, cum Deus, si semel operatus sit, certe et millies operari potuerit, et si simplicem cellulam eum condidisse ponendum est, elephantum quoque potuerit creare (Stimmen aus M. L. XXXIV., 43), nihil est, quod cum Leroy O. Pr., Pfaff aliisque transformationis theoriam creationi accommodare studeamus. Praeferenda videtur vel ideo haec contraria sententia, quod constantia specierum, quae nunc servatur, ei magis respondet, et quod contrariam opinionem saltem ad omnium specierum originem explicandam extendi non posse rationibus physiologicis probari videtur. (Wigand, Der Darwinismus, I., 236.; Cf. A. Kerner v. M., Pflanzenleben 1891, II., p. 597; 581.).

Ceterum iterum notemus: fuerintne species ab initio absolutae conditae an tempore procedente evolvendae — ita, ut a condicionibus externis haec evolutio ac modificatio pendeat, non efficiatur — ad res nostras minus pertinet: idea, quam operibus Dei subesse dicimus, agitur. *A. Špaldák.*

Dr. *Rožánek O.*: **Pud pohlavní a prostituce (De desiderio naturali et prostitutione).** Tom. I. et II. p. 500 + 300 Pragae 1905.

Primum opus scientificum huius generis in lingua bohemica; opus eximium et eruditissimum; sed quod pluris est: opus christia-

num. Auctor, medicus magni nominis, persuasione catholicus est usuque cognovit momentum religionis ad vitam et privatam et socialem. Ex hoc iudicari iam potest, eum malum sexus non augere velle, sicut plurimi, qui forma suarum publicationum magis sensus delectant quam deterrent, sed depingere horribilem morbum omnemque eius foeditatem. Et quia opere suo ad sanandum eum conferre vult, elegit modum magis popularem scribendi, sed ita, ut doctrinae ratio detrimenti nihil caperet; tantum res obscoenas appellat vocibus latinis. Auctor per multos annos materiam colligebat, in praecipuis universitatibus et in nosocomiis in Austria, Germania, Russia, Anglia, Gallia studia specialia faciebat; quam materiam totam critice effinxit. Itaque mirum non est, si primum hoc opus bohemicum eximium dici debet, idque eo magis, quia hic scriptor principiis religiosis et moralibus ductus fundamentum solidissimum operi suo posuit, etiamsi in nonnullis erraverit.

In prima parte continentur capita: Concubitus eiusque extrema et depravatio et sequelae. Paradoxis, anaesthesis, hyperaesthesis, paraesthesis sexualis. Sadismus eiusque modi. Masochismus ejusque species. Fetišismus. Dein coitus analis, cunnilinctus etc. Homosexualismus cum suis speciebus, gynandria etc. Dein singulae species peccatorum et criminum, quomodo in singulis rebus publicis puniantur tractatur et s. Prostitutio eiusque causae, formae, modi, quibus committitur. Historia prostitutionis in singulis gentibus in antiquitate, medio aevo et tempore recentiore. Causae, quae ei favent. Abolitionismus. Ius et officium reipublicae in hac re. Modi, quibus prostitutio impugnari debet.

Cum conatus, quibus prostitutio impugnabatur, fuse et critice exponantur et explicentur, opus hoc omnibus, qui oppugnando hoc malo operam dare debent et possunt, revera auxilium eximium praebet. Ita clare perspicitur, abolitionismum, cui multi optima mente favent, nullo modo admittendum esse. Efficacissimum remedium contra peccata sexualia religionem et educationem catholicam esse Rožánek dicit, et officium profundae educationis religiosae ad rempublicam pertinere aperte profitetur.

Quia per totum opus excessus sexuales tractantur non solum ex parte medicinali sed etiam morali, immo et religiosa, libri huius censura in conspectu nostro omitti non potuit. E singulis adnotare volumus, quid contra famosas sententias prof. Lombroso de pietate meretricum dicat. Bene respondet, signa pietatis earum non manifestare veram pietatem, sed esse reliquias quasdam conscientiae peccaminosae et pudoris; ceterum sunt tantum signa externa et pietas falsa. Et hoc verum est. Nullibi invenitur sacerdos, qui inter pias feminas cognoverit meretrices; nunquam frequentant ecclesiam vel sacramenta.

Multa et praeclara dicit de pernicie alcoholismi, litterarum, artis, theatri, maxime vero de abominandis abusibus in tabernis vinariis et cauponis et de privata luxuria in eis vigente.

Verum nonnullis locis nimis indulgere videtur placitis Lombrosianis de innata inclinatione vel perversitate et impossibilitate corrigendi talem naturam. Lombroso multos, etiam doctos, specie copiosae doctrinae seduxit. Opinione eius liberum arbitrium negatur. Hominem non differre a bruto nisi maiore evolutione, scelus vero esse aliquid mere anthropologicum, biologicum, psychologicum, sociale statuitur. Sed haec theoria mox impugnata est et relicta. Ita in congressu Parisiensi 1889 (Revue scient. 1889 II. 687) et in congressu Petropolitano 1890 iam derelicta est (Spasovič, vide Archives de l' Anthropol. crim. 1890 V. 517 s.). Fuse diiudicata est opinio Lombrosiana in Stimmen aus Maria Laach t. 37. Dr. Rožánek non negat libertatem hominis, sed culpabilitatem meretricum, seductus illa theoria, nimis minuit et emendabilitatem earum nimis exiguis terminis finit. Dr. Baer demonstravit, calvam hominis nefarii in nulla re differre a calva aliorum hominum,

»calvamque hominis scelerati« Lombrosianum esse commentum. Hoc demonstravit perscrutando cum multis aliis doctis illos casus, quos Lombroso refert et ostendendo eosdem defectus, qui in maleficis inveniantur, inveniri etiam in probis. (Globus 1894 n. 14). Signa, quae typum hominum scelestorum constituunt, acquisita sunt vitâ in carceribus transactâ et similibus condicionibus, vel sunt pathologica. Sed nullo modo innatam inclinationem vel necessitatem ad scelera vel turpia demonstrant.

Aliquam depravationem multos infelices hereditate accipere concedi quidem potest, sed haec neque possibilitatem vitam honestam agendi aufert, neque impossibilitatem ad bonam frugem revocationis nisi moralem gignit Difficultas, quae reapse adest, magis e vitae condicione oritur. Ignorantiâ puella in vitiis educata potius quam causis aliis excusari potest.

Omnino autem consentimus, veram morum mutationem incipere debere a religiosa et morali regeneratione generis humani. Ceterum lupanaria publica, a republica administrata necessaria ducit et consilia etiam minutissima, plurimo rerum usu doctus, proponit.

Hlídka 1905.

Fr. Snopek: Studie Cyrillo-Methodějské (Studia Cyrillo-Methodiaca) 116—122; 228—234; 289—295; 374—378; 462—465; 549—552; 630—634; 752—757; 830—834; 912—927.

Fr. Snopek, archivarius, examen fontium historiae Cyrillo-Methodiacae prosequitur (cf. Sl. l. th. I., 77 [392]; 107 [577]).

Principalis fons studii huius historiae sunt legendae, quae Pannonicae vocantur. Quas a Snopek Clementi Bulgaro, episcopo Velicensi († 316) tribui iam diximus (I., 77). Constantinopoli ab Arsenio sacerdote, strenuo Photii assecla, litteris instructus in Bulgariam redux, religionem Christianam liturgiâ et scripturâ slavica, a Constantino-Cyrillo inventa, ubique propagare studebat. A Boris, Bulgarorum principe, in Macedoniam occidentalem missus, occurrit discipulis sanctorum fidei praeconum, qui ibi liturgiam slavicam sacerdotibus graecis resistentibus, propagabant. Ut legitimum huius liturgiae usum defenderet, vitas ss. Cyrilli et Methodi conscripsit in quibus approbationem liturgiae slavicae a papa, Michaele III. imperatore et Photio factam ostendit, ubi pretiosa vitae ss. Fratrum documenta sunt. Quibus tamen »legendis« res detorquentur. Clemens persuasionem ss. Moraviae Apostolorum depravavit, cum eos Photii asseclas faceret, quorum doctrinam, cum illorum discipulis conversatus haud ignorabat. Idcirco eas critice examinari, fontes earum, num integri fuerint, investigari, quid Clemens addiderit, mutarit, coloraverit inquiri oportet.

Prototypus legendarum Pannonicarum est troparion »моравскыѫ землѧ велеградѧнинъ« (editus primo a V. Grigorovič 1865, a Snopek 1893 in Obzor [Apr.] bohemice cum explicatione) incipiens, in quo unicum palaeoslavicum documentum de urbe Velehrad (tum nondum deleta) extat; in eo ossa Methodii in Moraviae visceribus latere in ecclesia cathedrali magnae urbis Velehradii (cf. contra Čechmánek in Hlas Týdenník 1905, č. 51 str. 12) asseritur, qua re nuntii legendarum posteriorum Methodii reliquias Romam esse ablatas, refutati sunt. Clemens haud ignoravit scripta Constantini-Cyrilli de s. Clementis ossium inventione; suum quoque opus prius editum »slova na roždьstvo Hristovo« nec non testimonia »Moravorum« adhibuit, qui mercatores videntur fuisse.

Quid legendae Pannonicae petant e comparatione cum legenda Romana clare elucet. Variae opiniones de relatione earum circumferuntur. Dr. Vondrák, in studiis palaeoslavicis multum versatus, congruentiis, nonnullis locis ad verbum occurrentibus, innixus legendam Romanam a Pannonicis dependere demonstrare conatur, documenta legendae

Romanae, quae in Pannonicis desiderantur additamentum posterius — falso habet. Legendas enim Pannonicas a Clemente Methodii discipulo conscriptas esse, ideoque prorsus fide dignas falso existimat (cf. Sl. l. th. I., 77).

Magni interest, utra legenda sit prior. Cum auctor legendae Romanae, quae s. Clementis reliquiarum inventionem pertractat — quae inventio praecipuum eius argumentum constituit — vitam Constantini et Cyrilli solum per accidens attingat, quatenus haec cum illius rei narratione (de reliquiarum inventore, de eius fratre, quomodo Romae excepti sint et episcopi consecrati) cohaeret, et re vera modo simplici, logico, continuo scribat, — legenda Pannonica magnas lacunas in argumento (de Moraviae Apostolis Romae exceptis et commoratis) continet, quibus Clemens, Photii fautor, honores ab Hadriano episcopo tributos ordinemque collatum (a. 869: p. 231—2) obvolvebat, ne Constantinopolis sola praeconibus fidei maiorem gradum hierarchicum haud concessisse, Methodius vero a Photio abhorruisse videretur (294). Propterea Snopek legendam Romanam priorem et Clementem ea usum esse iudicat; quam opinionem ab argumentis (Vondrák, Martynov) contrariis defendit.

Prouti iam dictum est, legendae pannonicae Methodii orthodoxiam in dubium vocaverunt, quem Photii instituto errorem de Spiritu s. pro Patrum doctrina habuisse tradunt.

Photius a discipulis suis »quaedam propria scripta et chirographa« exigebat, quibus se obstringerent, se firmiter in eius doctrina perseveraturos esse; sed incertum est, ex quo sic egerit et secundum encyclicam 8. concilii oecumenici non omnes ita se ei vinxerunt, sed soli »simpliciores, quin potius leviores« (Mansi, t. XVI., c. 409); Constantinum-Cyrillum igitur Photio se tradidisse, eius errorem amplexum esse, nullo modo affirmari potest. Erat quidem Photii amicus familiaris sed etiam sincerus, qui eius conatum, quo Apollinaris doctrina innovabatur, acriter reprehendere non dubitavit (Mansi t. XVI., c. 5—6).

Ceteroquin Methodium doctrinam romanam approbasse auctoritas R. Pontificum (p. 753) et litterarum (p. 830-4), maior sane quam legendarum, attestatur. Anno 879. Methodius Romam est vocatus, quod alia atque ecclesia doceret. S. Pontifex simul in litteris ad Svatopluk missis, quod Methodius aliter doceat valde miratur, cum in processu informativo, antequam episcopus factus esset, orthodoxus repertus sit. (Codex diplomat. ed. Friedrich I., 17). S. Pontifex synodum convocavit (anno 880), in qua Methodius se credere ea, quae ecclesia, confessus est (contra Milaš, Slavenski apostoli str. 346 et V. Bilbasov, Kirill i Methodij 1868, str. 87—8); ecclesiam autem semper credidisse Spiritum s. a Patre Filioque procedere (post Leonem III. et Nicol. I.) e bulla Ioannis VIII. »Industriae tuae« (880) manifestum est (p. 753; 917 contra I. Malyševskij, Svjatye Kirill i Methodij str. 233—240). Quo sensu Ioannes in hac synodo Methodii orthodoxiam probaverit, optime docet epistola data 23. Mart. 881 Pastoralis sollicitudinis (925—927). Cum enim perfidus Methodii suffraganeus Viching eum inquietaret laboresque eius apostolicos impediret apud Svatopluk ad secretas Roma acceptas instructiones provocans, papa singulari epistola virum apostolicum consolari necessarium duxit et eius orthodoxiam denuo confirmavit.

Immerita legendarum Pannonicarum superlatione perveniri potest ad conclusionem professoris Brückner, qui magno historiae seriae ludibrio Apostolos Moraviae viros improbos, mendaces, simulatores, infensissimos Romae adversarios fuisse finxit.

Materia haec a. 1906 porro tractatur. Dolendum est quod egregia haec commentatio in tot frustula divisa est, quod perspicuitati magnopere obest, quae alia quoque ratione negligitur.

Lidový zpěv duchovní v Italii (De populari cantu spirituali in Italia). 22—27. (Iuxta articulum P. Ghignoni: »Per il canto religioso popolare in Italia« in »Cultura Sociale« 1903.) Italia bono cantu populari, qualis apud gentes Europae mediae et septemtrionalis floret, caret. Musica sacra ad solos dies festos est restricta; sicubi die feriali cantatur, cantus ululatum mulierum liberorumque adaequat.

Quomodo huic defectui mederi possumus? Revirescente animo christiano cantus ex intimo corde manaret, moveret, raperet, religionem expergefaceret. Qua de causa carminibus argumento et forma expolitis et vere popularibus opus est. Ad quorum inopiam removendam associatio Romae orta est, quae vilibus libellis optima vetera carmina edit, viros idoneos ad nova in lingua Italica componenda allectat (adhuc latine cantatur), in scholis et associationibus ea inter plebem diffundit. *Mužný.*

Časopis katolického duchovenstva 1905.

Dr. Fr. Kryštůfek: Jansenismus a jeho zhoubný vliv na katolické státy v Evropě (De infausto jansenismi in catholica Europae regna influxu) P. 7, 151, 337, 532, 646.

Sententiae, quas C. Jansenius in libro suo, qui Augustinus inscriptus erat, proposuit magno damno ecclesiae variis in regnis factae sunt.

In Gallia iam a. 1655. a P. Innocentio X. quinque propositiones reiectae sunt (nonnulla praecepta divina servari non posse, gratiae resisti non posse etc.). Qui a Jansenio erant, negabant, sententias sensu reiecto esse in »Augustino« scriptas; qui demum sub Clemente XI. in »pio silentio« acquieverunt. Controversiam a. 1701 renovatam idem Clemens XI. cum Ludovico XIV. composuere. A. 1713 propositiones 101 Pasch. Quesnelli, qui a. 1671 suas »reflexiones morales« (Abrégé de la morale . . .) ediderat a P. Clemente XI. ob jansenisticam doctrinam bullâ »Unigenitus« a. 1713 condemnatae sunt. Cardinali Noailles archiep. Parisiensi et aliis bullam abnuentibus et Ludovico XIV. defuncto ad concilium generale appellatum est; »Appellantes« etiam post bullam Unigenitus (1728) multas turbas excitaverunt.

In Neerlandia P. Kodde, vicarius apostolicus, Collegium capitulare Ultraiectense bullam »Unigenitus« accipere recusabant. Cum a. 1721 Spinolli, internuntio Bruxellensi, a. s. sede vicesuperioris missionis Neerlandicae munus delatum esset »Collegium« a. 1723 Cornelium Steenhoven archiepiscopum elegit. Schisma hucusque durat. Jansenistae doctrinam suam magna litterarum copia propagabant. Maxime e Neerlandia G. D. de Bellegard in Austriam, Italiam, Hispaniam, Lusitaniam doctrinam exportabat, qui cum Galliam peragrasset a. 1775 Viennae a M. Theresia benigne receptus est. Ex Austria profectus est in Italiam ecclesiam Ultraiectensem cum Sede Apost. reconciliaturus. Sed morte Clementis XIV. conamen ad irritum redactum est.

Jansenismi in Austria columina erant: van Swieten et A. de Haen, medici imperatricis et Simen, Stock, Terme canonici. Etiam in seminarium professoris dogmaticae, Stöger, et spiritualis, Růžička operâ scripta jansenistica irrrepserunt. Narrantur res cardinalis Migazzi eiusque adversarii Blarer. Labacum ipse episcopus (Car. Herberstein) per sacerdotem Schwarzenbach seminarii directorem et prof. Ziegler jansenismum induxit, Brunam per professores Schanza et Lauber translatus est. Josephus II. silentium praecepit de bulla »Unigenitus«, atque »seminaria generalia« condidit a 1783.

In Italia jansenismi caput erat Pavia. Ab ea parte stabant Tamburini et Scipio de Ricci, auctor Synodi Pistoriensis, quae jansenismum dogmaticum approbavit.

Etiam in Lusitaniam jansenismus libris invectus est. Pombal Jesuitas oppugnans auxilio usus est jansenistarum, quos Viennae primum cognoverat, et qui columina regiae potestatis adversus Ponti-

ficem se praebebant. Verum postea ubique imperatorum inimicos et revolutionis socios sese praebuerunt

Haec omnia ex fontibus primariis (Nouvelles eccl., Staatsanzeigen etc.) et secundariis (Brunner etc.) promuntur.

Dr. J. Samsour: Křesťanské missie a jejich kulturní význam (De missionibus christianis earumque pro cultura momento).

In hac commentatione tractantur merita missionariorum de cultu regionum nondum christianarum extra Europam.

Primum quid in geographia praestitum sit exponitur. Asiam peragrarunt et descripserunt Io. Piano di Carpine, Guil. Rubruck, Io. a Monte Corvino, Odorico Matthiussi de Pordenone, Io. de Marignola, Martini S. J., Gerbillon S. J., du Halde, Cibot, Huc, A. David, Constans de Deken, Pigneau de Bahaine, Mgr. Pallegoix, Blanc S. J., S. Chevalier — arhim. Palladij — Ed. Robinson, F. V. Holland, Tomlin. — Africae regiones descriptae sunt a B. Tellez, P. Paëz, G. Sapeto, L. des Avanchers, card. Massaja, Carli, Ant. de Cavazzi, A. Zuchelli, Ch. Duparquet, Teroerde S. J, Coulbois, Schynze, Augouard, Roblet, Colin -- Philipps, Wangemann, J. Ehrhardt, J. Rebmann, L. Krapf, Th. Wakefield, M. Coillard, J. Sibree, Borchgrevink, Lars Dahle, D. Livingstone. Historiam geographiae Americanae nominibus suis ornarunt: Chr. d' Acuña, P. Lombard, P. Sagard, L. Hennepin, Jogues S. J., Charlevoix, Marquette. — Australiam et insulas perscrutati sunt P. Ullathorne, Pompallier, L. Maigret, Mgr. Douarre — Taplin, Mardsen, Taylor, Lawes, Chalmers.

Deinde linguae a missionariis in usus sucs et doctrinae conversae tractantur. De sinologia optime meruerunt M. Ricci S. J., P. Noël, Basil. de Glemon, Parrenin, Gaubil, Amyot, Perny, Zottoli — Gützlaff, Faber, J. Legge; de lingua siamica Mgr. Pallegoix, P. Desgodins; de indicis H. Henriquez S. J, Proença, R. Nobili, C. Beschi, Hanxleden, G. Coeurdoux — Ziegenbalg, Schultze, W. Carey; de linguis semiticis P. Cheiko, Scheil; de aegyptologia Isenberg, Krapf; de linguis Nigritarum Autunès, Bonnefoux, Lecomte, Ailloud, Caussèque, Malzac — Arbousset, Casalis, Robinson etc.; de variis linguis Indianorum: J. Bruyas, Chaumonot, J. de Bréboeuf, A. White, J. Gravier, Le Boulanger, St. Rasles, Domingo de S Thoma, D. Gonzalez Holguin, D. de Torres Rubio, Bertonia, Vega, Valdivia, Febres, J. Chomé, Camano, Anchieta, Figueira, Ruiz, Restivo, Molina, H. Carocchi etc.; de australicis Maigret, Janssen, Smoing — S. Coolsma.

Tum quomodo operâ missionariorum cultus moresque barbarorum aucti sint exponitur et adversariorum commenta refutantur.

Mt. Osecensis.

RUSSICA.

A. L. Bajkov, **Современная международная правоспособность папства въ связи съ ученіемъ о международной способности вообще. (La capacité internationale actuelle du Saint-Siège et les personnes du droit des gens.)** Peterburg. 1904, p. XXXV.+461. Tractatus historico-dogmaticus.

Historia iuris internationalis papatus in quattuor aetates seu periodos dividitur: 1) a 313 ad Gregorium VII. — per quod tempus ecclesia subiecta est imperio civili. 2) a Gregorio VII. ad Avenionense exsilium, tempus coniunctionis imperii civilis et religiosi, regumque munere procuratorum papalium dumtaxat fungentium. Neque hoc neque priore tempore aequum inter utrumque imperium ius viguit; papa tum acquisitas condiciones internationalis iuris gentium imperio civili denegat. 3) a schismate occidentali ad 1789. Papatus labitur; imperium civile

liberius se gerit. Turbis religionis saec. XVI. papatus iterum evehitur. Concilio Tridentino centralizatio ecclesiae conditur, quae a. 1870 perficitur. In hac periodo ius utriusque imperii aequatum est. Imperii ecclesiastici studium, quo imperio profano superius fieri intendebat, per ipsas gentes perimitur. 4) a 1789—1870. Postquam civitates popularem quandam formam induerunt, principatus ecclesiae aboletur. Roma occupata principatus papae exstinguitur vel potius in exterritorialismum vertitur, sed papatus fit iterum internationalis et capax internationalis aequalitatis in iure gentium.

Aetas prima (p. 4—26). Opportuna fortuitorum concursione praeparatum est, ut papatus eodem iure fieret, quo potestas civilis. Quamdiu Italia Constantinopoli obnoxia fuit, papa in tanta dignitate sua et patrimonio s. Petri donatus — imperatori obnoxius et subiectus erat, in qua condicione usque ad Longobardorum adventum fuit. Ad papae liberationem gentium mutatio sedium, humilitas Byzantii, magna paparum industria contulerunt. Res aliter fieri non potuit. Imperio Romano destructo et bello inter Longobardos et Constantinopolim politico simul et religioso (iconoclastae) gesto papae libertas per Francos a Longobardis defenditur, eorumque sublato imperio papa in altum surrexit. Nec sola prudentia civilis papas iuvit, sed etiam auctoritas eorumque cum populo Romano conspiratio. Cum imperator abesset, pontifices Romani populo in omnibus rebus optime iustissimeque consulebant. Barbaris terram invadentibus non erat nisi papa, a quo salutem peterent. Nec barbarorum nec Byzantinorum nomen in Italia erat in gratia. Accedit quod papae legationibus, Christianae doctrinae apud varias gentes propagandae causa missis, in dies magis crescebant. Denique neque magni imperii romani memoria neque ss. Petri et Pauli ecclesiae Romanae auctorum, quam Bajkov contra „communem“ [sc. inter Russos] sententiam non omni veritatis specie carere p 15[2] notat, negligenda est [1]).

Tamen plenam libertatem Roma consecuta non est, quia sedes Romana in rebus sacris nondum erat sui iuris (p. 16—21). Auctoritas religiosa papae, quam commodissimam sibi fore iam Pipinus et Carolus bene perspexerant, ad constituendum imperium Romanum multum contulit; eademque ad Francos curatione papatus privandos removendosque valuit. Quamquam interim tanta non fuit, quia tunc primatus erat

---

[1]) „J'ai vu avec peine que, dans l'encyclique patriarcale [du patr Anthime 1895] on semblât mettre au rang des choses douteuses le séjour de saint Pierre à Rome, et que l'on cherchât à expliquer par les apocryphes pseudo-clémentins la tradition universelle sur se point de fait. Ce système, contraire à la croyance admise jusqu' à ce jour dans l' Eglise grecque comme dans l'Eglise latine, dérive des élucubrations de Fr. Christian Baur et de l'école rationaliste de Tubingue. Il est maintenant abandonné de tout le monde savant, en Allemagne et ailleurs. Plusieurs de ceux qui s'y étaient laissé tromper, comme l'illustre évêque anglican Lightfoot, sont revenus à la tradition. Renan lui-même a regretté les concessions qu'il lui avait faites d'abord.“ L. Duchesne, Autonomies ecclésiastiques — Églises séparées, Paris 1896 p. 124.

penes concilium, non penes papam (Nositelem religioznago verhovenstva javljalsja sobor, a ne papa. 21). Auctoritate politica crescente, etiam religiosa auctoritas papae crescebat, concilii auctoritas minuebatur. Quae rerum mutatio libertati ecclesiae locum dedit.

Cum summa rerum religiosaram potestate non uteretur, s. sedes tutela potestatis civilis indigebat (p. 22—25). Imperio post Caroli M. mortem diviso libertas Romae augeri potuit, sed, cum papa in bello, quod propter imperii successionem gerebatur, nullius partis esse non posset, auctoritatem suam incertis eventibus interponere debuit.

Notari potest accuratius inspecta eius aetatis monumenta alia testari de primatu romani pontificis atque Bajkov opinatur.

Aetas secunda (Gregorius VII. — Avenio) p. 27—86. Ipsius ecclesiae bonum tulit, ut papatus elementa auctoritatis internationalis acquireret; ea enim ecclesiae forma, qua vis omnis penes primores ecclesiae episcoposque erat, in concilium congregatos, detrimentosam se praebuit. Deerat plena libertas a potestate imperii, cum episcopi clientes imperatoris essent, a quo terram et potestatem civilem velut beneficium iure feudali accipiebant. Caelibatus episcoporum, quibus mortuis beneficium alii tradebatur, malum augebat. Inaugurandi ius impediebat, quominus retenta illa forma ecclesia sui iuris evaderet. Certamen Gregorii VII. eiusque successorum de iure inaugurandi iustum et necessarium erat. Eadem illa optimatium ecclesiae summa potestas damnosa erat etiam moribus cleri: episcopi atque clerici saepe magis milites erant quam sacerdotes.

Quae cum ita essent, s. sedes episcopis libertatem ecclesiae necessariam conciliare constituit. Verum quidquid ad hoc consequendum conata est, res obtenta non est, etsi forma (inaugurandi) cessavit; clerus enim beneficiis imperatoris privari voluit. Perempto igitur hoc consilio aut toleranda fuit aliena in ecclesiam potestas aut summa potestas ecclesiastica ab optimatibus seu episcopis ad unum papam transferenda. Dei providentia id quod secundo loco posuimus effectum est.

Bajkov theologos ecclesiae russicae secutus, quomodo papatus creverit exponit; abstinet autem ab usitatis exprobrationibus superbiae paparum. Primo potestas paparum ecclesiâ italicâ continebatur, quae eis per decretum Nicaenum [?] [2]) proxime subiecta erat. Per missio-

---

[2]) Cf. Hefele, Conciliengeschichte[2] I., 394. 397 Quodsi concilium Chalcedonense decretum tale indicat, bene notat Duchesne l. c. p. 195: „Cette décision des Pères est encore à trouver. A moins d'admettre que l'on se réfère ici à un concile général secret dont toute trace aurait disparu, dont Eusèbe et les autres contemporains du concile de Nicée n' auraient pas eu le moindre vent, je ne vois pas ce que l'on veut dire. Du reste, ce concile général devrait être fort ancien, antérieur au IIIe siècle et même au IIe, car en ces temps-là nous voyons l' Église romaine investie non pas seulement de prérogatives honorifiques, mais d'une autorité universelle et indiscutée. En remontant ainsi, on arriverait aisément aux apôtres. Mais ce n'est pas ce que voulaient dire les évêques de Chalcédoine; les Pères dont ils parlaiens ne sont pas les apôtres, mais les évêques; ils entendaient ramener ut niveau de la leur l'autorité d'où dérive la primauté de l'Église romaina.

narios fines prolati sunt necdum tamen ampliorem potestatem quam ceteros patriarchas papam habuisse, Concilium Chalcedonense testatur (Mansi VII., 370; Mirbt, Quellen. S. 26 ff.). Quaestiones dogmaticae per concilium, non per papam solum decernebantur (p. 35); documento sint Leonis epistola dogmatica ad Flav. (Döllinger, Das Papstthum S. 321[26]) et condemnatio monotheleticae haeresis Honorii I. (Mansi XI., 554 s.; 731. — Mirbt, Quellen S. 31).

Cum interim clerus, supremae potestati civili subiectus, sui iuris fieri nullo modo posset, potestatem papatus augeri intererat vitae ecclesiae: „vozvyšenie papstva rezul'tat nastojatel'noj neobhodimosti, vopros žizni i smerti dlja katoličeskoj cerkvi (p. 36). Concilium nihil valebat. Solus pontifex Romanus idoneus erat, qui ecclesiam liberaret. Cerkov' koncentriruet vsju polnotu duhovnoj vlasti i vručaet ee tomu, kto bolěe drugih byl nezavisim ot gosudarstva. Takim licom, edinstvennym v loně zapadnoj cerkvi, i kak by sozdannym dlja etoj cěli sud'boju, byl papa, kotoryj, buduči ne tol'ko episkopom, no takže gosudarem, javljalsja eksterritorial'nym po otnošeniju k gosudarstvu.

Hanc auctoritatem necessitate postulatam difficile erat solis canonicis fontibus fulcire et sustinere. Hinc natae sunt falsae et corruptae litterae (decreta concilii Sardicensis concilio Nicaeno adscribuntur; Innoc. I., Epist. ad Vatricium; cf. Mirbt l. c. S. 21; Döllinger l. c. S. 22.; canonis 6. Concilii Nicaeni textus mutatur; Mirbt S. 16), decretales Pseudo-Isidorianae etc. [3])

Principatus religiosus s. sedis continebatur (obuslovlivalsja) libertate eius (p. 41—51). Papa pendente ex imperatore, imperator regnat in ecclesia. Concilia in hoc certamine serviliter se gerebant victoris cuiuscumque partes secutae.

Haec dum geruntur, ius internationale ecclesiae augebatur usque dum potestate civili superior facta est.

Papae contentio universalis imperii non fuit causa concursus ecclesiae cum potestate civili, verum consecutio duarum potestatum

---

En cela ils se trompaient: l'Église romaine ne doit rien aux conciles; son autorité lui vient de plus haut. Les empereurs ont pu fonder une nouvelle Rome; créer une seconde Église romaine est au-dessus de toute compétence épiscopale". Cf. Patr. Murray, De eccl. Christi vol. 3, s. 4, disp. 19, n. 493 ss.

[3]) „En réalité, les Fausses Décrêtales n'ont été qu'un argument temporaire, mauvais sans doute, mais employé de bonne foi. Ce n'est pas, en tout cas, dans ces documents que Grégoire VII puisa le sentiment profond de la grande misère où il trouva l'Église, de la force morale dont, en dépit de tout, pouvait encore disposer le pape, successeur de saint Pierre, pourvu qu'il fût libre, désinteressé, fidèle à son devoir. Il savait bien que ce sentiment avait été celui des grands papes d' autrefois, les Léon, les Grégoire; dans leur souvenir, il trouvait un appui, une espérance. Mieux renseignés qu'on ne pouvait l'être de son temps, nous voyons maintenant que, pardessus ces illustres pontifes, il se rattachait à une tradition plus ancienne, plus vénérable encore, à celles des papes de l'âge primitif, de cet âge où l'Église, en dépit de son insecurité matérielle, ne connaissait pas d'entraves à son activité spirituelle; où les empereurs n'étaient pas encore ses fils, mais n'etaient pas non plus ses oppresseurs". Duchesne l. c 162.

absolutarum (p. 51—55). Imperium germanicum nitebatur ad universale imperium; ecclesia autem libertatem sibi vindicabat. Pax et concordia conciliari non potuit, quia utraque potestas alterius obsequio tolli sibi videbatur. Cupiditatem meram dominandi vel ambitionem sive papae sive imperatoris in culpa certaminis ponere levissimum est (p. 52). Ecclesa, esse non potuit nisi libera.

Contentio illa papae impediri potuit vel formâ imperii civilis mutatâ ita, ut summa imperii apud unum esse cessaret et popularem quandam formam indueret (quod factum est ab a. 1789), vel principatu religioso papatus sublato; hic tolli potuit vel potestate singularum ecclesiarum aucta (velut nationalium; modus gallicus), vel politica papatus libertate circumcisa (modus germanicus).

Quod gravitatem (intensivnost') attinet, sententia potestatem spiritualem priores partes agere quam saecularem duobus modis exprimebatur (p. 56—62). 1) Principatu religioso s. sedis circumscribitur et coërcetur principatus saecularis imperatorum. Ita papa duplicem tenet potestatem: et religiosam et civilem; haec ex illa, ex potestate clavium delapsa est (Gregorius VII., Ep. ad Germ. Mirbt l. c. p. 54 s.; potestas principum est quasi quaedam permissio a papa concessa (Innoc. III. ap. Mirbt p. 79. 62 ss.); ex se auctoritatem nullam habet. Gregorius VII. ipse regum potestatem e superbia, rapina, perfidia, sceleribus, diabolo repetit (Mirbt p. 56; Delarc, t. I., p. 83.).

2. Principatu religioso s. sedis circumscribitur et coërcetur libertas (nezavisimost') imperatorum; haec utriusque potestatis aestimatio et concordis agitationis postulatio („teorija garmoničeskago sosuščestvovanija vlastej") exponitur secundum Bellarminum, Ant. de Rosellis, Gerson, s. Thomam per alios (Mirbt, Ranke, Goldast, Čičerin [Istorija političeskiḫ učenij M. 1869], Baumann, P. Janet) cognitos.

Causae, cur spiritualis potestas saeculari superior facta sit, sunt et potestas saecularis aetate media ad unum omnis collata seu administratio regia et primatus ecclesiae a papa acquisitus. (62—73). Sine principatu religioso potestas civilis sub dicionem papae cadere non potuit. Quamdiu papa simplex episcopus fuit concilio episcoporum subiectus, animos fidelium ipse proxime movere non poterat. Sed neque hic primatus par est potestati civili subigendae; accessit forma regia potestatis civilis. Rex, cum christianus esset, ecclesiae obnoxius erat, per regem totum regnum. At civitas, quae comitiis civium regitur, praestat de libertate, etsi convocati ad comitia catholici sunt.

Principatus papae non continebat ea, quae ad naturam theocratiae pertinent (74—77). Non enim erat idem subiectum summae potestatis civilis quod religiosae.

Quamvis magna fuerit Innocentii III. tempore potestas papae religiosa et civilis, consilium regni ecclesiastici omnium gentium constituendi ad effectum adduci non potuit (77—84). Principatus papae populum ad res rei publicae tractandas movit. Per quem Gregorius vicit, idem populus ne universale imperium religiosum constitueretur impedivit.

Brevis huius aetatis conspectus (84—86) est: 1. Ecclesia occidentalis ab episcopis velut principibus tenebatur; libertas igitur eius e libertate

episcoporum pendebat: qui cum feudis imperatori obnoxii facti essent, liberare se non poterant. 2. Quapropter haec ecclesiae forma rationibus eius non conducit et auctoritas s. sedis efflorescit. Simul cum auctoritate religiosa s. sedis libertas civilis laeta incrementa capit. Ergo ea, quae ad naturam aptitudinis ad ius internationale pertinent (principatum et libertatem et independentiam [„razvitie suvereniteta, svobody i nezavisimosti"]) bonum ecclesiae postulabat. 3. Ubi summa imperii apud unum est, regnum a rege non differt. Rex christianus subditus est papae, per regem regnum. Ita potestas imperatoris coërcetur auctoritate papae. Ergo papatus potestate civili superior factus est propter civitatum administrationem regiam. 4. Persuasio ecclesiam liberandam esse ecclesiam mutavit in civitatem spiritualem, quae unius nutu regitur. S. sedis potestas rebus publicis exitiosa esse visa est, unde certamen inter potestatem religiosam (papalem) et civilem (gallicana ratio et germanica) ortum est. Papa libertatem suam (ecclesiae) muniebat et sedis suae principatu religioso propugnato et potestate saeculari supposita spirituali. Universale imperium papale propositum est. Ergo in statu patriarchalis dominatus (v uslovijah absoljutnoj, patriarhal'noj monarhii) evolutio eorum, quae ad naturam aptitudinis ad ius internationale pertinent, imperio potestatis spiritualis in saecularem continebatur. 5. Hoc imperium non continebat ea, quae ad naturam theocratiae pertinent, quia, licet papa sit unum subiectum reale utriusque potestatis, subiecta idealia manent diversa: ecclesia et imperium. 6. Crescente papae potestate spirituali populi ad rem publicam consilia et cogitationes referre coeperunt; unde libertas imperii a curia tuta reddita est. Quapropter spes, qua papae orbis terrarum imperium complectebantur, irrita cecidit.

Aetas tertia (Avenio — 1789) p. 87—120. 1) Imperia saecularia ea acquirunt, quae ad ius internationale pertinent. — Papatus mores, cum orbem terrarum affectaret, lapsi sunt; religione neglecta de re publica agebatur (p. 87—91): simul cum morali, etiam religiosa s. Sedis auctoritas, maxima defensio a potestate civili, ideoque libertas ipsa minuebatur. Auctoritate religioso-morali cadente concilia Constantiense et Basileense potestatem papae decretis de episcopali forma administrationis ecclesiae circumscribebant; qua forma restituta imperia catholica tutelâ papatus regi desinunt: quae liberatio, ubi res christianae novatae sunt per protestantes, perficitur.

2. Quibus aptitudo ad ius internationale continetur, tamen a s. Sede retenta sunt (108—116). — Terminis, quibus auctoritas papae per concilia Constantiense et Basileense finita erat, a Tridentino ablatis, principatus religiosus s. Sedis restitutus est; importunitas illorum conciliorum et libertas potestatis spiritualis, forma ecclesiae episcopali in periculum adducta, rerum pristinarum studium excitarunt. Neque libertatem a potestate civili papatus amisit.

3. Ne tamen internationalis iuridica „constructio" mutuarum relationum inter ecclesiam et potestatem civilem oreretur, forma administrationis civilis, qua summa imperii uni manebat, impedivit.

Aetas quarta (a. 1789—1870) p. 120—152. Rerum publicarum commutatio libertati consulens regna catholica a papatus tutela liberavit

Idem libertatis studium — rebus Romanis et Italicis agi coeptis — regnum ecclesiasticum Româ occupatâ oppressit. Quo exstincto auctoritas s. Sedis crevit: non solum nova rerum publicarum forma papae copiam dedit factionis „clericalis“ in re civili potentis sed mutata — rebus mutatis — curiae consilia auctoritatem s. Sedis amplificarunt. Leonis XIII. auctoritas celebratur (p. 147). Ea, quae ad naturam aptitudinis ad ius internationale pertinent a s. Sede retenta sunt. — —

In II[a] parte huius operis, quae inscribitur „Konstrukcija meždunarodnoj pravosposobnosti voobšče“ haec exponuntur: 1. Principatus, libertas, independentia ad naturam aptitudinis ad ius internationale pertinent; eadem inter se iuncta sunt et cohaerent; universa iura et officia internationalia e duobus iurium officiorumque generibus composita sunt: principalibus et derivatis; utriusque generis iura et officia cohaerentia inter se, cohaerent etiam cum tribus illis, quae ad aptitudinem ad ius internationale pertinent (p. 155—221).

2. Subiectorum principatus, libertatis, independentiae potestas duplex est: per se aestimata seu absoluta et comparata cum aliis seu relativa; utraque principiis internationalibus determinatur. Principia iuris internationalis natura sua obligant atque subiectorum iuris internationalis licentiam coërcent ita, ut tria elementa illa non violent (p. 222—227).

3. Cum principatus, libertas, independentia simul a diversis tenetur, independentia naturalis singulorum finitur; unde satisdationes, quibus tuta reddatur, necessariae fiunt (p. 227—230).

Paucis ad singula descendere libet.

Principatus (Suverenitet) est potestas, quae intra provinciam suam neque ex aliorum potestate neque e subditorum consensu pendet. Ea, naturâ indivisibilis, sed iis, quae continet (po soderžaniju), composita, duplici forma dicionis: territoriali (quae triplex est: territorialis proprie, exterritorialis, deterritorialis) et personali (positiva et negativa) inter se cohaerentibus cernitur. — Libertas (Svoboda) status iuridicus est, quo a provincia alicuius potestatis quaecumque alia potestas excluditur. Qui status, natura indivisibilis, compositus materia duabus libertatis formis obiectiva et subiectiva inter se cohaerentibus cernitur (185—190). Independentia (Nezavisimost') status iuridicus est, per quem intra alicuius potestatis propriam provinciam alius potestatis absentia (iusta) vel cessatio ad causas potestatis non pertinent („v silu kotorago dannyj obščestvennyj organizm, v granicaḥ prinadležaščej emu kompetencii, ne obuslovlivaetsja v osuščestvlenii vlasti otsutsviem (nekompetentnost'ju) ili bezdějstviem vlasti drugiḥ organizmov“).

Principatus libertate obiectiva, non subiectiva nec independentia continetur; libertas utraque principatu, neutra independentiâ, independentia utrâque libertate et principatu continetur (193—200).

Principalia iura internationalia sunt iura pacti, „repraesentationis“, coactionis; quibus independentia continetur, principatus aut libertas non item, sicut nec officiis principalibus.

Difficultates hic non mediocres superandas fuisse, cum notiones nondum satis liquidae essent, in fine huius partis notatur. — —

Partis III[ae], qua ea, quae in secunda exposita sunt, ad papatum accommodantur, argumentum est hoc: 1. S. Sedes habet principatum,

libertatem, independentiam (234—339). Territorialis eius potestas duplici forma cernitur: exterritoriali et deterritoriali: proprie dicta territorialis 20. Sept. 1870 exstincta est (etiam in Vaticano). Potestas exterritorialis (quae deterritoriali non continetur) papae intra Vaticanum, ubi Italia territorialem potestatem non habet, mansit, estque vere forma potestatis, non auctoritas ab Italia concessa. Sententiae de iurisdictione papae statutae a Scaduto, Palma, Gabib, Orlando, a Soderini, Olivart, Giobbio, Corsi, Farabulini etc., a Calisse, Bonghi, Gabba, Brunialti, Miraglia, Leroy-Beaulieu, Geffcken, exponuntur; ipse Bajkov sentit haec (p. 273—278): S. Sedes ius habet exercendi morum praefecturam necessariam ad consulendum intra Vaticanum securitati in genere, et securitati papae singillatim et ad libere exercenda quae ad religionis administrationem pertinent. Eadem ius habet exercendi omnia negotia, quae ad administrationem Vaticani referuntur; item ad exercendam potestatem iudicialem in rebus iurisdictionis civilis, non tamen in causis publicis. — Positiva forma potestatis personalis s Sedis iure dominationis, quam in gregem suum cuiuscumque territorii habet, cernitur, negativa exclusione aliorum dominationis similis in gregem catholicum.

Subiectiva libertas s. Sedis obiectivâ libertate ecclesiae continetur, ex contrario non item (328—331); subiectiva ecclesiae potestas formâ eius regali continetur; politica papae emancipatio cum subiectiva eius libertate cohaerens et territoriali (exterritoriali) potestati curiae adnexa condicio necessaria est formae regalis ecclesiae; haec sine illa cogitari nequit (325—328). Libertas obiectiva ecclesiae catholicae (quod est ideale subiectum religiosae potestatis) et subiectiva libertas subiecti realis potestatis spiritualis (papae), praestita huius „exterritorialitate", duo necessaria elementa aptitudinis s. Sedis ad ius internationale sunt (330—331).

Principatus s. Sedis, religiosus et saecularis, continetur obiectivâ libertate ecclesiae catholicae, non independentiâ; saecularis etiam subiectivâ libertate papatus, religiosus non item. Independentia, qua obiectiva s. Sedis libertas non continetur, ipsa et obiectiva et subiectiva libertate et principatu ecclesiae catholicae continetur.

2. Expositis p. 344—361 variis sententiis de aptitudine papatus ad ius internationale agitur de universis s. Sedis iuribus officiisque internationalibus (p. 361—399); quae de his supra in genere (p. II., n. 2) statuta sunt, huc transferuntur.

Item tertio (p. 399—404) et quarto (p. 404—437) loco quae eisdem locis in genere dicta sunt, in s. Sedem accommodantur. Internationales iuridicae satisdationes, quibus ne in rebus mixtis in contentionem veniant imperium et s. Sedes cavetur, sunt: utriusque potestatis (saecularis et spiritualis) officia, ecclesiae cum potestate civili et huius cum illa societas, ius coactionis.

Appendicis instar addita est lex 13. Mai 1871 lata (italice et russice) p. 439—447.

Vel ex brevi conspectu hoc manifestum est librum hunc doctrinae plenum, sine ira et studio scriptum dignissimum esse, qui legatur.

F. Žák.

N. Lipskij, **Психологическія основы умственнаго и религіозно нравственнаго воспитанія въ дошкольный періодъ.** Нѣжинъ 1905 (m. i. p. t.)

Post actus sensitivos transit auctor ad actus animae intellectuales (Разсудокъ и мышленіе, p. 73.) Primus effectus intellectualis activitatis animae est iuxta auctorem distincta notio universalis (понятіе). Medium locum inter notiones universales et repraesentationes sensitivas tenet magis vel minus universalis repraesentatio (общее представленіе . Haec est adhuc sensitivae cognitionis actus et quidem memoriae; universalis ideo vocatur, quia omissae sunt in ea nonnullae individuales perfectiones obiecti et solum eae, quae magis vel minus communes sunt, expressae sunt. De simplici apprehensione tamquam de proprio actu intellectus auctor non loquitur. Contra hoc teste conscientia verum est simplicem apprehensionem tamquam actum intellectus distinctas notiones universales praecedere. Scimus enim, priusquam intellectus has efformaverit, nos apprehendere obiecta singularia ut realia, et quidem ita realia, ut ea de nullis aliis similiter et simul apprehensis praedicanda esse saltem implicite perspiciamus. Talis actus non est sensus, quia hic non potest apprehendere obiectum ut reale, sed est actus intellectus (qui iuxta sententiam Scotistarum et Suarezii apprehendit obiectum singulare directe immediate, iuxta sententiam s. Thomae et Thomistarum cum quadam reflexione ad phantasma).

Ex eo, quod putat auctor, notiones universales distinctas esse primum productum intellectualis operationis, intelligitur, cur actum iudicii post illas demum ponat. Ad materiam enim iudicii (S[ubjectum] et P[raedicatum]) requiruntur notiones, quae obiecta ab intellectu cognita exprimant. In philosophia scholastica, tenente sententiam, iam per simplicem apprehensionem obiectum ab intellectu cognosci, ponitur actus iudicii ante notiones universales distinctas. Hoc recte fieri, patet etiam ex eo, quod ad notiones universales distinctas efformandas plura iudicia sunt necessaria. Recte dicit auctor similitudinem obiectorum esse fundamentum notionum universalium. Ad eas efformandas pervenimus per comparationem complurium individuorum, abstractionem perfectionum individualium et unionem perfectionum compluribus communium in unam notionem. Si haec solum essentiales perfectiones continet, vocatur notio essentialis (понятіе = соединеніе существенныхъ признаковъ предмета, p. 75).

Sed quaeso — fitne illa comparatio et abstractio per solas repraesentationes sensitivas an per iudicia? Propria experientia unius cuiusque testatur, utramque per iudicia fieri (quanta inquisitio scientifica per multa ratiocinia et longas inductiones ad efformandas distinctas notiones universales saepe est necessaria!).

Operationes intellectuales specifice differre ab operationibus sensuum (consequenter etiam hominem a bruto), pluribus firmissimis rationibus ab auctore probatur (facultate abstrahendi, quae iam in fine primi anni in infantibus sese manifestat, aptandi media ad finem, cognoscendi nexum inter effectum et causam, qua facultate bruta omnino carent, p. 93.)

Praeter facultatem cogitativam (intellectum) loquitur auctor de superiore quadam facultate cognoscitiva, quam rationem appellat (Разумъ = rozum — die Vernunft, p. 99.) Ratio discriminis iuxta auctorem in eo est, quod intellectus versatur circa obiecta experientiae (vel potius circa ea, quomodo nobis res per experientiam apparent), ratio vero elevat se supra experientiam et consistit in firmo nisu ac veluti instinctu spirituali penetrandi ad ipsas rerum substantias, singulas cognitiones in unum systema redactas habere (idea veri), cognoscere non solum id, quod est, sed etiam id, quod oportet esse (idea boni), cognoscere omnia in harmonica unitatem et universitate, imprimis res omnes tamquam

unum cosmon (idea pulchri, p. 101). Triplex haec idea nobis innata esse dicitur, sed ante experientiam vacua est (p. 99 infra: »Это стремленіе есть какъ-бы духовный инстинктъ, заложенный въ нашу душу«; p. 100 supra: »идея сама по себѣ безсодержателна въ началѣ и только благодаря послѣдующему опыту, она обогащается содержаніемъ, развивается, крѣпнетъ, руководитъ самимъ дѣломъ познанія и выходитъ за предѣлы опыта« etc.; p. 101: »Затѣмъ слѣдуетъ признать врожденною нашему духу и эстетическую оцѣнку — — идею красоты — —).

Resonat mihi hic sententia Kant de ratione (die Vernunft) eiusque ideis. Nolo dicere, auctorem hac in re Kant simpliciter sequi velle. Kant enim ope suarum idearum rationis nec ad realem notionem substantiae proprii »ego,« rerum mundi, Dei, nec ad reales notiones ordinis moralis non pervenit, auctor vero haec aliis locis tenet et defendit. Quomodo idearum rationis relationem ad eorum obiecta auctor accuratius intelligat et quo sensu eas innatas assumat, dicere non possum, quia hanc quaestionem non satis clare nec determinate proponit, immo p. 102. infra dicit, notionem humanae rationis nondum in psychologia perfecte investigatam esse (quod verum quidem est de philosophia moderna, quae veram intellectus humani notionem ab Aristotele et scholasticis philosophis traditam negligit et aliam eiusdem notionem veram invenire non potest). Solum de orienda cognitione Dei fusius sententiam suam de ideis innatis explicat idque hoc modo: Fundamentalis lex mentis nostrae est, ut nihil possimus cognoscere, nisi id alii obiecto opponere et cum eo comparare possimus. Habemus notionem lucis ideo, quia est in nobis idea luci contraria — tenebrarum, habemus notionem boni, quia possumus eam comparare cum notione ei contraria mali etc. Consectarium huius fundamentalis legis est hoc: Si homo cognoscit se esse personam finitam et limitatam, hoc tantum inde possibile est, quod in eius mente est notio personae infinitae et illimitatae et quo clarior fit una notio, eo clarior evadit etiam altera (p. 125.). Immo hic videtur sentire, notionem Dei eodem modo esse nobis innatam, atque ipsas naturales facultates. Sic dicit p. 126 supra: »и такъ, идея личнаго безконечнаго существа прирождена человѣческому духу, какъ прирождена способность мыслить, говорить и проч. (itaque idea personalis infiniti Entis humano spiritui naturalis est, sicuti est ei naturalis facultas cogitandi, loquendi etc.)

Ideae innatae non sunt quidem metaphysice impossibiles, et si experientiâ existentia earum demonstraretur, eodem modo obiectivae cognitionis fons essent, sicut ipsae naturales facultates (pertinerent enim ad naturalem hominis perfectionem et etiam in hoc casu valeret principium, naturam non fallere). Sed earum existentiae nullum verum argumentum adest, immo contrarium constat. Conscientia enim nihil tale testatur. Lex vero illa fundamentalis mentis, quâ auctor sententiam suam fulcit, neganda est. Omnes enim notiones reales, quae non sunt essentiâ suâ relativae, cognoscere possum prorsus sine omni opposito. E. g., si numquam essent tenebrae, sed perpetua lux tempore meae vitae et si plane nullam cognitionem tenebrarum haberem, certe etiam tunc lucem cognoscerem. Simili modo lapidem, arborem, hominem possum cognoscere sine eorum opposito. Etiam ens finitum et limitatum cognoscere possum sine cognitione infiniti et illimitati. Aliud est enim concipere rem simpliciter finitam seu limitatam et aliud concipere eam ut formaliter oppositam Enti infinito seu ut non infinitam. Ad cognitionem simpliciter finiti nihil aliud requiritur, quam ut cognoscam realitatem aliquam et ulterioris realitatis defectum, vel alio modo, si comparo plures res finitas inter se, video cuivis rei adesse aliquas perfectiones, sed simul aliquas deesse — et sic cognosco eas esse finitas ita ut non indigeam notione infiniti. — Notiones essentialiter relativae includunt quidem in se essentialiter notiones sibi correlativas, attamen ne hae quidem per ideas innatas cognoscuntur, sed

cognita tali notione relativa analytice ex ea immediata illatione cognoscitur eius notio correlativa e. g. e notione effectus notio causae, e notione creaturae notio Creatoris e notione filii notio patris etc.

Neque pro ideis innatis adduci potest impotentia intellectus humani sine his ideis cognoscendi rerum substantias, relationes, dependentiam earum ab Ente infinito, ordinem moralem, pulchritudinem etc. Difficultas quidem non parva occurrit n quaestione, quomodo sensationes, quas sensus ab experientiâ percipiunt, possint determinare intellectum ad cognoscendas rerum substantias et alias notiones transcendentales. Scholastici distinguentes cognitionem intellectus immediatam vel directam et mediatam vel indirectam quaestionem hanc ita solvere solent: Quia phantasmata sensuum in eadem anima sunt, in qua est etiam intellectus, ratio sunt, cur anima formaliter determinetur ad has vel illas species vel ideas intellectu producendas Sic cognitis per sensus qualitatibus sensibilibus, etiam intellectus easdem cognoscit sed modo perfectiore quam sensus, nempe ut reales (saltem confuse), simulque cognoscit confuse ipsam substantiam, cui inhaerent. (Hic primus immediatus et directus actus intellectus vocatur simplex apprehensio.)

Nunc oritur altera quaestio, quomodo procedat intellectus ad cognoscenda ea, quae transcendunt immediatam et directam eiusdem cognitionem (velut notio distincta substantiae, notio relationis, dependentiae etc). Etiam haec intellectus humanus sine ideis innatis cognoscere potest. Cognita enim per simplicem apprehensionem quacumque realitate intellectus immediata illatione (vel immediata consideratione) analytice evidenter cognoscit principium identitatis, contradictionis, exclusi tertii, rationis sufficientis simulque cum primis suis cognoscitivis actibus cognoscit suam aptitudinem ad veritatem cognoscendam (directe, non reflexe). Deinde ope horum principium (quae propter universalissimum suum valorem, quo ad omne prorsus ens sese extendunt, metaphysica vocantur) per ulteriorem experientiam, obiectorum multiplices comparationes, reflexiones ad eorum notiones, notionum analyses, per iudicia synthetica et analytica, ratiocinia, inductiones incompletas et completas (via synthetica et analytica et analytico-synthetica) mediate et indirecte cognoscit intellectus notiones, immediatam experientiam transcedentes, perveniens per entia limitata et finita non habentia in propria essentia sufficientem suae existentiae rationem usque ad cognitionem Entis infiniti et illimitati — Dei, a quo omnia cetera entia tamquam a causa absoluta dependent.

Etiam ideas morales sine innatis ideis potest humanus intellectus cognoscere. Consideratis rerum naturis cognoscit earum inter se naturales relationes, simulque cognoscit, conveniens esse suae naturae rationali, ut his relationibus intellectu cognitis libere actiones suas accommodet. Ita certarum actionum convenientia naturalis cum natura nostra rationali cognoscitur. Ut hanc convenientiam cognoscatur esse moralem bonitatem ex obligatione faciendam considerandus est praeterea Deus, qui ut creator omnium sapientissimus, legibus quas indidit naturae et mundum et nos ad finem propositum gubernat. Sic lumine naturali intellectus cognoscuntur leges naturales e. g. Deo esse serviendum, a filiis parentibus esse oboediendum, neminem esse occidendum etc. Moralis bonitas legis positivae cognitâ lege ab ordinariâ auctoritate. Dei nomine, promulgatâ cognoscitur. Iudicium intellectus, quo hic et nunc aliquod bonum mihi ex Dei obligatione faciendum vel malum vitandum esse cognosco, vocatur conscientia eaque antecedens, a quâ consequens conscientia distinguitur ut eiusdem intellectus iudicium post actionem, quod eam vel ut moraliter bonam approbat, vel ut moraliter malam improbat.

Similiter nec in cognitione pulchri intellectus noster ideis innatis indiget.

Experientiâ internâ igitur teste non potest plus in natura intellectus nostri admitti, quam spiritalis eiusdem perfectio cognoscendi obiecta, quae vel immediate vel mediate intellectum ad se cognoscenda determinant. Si adhibetur pro intellectu vocabulum »ratio« non potest hoc vocabulo intelligi facultas ab intellectu specifice diversa, sed intellectus ratiocinans.

Sicut respectu sensitivae cognitionis, sic etiam respectu cognitionis intellectivae multas bonasque affert Lipskij regulas ad bene educandum. In educatione intellectus curandum imprimis est, ut liberi ea, quae discunt bene intelligant. Non sunt eis proponenda ea, quae nondum intelligere possunt. In exponendis veritatibus religiosis debent attenti reddi, religionem christianam habere nonnullas veritates, quae propter infirmitatem intellectus nostri in hac vita a nobis perfecte intelligi nequeunt. Debent tamen etiam hae veritates in quantum fieri potest, variis analogiis illustrari et rationes adduci ad rationabiliter credendum.

Secundam libri partem auctor »Чувствованія или Эмоціи« = affectiones inscribit, quas ab affectibus proprie dictis non sufficienter distinguit (p. 110). Explicat has affectiones ita: Erga impressiones extrinsecus in animam venientes non manet anima indifferens, sed earum pretium aestimat, dum vel iucunde vel iniucunde iis afficitur. Haec aestimatio animae omnium eius actuum (et sensuum, et intellectus, et rationis) vocatur affectio et indolem omnino subiectivam habere dicitur et quamquam fere sequitur cognitionem, non est tamen merum eiusdem complementum et etiam ante cognitionem fieri potest. Fundamento affectionibus sunt variae animae exigentiae et appetitus e. g. ratio, cur viso instrumento mortifero affectus timoris in homine oriatur, est desiderium et appetitus vitae conservandae.

Verum est, rationem (eamque inadaequatam) omnium animae actuum esse in anima simulque exigentiam et appetitum actionum proportionatarum. Omnis enim entitas capax est actionis et naturaliter illam actionem, cuius est capax, exigit et ad eam tendit. Simul etiam exigit ea, quibus ad actiones suas complenda est. E. g. anima humana est capax sensitivae cognitionis, ergo eam naturaliter exigit et etiam ea, quae cum ea ad hanc cognitionem efficiendam concurrere necesse est (unionem cum corpore ad unam completam substantiam, sana organa, condiciones necessarias, ut ab obiecto determinetur, ipsam determinationem ab obiecto, etc.).

Verum quid est illa exigentia animae secundum se spectata ante animae actus? Estne quaedam positiva animae affectio? Non — sed est tantum externa denominatio perfectionis animae cum respectu ad actiones, quarum est capax et sine quibus anima manca esset in sua integrali perfectione.

Verum etiam id est, animam in actionibus, quae ei naturales sunt, facilitatem prae se ferre, quae facilitas etiam activus appetitus vocari potest. Quodsi quis hanc facilitatem, quam anima in actionibus, quarum naturalem capacitatem et exigentiam habet et ostendit, et quacum etiam naturalis iucunditas coniungitur, affectionem vocat, — lis est de verbo. Sin hoc nomine affectus proprie dictos (amorem, desiderium, gaudium, odium, fugam, tristitiam, spem, audaciam, desperationem, timorem, iram) intelligit, protestatur interna cuiuscunque hominis experientia, iuxta quam tales actus nisi post obiectum cognitum fieri non possunt. Dicit quidem hic p. 110 infra, nos saepe gaudere vel tristari de sensatione, quae desiit et quia desiit (ergo in mente non adest). Sed quaeso, quomodo possem de ea ut prius habita et extincta gaudere vel tristari, nisi novo actu cognoscitivo vel sensitivae vel saltem intellectualis memoriae (etsi multo infirmiore et confuso) ut praeteritam et extinctam prius cognoscerem et nisi prius

cognoscerem bonum vel malum mihi, quod cum eius extinctione coniunctum est? Neque alterum auctoris assertum ullam vim habet, nos nonnumquam tristari, inscios rationis, vel sine cognitione mali. Aut enim tunc nostra cognitio mali tantum directa, non reflexa est, aut valde confusa, aut tristitia haec non est veri nominis tristitia i. e. actus psychicus, sed mere physiologicus i. e. mala dispositio corporis.

Quia affectus proprie dicti dependent ab obiecto cognito tamquam a suo termino in quem feruntur, vel quem aversantur, et simul dependent etiam ab animae exigentiis, et obiectivae et subiectivae indolis sunt.

Ex praecedentibus patet, quo sensu sermo esse possit de affectibus religiosis, moralibus aestheticis, intellectualibus, de quibus Lipskij loquitur. Recte hoc vocabulo intelligi posunt aut affectus sensu improprio i. e. animae naturalis facultas et quaedam facilitas cognoscendi veritates religiosas, morales, aestheticas, theoreticas, aut affectus sensu proprio, qui ex cognitis his veritatibus in anima oriuntur. *C. Jež.*

RUTHENICA.

De statu praesenti ecclesiae et litterarum theologicarum apud Ruthenos in Galicia.

Negari non potest litteras theologicas apud Ruthenos parum florere. Causas huius tristissimae condicionis Conspectus Slav. lit. theol. (1905. pg. 33.) iam explicavit. Addi nunc debet ad causas, quae progressum litterarum theologicarum apud Ruthenos impediunt, etiam status rerum politicarum in Galicia. Propter defectum doctiorum laicorum inter Ruthenos, clerus omnibus rebus publicis sc. cultura, politica, oeconomia nimis occupabatur. Factum est inde, ut litterae theologicae nimis negligerentur eoque magis, quia nulla habetur neque habebatur facultas theologica Ruthenica, quae doctrinam theologicam coleret.

His non obstantibus edebantur pauca ex theologicis. Publicationes periodicae, ut Sion, Amvon, Dušpastyr — Animarum Pastor —, Prapor — Vexillum —, Bohoslovskyj Visnyk — Nuntius Theologicus — respiciebant praecipue necessitates practicas cleri munus pastorale gerentis, si B. Visnyk excipitur. Libri edebantur practici, ut catechetici, liturgici, conciones. (Cf. Slav. lit. theol. 1905. pg. 34.) Characterem scientificum habent Commentarii ad Evangelium secundum Matthaeum Dris Jos. Komarnyckyj, Leopoli, 1892—9, tomi duo et valorem scientificum habent Acta et decreta synodi provincialis Ruthenorum Galiciae anno 1891. habitae Leopoli, a. 1896. duobus tomis Romae edita lingua Latina, postea in linguam Ruthenicam versa.

Condicio haec tamen hoc tempore valde mutatur et Ecclesia nostra tempus summi momenti transire videtur. Propter mutationem rerum clerus Ruthenicus primas partes, quas tenuerat, in vita nationis amittere coepit et status laicalis ad locum eius occupandum tendit. Ex quo sequitur clerum nunc maiorem partem virium suarum rei mere ecclesiasticae et theologicae offerre posse. Elementum laicum in vita publica Ruthenorum superius esse incipiens liberalismo, Ecclesiae saepius inimico, favet, sicut et in reliqua Europa. Quae circumstantia efficit, ut clerus Ruthenicus in corpus organice iunctum colligi debeat et in activitate sua externa momentum apologeticum et polemicum potissimum

respicere cogatur. Paulatim et gradatim oritur apud Ruthenos pugna inter ecclesiam catholicam et huius temporis non credendi obstinationem, quae pugna in Europa occidentali iam diu grassatur. Sicut alibi, surgunt in Galicia Ruthenorum socialistae (eorum publicationes: Vola [Voluntas], Moloda Ukraina [Ukraina iuvenilis]) et radicales (Hromadskyj Holos [Vox Communitatis], Promin [Lux]). Contra haec a liberalibus edita clerus Ruthenicus in litteris periodicis catholicis pugnat, de quibus infra agetur. Discordia politica et partialis inter clerum ipsum impedit, quominus hoc bellum contra ecclesiae hostes tota vi et effectu pleno geratur. Sperandum est tamen in Deo Optimo Maximo, fore ut in futuro res in melius mutentur.

Fundamenta reformationis cleri Ruthenici eiusque culturae theologicae paucos ante annos posita sunt a Reverendissimo Metropolita Leopoliensi nomine Andrea. Is anno 1902—3 tradidit directionem seminarii clericalis Leopoliensis, ubi clerus totius provinciae Galicianae rit. gr. educatur, Dri Gregorio Ḫomyšyn, qui nunc sedem Episcopalem Stanislaopoliensem gloriose tenet. Duobus annis interiectis a novo rectore maximo cum labore et admirabili constantia et acrimonia seminarium ad exemplum optimorum seminariorum Occidentis reformatum est, proprietate eius, qua ad locales circumstantias nostras aptum est, minime exstincta. Porro Reverendissimi episcopi nostri Leopoliensis, Stanislaopoliensis et Premyslensis bene intellexerunt, quanti momenti essent ad doctrinae theologicae progressum studia clericorum Ruthenicorum in melioribus facultatibus theologicis extraneis et benigne et libenter clericos suos studiorum causa Vindobonam, Oenipontem, Friburgum Helvetiae mittunt. Seminarii ordo novatus et studia extranea clericorum exspectari iubent progressum doctrinae theologicae apud Ruthenos atque eventum felicem faustumque in bello cum hostibus ecclesiae nostrae.

Mutatio in melius iam a tribus annis inauguratur et manifestatur. A tribus annis iuventus theologica Ruthenorum Leopoli folia trimestria edit: Katołyckyj Vsḫid (conditor Dr. Gregorius Ḫomyšyn, primus director Gregorius Płakyda), quae spectant ad studia theologica apud Ruthenos promovenda et sensum catholicum fovendum (Cf. Slav. lit. theol. 1906. pg. 57.) Commentationes dogmaticae, apologeticae, historicae liturgicae, bibliographia et chronica, etiam polemica modica cum liberalibus nationis nostrae ecce argumentum nostri K. Vsḫid. A tribus annis Leopoli Nyva editur cleri animos fidelium regentis et moderantis, et editur bis in mense. Edendo huic operi praeest Jarosłav Łevyckyj. Propositum est, coniungere clerum Ruthenicum ad laborem in agro Domini et praecepta Salvatoris in omnibus partibus vitae nationis ad effectum deducere et liberalismi placita debellare. Commentationes scientificae non negliguntur, quamquam ad huius operis institutum ea maxime pertinent, quae ad agendi, non cognoscendi, vim rationemque referuntur. Denique non licet silentio praetermittere optime meritum de ecclesia nostra et natione ordinem s. Basilii Magni. Ordo hic reformatus est annis 1882—1904 Leonis XIII. Summi Pontificis iussu. Industriam suam missionariam in Galicia, Bukovyna, Canada et Brasilia collocatam Patres Basiliani promulgato decreto tolerantiae Nicolai II. imperatoris

ad Russiam extendere student. In Zovkva apud Leopolim Patres folium menstruum populare Misyonar cum Misyonarczyk edunt. Folium hoc multis millibus exemplorum propagatum maxima eminet popularitate et vehementer pertinet ad sensum ecclesiastico-catholicum fovendum. De folio condendo ante novem annos bene meritus est Reverendissimus Metropolita, ipse ordinis membrum et P. Provincialis Filas, celeberrimus missionarius.

Praeterea Patres Basiliani a. 1895. condiderunt typographiam in Zovkva, ubi libri religiosi in usum populi et cleri eduntur. Ex libris his mentione digni sunt: Card. Bellarmini Septem verba D. N. I. Christi in cruce, Card. Rossinoli Veritates aeternae, Wisemani Fabiola, s. Francisci Salesii Philothea, Dris Cl. Sarnyckyj O. s. B. M. Explicatio psalmorum in breviario contentorum et alia multa.

Editione librorum theologicorum occupatur etiam Societas s. Pauli Apostoli, ex cuius collectione mentio fiat sequentium. I. Łevyckyj, De ratione et fide; T. Łezohubskyj, De homine et brutis; Apologia scientifica fidei christianae Duilhé de Saint Projet et Principia oeconomiae Cossae-Moormeister, in Ruthenicum versa a I. Łevyckyj et Leopoli 1905 edita.

Praeterea feminae, quae in tutela s. Olhae reginae societatem inierunt, Leopoli libros edere coeperunt, quorum primus hoc a. 1906 emissus est sub titulo „De christiana mulierum charitate“ a D. Taniačkevyč (nuper mortuo) conscriptus. Ut supplementum separatum cum propria paginatione a directione Kat. Vsḫid versio homiliarum super Evangelium secundum Matthaeum s. Patris nostri Ioannis Chrysostomi editur.

Ut supplementum Nyvy orationes sacrae in usum cleri parochialis foras dantur.

Ex conspectu hoc patet, quam prospera fata ecclesiae et doctrinae theologicae apud Ruthenos inaugurentur! *On. Volanskyj.*

SERBICA.

Glasnik pravosl. dalmatinske crkve, nr. 10—11, 1905.

—*o*—: Neporočno začeće (De Immaculata conceptione), nr. 10. pg. 149—154.

Respondetur ad ea, quae sub titulo »Immaculata conceptio ac moderni Graeci« in »Echos d' Orient« mense sept. S. Petridés scripsit. Pétridés sicut et alii theologi catholici dogma de immaculata conceptione in ecclesia orientali semper creditum esse ideo potissimum demonstrare conari dicuntur, ut facilius veritatem huius dogmatis multis theologis catholicis velut omnibus PP. Dominicanis, qui hoc dogma adhuc reiciant (sic!!) persuadere possint. Commemorantur illi theologi ecclesiae orientalis, qui contra immaculatam conceptionem scripserunt, de quibus etiam S. Pétridés in sua dissertatione agit. Ex quinque vero theologis, ex quibus S. Pétridés argumenta ducat, secundum causam dogmatis catholici immerito quidquam afferri. Etenim duos ex his, Isidorum Glabas et monachum Iob, doctrinam romanam de immaculata conceptione ideo non impugnasse, quod haec doctrina illis temporibus privata doctrina occidentis fuerit necdum Iesuitae extiterint, qui hanc doctrinam etiam ecclesiae orientali supponerent, quod postea revera evenerit. Similiter Eliam Miniatam nihil scripsisse, quod contra doctrinam ecclesiae orientalis esset. Ex Leonardo Phylar et Nicolao

Kursul propterea frustra argumenta sumi, quod hi duo theologi studiis theologicis Romae operam dederint, unde necessario ea docuerint, quae in scholis Romanis acceperant.

Srpski sveštenik, Bogoslužbeni jezik (De lingua liturgica), pg. 163—169.

»Sveštenik« dicit in liturgiam loco linguae ecclesiastico-slavicae introducendam esse linguam serbicam hoc tempore vigentem propterea, quod lingua ecclesiastico-slavica a populo non intelligatur et consequenter etiam finis liturgiae ex eadem causa perimatur. Argumentatur ex eo, quod ipse Christus Dominus usum linguae mysteriosae in liturgia interdixerit, et ex I. Cor. 14, 12. 16.

Krunisanje prvog srpskog kralja Stevana Nemanjića [1]) (Coronatio Stephani Nemanjić, primi Serbiae regis) nr. 11. pg. 171—175.

Occasione morte praestantissimi serbici historici ecclesiastici Ilarion Ruvarac († 21. aug 1905) data, brevis eiusdem epistola de S. Saba adducitur. A. 1893. folia croatica s. Sabam (sv. Sava) ut ecclesiae romano-catholicae unitum efferebant, immo ipsi historici serbici tunc temporis tenebant sententiam. s. Sabam episcopum suum Methodium Romam ad papam misisse, quam tamen missionem »necessitati politicae« tribuere conabantur. Eodem illo anno (1893) Il. Ruvarac ad ep. serbicum dalmatinum Nikodém Milaš scripsit litteras, ubi paucis comprehenduntur, quae idem Ruvarac in lucubratione »O glavnim momentima u životu sv. Save prvog arhiepiskopa srpskog« iam a. 1891. conscripta et a. 1901. demum in »Letopis Matice Srpske« kn. 208. publicata, exposuerat. — Stephanus primus Serbiae rex, a. 1217. a papa Honorio coronam ac regnum accepit. Historici serbici et croatici putabant, hac in re s. Sabam primas partes egisse, ad unionem promovendam ut catholici, vel »necessitate politica« coactum ut Serbi rem explicabant. Il. Ruvarac vero ex fontibus historicis demonstrat s. Sabam id temporis in Oriente in Athone degisse; postea a. 1219. Nicaeae episcopus consecratus a. 1220. in Serbiam reversus est, ut unionem cum Roma impugnaret et schisma, quod monachi montis Athonis defendebant et patriarchae constantinopolitani tunc Nicaeae residentes custodiebant, defenderet. Domentianus, s. Sabae discipulus, in vita s. Sabae a. 1253 [2]) a se conscripta, s. Sabae illam legationem romanam falso adscribit. Ep. Methodium iam a. 1220 ipse rex Stephanus iam coronatus et non s. Sabas Romam misit. Hanc in partem etiam »Ljetopis« (Annales) episcopi dalmatini Simeonis Končarević e. saec. XVIII. explicari debet. — Haec narratio credibilis videtur; cum veritas super omnia quaerenda sit (non vero: quia blasphemum [!] esset s. Sabam appellare unitum« ut »Glasnik« pg. 175 opinatur) necessarium erit ea, quae Il. Ruvarac conscripsit accuratius perlustrare et cum fontibus historicis conferre. — Tunc fortasse corrigenda erunt, quae Nilles (Kalendarium [2], I., 446—450) Martynov aliique Domentiano innixi scripserunt. Cf. etiam Zeitschrift f. kathol. Theol. 24 (1900), 759—762. *G. R.*

SLOVENICA.

Voditelj v bogoslovnih vedah. 1906, Nr. 1.

J. Markošek, Mesijanski psalmi (Psalmi messianici), pg. 1—26. — Auctoris in psalmos selectos exegesim iam laudavimus (Sl. I.

---

[1]) Auctor (ni fallor ep. N. Milaš) non indicatur.

[2]) Secundum corpus inscriptionum serbicarum (Stari srpski zapisi i natpisi) ed. a Stojanović in Zbornik Regiae Academiae Serbicae, t. III., n. 4931: a. 6751 1243, non 1253.

th. I., [1905], 215). Psalmis directe messianicis, quos explicare intendit, ps. 2., 15., 21., 44., 71., 109. (vulgatae) adnumerat. Cum psalmi hi difficiliores sint, explicatio etiam accuratior sit oportet; textus originalis ac litteratura exegetica abunde rescipitur. Explicatio incipit a »Carmine passionali« (ps. 21; hebr. 22), in quo indoles messianica clarissime resplendet. Pg. 3—26 explicantur v. 3—16.

Dr. *A. Medved*, Zgodovina slovenskega cerkvenega govorništva (Historia eloquentiae sacrae slovenicae), pg. 26—43. — Inde a primis saeculis christianis incipiens, auctor diutius commoratur in sermonibus et homiliis Clementis, cognominati »Slovenici«, discipuli ss. Cyrilli et Methodii (32—38); cuius sermones magna eloquentia atque elegantia excellentes, etsi iuxta exempla graeca elaborati, multa tamen propria habent.

J. Havčič, Simbolika liturgičnih oblačil (Symbolica vestium liturgicarum significatio), pg. 43—54. Materia porro tractabitur.

† *M. Slekovec*, Ljutomerski dušni pastirji (De pastoribus animarum Luttenbergensibus), pg. 54—66. M. p. tr.

Supplementi instar (1—16) additur descriptio vitae atque operum S. Thomae Aquinatis (pars tantum), composita a dr. F. Kovačič.

Katoliški Obzornik. 1906., nr. 1.

Dr. *A. Ušeničnik*, Bogoznanje v starem poganstvu (De Dei cognitione apud antiquos paganos), pg. 1—21. — Ex Ciceronis scriptis philosophicis, rationes atque sententias philosophiae antiquae collegerit, imperfecta Dei cognitio apud antiquos demonstratur.

M. Pečarič, Teženje po sreči in vera v posmrtno življenje. (De beatitudinis desiderio ac persuasione de vita post mortem continnanda), pg. 70—80. — Reliquis disciplinae profanae tractantur.

QUAEDAM, DE QUIBUS THEOLOGI UTRIUSQUE ECCLESIAE DISSENTIUNT.

De sacramento poenitentiae.

Th. 2. Eadem potestas peccata remittendi et retinendi traditione et usu ecclesiae demonstratur.

Doctrina ecclesiae manifestatur: 1. decretis conciliorum, 2. doctrina patrum, 3. doctrina opposita haereticorum, 4. usu qui primis ecclesiae saeculis fuit, 5. usu per totam ecclesiam inveterato. Ideo in quinque partes rem dividimus.

I. p. Decreta conciliorum.

Dub. Conc. Cabillonense II. (813) can. 33. haec decernit: Confessio, quae Deo fit, purgat peccata; ea vero, quae sacerdoti fit, docet, qualiter ipsa purgentur peccata.

Clara certe sunt: 1. verba Conc. Florentini (a. 1439): Effectus huius sacramenti est absolutio a peccatis.

2. Tridentinum vero concilium (a. 1551) Sess. 14 decrevit:

a) Si quis dixerit, in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.

b) Si quis sacramenta confundens ipsum baptismum poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.

c) Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut sacerdos non serio sed ioco absolvat . . . anathema sit. — Si quis dixerit non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.

Verba Conc. Cabillonensis „non oppositionem instituunt exclusivam, sed per excessum, nimirum confessionem etiam docere etc., idque eius proprium esse, cum prima confessio purgationem tantum praestet.“ Palmieri, De poen. p. 388. „Utut est, constat synodum hoc ipso can. 33. necessitatem confessionis astruere, cum sententiam eorum, qui »Deo confiteri debere dicunt peccata«, ita duntaxat approbet aut toleret, ut »et Deo confiteamur, et secundum institutionem apostoli confiteamur alterutrum peccata nostra«“. Collet, De poen. p. 2, c. 5 (Migne 22, c. 408).

II. p. Doctrina patrum.

Dub. 1. Patres docuerunt solum Deum posse remittere peccata. Ita Cyprianus, De lapsis n. 18: Nemo se fallat, nemo se decipiat. Solus Dominus misereri potest; veniam peccatis, quae in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. — Ambrosius, De fide l. 2, c. 116: Nemo potest donare peccatum, nisi solus Deus. In Luc. l. 5, c. 27: Hic solus potest sanare vulnera, qui sua nescit, hic auferre cordis dolorem, qui novit occulta. — Io. Chrysostomus, In Mt. hom. 15, n. 6 dicit: Τὸ μὲν γὰρ ἀπαλλαγῆναι τῆς σηπεδόνος τῶν ἁμαρτημάτων, τοῦ Χριστοῦ κατόρθωμα γέγονε· τὸ δ' αὖ πάλιν μηκέτι ἐπ' ἐκείνην ἐπανελθεῖν, τῆς τούτων (apostolorum) σπουδῆς καὶ ταλαιπωρίας ἔργον ἦν. Cf. Augustin., Serm. 99. n. 8.

Dub. 2. Patres negaverunt implicite potestatem retinendi. Ita Origenes, In Levit., hom. 2. confessionem recenset ultimo loco inter varia media, quibus peccatorum remissio possit obtineri; atqui, si tot viae patent, confessio non est necessaria. Cf. Athanas., Fragm. in Mt.; Caesarius arelat. Hom. 13. Io Chrysostomus vero plurimis locis negat necessitatem confessionis, quae fiat sacerdoti vel ecclesiae. Tantum eos locos afferre libet, unde res maxime elucet. In Hom. 'non esse ad gratiam contionandum' haec dicit n. 3: Ἀλλ' αἰσχύνῃ καὶ ἐρυθριᾷς τὰ ἁμαρτήματα ἐξειπεῖν; Μάλιστα μὲν εἰ καὶ ἐπ' ἀνθρώπων ἔδει ταῦτα λέγειν καὶ ἐκπομπεύειν, οὐδὲ οὕτως αἰσχύνεσθαι ἔδει· αἰσχύνη γὰρ τὸ ἁμαρτάνειν, οὐ τὸ ὁμολογῆσαι τὰ ἁμαρτηθέντα· νυνὶ δὲ οὐδὲ ἀνάγκη παρόντων μαρτύρων ἐξομολογεῖσθαι. Παρὰ τοῖς λογισμοῖς τοῦ συνειδότος γιγνέσθω τῶν πεπλημμεληκότων ἡ ἐξέτασις· ἀμάρτυρον ἔστω τὸ δικαστήριον· ὁ Θεὸς ὁρᾶτω σε μόνος ἐξομολογούμενον, ὁ Θεὸς ὁ μὴ ὀνειδίζων τὰ ἁμαρτήματα ἀπὸ τῆς ἐξομολογήσεως. Ἀλλὰ καὶ οὕτως ὀκνεῖς καὶ ἀναδύῃ; (Nota: non dicit „pudet te, erubescis“, sed „pigritaris ac detrectas“) Οἶδα κἀγώ, ὅτι οὐκ ἀνέχεται τὸ συνειδὸς τῆς μνήμης τῶν οἰκείων πλημμεληκότων. Ἂν γὰρ ἔλθωμεν μόνον εἰς ἀνάμνησιν τῶν πεπλημμεληκότων ἡμῖν, καθάπερ πωλός τις ἀδάμαστος καὶ δυσήνιος σκιρτᾷ ἡ διάνοια. Ἀλλὰ κατάσχε, χαλίνωσον, κατάψηχε τῇ χειρί, ἥμερον αὐτὴν ποίησον, πεῖσον, ὅτι ἂν μὴ νῦν ἐξομολογήσεται, ἐκεῖ ἐξομολογήσεται, ὅπου πλείων ἡ κόλασις, ὅπου μείζων ὁ παραδειγματισμός· ἐνταῦθα ἀμάρτυρόν ἐστι τὸ δικαστήριον, καὶ σὺ σεαυτῷ δικάζεις (non sacerdos iudicat) ὁ ἡμαρτηκώς· ἐκεῖ δὲ εἰς μέσον τὸ θέατρον τῆς οἰκουμένης ἅπαντα παραχθήσεται, ἂν μὴ προλαβόντες ἐνταῦθα αὐτὰ ἀπολείψωμεν. Etiam clarius, si fieri potest, rem exponit De incompreh. Dei nat. 5: Οὐδὲ εἰς θέατρόν σε ἄγω τῶν συνδούλων τῶν σῶν, οὐδὲ ἐκκαλύψαι τοῖς ἀνθρώποις ἀναγκάζω τὰ ἁμαρτήματα, τὸ συνειδὸς ἀνάπτυζον ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ καὶ αὐτῷ δεῖξον τὰ τραύματα . . . κἂν γὰρ σιγήσῃς, οἶδεν ἐκεῖνος ἅπαντα . . . ὁ δὲ Θεὸς οὐχ οὕτως, ἀλλὰ καὶ προσίεται καὶ ἐπισπᾶται, κἂν διημερεύσῃς ἀνακοινούμενος αὐτῷ τὰς σὰς συμφοράς, τότε σε μᾶλλον φιλεῖ καὶ ἐπινεύει σοῦ ταῖς ἱκετηρίαις. Hoc sane de confessione sacerdoti, Dei vicario, secreto facienda intelligi nequit. Similiter loquitur De Davide et Saule, hom. 3, n. 4: Ἂν γὰρ ὀνειδίσῃ σε ὁ ἐχθρὸς ἁμάρτημα, ὃ σὺ σαυτῷ σύνοιδας, σὺ δ' ἀκούσας ἐκεῖνον μὲν μὴ ὑβρίσῃς, στενάξῃς δὲ πικρόν, καὶ τὸν Θεὸν παρακαλέσῃς, εὐθέως ἀπέθου τὴν ἁμαρτίαν

ἅπασαν. Ἆρα τί τούτου γένοιτ' ἂν μακαριώτερον; τί δ' εὐκολώτερον πρὸς ἁμαρτημάτων ἀπαλλαγήν; quod assertum probat exemplo Pharisaei et Publicani. Item De poen. hom. 6 fin. sine alia praeter internam confessione accessum ad mensam Domini patere dicit (μηδενὸς παρόντος . . . ἀναλογιζόμενος ὑπὸ τοῦ νοῦ κριτήριον ἄγε . . .) Aliis verbis idem exprimit In Io hom. 34, n. 3. Cf. In Hebr. hom. 31, n. 3. fin.; In Gen. 4, hom. 20; De comp. ad Stel. l. 2, n. 6; In 1 Cor. hom. 28, n. 1; De poen. hom. 2 (ubi tres vias assignat, quibus peccata remitti possunt; primae confessionis exemplum affert Davidem; secundae [ubi dicit: Ἥμαρτες, πένθησον καὶ λύεις τὴν ἁμαρτίαν] Achab.; tertiae [ubi ταπεινοφρόνησον, inquit, καὶ ἔλυσας τὰς σειρὰς τῶν ἁμαρτιῶν] publicanum.) Quomodo intelligendum sit illud „ostendere vulnus medico" et illud „tentare peccata occulere", quod interdum dicit, ostenditur etiam ex Theodoreto, In Ps. 31; ceterum cf. De incompr. Dei nat. quae dixerat ante l. c. (οὐδὲ ἀνοῖξαι τὸ στόμα δύναμαι etc.) — Non minus manifeste Ambrosius loquitur. In Luc. 22 l. 10: „Lavant lacrimae delictum, quod voce pudor est confiteri". In Luc. l. 7, n. 236: „Quis enim tu es, qui Domino contradicas, ne, cui velit, culpam relaxet?" In Ps. 118, c. 10: Quicumque dicit iniquitates suas Deo, iustificatur. Cf. c. 30; De Cain et Abel l. 1, c. 34. Item Auctor serm. 252. de temp. (s. August. adscr.) agens de praeparatione peccatoris ad Eucharistiam suscipiendam non meminit confessionis, sed tantum orationis, ieiunii et sim. — Item Cassianus, Collat. 20, c. 8: „Postremo, quis est, qui non possit suppliciter dicere: peccatum meum cognitum tibi feci et iniustitiam meam non operui, ut per hanc confessionem etiam illud confidenter subiungere mereatur: et tu remisisti impietatem cordis mei? Quodsi verecundia retrahente, revelare ea coram hominibus erubescis, illi, quem latere non possunt, confiteri ea iugi supplicatione non desinas ac dicere: iniquitatem meam ego . . ., qui et absque ullius verecundiae publicatione curare et sine improperio peccata donare consuevit." Cf. etiam Hilar., In ps. 51; Basil., In ps. 57; Timotheus Alex., Respons. ad interrog. 36 (ἐξομολογουμένη ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ).

Dub. 3. Patres peccatorem cum Lazaro sepulto comparantes docent non posse a se solvi nisi viventem. Ita Augustinus (In Io. tr. 49, n. 24), Gregor. M. (In evang. hom. 26, n. 6). Clarissime vero idem in comparatione cum leprosorum sanatione Hieronymus proponit (In Mt. 16, 19): „Istum locum episcopi et presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de pharisaeorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quaeratur. Legimus in Levitico de leprosis, ubi iubentur, ut ostendant se sacerdotibus, et si lepram habuerint, tunc a sacerdote immundi fiant, non quo sacerdotes leprosos faciant et immundos, sed quo habeant notitiam leprosi et non leprosi, et possint discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic et hic alligat vel solvit episcopus et presbyter non eos, qui insontes vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus".

Dub. 4. Si qua est in ecclesia potestas remittendi non est ex doctrina patrum nisi mera declaratio. Nam quod peccata remittantur extra baptisma, hoc sola virtus poenitentiae praestat. Ita Pacianus (ep. 3 ad Sympron. n. 8): „Baptismus sacramentum est dominicae passionis; poenitentium venia meritum confitentis". Idem (ep. 1. ad Sympron.) baptismum et confirmationem longe maiora charismata vocat quam ligandi ius et solvendi. Ambrosius, In ps. 37, n. 57: Nam ut febres, cum in alto sunt, non queunt mitigari, cum foras erumpunt, spem afferunt desinendi, ita peccatorum morbus, dum tegitur, inardescit; si confessionibus [non una sacramentali] proditur, evaporat". Auctor ep. de laude martyrii (inter Cyprian. 77): „Sed pudor, sed modestia, sed sapientia, sed disciplina, sed humilitas atque subiectio, sed alienum de se exspectasse iudicium, sed alienam de suo actu sustinuisse sententiam [declarantem!]: hoc est, quod poenitentiam probat, hoc est, quod impresso vulneri ducit cicatricem, hoc est, quod deiectae mentis ruinas erigit et attollit, quod ardentem delictorum

aestuantium morbum restinguit et finit". Gregor. Naz. Or. 40. n. 8: Καὶ ταῦτα οὐκ οὔσης δευτέρας ἀναπλάσεως, κἂν ὅτι μάλιστα ἐπιζητῶμεν ταύτην ἐν πολλοῖς στεναγμοῖς τε καὶ δάκρυσιν, ἐ ξ ὧ ν συνοῦλωσις μὲν ἔρχεται μόγις . . . Cf. Athan., In Ps. 31 (διὰ τῆς πικρᾶς μετανοίας ἐπικαλύπτονται). Cum hoc cohaeret, quod patres numquam cum tanta certitudine de remissione peccatorum ab ecclesia extra baptismum conferenda loquuntur sicut de remissione in baptismo. Cf. Cyprianus (?) De aleatorib, n. 1: „ne dum delinquentibus assidue ignoscimus, ipsi cum eis pariter torqueamur." Aliter omnino loquitur s. Augustinus de baptismo: „Baptizati sumus et fugit a nobis sollicitudo vitae praeteritae." Talia verba de alio medio remissionis non audiuntur. Item cohaeret cum hoc sententia peccata in N. T. difficilius remitti quam in V. T. Cf. Gregor Naz., Carm. 28 (sect. II.) v. 263 ss.

Dub. 5. Patres docent munus sacerdotum relate ad poenitentes consistere in mera exhortatione. Firmilianus, Ep. 75 inter Cypr.: „Non quasi a nobis remissionem peccatorum consequantur [lapsi], sed ut per nos ad intelligentiam delictorum suorum convertantur et Domino plenius satisfacere cogantur." Ideo Ambrosius, De Sp. s. 3, c. 18 Per Spiritum s., inquit, peccata donantur; homines autem ministerium exhibent, non ius alicuius potestatis exercent. — Cf. Io. Chrysost. In Gen. 11 hom. 30, n. 5.

Dub. 6. Ecclesia pro poenitentibus nihil aliud potest nisi orare. Ita docet Augustinus, De bapt. l. 3: „Quid est aliud expiatio sacerdotalis nisi oratio super hominem?" Idem locum illum Io 20, 23 explicat de modo impetratorio remissionis peccatorum, quem proprium esse dicit sanctis ecclesiae membris. Cf. Contra Donat. l. 2, c. 18; l. 6, c. 4; Tract. 58 in Io. — Similiter Leo M., Ep. 91 dicit post baptismum indulgentiam Dei, i. e., remissionem criminum nisi supplicationibus sacerdotum non posse obtineri; cf. Ep. 136. Hieronymus In ps. 28: Vox Domini in unoquoque nostrum flammam libidinis per confessionem et gratiam Spiritus s. intercedit, i. e., per orationem sacerdotis facit cessare. Pacianus: Qui fratribus peccata sua non tacet, Ecclesiae lacrimis adiutus Christi precibus absolvitur. Cf. Ambros. In Luc. l. 5. c. 11; Origen., De orat. n. 28. etc.

Dub. 7. Patres docent ab ecclesia tantum offensam ipsius ecclesiae posse condonari. Ita Pacianus: „Cetera vero, inquit, peccata [praeter idololatriam, homicidium, adulterium] contrariis bonis operibus sananda sunt." Cyprianus: „Poenitens peracta satisfactione eam, quam nuper contristaverat, laetam facit ecclesiam. Constit. apost. c. 21: Ἐὰν οὖν μὴ ἀφῆτε τοῖς ἡμαρτηκόσι, πῶς ὑμεῖς λήψεσθε τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν ὑμῶν; Cf. p. IV., dub. 1.

Dub. 8. Patres communi consensu dicunt peccatum contra Spiritum s. esse irremissibile. Ita Hermas dicit in eis, qui nomen Dei blasphemaverunt, poenitentiam vitae non esse (μετάνοια ζωῆς οὐκ ἔστιν); talium igitur mortem esse (l. 3, sim. 6, n. 2; opp.: ἐν τούτοις ἐλπίς ἐστι μετανοίας, ἐν ᾗ δύνανται ζῆσαι); similiter in sim. 8, n. 6. et 8; sim. 9, n. 19. Item Cyprianus, Ad Quirinum testimonior. l. 3, c. 28; Hilarius, In Matth. c. 12, n. 17; Athanasius, Ad Serapion. ep. 4, n. 23; n. 13; Pacianus, Ad Sympron. ep. 3, n. 15 („Hoc est ergo, quod non dimittetur; reliqua bonis poenitentibus donantur"); Ambrosius, De poen. l. 2, c. 4; De Spir. s. l. 1, c. 3 (non potest ibi exoratio esse veniae); Didymus Alex., De Sp. s. n. 1; Hieronymus, Ep. 42 ad Marcellam n. 1. 2. („Doceat igitur aliquem negatorem Beelzebub vocasse Christum, et ultro referam gradum, negatorem non posse veniam consequi post ruinam."); Io. Chrysostomus, In Matth. hom. 41, n. 3 (ἡ δὲ τοῦ Πνεύματος βλασφημία οὐκ ἀφεθήσεται, οὐδὲ μετανοοῦσι). Cf. Morinus, De administr. poenit. l. 9. c. 28.

Dub. 9. Etiam non habita ratione distinctionis peccatorum in peccata contra Spiritum s. et reliqua Patres affirmarunt esse peccata irremissibilia. Velut Pacianus, Paraenes. ad poenit. n. 5: Quid vero faciet contemptor Dei? Quid aget sanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placare Deum desertor ipsius poterit, aut conservare sanguinem suum, qui fudit alienum, aut redintegrare Dei templum, qui illud fornicando violavit? Ista sunt capitalia, fratres, ista mortalia . . . Haec quicumque

post fidem fecerit, non videbit faciem Dei . . . Quid quaeritis sera solatia? Tunc decuit, cum licebat. Dura ista vox est, sed qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt. — Similiter loquitur Auctor operis de lapsu virginis consecratae n. 34. 37. 38: Sed quanta putas, et qualis necessaria poenitentia? Quae aut aequet crimina, aut certe excedat . . . . Grandi plagae alta et prolixa opus est medicina; grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem . . . Tu, quae iam ingressa es agonem poenitentiae, insiste misera; fortiter inhaere tamquam in naufragiis tabulae, sperans per ipsam te de profundo criminum liberari. Inhaere poenitentiae usque ad extremum vitae, nec tibi praesumas ab humana die veniam dari, quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit. Quae enim proprie in Dominum peccasti, ab ipso solo te convenit in die iudicii exspectare remedium."

Dub. 10. Praeter baptismum sola Eucharistia ut sacramentum peccatorum remittendorum agnoscebatur. Id clarissime testatur Ambrosius, De poen. l. 2, c. 3, n. 18: „Sicut ergo semel pro nobis immolatus est, ita quotiescumque peccata donantur, corporis eius sacramentum sumimus, ut per sanguinem eius fiat peccatorum remissio. Similia tradit Origenes, In Numer. hom. 10, n. 2.

Dub. 11. Patres negaverunt post baptismum locum esse peccatorum remissioni. Athanasius (Ep. 4. ad Serap. n. 9) testatur Origenem et Theognostum existimasse illam esse in Spiritum s. blasphemiam, cum ii, quibus baptismo donum Spiritus sancti tribuitur, ad peccata recidunt, ideoque illos remissionem non consecuturos. Verba autem Origenis haec sunt (De princ. 4, c. 3, n. 7): „qui autem dignus iam habitus est sancti Spiritus participatione et retro fuerit conversus, hic re ipsa et opere blasphemasse dicitur in Spiritum s.; cf. c. 3, n. 2; In Levit. hom. 2, n. 4. — Similiter Zacchaeus, Consultationum l. 2, c. 18 docet excepto baptismo et martyrio non esse ullum medium, quo peccata ita tollantur, ut non „reviviscant", „si fuerint repetita"; ita autem tolli vel potius tegi per poenitentiam. (Mat. 16, 19).

Dub. 12. Patres docuerunt omnem remissionem peccatorum fieri per baptismum. Augustinus, Ep. 185, n. 39: „Quidquid ab eis, qui post acceptum baptismum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur, quarumcumque culparum, propter [al. per] ipsum lavacrum dimittitur". Idem, De nupt. et concup. l. 1, n. 38: „Ipso [baptismate], quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur". Cf. De grat. et pecc. orig. l. 2, c. 39. 40. Ad Bonifac. l. 3, c. 3. Contra Iulian. l. 6, c. 13 s. — Fulgentius, De fide ad Petrum n. 71 dicit „nullum hominem accepturum vitam aeternam, qui non hic a malis suis fuerit per poenitentiam [al. misericordiam] fidemque conversus, et per sacramentum fidei et poenitentiae, id est per baptismum liberatus". Nec potest aliter intelligi quod v. g. Ambrosius docet (De fide resurr. l. 2, c. 117): Omnes, qui sacrosanctae ecclesiae copulati divini nominis appellatione censentur, praerogativam resurrectionis et delectationis aeternae gratiam consequentur" et In Ps. 118, c. 13. 14, nec id, quod Cyprianus affert inter Sententias episc. . . . de haeret. baptiz.: „Si haereticis in baptismo sua peccata donantur, sine causa ad ecclesiam veniunt. Nam cum in die iudicii peccata sunt, quae puniuntur, nihil est, quod timere possint haeretici de iudicio Christi, si sunt remissionem peccatorum consecuti".

Tamen certo constat: 1⁰. Patribus fuisse persuasum, esse diversum a baptismo medium ad quorumvis peccatorum remissionem consequendam. Ex comparatione autem huius remedii cum baptismo conici potest, id ab eis haberi potestatem peccata remittendi. Cf. Augustin., Ep. 228 ad Honoratum n. 8. 9; Ep. 98 (al. 23) ad Bonifac.: Tertullian., De poenit., c. 7; c. 12. Hieron., Dial. adv. Pelag. l. 1, n. 33; In Sophon. 1, 10; Ep. 84, n. 6; Epiphan. Haer. 59, n. 2. 9; Athanas., Fragm. c. Novatianos; Theodoret., Epitome divin.

decretor. c. de poen. (*μυστήρια*): In Gal. 4, 19; Gregor. Naz. Or. 39, n. 17: Or. 40, n. 32; Caesar. (?), Serm. 260 n. 1 in append.; Philastrius, Haer. 89. Ioannes Dam., De fide orthod. l. 4, c. 9. In qua argumentatione attendendum est baptismum iterari valide non posse dogma fuisse: id quod ne rebaptizantes quidem negabant. — Quod secundum remedium laboriosius vocatur, ex eo non sequitur non intelligi sacramentum poenitentiae, sed virtutem. — Concedimus non ex quavis oppositione hanc argumentationem institui posse. (Cf. Ambros., De Abrah. l. 1, c. 87).

2⁰. Praeterea medium illud (a baptismo distinctum) potestatem esse remittendi ecclesiae communicatam expressis verbis dicunt: Ambrosius, De poen. l. 1, c. 8, n. 36: „Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est: quid interest, utrum per poenitentiam an per lavacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est". Cf. l. 2, c. 2, n. 12. — Pacianus, Ad Sympronian. ep. 3, n. 7: Sed poenitenti, inquies, peccata dimittis, cum tantum in baptismate tibi liceat relaxare peccatum. Non mihi plane, sed Deo soli, qui et in baptismate donat admissum, et poenitentium lacrimas non repellit. Ceterum quod ego facio, id non meo iure, sed Domini . . . Quare sive baptizamus, sive ad poenitentiam cogimus, seu veniam poenitentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus. Cf. ep. 1, n. 6. — Athanasius, Fragm. (ut videtur) ex op. contra Novatianos: *Ὥςπερ ἄνθρωπος ὑπὸ ἀνθρώπου ἱερέως βαπτιζομένου φωτίζεται τῇ τοῦ ἁγίου Πνεύματος χάριτι, οὕτως καὶ ὁ ἐξομολογούμενος ἐν μετανοίᾳ διὰ τοῦ ἱερέως λαμβάνει τὴν ἄφεσιν χάριτι Χριστοῦ.* — Augustinus, Serm. 351, n. 12: „Sed fac incertum esse, utrum ignoscat Deus. Quid perdit, cum supplicat Deo, qui salutem perdere non dubitavit, cum offenderet Deum? Quis enim certus est, quod etiam imperator ignoscat? Et tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarum incerta subeuntur: et paene ut mors evitetur, mors ipsa suscipitur. Supplicatur deinde per homines homini; sine dubitatione fiunt ista, cum sit dubium, quo fine proveniant. Et tamen certiores sunt claves ecclesiae quam corda regum; quibus clavibus quodcumque in terra solvitur, etiam in caelo solutum promittitur (Mt. 16, 19). Et multo est honestior humilitas, qua se quisque humiliat ecclesiae Dei; et labor minor imponitur, et nullo temporalis mortis periculo mors aeterna vitatur". (Cf. Ambros., De poen. l. 1, n. 33). De adult. coni. l. 2. c. 16: „Si a catechumeno factum est [homicidium], baptismo abluitur, et si a baptizato, poenitentia et reconciliatione sanatur". — Cyrillus Alex., In Io. 20, 22. 23: *Ἀφιᾶσί γε μὴν ἁμαρτίας ἤτοι κατέχουσιν οἱ πνευματοφόροι κατὰ δύο τρόπους, κατά γε διάνοιαν ἐμήν. Ἢ γὰρ καλοῦσιν ἐπὶ τὸ βάπτισμα τοὺς οἷς ἂν ἤδη καὶ τούτου τυχεῖν ὠφείλετο διὰ τὴν τοῦ βίου σεμνότητα καὶ τὸ δεδοκιμασμένον εἰς πίστιν, ἢ διακωλύουσί τινας, καὶ τῆς θείας χάριτος ἐξείργουσιν ἔτι οὔπω τέως γεγονότας ἀξίους. Ἢ καὶ καθ' ἕτερον τρόπον ἀφιᾶσί τε καὶ κρατοῦσιν ἁμαρτίας, ἐπιτιμῶντες μὲν ἁμαρτάνουσι τοῖς τῆς Ἐκκλησίας τέκνοις, μετανοοῦσι δὲ συγγινώσκοντες.* — Cf. Victor Vitensis, De persec. Vandal. l. 2, n. 11.

Ad dub. 1. igitur respondemus: Quomodo ista dicta intelligenda sint optime patet ex Ambrosio ipso, De poen. l. 1, c. 2, n. 7: „Sed aiunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Immo nulli maiorem iniuriam faciunt, quam qui eius volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in evangelio suo dixerit Dominus Iesus: »Accipite Spiritum s.: quorum remiseritis....« quis est ergo, qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit?“ — Io. Chrysost., l. c. sicut potestatem baptizandi omittit, ita et poenitentiam; voluit enim loqui de eis, quae apostoli labore suo ad hominum salutem conferunt. — Augustinus l. c. declarat, quid impugnet: „Daturus erat Dominus Spiritum s., et ab ipso Spiritu s. fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intelligi.

Ad 2. Origenes etiam baptismum recenset inter haec media; qui tamen certe est necessarius.

Maiorem difficultatem parat Io. Chrysostomus. Nam quomodo dici possit illis locis, qui allati sunt, excludi tantum poenitentiae publicae necessitatem non videmus. Nam nihil iuvat probare usum locutionis (non communem; cf. Afrem, De panoplia VII. etc.) confiteri Deo pro confiteri sacerdoti (Χριστῷ διὰ τῶν ἱερέων; cf. Tournely, De sacr. poen. qu. 6, a. 2, pag 81 s.; Hurter, Theol. dogm. comp. t. III., n. 492, 3; ubi afferuntur Anastasii Sin., Egberti, poenitentialis Ioannis leiunatoris, poenitentialis Andegavensis, euchologii graeci, alia testimonia); nec magis iuvat quaerere, cur moneat (non semper: cf. v. g. In Ps 50), ut confiteantur Deo in ecclesia; nec ad contrarios locos provocare. Non enim inveniuntur satis evidentes. Affertur imprimis, De sacerd. l. 3, n. 5: Ἔχουσι μὲν γὰρ οἱ κρατοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς τὴν τοῦ δεσμεῖν ἐξουσίαν, ἀλλὰ σωμάτων μόνον· οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανούς· καὶ ἅπερ ἂν ἐργάσωνται κάτω οἱ ἱερεῖς, ταῦτα ὁ Θεὸς ἄνω κυροῖ, καὶ τὴν τῶν δούλων γνώμην ὁ Δεσπότης βεβαιοῖ. Καὶ τί γὰρ ἀλλ' ἢ πᾶσαν αὐτοῖς τὴν οὐράνιον ἔδωκεν ἐξουσίαν; Ὧν γὰρ ἄν, φησιν, ἀφῆτε . , . Τίς ἂν γένοιτο ταύτης ἐξουσίας μείζων; Πᾶσαν τὴν κτίσιν ἔδωκεν ὁ Πατὴρ τῷ Υἱῷ· ὁρῶ δὲ πᾶσαν αὐτὴν τούτους ἐγχειρισθέντας ὑπὸ τοῦ Υἱοῦ. Qui locus primo aspectu rem videtur evincere. Sed reapse Io. Chrys. intellexit eum de potestate baptizandi; num etiam de potestate, de qua agitur, hoc quaeritur; nam si postea dicit (n. 6): Οὗτοι δὲ καὶ κάμνουσαν καὶ ἀπόλλυσθαι μέλλουσαν τὴν ψυχὴν πολλάκις ἔσωσαν, τοῖς μὲν προτέραν τὴν κόλασιν ἐργασάμενοι, τοὺς δὲ οὐδὲ παρὰ τὴν ἀρχὴν ἀφέντες ἐμπεσεῖν, οὐ τῷ διδάσκειν μόνον ἀλλὰ καὶ τῷ δι' εὐχῶν βοηθεῖν. Οὐ γὰρ ὅταν ἡμᾶς ἀναγεννῶσι μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ μετὰ ταῦτα συγχωρεῖν ἔχουσιν ἐξουσίαν ἁμαρτήματα. Ἀσθενεῖ γάρ τις, φησὶν, ἐν ὑμῖν; προσκαλ . . . “ probandum est veram retinendi potestatem, quae non consistat solum in non docendo et non supplicando, eum superioribus verbis (non verbis de unctione infirmorum) intellexisse. Certum quidem est ex comparatione cum baptismo rem reddi probabilem nec potestatem baptizandi esse sacerdotum propriam aut solam declarationem remissorum peccatorum tantae esse dignitatis; sed cum oratoris dicta premi non possint, nec id quaeratur, quid docere debuerit sed quid manifesto docuerit, res sane explorata non est. Nec alii loci plus videntur valere. In Op. impf. in Mt., hom. 3, c. 3, ubi Deum nos iubentem facit confiteri peccata nostra, ut verecundiam patiamur pro poena, proxime loquitur de baptismo; de confessione igitur ea loqui videtur, quae cum baptismo fiebat (cf. de utraque Hom. 10 in Mt. n. 5). Nec in Hom. 5 in illud Vidi Dominum (seu in Oziam), n. 1, ubi locum Mt. 18 de sacerdotum potestate explicat et ita loquitur: Ὁ κριτὴς ἐν τῇ γῇ κάθηται, ὁ Δεσπότης ἕπεται τῷ δούλῳ· καὶ ἅπερ ἂν οὗτος κάτω κρίνῃ, ταῦτα ἐκεῖνος ἄνω κυροῖ. Καὶ μέσος τοῦ Θεοῦ καὶ τῆς τῶν ἀνθρώπων φύσεως ἕστηκεν ὁ ἱερεύς, τὰς ἐκεῖθεν τιμὰς κατάγων πρὸς ἡμᾶς [precibus?], καὶ τὰς παρ' ἡμῶν ἱκετηρίας ἀνάγων ἐκεῖ, ὀργιζόμενον αὐτὸν τῇ κοινῇ καταλλάττων φύσει προσκεκρουκότας ἡμᾶς ἐξαρπάζων τῶν ἐκείνου χειρῶν; nec Hom. 3. de statuis, ubi monet fideles, ut reducant fratres suos a peccatis et se gerant sicut medici: vulnera eorum manifestent sacerdoti; nec Hom. in Eph. 5, 13 (ἂν γὰρ μὴ δήσῃ, τὰ ἄρρηκτα αὐτὸν μένει δεσμά) satis manifesta

testimonia sunt nec ad evertenda supra dicta sufficiunt. Denique accusatio illa Isaacii episcopi in Synodo ad Quercum et usus poenitentiae publicae Antiochiae (cf. Hom. 3. de Davide et Saule, n. 1; Hom. 17 in Mt vers. fin.; Hom. 3. in Eph, n. 4) non probant persuasionem eius de necessitate subiciendi peccata ecclesiae.

Quid igitur respondendum est? „Chrysostomum, licet in illis locis tractet de confessione sacramentali (et secreta), non tamen negare absolutam necessitatem confessionis pro eo tempore, quo praeceptum eius obligare potest; sed solum intendere confessionem non esse necessariam semper in re ipsa ad iustificationem et remissionem peccati; sed per solam interiorem conversionem posse statim hominem iustificari. Huius autem rei signum esse potest, quia in multis ex dictis locis tractat Chrysostomus de quotidiano examine conscientiae et hortatur fideles, ut statim exeant ab statu peccati, ad quod ait non esse necessarium statim confiteri. Cui explicationi consonat can. 33. concilii Gabillonensis 2.“ Suarez, De poen. disp. 17, s. 2, n. 40. — Cf. Slav. litt. theol. II, p. 110 (contra A. Šost'in).

Ambrosii mentem a nostra minime alienam fuisse demonstrari potest; nec tamen tam facile quam videtur. Nam nec locus ille In Ps. 37, c. 11: „Venenum peccatum est, remedium accusatio criminis“, qui aliunde clarescere potest, per se tamen etiam ad accusationem Deo factam facile extenditur, nec In Ps. 40, c. 14 „Vulnus medium quaerit, medicus confessionem exigit,“ de quo idem dicendum est (nam cf. In Ps. 118, c. 11: apud Deum non tacet), nec De parad. c. 71: „Veniabilis culpa, quam sequitur professio delictorum,“ ubi de confessione Deo facta loquitur, nec ulterior locus „Neque enim potest quis iustificari a peccato, nisi fuerit ante confessus“, ubi Isaiae 43, 26 allegat, quem locum In Ps. 37, c. 2 de commemoratione peccatorum explicat et Ps. 118, c. 27 de confessione peccatorum in genere; nec Epist. 67, n. 11, ubi de baptismo agi potest; nec In Ps. 118, c. 5: „Qui autem compungitur, utique delectationem excludit erroris: et qui agit poenitentiam excludit pudorem, sequestrat verecundiam flagitii confitendi, ut recuperandae spem salutis inveniat“, qui licet ceteris praestet, tamen nondum videtur sufficere; hi loci, inquam, non probant contrariam supra positae Ambrosii persuasionem. At l. 1. De poen. c. 2 omne dubium tollit: „Munus Spiritus s., inquit, est officium sacerdotis, ius autem Spiritus sancti in solvendis ligandisque criminibus est; quomodo igitur munus eius vindicant, de cuius diffidunt iure et potestate . . . Tolerabilius igitur Novatianus remitteret, quam ligaret. — Ad locum illum In Luc. 22 notat Io. De Lugo, De sacr. poen. disp. 15, s. 1: „Respondent aliqui Ambrosium ibi solum negare necessitatem confessionis publicae, sed non videtur ad mentem Ambrosii: cuius duplex alius sensus videtur esse in illis verbis. Prior est, quod Petrus non defendit, non excusavit, quod fecerat; non oravit, seu declamavit in causa, ut se tueretur, quod significant illa verba: Lacrimas eius lego, satisfactionem non lego; et sermone 48 addit: lacrimae causam non dicunt, et misericordiam consequuntur. Posterior sensus est, quod Petrus veniam non postulavit verbis, nec aliquid dixit Deo, nisi flere; qui melior et aptior modus est impetrandi, quando sc. cum Deo agitur, quam si venia explicite petatur. Quem sensum explicat Ambrosius verbis sequentibus: Inveni, cur tacuit Petrus, ne tam cito veniae petitio plus offenderet. Ante flendum est, sic precandum. Et in citato sermone addit rationem: solet enim citius mereri indulgentiam, qui verecundius deprecatur“. Denique idem de Lugo ibidem Cassianum dupliciter explicat: primo de confessione publica; secundo de exhortatione ad contritionem ut medium saltem remotum ad impetrandam veniam; subdit enim de omnibus mediis enumeratis: „Quisquis igitur ad indulgentiam suorum criminum desiderat pervenire, istis semetipsum aptare studeat instrumentis . . . quia etiamsi haec omnia fecerimus, non erunt idonea ad expiationem scelerum nostrorum, nisi ea bonitas Domini clementiaque deleverit“.

Ad 3. Duo priores Patres loquuntur de vivificatione „per compunctionis gratiam“ (Gr. M.) postquam nempe Deus „magna gratia“ eum vocavit (Aug.) adhuc reum (Aug.) Cf. August. In Ps 87, n. 10 (viventes curare possunt,

non mortuos excitare). Eadem comparatio a Gregorio Naz. adhibita est de baptismo (Or. 40, n. 33) et Ambrosius (De poen. l. 2, c. 7) ita rem exponit: „Qui iaces in tenebris conscientiae et delictorum tuorum sordibus, quodam reorum carcere, exi foras, delictum proprium prode, ut iustificeris: „Ore enim confessio fit ad salutem". Si confessus fueris a Christo vocatus, claustra rumpentur et omnia solventur vincula . . . Quantuslibet ergo mortui foetor sit, aboletur omnis, ubi sacrum redoleverit unguentum: et resurgit defunctus et solvi iubentur eius vincula, qui adhuc in peccato est. In tanta vero Domini gratia cum oporteret universos laetari, commovebantur impii et adversus Christum concilium congregabant: Lazarum quoque interficere volebant. Nonne merito eorum successores vos [Novatiani] fore cognoscitis, quorum duritiae heredes estis? Nam et vos indignamini et contra Ecclesiam congregatis concilium, quia videtis mortuos in ecclesia reviviscere et peccatorum indulta venia resuscitari". — „Ad verba Hieronymi, quae aliqui falsa existimant, ut Scotus dist. 14, q. 4 ad ult., alii duriora, responderi adhuc potest, ipsum voluisse solum reprehendere et reprimere nimiam licentiam, quam sacerdotes aliqui sibi arrogant admittendi et reiciendi pro libito ab absolutione, contra quos docet eorum potestatem non esse absolutam, sed certis legibus ligatam, quas observare debent, ut eorum sententia valida sit, absolvendo solum eos, quos Deus iudicat absolutione dignos, nimirum per debitam poenitentiam". De Lugo, De sacr. poenit. disp. 13, s. 2, n. 58. „Ad auctoritatem s. Hieronymi dicendum est, quod in leprosis duplex fuerit immunditia, una naturalis et morbi, alia legalis seu legis, quae prohibebat leprosos admitti ad sacra. Iam etsi sacerdotes veteris testamenti primam immunditiam non sustulerint, sustulerunt tamen legalem et secundam immunditiam per sacrificia et alias ceremonias, quibus leprosum non tantum declarabant, sed revera efficiebant mundum. Pari modo etiam in peccatore duplicem immunditiam distingui oportet, unam actualem, quae est caecitas mentis, alteram habitualem, quae est ipsa macula peccati. Primam tollit Deus per se solum, interne illustrando, secundam per suum ministrum in sacramento" Oberdorffer, Theol. Dissert. VII., art. 5, n. 97. Cf. Habert, De sacr. poenit. c. 3.

Ad 4. Concedi potest Patres nonnumquam magis spectasse requisita in confitente; de certitudine illa cf. Augustin., Serm. 351, n. 12 (nota : mors aeterna vitatur); Gregorius Naz. l. c. de poenis videtur loqui.

Ad 5. Firmilianus negat solum remittere sacerdotes peccata pro arbitrio. Idem scripsit ibidem: „Potestas ergo remittendorum peccatorum data est et ecclesiis, quas illi a Christo missi constituerunt, et episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerunt". — Ambrosius vult solum probare Spiritum s. esse Deum, quia peccata remittit ut causa prima. Tantum enim affirmat, quantum probat per sequens „enim".

Ad 6. Idem Augustinus, De bapt. l. 3, c. 18 dicit: „Exaudit Deus homicidam super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur, deprecantem". Nimirum bene notat Gregorius Nyssen., Orat. catechet. c. 34: Οὐδὲ μὴν ἄχρηστον εἶναί τις φήσει τὴν τῶν προςευχομένων σπουδήν, εἰ περὶ τοῦ πάντως ἐσομένου τὸν θεὸν ἱκετεύουσιν

Ad 7. Pacianus loquitur de satisfactione pro peccatis. Cyprianus non docet hunc esse praecipuum satisfactionis usum, ut ecclesiae satisfiat, sed ut Deo satisfiat, id quod totus ille locus ostendit, sicut et tractatus eius de eleemosyna. — De Cypriani doctrina de remissione peccatorum cf. Peters, Der h. Cyprian S. 157 ff. 212 ff. 346.

Ad 8. *a*) „Si haec vera sunt, necesse profecto fuit, ut Patres clarum ac distinctum conceptum haberent huius peccati eumque aliis traderent, ne in administratione sacramenti poenitentiae haerere pluries deberent sacerdotes, et ne limites suae auctoritatis praetergraderentur, aut sine absolutione dimitterent, quos solvere possent. Atqui conceptus clarus atque distinctus huius peccati, qui communis sit Patribus, non reperitur, neque ullo modo iidem se sollicitos produnt definiendi accurate et statuendi ut rem certam, cuiusmodi sit hoc peccatum". Palmieri, De poen. th. 8, V.

b) Patres docent „sine ulla exceptione“ (Ambros., De poen. l. 1, c. 10) poenitentibus peccata remitti posse. Cf. Cyprian., Ep. 52 ad Anton.; Pacian., Ep. 3. ad Sympron.

c) Hermas primo loco allato blasphemantes identificat cum eis, qui in perpetuum a Deo discesserunt (οἱ ἀπεσπασμένοι ἀπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς τέλος); secundo loco probat interitum blasphemorum ex experientia, nullum eorum poenitentiam egisse, etiamsi audierant verba, quae locutus eis erat secundum mandatum acceptum. Denique etiam de iis, qui ex praecordiis (ἐκ καρδίας) inventi sunt denegasse Dominum, tantum dubitat, num possint vivere (sim. 9, n. 26). — Cyprianum aliunde novimus dixisse neminem arcendum esse a spe; locutus est igitur solum de impossibilitate ex impotentia morali ad vere poenitendum oriente. — Hilarii verba potius probant eum non loqui nisi de maxima difficultate, non de impossibilitate. Quaerit enim: Quid enim tam extra veniam est, quam in Christo negare quod sit. Idem Arianos (in Christo Deum negantes) ad unitatem redeuntes recipiebat. — Athanasium adversariis ibi non favere, licet blasphemiam in Spiritum s. vocet indeprecabilem (n. 15) patet ex eiusdem (nisi ei abiudicare velis) De communi nat. Patris et F. et Sp. s. n. 49 (alias Fragm. in Mt): Ἐπισημειώσασθαι δὲ χρή, ὅτι οὐκ εἶπεν ὁ Χριστός· Τῷ βλασφημήσαντι καὶ μετανοήσαντι οὐκ ἀφεθήσεται· ἀλλὰ· Τῷ βλασφημοῦντι, εἴτ' οὖν ἐπιμένοντι ἐνβ λασφημίᾳ Ἡ γὰρ ἀξιόλογος μετάνοια πάντα λύει τὰ ἁμαρτήματα. Idem Ep. 3 ad Serap. n. 7. Τοὺς δὲ, inquit, φιλονεικοῦντας δυσφημεῖν ἔλεγχε· τάχα κἂν ὀφέ ποτε μεταγνόντες, ἀπονίψωσιν ἀπὸ τῆς ψυχῆς ἑαυτῶν τὴν προγενομένην ἐν αὐτοῖς κακόνοιαν. Καλὸν· γὰρ αὐτοὺς κατὰ τὸ γεγραμμένον ἀποπηδῆσαι καὶ μὴ ἐγχρονίσαι· ἵνα μὴ ἐπιμένοντες ἀκούσωσι τὸ εἰρημένον ὑπὸ τοῦ Κυρίου. Ὃς δ' ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου etc. Quod tamen Ep. 4, n. 13 eandem blasphemiae in Spiritum s. irremissibilitatem tueri videtur, quam Novatiani quoad cetera peccata statuebant, notamus quae dicit Collet (Migne, Cursus theol. t. XXII., p. 110): „Quod Novatiani blasphemiam illam omnino irremissibilem esse crederent, hic non attingit s. doctor. Forte, quia necdum examinasset gravitatem peccati contra Spiritum s.; quod utcumque eis subindicat verbis, quae eius ad Serapionem epistolam claudunt . . . Immo non ita difficile crediderim, s. doctorem tunc temporis nonnihil in id propendisse, ut peccatum in Spiritum irremissibile crederet, non equidem ex parte clavium, sed ratione voluntatis, quae Christi propitiatione destituta, in malo confirmata sit. Quanquam suas voces ita temperavit, ut et semper legitimi sensus capaces forent, et ipse, clarius deinceps loquendo, varietatis redargui non posset. — Pacianus ostendit l. c. non omne baptizatorum peccatum esse blasphemiam in Spiritum s. aut irremissibile, sed hanc esse peculiare quoddam peccatum; in eadem epistola scribit (n. 16): „Attende universa peccata, quibus Dominus comminatur; iam videbis esse praesentia“; et iterum: „Quare sicubi constitutam peccantibus poenam probaveris, hoc tenebis, aut peccatis perseverantibus constitutam, aut libertatem Deo relictam mutandae, si poeniteas, ad meliora sententiae“. — Ambrosius priore loco similiter ad hominem argumentatur ac Pacianus; altero loco loquitur de blasphemis ut sunt tales. Idem, De poen. l. 2, c. 25 eos, qui blasphemaverunt Spiritum s., ita hortatur: „Et ideo revertimini ad ecclesiam, si qui vos separastis impie. Omnibus enim conversis pollicetur veniam, quia scriptum est: Omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Denique etiam Iudaeorum populus, qui dicebat de Domino Iesu: daemonium habet; qui dicebat: in Beelzebub eicit daemonia; qui crucifixit Dominum Iesum: Petri praedicatione vocatur ad baptismum, ut sceleris tanti merita deponat.“ — Etiam Hieronymus ad hominem argumentatur; cur autem Novatiani argumenti alteram partem id temporis non expenderit, hanc ipse rationem reddit: Fuerat quidem prolixius disserendum, sed quoniam amicis, et qui ad nostrum hospitiolum convenerunt, praesentiam nostram negare non possumus, et tibi non statim respondere, visum est arrogantis, latam disputationem brevi sermone comprehendimus. — Didymus Alex. ibidem n. 48 haec ait: „Attamen quia naturaliter benignus est et misericors is, qui eos debellaverat, tribuit eis locum poenitentiae, si velint ad meliora con-

verti.“ — Io. Chrysost. eodem loco citato dicit: Καὶ γὰρ αὕτη ἀφείθη μετανοοῦσι. Πολλοὶ γοῦν τῶν ταῦτα εἰρηκότων ἐπίστευσαν ὕστερον, καὶ πάντα αὐτοῖς ἀφείθη. Τί οὖν ἐστι ὃ φησιν; Ὅτι ὑπὲρ πάντα αὕτη ἡ ἁμαρτία ἀσύγγνωστος. Cf. In Hebr. hom. 31, n. 2. — Ceterum praeter eos, quos in explicatione textus illius commemoravimus, positive excludunt intelligi ibi peccatum aliquod, ad quod ecclesiae potestas se non extendat: Augustinus, In Rom inchoat. expos. n. 22; Serm. 71, n. 8. 20; Enchir. c. 83. Ep. 185, n. 48 ss. Leo M.: Serm. 75, c. 4.

Ad 9. Ad testimonium Paciani „respondemus *a*) incredibile esse, quod catholicus episcopus labente saeculo quarto post proscriptam novatianam haeresim docuerit haec tria delicta post baptismum esse irremissibilia, et quidem non solum ab ecclesia, sed etiam a Deo. Nam hic non facit mentionem ecclesiae, sed simpliciter dicit haec crimina compensari non posse . . . Rursus incredibile est episcopum in sermone, in quo oves sibi creditas ad poenitentiam hortatur, tot velle e contrario in desperationis barathrum conicere. Et sane *b*) alia est prorsus sententia Paciani. Distinguit scilicet crimina in duas classes, „ne quis (ut ipse ait n. 2) existimet omnibus omnino peccatis summum discrimen impositum“ h. e. in ea, quae meliorum operum compensatione curantur, quin opus scilicet sit remedio publicae et sollemnis poenitentiae; et in ea, quae poenitentiae indigent remedio. Haec quidem oratorie exaggerat ad eorum malitiam patefaciendam; at poenitentia expiari posse et debere clare docet sequentibus. Ait enim n. 6: „Ergo, inquiet aliquis, perituri sumus . . .?“ Respondet his Pacianus: „accipite remedium, si desperare coepistis, si miseros vos agnoscitis, si timetis. Vos ergo primum appello fratres, qui criminibus admissis poenitentiam recusatis“ etc.: pergens hortari ad poenitentiam. Iam vero haec dicuntur iis, ut ex immediato contextu patet, qui interrogaverant, an perituri essent, iique sunt, qui aliquod ex illis tribus criminibus admiserant; cum praesertim pro aliis criminibus curandis non poenitentiam, sed meliorum operum compensationem Pacianus proposuerit.“ Palmieri, De poen. th. 9, III., b. p. 92 s. — Auctor illius operis, si explicari nequeat, fuit Novatianus nec nos turbabit. Ceterum Chr. Pesch, Prael. t. 7, n. 44 censet illud dictum esse per exaggerationem rhetoricam; alii culpae gravissimae solutionem pro die demum mortis promissam intelligi coniciunt.

Ad 10. Ex eodem loco sequeretur (si ita intelligendus esset) nec per baptismum peccata remitti. „Si Ambrosius loquitur de poenitentibus publicis, dum dicit, eos sumere sacramentum, dum absolvuntur, loquitur de ultima absolutione, quae a Patribus vocatur absolute condonatio et absolutio; quia ea erat plena et totalis et post ipsam non agebatur amplius cum poenitente tamquam cum reo. Si loquitur de poenitentibus secretis, hi certe statim post absolutionem secretam communicabant.“ Francolinus, Clericus rom. disp. 11, n. 27.

Ad 11. Qualis impossibilitas hic asseri potuerit collige ex eis, quae in demonstranda quarta parte ex Origene afferemus et ex eo, quod In Mt tom. 15 versus fin. docet: Καὶ οὔ φαμὲν ταῦτα, ἀποτρεπόμενοι ἀνίστασθαι τοὺς πεπτωκότας ἢ ἐπαναστρέφειν τοὺς πεπλανημένους ἢ παλινδρομεῖν ἐπὶ τὸν πατρῷον οἶκον τοὺς καταστωτευσαμένους τὴν τῆς εὐαγγελικῆς διδασκαλίας οὐσίαν. Cf. etiam Hom. 2. in Levit., n. 4; Est adhuc et septima . . . Ceterum Athanasius an doctrinam illorum assecutus non esset dubitabat, ambiguitatem tollebat.

Ad 12. Augustinus tantum affirmat, quantum probat adiuncta ratione: „Quid enim prodesset vel ante baptismum poenitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea nisi praecederet?“ Idem Ep. 98 (al. 23) ad Bonifacium, n. 2. dicit: „Semel perceptam Christi gratiam parvulus non amittit, nisi propria impietate . . . Tunc enim propria incipiet habere peccata, quae non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur.“ Cf. Ep. 228; Enchir., c. 46; Serm. 351. c. 5. — Fulgentius loquitur de necessitate poenitentiae baptismalis pro „maioribus“ i. e. adultis et ideo baptismum vocat sacramentum fidei et poenitentiae.

III. p. Doctrina dámnata Novatianorum (et Montanistarum).

Dub. 1. In controversia cum Novatianis non agebatur de sacramento poenitentiae. Alioqui non potuisset Gregorius Naz. Or. 39, n. 19 dicere: Εἰ δὲ ἀμφίβολον, νικάτω τὸ φιλάνθρωπον.

Dub. 2. Agebatur tantum de virtute poenitentiae; id patet ex modo, quo argumentabantur adversarii; velut Cyprianus, Ep. 59; Gregor. Naz., Or. 39, n. 18.

Dub. 3. Novatiani negaverunt Deum velle peccatores suscipere, eis ignoscere. Ita enim Cyprianus argumentatur Ep. 98. Et tu iam Novatiane iudicas et nullam spem pacis ac misericordiae habere lapsos praedicas... dicendo, quod poenitentia lapsorum sit vana, nec possit eis proficere ad salutem.

Dub. 4. Novatiani putabant ne Deum quidem posse peccata graviora baptizatis dimittere. Ambrosius, De poen. l. 1, c. 11: „Quae autem ista perversitas est, ut vobis vindicetis possibilia concessu, Deo, ut ipsi dicitis, impossibilia reservetis? Hoc est sibi eligere causas ignoscendi, Deo materiam saeviendi relinquere.“

Dub. 5. Novatiani tantum poenam ecclesiasticam irremissibilem esse dicebant. Ambrosius, De poen. l. 1, c. 10: Ligare poenitentiam dare; hoc Novatiani volebant, quia solvere se non posse putabant.

Dub. 6. Novatiani tantum negaverunt recipi posse peccatores in ecclesiam et ad sacramenta admitti. Nam poenitentia agitur „emerendi gratia sacramenti“ et ab Eucharistiae susceptione Novatiani reos criminum capitalium excludebant. „Quomodo igitur potest qui famem patitur animae suae, studiosius Deum precari, si sacram desperet alimoniam?“ Ambros., De poen. l. 2, c. 3, n. 16; cf. l. 1, c. 1, n. 4. Io. Chrysost., In Hebr. hom. 20, n. 1: Οὗτοι δὲ (οἱ τὴν μετάνοιαν ἀναιροῦντες) [λέγουσιν] οὐκ ἀσφαλὲς εἶναι μεταδοῦναι μυστηρίων τοῖς ἡμαρτηκόσιν, εἴ γε μὴ ἔστιν ἄφεσις δευτέρα.

Dub. 7. Novatiani statuebant potestatem ligandi, quam adversarii eorum negaverunt. Cyprianus, De virginib. ad Pompon. (58): „Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit et nemini salus esse, nisi in ecclesia possit“.

Verum re ipsa Montanistae (cf. v. g. D' Alès, La Théologie de Tertullien. Paris 1904, ch. 9) et Novatiani haeretici censebantur propterea, quod negabant potestatem remittendi peccata (saltem graviora) commissa contra Deum post baptismum. Quid enim ageretur, praeclare Ambrosius indicavit: „Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est: quid interest, utrum per poenitentiam, an per lavacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est.“ De poen. l. 1, c. 8, n. 36. „Novatiani claves regni non suscipiunt, negantes, quod dimittere peccata debeant.“ De poen. l. 1, n. 33. Igitur non agebatur

a) de possibilitate condonationis divinae. Cf. Socrates, Hist. eccl. l. 4, c. 13 (al. 28); Tertullian., De pudic. c. 19; Ambrosius, De poen. l. 1, c. 2.

b) nec de sola potestate eos, qui peccarunt ad sacramenta admittendi, in ecclesiam recipiendi. Nam qui hanc negarunt, negarunt certe et potestatem peccata remittendi sensu stricto; et vice versa, qui eam affirmabant, necessario ecclesiae vim tribuebant peccata dimittendi, cum alioqui poenitentes indigne accederent ad communionem; cf. hac de re p. IV. Praeterea catholici ita argumentabantur: Si qua poenitentia careat venia, iam nec in totum agenda est. Nihil enim agendum est frustra. „Merito (ait Tertullianus) utique ita opponunt, quoniam huius quoque poenitentiae fructum, i. e. veniam, in sua potestate usurpaverunt,“ sc. eam veniam, quam Tertullianus soli Deo asserebat con-

venire. Et cum haec potestas opponeretur baptismo, certe non de qualicumque receptione agebatur. Cf. Gregor. Naz. Or. 39, 18.

c) nec de potestate peccatorum remissionem solum declarandi. Nam *α*) in baptismo, quocum comparabatur haec potestas, remissio non annuntiatur modo, sed efficitur; *β*) plerique distinguebant inter peccata irremissibilia et remissibilia: unde non potuit agi de potestate merae annuntiationis; *γ*) Tertullianus, De pudic. c. 18 (iam Montanista) „Quodsi, inquit, clementia Dei ignorantibus adhuc et infidelibus competit, utique et poenitentia ad se clementiam invitat, salva illa poenitentiae specie post fidem, quae aut levioribus delictis veniam ab episcopo consequi poterit, aut maioribus et irremissibilibus a Deo solo.“ Cf. Ambros., De poen. l. 2, n. 58.

d) nec de solis peccatis ecclesiasticis remittendis, sed de offensis contra Deum; nam *α*) potestas illa, de qua agitur, opponebatur baptismo: atqui per baptismum peccata proprie dicta seu theologica remitti omnibus persuasum erat; *β*) saltem nonnulli Novatiani argumentabantur inde, quod solus Deus possit dimittere peccata: sane in ipsum perpetrata. Cf. Ambros., De poen. l. 1, c. 2, n. 6.; *γ*) cf. Ambros. De poen. l. 1, n. 87—92 (Remuneratio igitur praesentium, testimonium futurorum est).

e) nec de peccatis levioribus tantum, sed praecise de gravioribus et gravissimis.

f) nec de potestate baptizandi; nam peccata per baptismum deleri eaque omnia nemo negabat. „Secundas nuptias non admittunt, poenitentiam denegant.“ August., De haer. n. 38.

g) nec de peccatis tempore apostolorum commissis.

Atqui cum eorum sententia damnata sit, sequitur Christianos potestatem a nobis statutam antiquitus agnovisse.

Damnati autem sunt Novatiani imprimis in synodo Romana anno 251 (Euseb., Hist. l. 6, c. 43): in Africa, quod testatur epistola synodica (inter Cyprianicas n. 54): in Cappadocia, ut ad Cyprianum scribit Firmilianus; Alexandriae, ut ex Dionysio commemorat Eusebius l. 7, c. 8. Omnes ecclesias ita sensisse Apollinaris ap. Euseb., Hist. l. 4, c. 27 testatur.

Item Patres illius aetatis una quasi voce doctrinam eorum impugnabant. Ambrosius in l. de poen. passim: Augustinus, Ep. 93, n. 42; Serm. 352, n. 9: Cyprianus, Ep. 52 (ad Antonian.) n. 27 ss.; cf. Ep. 54. 57. 67; Dionysius Alex., Ep. 9; Eusebius, Hist. l. 6, c. 43; Epiphanius, Haer. 59, n. 1: Fulgentius, De rem. peccator. l. 1, c. 23; Hilarius, In Mt 18, n. 10; Pacianus, Ad Sympron. ep. 3, n. 12; Petrus Chrysologus, Serm. 84, alii.

IV. p. Usus, qui in primis saeculis viguit.

Dub. 1. Falso supponitur receptionem in ecclesia idem valuisse ac remissionem peccatorum. Nam eodem modo probaretur etiam diaconos habuisse potestatem peccata remittendi. Scripsit enim Cyprianus, Ep. 48: „Vel si presbyter repertus non fuerit et urgere exitus coeperit, ante diaconum quoque exomologeses facere delicti sui possint, ut manu eis in poenitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace“. Et Augustinus Enchir. c. 65 expresse dicit poenitentiae tempora a praepositis ecclesiae constitui, „ut fiat satis etiam ecclesiae“.

Dub. 2. Apostolus, cum incestum Corinthium ligavit primum ac deinde absolvit, tota clavium potestate usus est. Atqui tamen illud apostoli ministerium omnino externum fuit, non tetigit illud, quod dicimus, conscientiae forum. Neque enim absens absentem interius absolvere potuit.

Dub. 3. Reconciliatio tantum vim precum habuit, nec aliud probari potest.

Dub. 4. Apostoli certe eam tantum praedicabant poenitentiam, quam prophetae, ut patet ex Act 10, 43.

Dub. 5. Quomodo apostoli de potestate sua iudicarint eamque exercuerint, colligitur ex Act 8, 22.

Dub. 6. Poenitentia publica, quam viguisse constat, tantum ad hoc fuit, ut scandalum puniretur; nec aliud inde probari potest. Nam sane nemo dicet Iudaeorum „presbyteros" (quos Christiani imitati sunt), cum in synagogis eundem vel simillimum usum servarent, habuisse potestatem clavium.

Dub. 7. Solius baptismi vi peccata remittebantur, unde usus aquae lustralis ad peccata remittenda in ecclesiis ortus est („Νίψον ἀνομήματα, μὴ μόναν ὄψιν").

Dub. 8. Usus certe is fuit, ut praeter poenitentiam publicam (cui tantum canonica crimina subiciebantur) sola correptio et virtus poenitentiae exerceretur, licet delicta mortalia fuerint. Augustinus, De symb. ad catech. c. 7, n. 15: „Tribus modis remittuntur peccata in ecclesia: in baptismate, in oratione, in humilitate maiore poenitentiae. Et Ep. 265 ad Seleucianum n. 2: „Quod autem Petrus dicitur egisse poenitentiam, cavendum est, ne ita putetur egisse, quomodo agunt in ecclesia, qui proprie poenitentes vocantur. Et quis hoc ferat, ut primum apostolorum inter tales poenitentes numerandum putemus? Poenituit enim eum negasse Christum, quod eius indicant lacrimae; sic enim scriptum est, quia flevit amare". Cf. Serm. 352, c. 30; Gennadius, Dogm. eccl. c. 53.

Dub. 9. Primis ecclesiae temporibus saltem quaedam peccata non remittebantur. Cf. S. I. Smirnov, Kto soveršal tainstvo pokajanija v drevnej cerkvi? (Bogosl. Věstnik 1906, I., p. 475 [1]). Nam

a) Concilium Eliberitanum (a. 300?), can. 46 definit: „Si quis fidelis apostata, per infinita tempora ad ecclesiam non accesserit, nec in fine eum communionem accipere"; idem de Flaminibus c. 2; tum c. 3: „Item Flamines . . ., si post poenitentiam fuerint moechati, placuit ulterius his non esse dandam communionem, ne lusisse de dominica communione videantur"; cf. can. 22: „Si quis de catholica ecclesia ad haeresim transitum fecerit, rursusque recurrerit, ei poenitentia non denegetur, et post decem annos praestari communio debeat"; cf. can. 69 (reconciliare = dare communionem). Denique analogus est can. 68: „Catechumena, si per adulterium conceperit et praefocaverit, placuit eam in fine [vitae] baptizari". Hinc iudica!

b) Concilium Ancyranum (a. 314) negavit can. 21.22 quibusdam peccatoribus reconciliationem.

b) Tertullianus testatur novitatem decreti, quo primum pax moechis promissa est, durante exclusione homicidarum et idololatrarum a venia. De pudic. c. 1: „Audio edictum esse propositum, et quidem peremptorium. Episcopus episcoporum edicit: Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto". Ibid. c. 5: „Assistit idololatres, assistit homicida, in medio eorum assistit et moechus, pariter de poenitentiae officio sedent, in sacco et cinere inhorrescunt, eodem fletu gemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eandem invocant matrem. Quid agis, mollissima et humanissima disciplina? aut omnibus eis hoc esse debebis: „beati enim pacifici", aut si non omnibus, nostra esse. Idololatram quidem et homicidam semel damnas, moechum vero de medio excipis, idololatrae successorem, homicidae antecessorem, utriusque collegam? Personae acceptatio est!" Et cap. ult. sic rem totam colligit: „Quaecumque aucto itas, quaecumque ratio moecho et fornicatori pacem ecclesiasticam reddit, eandem debebit et homicidae et idololatrae poenitentibus".

d) Auctor Philosophumenon l. 9, n. 12 haec narrat de Callisto I.: „Πρῶτος τὰ πρὸς τὰς ἡδονὰς τοῖς ἀνθρώποις συγχωρεῖν ἐπενόησε, λέγων πᾶσιν ὑπ' αὐτοῦ ἀφίεσθαι ἁμαρτίας.

e) Cyprianus disciplinam priorem laxavit. Nam Ep. 55 ait: „Vix plebi persuadeo, immo extorqueo, ut tales patiantur admitti". Cf. Ep. 52, n. 3. Quam tamen severus fuerit collige ex Ep. 13, n. 1 s.; Ep. 52, n. 23.

f) Similiter Romae laxata est disciplina tempore Cypriani, ut patet ex epistola cleri Romani ad Cyprianum (inter Cyprian. Ep. 31), ubi dubitabant, num venia lapsis esset danda.

g) Origenes, De oratione n. 28, v. fin.: Ἂν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας κ. τ. λ. Εἰ δέ τις ἀβασανίστως ἐκλαμβάνει ταῦτα, ἐγκαλέσαι τις ἂν τοῖς ἀποστόλοις μὴ πᾶσιν ἀφιεῖσιν, ἵνα πᾶσιν ἀφεθῇ, ἀλλά τινων τὰς ἁμαρτίας κρατοῦσιν, ὡς δι' αὐτοὺς καὶ παρὰ θεῷ κρατεῖσθαι αὐτάς· χρήσιμον δὲ παράδειγμα ἀπὸ τοῦ νόμου λαβεῖν, πρὸς τὸ νοηθῆναι τὴν δι' ἀνθρώπων ἄφεσιν ὑπὸ θεοῦ γινομένην ἀνθρώποις ἁμαρτημάτων· οἱ κατὰ νόμον ἱερεῖς κωλύονται περί τινων προσφέρειν ἁμαρτημάτων θυσίαν, ἵνα ἀφεθῇ τοῖς περὶ ὧν αἱ θυσίαι, τὰ πλημμελήματα, καὶ οὐδέπου τὴν περί τινων ἐξουσίαν ὁ ἱερεὺς ἀκουσίων ἢ πλημμεληματων ἀναφορὰν ἔχων, ἤδη και περὶ μοιχείας, ἢ ἑκουσίου φόνου, ἤ τινος ἄλλου χαλεπωτέρου πταίσματος προσφέρει ὁλοκαύτωμα, ἢ περὶ ἁμαρτίας . . . Οὐκ οἶδ' ὅπως ἑαυτοῖς τινες ἐπιτρέψαντες τὴν ἱερατικὴν ἐπιστήμην, αὐχοῦσιν ὡς δυνάμενοι καὶ εἰδωλολατρείας συγχωρεῖν, μοιχείας τε καὶ πορνείας ἀφιέναι, ὡς διὰ τῆς εὐχῆς αὐτῶν περὶ τῶν ταῦτα τετολμηκότων λυομένης καὶ τῆς πρὸς θάνατον ἁμαρτίας· οὐ γὰρ ἀναγιγνώσκουσι τό· ἔστιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον, οὐ περὶ ἐκείνης λέγω, ἵνα τις ἐρωτήσῃ. Cf. F. X. Funk, Kirchengesch. Abhandl. I., p, 159, 163, 175 s. Cf. etiam quae Eusebius narrat de Dionysio Alexandrino.

h) Gregorius Thaumaturgus in Ep. canonica, c. 7. docet prioribus temporibus homicidas ab omni poenitentia et venia exclusos fuisse.

i) Talem vel similem saltem disciplinam olim viguisse doctissimus quisque theologus et historicus docet: Albaspinaeus (De vet. eccl. ritib. observat. l. II., 9. 11. 15. 17), Petavius, Arnaldus, Morinus, Duguetus, Natalis Alexander, Christianus Lupus, Sirmondus (Hist. poen. publ. c. 1.), Witasse, Musson, Bingham, Martene, Funk, Kolberg, Batiffol, Hagemann (Die röm. Kirche u. ihr Einfluss. S. 52 ff.), Fechtrup (Theol. Quartalschrift. Tüb. 1872, S. 430 ff.) etc.

Dub. 10. Saltem clinicis, i. e. iis, qui veniam tantum moribundi sincere petebant, negabatur (Cf. Morinus, De disciplina in admin. poenit. l. X., c. 1). Nam

a) Cyprianus, Ep. 52. ad Antonianum n. 23 scribit: „Idcirco poenitentiam non agentes nec dolorem delictorum suorum toto corde et manifesta lamentationis suae professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis et pacis, si in infirmitate atque in periculo coeperint deprecari; quia rogare illos non delicti poenitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte recipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum".

b) Concilium Arelatense I. (a. 314) can. 22. haec statuit: „De his, qui apostatant et nunquam se ad ecclesiam repraesentant, ne quidem poenitentiam agere quaerunt et postea infirmitate arrepti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint et egerint dignos fructus poenitentiae". Nec sane petent Eucharistiam ante absolutionem.

c) Innocentius I., Ep. 6. ad Exsuperium, ep. Tolosanum, n. 5. s.: „De his [clinicis] observatio prior durior; posterior interveniente misericordia, inclinatior. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur poenitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebrae persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa poenitentia, ne totum penitus negaretur, et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem

ecclesiis suis reddidit, iam depulso terrore communionem dari abeuntibus placuit et propter Domini misericordiam quasi Viaticum profecturis, et ne Novatiani haeretici negantis veniam asperitatem et duritiam sequi videamur. Tribuitur ergo cum poenitentia extrema communio, *ut* homines huiusmodi vel in supremis suis poenitentes, miserante Salvatore nostro a perpetuo exitio vindicentur".

Dub. 11. Saltem relapsis in nova crimina venia non concedebatur. (Cf. Smirnov in Bogosl. Věstnik 1906, I., 488). Nam

a) Concilium Toletanum III., (a. 589) can. 11. statuit: „Quoniam comperimus per quasdam Hispaniarum ecclesias, non secundum canonem, sed foedissime pro suis peccatis homines agere poenitentiam, ut quotiescumque peccare libuerit, toties a presbytero se reconciliari expostulent; et ideo pro coërcenda tam exsecrabili praesumptione, id a sancto concilio iubetur, ut . . . hi vero, qui ad priora vitia, vel intra poenitentiae tempus, vel post reconciliationem relabuntur, secundum priorum canonum severitatem damnentur.

b) Concilium Eliberitanum, can. 3. et 7. statuit eos, qui „acta poenitentia denuo fuerint fornicati, communionem nec in fine habere".

c) Io Chrysostomus a synodo ad Quercum accusatus est, ut refert Photius, Biblioth. cod. 59, quod aditum aperiat peccatoribus dicens: Si iterum pecces, iterum poenitentiam facito: et quoties peccaveris, accede ad me et ego te curabo. Quam accusationem insuper falsam fuisse dicit Palladius ap. Mansi t. III., p. 1150. Cf. etiam Socrat., Hist. eccl. l. 6, c. 19, qui refert eum tum a Catholicis tum a Novatianis propter hoc esse reprehensum.

d) Unam tantum poenitentiam fuisse testantur Hermas, Pastor l. 2, mand. 4, n. 1: „Τοῖς γὰρ δούλοις τοῦ Θεοῦ μετάνοιά ἐστιν μία". — Origenes, Hom. 15. in Levit. n. 2: „Istas ergo domos, si forte alicui, sicut supra exposuimus, lapsus acciderit, semper est recuperandi facultas, ut verbi gratia dicamus, si nos aliqua culpa mortalis invenerit, quae non in crimine mortali, non in blasphemia fidei, quae muro ecclesiastici et apostolici dogmatis cincta est, sed vel in sermonis, vel in morum vitio consistat: hoc est vendidisse domum, quae in agro est, vel in vico, cui murus non est. Haec ergo venditio et huiusmodi culpa semper reparari potest, nec aliquando tibi interdicitur de commissis huiusmodi poenitudinem agere. In gravioribus enim criminibus semel tantum poenitentiae conceditur locus; ista vero communia, quae frequenter incurrimus, semper poenitentiam recipiunt et sine intermissione redimuntur" — Clemens Alex., Strom. l. 2, c. 13 negat superesse μετάνοιαν δευτέραν Hermae Pastore allegato. Ipse ex Hebr. 10, 26 argumentatur animadvertens: Καὶ οὐκ οἶδ' ὁπότερον αὐτοῖν χεῖρον, ἢ τὸ εἰδότα (Hebr. 10, 26) ἁμαρτάνειν ἢ μετανοήσαντα ἐφ' οἷς ἥμαρτεν, πλημμελεῖν αὖθις . . . ἐφ' ᾧ γάρ τις μετενόησεν, αὖθις τοῦτο ποιῶν, οὐ πράττειν κατεγνωκώς, τοῦτο ἑκὼν ἐπιτελεῖ . . . ὁ δὲ καὶ μετὰ ταῦτα ἁμαρτήσας, εἶτα μετανοῶν, κἂν συγγνώμης τυγχάνῃ, αἰδεῖσθαι ὀφείλει, μηκέτι λυόμενος εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. — Tertullianus, De poen. c. 7: „Piget secundae, immo iam ultimae spei subtexere mentionem"; ibid.: „Collocavit in vestibulo poenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat, sed iam semel, quia iam secundo; sed amplius numquam, quia proxime frustra: non enim hoc semel satis est?" Et c. 9: „Huius igitur poenitentiae secundae et unius, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est". Cf. Smirnov, l. c., p. 471. — Ambrosius, De poen. l. 2, c. 10, n. 95: Merito reprehenduntur, qui saepius agendam poenitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent poenitentiam, iterandam postea non putarent, quia sicut unum baptisma, ita una poenitentia, quae tamen publice agitur; nam quotidiani nos debet poenitere peccati; sed haec delictorum leviorum, illa graviorum". Cuius rei ratio sane fuerit vis precum fidelium. Cf. ibid. n. 96. — Augustinus, quem Macedonius interrogaverat, cur episcopi secundam a iudicibus pro reis gratiam peterent, cum ecclesia talibus semel tantum veniam concederet

ita respondit Ep. 153 (al. 54), n. 7: „In tantum hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam poenitentiam . . . vel similia, vel graviora committant; et tamen Deus facit etiam super tales oriri solem suum . . . et, quamvis eis in ecclesia locus humillimae poenitentiae non concedatur, Deus tamen super eos suae patientiae non obliviscitur Ex quorum numero si quis nobis dicat: Aut date mihi eundem iterum poenitendi locum aut desperatum me permittite, ut quidquid libuerit faciam, aut dicite mihi, utrum aliquid prosit ad vitam futuram, si me poenitendo vehementius quam prius excruciavero: quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat: Nihil tibi ista proderunt in posterum . . . Quamvis ergo caute et salubriter visum sit, ut locus illius humillimae poenitentiae semel in ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset aegrotis, quae tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit, quis tamen audeat dicere Deo: Quare huic homini, qui post primam poenitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? . . . Aut istis exceptis esse definitum quod scriptum est: Beati omnes, qui confidunt in eum? . . . Cum igitur super peccatores tanta sit patientia, tanta misericordia divina, ut in hac temporali vita moribus emendatis, non damnentur in aeternum, quales nos esse oportet homines erga homines!“ Ubi monet Witasse, ut attendatur Macedonium mirari et indignari nec Augustinum respondere: ecclesiam non negare nisi publicam poenitentiam secundam, privatam concedere, sed commonefacere eum benignitatis ac misericordiae divinae.

e) Neve effugium quaeras solum secundam poenitentiam publicam sollemnemque fuisse negatam; nam bene advertit Petavius (Notae in Epiph. haer. 59), hoc posito futurum fuisse, ut mitius de relapsis ageretur quam de semel tantum lapsis.

Dub. 12. Saltem clericis peccantibus negabatur ab ecclesia venia. Ita Leo M., Ep. 167 (al. 92) ad Rusticum Narbon. docet: „Alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore aut in diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant poenitendi; quod sine dubio ex apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: Sacerdos, si peccaverit, quis orabit pro illo?“ Item Siricius ad Himerium Ep. 1, n. 18: „Poenitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum“. Cf. Conc. Carthag. V., cn. 11.

Quidquid a doctissimis viris opponitur, non impedit, quominus teneamus quod posuimus.

Ecclesia antiqua etiam gravissimis peccatoribus poenitentiam concedebat eosque in ecclesia recipiebat; atqui hac receptione certe peccata remittebantur.

Nam A. alioquin ad Eucharistiae susceptionem indigni admissi essent. Ad rem Augustinus, Serm. 352: „Est poenitentia gravior atque luctuosior, qua proprie vocantur in ecclesia poenitentes, etiam remoti a Sacramento altaris participando, ne accipiendo indigne iudicium sibi manducent et bibant“. Cf. Ep. 118, c. 3. — Auctor libri de ecclesiasticis dogmatib. c. 53: Oportet peccatorem „sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad iudicium et condemnationem sui Eucharistiam percipere“. — Leo M., Ep. 91 (al. 108), c. 2: „Mediator Dei et hominum hanc praepositis ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. — Cf. Io. Chrysost., In Mt. hom. 10, n. 5; de poen. hom. 6. in fine; Athanas., Ep. heortast. 7, n. 9; Asterius Amasen., Hom. 13. Claris his testimoniis obstare

non potest, quod Augustinus exemplo Iudae allegato in Ep. 48 disserit.

B) Idem praeclare docet Cyprianus, Ep. 59, n. 1: „Legimus, quod . . . ei, antequam poenitentiam plenam egisset et Domino Deo satisfecisset . . . tamen . . . Victori communicationem sibi concessam permisimus". De lapsis n. 16: „ante offensam placatam indignantis Domini et minantis vis infertur corpori eius et sanguini"; ibid.: „ante purgatam conscientiam": „Domini corpus invadunt, quando occurrat scriptura divina et clamet et dicat: . . . quicumque ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini" n. 12: „Confitemini . . . dum satisfactio et remissio sacerdotis apud Deum valet". — Item Dionysius Alex. ad Cononem scribens dicit de eis, qui sub exitum vitae veniam acceperint: *Τοὺς γὰρ ἅπαξ ἀφειμένους καὶ τῷ Θεῷ συστάντας καὶ πάλιν τῆς θείας χάριτος κοινωνοὺς ἀποφθανέντας . . . πάλιν ἀνθυπάγειν τοῖς ἁμαρτήμασι ἀλογώτατον*". — Item Aphraates infra citandus. — Item Ambrosius, De poen. l. 2, n. 26. — Caesarius, Dial. interr. 194 receptionem in ecclesia aeque omnino ac remissionem peccatorum per baptisma voci „remittere" ap. Mt. 18, 21 subicit. — Augustinus, Ep. 228 (al. 180), n. 8: „Si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt, vel ligati!" — Hieronymus, Ad Marcellum: „Illi [Novatiani] ad omne paene delictum ecclesiae obserant fores: nos quotidie legimus: Malo poenitentiam peccatoris quam mortem". — Caelestinus I. ep. 4, n. 3: „Agnovimus poenitentiam morientibus denegari nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantae impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere et periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere, quo se ille expedire desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, eiusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere?"

C) Idem confirmatur ipsis absolvendi formulis, quae ex antiquis libris poenitentialibus desumuntur, qui etsi vetustate sua priora saecula non attingunt, tamen antiquissimum ecclesiae usum referunt, ut Morinus probat in fine sui operis de poenitentia. Ita Poenitentiale Vallicelanum sacerdoti rogandum praescribit: „Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris, respice super hunc famulum, peccata et facinora sua confitentem, veniamque illi donare digneris et praeteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam duxisti ad caulas et publicani precibus benignus aspiras. Remitte ei omnia crimina et peccata, da pro suppliciis veniam, pro morte vitam cunctorumque eius medere vulneribus et sicut nemo nostrum liber est a culpa, ita iste non sit alienus a venia. Per . . ." — Similiter Poenitentiale Romanum Halitgarii: „. . . rogamus et petimus nos humiles tui sacerdotes, ut . . . remittasque omnia crimina et peccata universa condones. . . . Per. . . ."

Cf. Constit. apost. l. 8, c. 9: *Παντόκρατορ Θεὲ αἰώνιε . . . αὐτὸς καὶ νῦν πρόδεξαι τῶν ἱκετῶν σου τὴν μετάγνωσιν· ὅτι οὐκ ἔστιν ὃς οὐχ ἁμαρτήσεταί σοι — καὶ ἀποκατάστησον αὐτοὺς τῇ ἁγίᾳ σου Ἐκκλησίᾳ ἐν τῇ προτέρᾳ ἀξίᾳ καὶ τιμῇ, διὰ τοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν.*

D) Idem confirmat usus loquendi in ritu confitendi graeco-slavico. In slavico recitato Ps. 4 sic oratur: Otpusti emu vsja pregrěšenija, vol'naja i nevol'naja i sotvori ego obeščnika (obščika) spaseniju, i sočetaj ego ko svjatej Tvoej Cerkvi (cf. orationem ante absolutionem: Sam i nyně umilostivisja o rabě Tvoem N. N. i podažd' emu proščenie grěhov . . . i soedini ego svjatej Tvoej Cerkvi); et in ritu graeco in oratione absolutionis: *Αὐτὸς οὖν Δέσποτα, συγχώρησον καὶ τὸν δοῦλόν σου, ὃ ἐπὶ τοῖς ἰδίοις, οἷς ἔπραξε πλημμελήμασι δι' ἐμοῦ τοῦ ἀναξίου καὶ εὐτελοῦς· καὶ διαλλάγηθι, καὶ ἕνωσον αὐτὸν τῇ ἁγίᾳ σου Ἐκκλησίᾳ.*

E) Denique explicari alioqui non posset, quod contra Novatianos hoc modo argumentum fiebat (v. g. Epiphanii, Haer. 59, n. 4—7), ut admissio apud Deum identificaretur cum admissione in ecclesia. (Cf. Palmieri, De poen. th. 9, II, 4).

Immo ipsa concessio poenitentiae fuit cum remissione peccatorum coniuncta. Cf. Conc. Arausicanum (a. 442) cn. 12: „Subito obmutescens, prout status eius est, baptizari aut poenitentiam accipere potest, si. . . .“ — Inscriptio ex a. 517. Aquis Sextiis ap. Maffeium, Antiqu. Gall. p. 100 („accepta poenitentia quiescit in pace“). — Augustinus, Ep. 228 ad Honor. („omnibus sacramentorum erogationem“). — Conc. Carthaginiense IV (a. 398), c. 76 de tali homine, qui „oppressus infirmitate obmutuerit“ mandat, ut „accipiat poenitentiam“, sane non inutile quid! — Fuse rem probatam invenies ap. Palmieri, De poen. Append. § 2, n. 10 ss.; Schmitz in Katholik 1885, I, p. 349 ss.; Frank, Bussdisciplin B. V, K. 6, § 2 (811—828); De San, De paen. n. 242 s.; B. Francolin., Clericus Romanus[2] (Aug. Vindelic. 1796) l. 1, disp. 11, p. 158—167) et al. —

Iam vero propositio maior demonstranda est.

Prob. 1[0] ex haeresi Novatianorum.

a) Novatiani non ad usum ecclesiae sibi faventem provocabant, quod certe fecissent affatim, si potuissent, neque enim testimoniorum inopia tum fuisset — sed scripturas se melius intellexisse putabant et his nitebantur. Contra adversarii priorem usum servandum urgebant, velut Dionysius Alex., Ep. 10 ap. Euseb. l. 7, c. 7.

b) A Patribus disciplinae Novatianorum novitas crimini datur; ita Pacianus, Ep. 3, n. 1. 2: „. . . prophetavit? Suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut evangelium novi iuris induceret. . . .“ Augustinus, Ep. 93, n. 42: Nec tamen istos misericordes et pacificos, cum eis christiana sacramenta communicantes et eos intra unitatis retia tolerantes, donec ad litus perducti separarentur, tam immanis eorum error et impietas inquinabat; aut si inquinabat, iam tunc ecclesia malorum communione deleta est, nec

erat, quae pareret ipsum Cyprianum". Alii vocant Novatianos auctores disciplinae illius perniciosae. (Cf. Cypriani Ep. 59: „introduxit").

c) Novatiani adversarios habuerunt statim ss Patres: quod alioqui fieri non potuisset.

d) Speciatim Tertullianus praeclarum rei huius testimonium exhibet. Is, Montanista factus, testatur se sententiam suam de poenitentia mutasse, quam prius „cum pluribus" tenuerat: Ita loquitur, cum De pudic. c. 1. edictum de poenitentia moechis concedenda condemnavit: „Erit igitur et hic adversus psychicos [= catholicos] titulus, adversus meae quoque sententiae retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis obiectent. Nunquam societatis repudium delicti praeiudicium est, quasi non facilius sit errare cum pluribus, quando veritas cum paucis ametur. . . . Nemo proficiens erubescit. Habet et in Christo scientia aetates suas, per quas devolutus est, et apostolus . . . adeo divertit a sententiis pristinis, nec idcirco deliquit, quod „aemulator factus est", non „paternarum traditionum", sed Christianarum; . . . Durissime nos infamantes Paracletum disciplinae enormitate digamos foris sistimus, eundem limitem liminis moechis quoque et fornicatoribus figimus, ieiunas pacis lacrimas profusuris, nec amplius ab ecclesia quam publicationem dedecoris relaturis". Nec tunc forte tantum potestatem ecclesiae denegavit, cum prius iam usum non agnoverit; id quod expresse negat De pudicit. c. 21. — Atqui Tertullianus, cum catholicus esset, haec sentiebat: De poen. c. 7. enumeratis peccatis capitalibus, ad quae diabolus seducere tentat homines „Haec, inquit, venena eius providens Deus, clausa licet innocentiae ianua et intinctionis sera obstructa aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo poenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat, sed iam semel, quia iam secundo. . . . Si tibi indulgentia Domini accommodat, unde restituas, quod amiseras, iterato beneficio gratus esto, nedum ampliato. . . . Verum non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundae quis poenitentiae debitor fuerit; pigeat sane peccare rursus, sed rursus poenitere non pigeat; pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat; iteratae valetudinis iteranda medicina est; gratus in Dominum exstiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaveris. Habes, cui satisfacias, et quidem volentem. Id si dubitas, evolve, quae Spiritus ecclesiis dicat", et enumerat iterum peccata capitalia. Quibus verbis omnibus peccatis, etiam capitalibus ut stupri et idololatriae idem poenitentiae remedium proponitur, quod eandem sanitatem efficit ac baptisma. Nec, cum ita loquitur, de poenitentia extra ecclesiam agenda intelligi potest. Nam *α*) comparat hanc poenitentiam cum baptismo, *β*) poenitentia haec comprehendit „publicationem sui", talem, quam nonnulli pudore „suffugiant" vel „differant"; et quae condicio necessaria est ad salutem adipiscendam. „An melius est damnatum latere, quam palam absolvi?" Nec te moveat, quod dicit confitendum esse Domino; nam paulo post ait eos, qui Domino confitentur, presbyteris advolvi et caris Dei adgeniculari, et ita concludit: „Ergo, cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas" *γ*)

comprehendit item „deprecationem“, quam nonnulli „subducant“, sane ecclesiae, non Dei; *δ)* item absolutionem publicam („palam absolvi“), qua „malum factum est salutare“. *ε)* Quaestio illa (supra posita), utrum semel an bis poenitentia agi possit, non posset ab eo moveri; cum enim poenitentes ab ecclesia ad Deum relegati essent, ante vitae finem numquam absolverentur. — Cf. G. Esser, Die Bussschriften Tertullians de paenitentia und de pudicitia und das Indulgenzedikt des Papstes Kallistus. Bonn 1905.

Prob. 2⁰ ex usu apostolorum.

Exempla apostolorum certe non potuerunt adeo negligi, ut ecclesia aetatis subsequentis prorsus aliam rationem inierit, nec hoc sine ullo tumultu fieri potuisset, cum vel propter solam dilationem absolutionis in ecclesia aetate Cypriani magna fuerit animorum commotio, qui tumultus tamen (ante Novatianos) nusquam traditus est. Ipsi apostoli certe etiam maximos peccatores in ecclesiam recipiebant. Id patet de s. Paulo ex 2 Cor 2, 6 ss. et 12, 20 s., unde ipsi Patres contra Novatianos argumentabantur, velut Theodoretus, Divin. decret. l. 5. de poen.; Cyprianus, Ep. 52. ad Antonian. n. 26; Epiphan., Haer. 59, n. 4—7; Gregor. Naz., Or. 39, n. 18; cf. Primasius et Ambrosiaster in h. l.; quod Tertullianus, De pudic. c. 14 negata identitate peccatoris eiecti, de quo agitur in prima et secunda Pauli epistola, dirimere conatus est. Idem de s. Ioanne notum erat, quem Eusebius (post Clementem Alex.) narrat suscepisse in ecclesiam (*κατέστησε*, al. *ἐπιστῆσαι*: ita, ut praefectus sit ecclesiae) peccatorem maximum (*ἕτοιμος λῃστάρχος ἦν, βιαιότατος, μιαιφονώτατος, χαλεπώτατος;* Hist. eccl. l. 3, c. 23. Ex Apocalypsi nolumus argumentari, quia disputabatur, quis eius auctor fuisset.

Prob. 3⁰. Exstant adhuc testimonia de usu praecipuarum partium ecclesiae antiquae; ubi notandum est testes, quos afferemus, plerosque maiorem partem ecclesiae cognovisse quam districtum, ubi degebant; nec unquam de diversitate usus mentionem fieri.

α) Testimoninm de usu ecclesiae Romanae exhibet *α)* Clementis Rom. Epistola ad Corinthios, n. 57: *Ὑμεῖς οὖν οἱ τὴν καταβολὴν τῆς στάσεως ποιήσαντες, ὑποτάγητε τοῖς πρεσβυτέροις καὶ παιδεύθητε εἰς μετάνοιαν, κάμψαντες τὰ γόνατα τῆς καρδίας ὑμῶν . . . ἄμεινον γάρ ἐστιν ὑμῖν, ἐν τῷ ποιμνίῳ τοῦ Χριστοῦ μικροὺς καὶ εὐλογίμους εὑρεθῆναι, ἢ καθ᾽ ὑπεροχὴν δοκοῦντας ἐκριφῆναι ἐκ τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ;* n. 51: *ὅσα οὖν παρεπέσαμεν καὶ ἐποιήσαμεν διά τινος τῶν τοῦ ἀντικειμένου, ἀξιώσωμεν ἀφεθῆναι ἡμῖν . . . καλὸν γὰρ ἀνθρώπῳ ἐξομολογεῖσθαι περὶ τῶν παραπτωμάτων ἢ σκληρῦναι τὴν καρδίαν αὐτοῦ.“* — *β)* Hermae Pastor, qui maximam tunc auctoritatem habebat (vis. 2, n. 2; vis. 3, n. 5, alibi), quem Tertullianus Montanista deridet: „Si qua te carnis vacillatio, animi avocatio, oculi evagatio de tenore decusserit, Deus bonus est: suis, non ethnicis, sinum subicit, secunda te poenitentia excipiet; eris iterum de moecho Christianus. Haec tu mihi benignissime Dei interpres. Sed cederem tibi, si scriptura Pastoris, quae sola moechos amat, divino instrumento meruisset incidi, si non

etc.“ — *γ)* Idem patet ex causa Marcionis, narrata a Tertulliano (De praescriptionib., c. 30) et Epiphanio (Haer. 42, n. 1—3), cui haeresis et libidinis reo Romae venia concessa est et iterum promissa fuit. — *δ)* et ex causa Natalis narrata ab Eusebio (l. 5, c. 28), qui pro pecunia episcopus haeresis factus post multam poenitentiam vix tandem ad communionem admissus est *(μόλις κοινωνηθῆναι)*.

b) Testimonium de usu ecclesiae Corinthi hauritur ex Dionysii Corinthiorum episcopi (saec. II.) epistola ad episcopos Ponti, ubi secundum Eusebium (H. l. 4, c. 23) „*πολλ᾽ δὲ περὶ γάμου καὶ ἁγνείας τοῖς αὐτοῖς παραινεῖ. Καὶ τοὺς ἐξ οἵας δ᾽ οὖν ἀποπτώσεως, εἴτε πλημμελίας, εἴτε μὴν αἱρετικῆς πλάνης ἐπιστρέφοντας, δεξιοῦσθαι προστάττει*“. — Ceterum idem conici potest ex auctoritate epistolae Clementis Romani, quam apud Corinthios habuit; quam Eusebius (l. c.) Corinthi in ecclesia legi solitam esse testatur.

c) Testimonium de usu ecclesiarum Cappadociae et aliarum Gregorius Naz. perhibet, qui ortu Cappadox et multum in Oriente peregrinatus, cum archiepiscopus Constantinopolitanus esset, Novatianos vehementer impugnabat Or. 39, n. 18. 19.

d) Testimonio de usu ecclesiarum Asiae est Polycarpi, Ioannis discipuli, Smyrnaeorum episcopi, ad Philippenses epistola, n. 6: „*Καὶ οἱ πρεσβύτεροι δὲ εὔσπλαγχνοι, εἰς πάντας ἐλεήμονες, ἐπιστρέφοντες τὰ ἀποπεπλανημένα . . . μὴ ἀπότομοι ἐν κρίσει, εἰδότες, ὅτι πάντες ὀφειλέται ἐσμὲν ἁμαρτίας*“.

e) Testimonium usus ecclesiae Alexandrinae dat imprimis Origenes, Contra Celsum, l. 3, n. 51: *Οὗτοι δὲ ὡς ἀπολωλότας καὶ τεθνηκότας τῷ Θεῷ τοὺς ὑπ᾽ ἀσελγείας ἤ τινος ἀτόπου νενικημένους, ὡς νεκροὺς πενθοῦσι· καὶ ὡς ἐκ νεκρῶν ἀναστάντας, ἐὰν ἀξιόλογον ἐνδείξωνται μεταβολήν, χρόνῳ πλείονι τῶν κατ᾽ ἀρχὰς εἰσαγομένων ὕστερόν ποτε προσίενται· εἰς οὐδεμίαν ἀρχὴν καὶ προστασίαν τῆς λεγομένης ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ καταλέγοντες*“ etc. — Item Dionysius Alex. (ap. Eusebium, l. 6, c. 44), Ep. 4, ubi narrat de Serapione in persecutione lapso, cui morituro Eucharistia data est; et Ep. ad Cononem (ap. Pitra, t. I., p. 546): „*Καὶ τοὺς πρὸς τῇ ἐξόδῳ γινομένους τοῦ βίου, εἰ δέοιντο καὶ ἱκετεύοιεν ἀφέσεως, τυχεῖν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντες εἰς ἣν ἁπίασι κρίσιν, λογιζόμενοι ἃ πείσονται δεσμῶται καὶ κατάδικοι παραδοθέντες· πιστεύοντες δέ, εἰ ἐντεῦθεν λυθεῖεν, ἄνεσιν ἕξειν καὶ κουφισμὸν τῆς ἐκεῖ τιμωρίας· ἀληθῆ γὰρ εἶναι καὶ βεβαίαν τ᾽ν εὐδοκίαν τοῦ Κυρίου· καὶ τούτους ἐλευθέρους παραπέμπειν τῆς θεοπρεποῦς ἐστι πολιτείας καὶ φιλανθρωπίας*“. Et Ep. 3 (ap. Euseb., l. 6, c. 42): „*Αὐτοὶ τοίνυν οἱ θεῖοι μάρτυρες παρ᾽ ἡμῖν, οἱ νῦν τοῦ Χριστοῦ πάρεδροι καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ κοινωνοί, καὶ μέτοχοι τῆς κρίσεως αὐτοῦ καὶ συνδικάζοντες αὐτῷ, τῶν παραπεπτωκότων ἀδελφῶν τινας ὑπευθύνους τοῖς τῶν θυσιῶν ἐγκλήμασι γενομένους, προσελάβοντο. Καὶ τὴν ἐπιστροφὴν καὶ μετάνοιαν αὐτῶν ἰδόντες, δεκτήν τε γενέσθαι δυναμένην τῷ μὴ βουλομένῳ καθ᾽ ὅλου τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ ὡς τὴν μετάνοιαν δοκιμάσαντες, εἰσεδέξαντο καὶ συνήγαγον καὶ συνέστησαν, καὶ προσευχῶν αὐτοῖς καὶ ἑστιάσεων ἐκοινώνησαν*“.

f) Usus ecclesiae Antiochenae constat ex s. Ignatii martyris Ep. ad Philadelphenses, n. 8: „*Πᾶσιν οὖν μετανοοῦσιν ἀφίει ὁ Κύριος, ἐὰν μετανοήσωσιν εἰς ἑνότητα Θεοῦ καὶ συνέδριον τοῦ ἐπισκόπου*· ibid., n. 3: *καὶ ὅσοι ἂν μετανοήσαντες ἔλθωσιν ἐπὶ τ ν ἑνότητα τῆς ἐκκλησίας* (qui ab ecclesia desciverant), *καὶ οὗτοι Θεοῦ ἔσονται, ἵνα ὦσιν κατὰ Ἰησοῦν Χριστὸν ζῶντες*“. — Eundem usum Constitutiones apostolicae, quae praecipue in Syria magna pollebant auctoritate, l. 2, c. 13 tradunt: „*Σὺ οὖν* [episcope!] *οὕτω κρῖνε, ὡς Θεῷ δικάζων. Τοῦ γὰρ Κυρίου, φησὶν, ἡ κρίσις. Πρῶτον οὖν ἀπ' ἐξουσίας τὸν ἔνοχον καταδίκαζε· ἔπειτα μετ' ἐλέου καὶ οἰκτιρμοῦ καὶ προσλήψεως οἰκειοῦ, ὑπισχνούμενος αὐτῷ σωτηρίαν, εἰ μετάθοιτο τοῦ τρόπου, καὶ πρὸς μετάνοιαν χωρήσῃ· μεταμελόμενον δὲ στύφων προσδέχου, μεμνημένος τοῦ Κυρίου εἰπόντος· ὅτι χαρὰ γίνεται ἐν οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι*, c. 14: *Ἐὰν δὲ τὸν μετανοοῦντα μὴ προσδέξῃ, ἐπιβούλοις αὐτὸν ἔκδοτον παρέχεις . . . Δέξαι οὖν τὸν μετανοοῦντα, μὴ διστάζων ὅλως, μηδὲ παρεμποδιζόμενος ὑπὸ τῶν ἀνηλεῶς* (al. *πονηρῶς*) *λεγόντων, μὴ δεῖν τοιούτοις συμμολύνεσθαι, μήτε λόγου κοινωνεῖν* etc.“

g) Usum ecclesiae Syrorum cognoscimus ex Aphraate, Demonstrat. VII. de poenitentib. n. 8. 11. 23. 25—27: Aliquibus vero delictum confitentibus poenitentia non conceditur. O dispensator domus Christi! sodali tuo poenitentiam concede et memento Dominum tuum non respuere poenitentes.

h) Usum ecclesiae Africanae Cyprianus testificatur, cum nulla indicata clementiae novitate vel gravissimis peccatoribus, si poeniteat eos, veniam concedendam esse dicit; qui certe ad usum ecclesiarum et traditionem semper respiciebat. (Cf. Ep. 68, n. 5). Cf. etiam Tertulliani testimonium supra positum.

i) De usu ecclesiarum Galliae Irenaeus a Polycarpo instructus, Lugdunensis episcopus, certiores nos reddit Contra haer., l. 1, c. 13, n. 5—7; c. 6, n. 3. Ubi mulieres nonnullas postquam cum Marco haeresiarcha aliisve gnosticis et contra religionem et contra castitatem peccavissent, exomologesi facta conversas esse ad ecclesiam Dei narrat . . . Idem ex Epistola per ecclesiam Viennensem et Lugdunensem de martyribus a. 177 passis ad ecclesias Asiae Phrygiaeque missa emergit, quam Eusebius in historia sua ecclesiastica recepit, ubi de lapsis in persecutione dicitur: *οἱ δὲ λοιποὶ πάντες τῇ ἐκκλησίᾳ προσετέθησαν.*

k) Usus ecclesiarum Hispaniae colligitur ex epistola, quam Synodus Hispana ad Cyprianum et alios in Africam misit, quod Basilidem Legionensem et Martialem Asturicensem, episcopos in persecutione lapsos, solum ad laicorum communionem admiserint. Quibus Cyprianus, Ep. 68 inter alia respondit: „Quapropter cum . . . obtemperasse se idololatriae et Christum negasse contestatus sit, cumque alia multa sint et gravia delicta, quibus Basilides et Martialis implicati tenentur, frustra tales episcopatum sibi usurpare conantur, . . . maxime

cum iam pridem nobiscum et cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis etiam Cornelius collega noster . . . decreverit huiusmodi homines ad poenitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi. Quare etsi aliqui de collegis nostris exstiterint, qui deificam disciplinam negligendam putant et cum Basilide et Martiale temere communicant, conturbare fidem nostram res ista non debet" etc.

Itaque ad dub. 1. respondemus nunc nostra ne hoc quidem interesse, num Cyprianus erraverit; ceterum hac de re infra fusius agendum erit. „Cum vero Augustinus ait poenitentiae tempora constitui, ut fiat satis etiam ecclesiae, sententia eius est, quod cum oporteat remissionem ab ecclesia dari, oportet quoque ipsam nosse, an peccatorem vere poenituerit, quod cum peccator exercitio praescriptae poenitentiae notum faciat, eo ipso eidem fit satis". Palmieri, De poen. th. 9, p. 79.

Ad. 2. Apostolus, si sacramentaliter eum non absolvit, non est usus tota potestate sua; ceterum, cur a peccato eum alius non potuerit absolvere, non ante (Oswald, Sacr., Th. 5, § 5), sed post excommunicationem sublatam!

Ad 3. Qui fuerit sensus formae deprecativae, accipe ex allegato iam c. 9. l. 8. Constitut. apost.: καὶ ἀποκατάστησον αὐτοὺς τῇ ἁγίᾳ σου Ἐκκλησίᾳ.

Ad. 4. Apostoli certe praedicabant baptismalem imprimis poenitentiam ut virtutem, regeneratis iam praedicabant poenitentiam ut necessariam condicionem remissionis.

Ad 5. Ita loquitur, et loquitur dubie atque incerte, quia certum non erat, utrum monentem auditurus sit Simon necne. Sušil in h. l. — Ammonius existimat Petrum ambigue loqui, ut Simonem territum ad maiorem et ferventiorem impellat poenitentiam. — Cornelius a Lapide respondet: 1⁰ „τὸ forte non est dubitantis, sed potius expletiva confirmantis particula; graece enim est ἄρα" ... et allegatis exemplis e lingua graeca 2⁰ „τὸ forte significat dubium eventum et effectum remissionis ex dubia causa".

Ad 6. Cf. Thes. 10, p. II., resp. p. 1⁰, D.

Ad 7. Aqua baptismali fideles asperguntur, ut recordentur se omnes baptismo esse sanctificatos. — Usus aquae lustralis iam apud ethnicos fuit, qui templum intrantes se aspergebant vel a sacerdote aspergebantur. Nec similitudo ritus consecrandi aquam baptismalem et lustralem quidquam probat.

Ad 8. Idem Augustinus Serm. 351, n. 7 ss. rem explicat: „Tertia est actio poenitentiae, quae pro illis peccatis subeunda est, quae legis decalogus continet et de quibus apostolus ait: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. In hac ergo poenitentia maiorem quisque in se severitatem debet exercere, ut a se ipso iudicatus, non iudicetur a Domino, sicut idem apostolus ait: Si enim nos iudicaremus, a Domino non iudicaremur ... Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo iudicet participatione corporis et sanguinis Domini, ut qui separari a regno coelorum timet per ultimam sententiam summi iudicis, per ecclesiasticam disciplinam a sacramento caelestis panis interim separetur .... Quisquis ergo post baptismum aliquorum pristinorum malorum opere obligatus tenetur, usque adeone sibi inimicus est, ut adhuc dubitet vitam mutare, cum tempus est, cum ita peccat et vivit? Nam utique quod ita perseveranter peccat, thesaurizat sibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei. Quod autem adhuc vivit, patientia Dei ad poenitentiam eum adducit. Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum detrectat aut differt aut dubitat confugere ad ipsas claves ecclesiae, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in caelo; et audet sibi post hanc vitam, quia tantum Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri; nec veridico illo dominicae vocis tonitru contremiscit, Non omnis, qui dicit mihi: Domine Domine! intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum? Quid, ad Galatas idem

apostolus, nonne talia enumerans eodem fine concludit? . . . quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Iudicet ergo se ipsum homo in istis voluntate, dum potest, et mores convertat in melius, ne cum iam non poterit, etiam praeter voluntatem a Domino iudicetur. Et cum ipse in se protulerit severissimae medicinae, sed tamen medicinae sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in ecclesia claves ministrantur; et tamquam bonus iam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum, ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex, id tamen agat quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum ; ut si peccatum eius non solum in gravi eius malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati ecclesiae videtur antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere poenitentiam non recuset, non resistat, non letali et mortiferae plagae per pudorem addat tumorem . . . Nemo arbitretur, fratres, propterea se consilium salutiferae huius poenitentiae debere contemnere, quia multos forte advertit et novit ad sacramenta altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, ut Petrus ; multi tolerantur ut Iudas ; multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum et manifestet cogitationes cordis". Cf Caesar. Arelat., Hom. 1 in Quadrag. — Ceterum cf. hac de re (de remissione leviorum peccatorum in ecclesia antiqua) Vacandard in Revue du clergé français 1901 et Mattiusi in Scuola cattolica (Milano) 1901.

Ad 9. *a*) Non haeretici tantum (Calvinus, Magdeburgenses), sed etiam catholici, ut Carranza, Toletanus archiepiscopus, Melchior Canus (De locis theolog. l. 5, c. 4.), Baronius (Annal. t. IV.), Bellarminus (De imaginib. l. 2, c. 9), alii responderunt, synodum Illiberritanam non modo nusquam ab ecclesia fuisse generaliter et in omnibus approbatam, sed et nonnulla complecti, quae Novatiani ac Vigilantii erroribus vicina sunt. Sed Ferdin. de Mendoza (De confirmando conc. Illib. ap. Mansi II., 57) multis argumentis probat auctoritatem eius synodi diu viguisse. Respondet igitur ipse et Natalis Alex. (saec. IV., dissert. 7) communionis nomine non absolutionem intelligi, sed Eucharistiam. Cf. can. 3: de „dominica communione"; cn. 47: „edere de communione"; cn. 32: ubi energumeno (ecclesiae membro) in fine vitae conceditur communio; cn. 54: „abstineant se a communione" ; cn. 76 de „laica communione"; cf. c. 50. 61. 67. 78. De quibus decretis Innocentius I., Ep. 3: „De his, inquit, observatio prior durior.. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur poenitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebrae persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa poenitentia, ne totum penitus negaretur". Nec Adrianus I. citans can. Illiber. 75, aut Conc. Coloniense recipiens cn. 13 nomine communionis absolutionem a peccatis intelligere potuerunt. Cf. Palmieri, De poen. th. 9, p. 87 s. ubi addit etiam „probabile non esse Hispanos patres voluisse adeo discedere a communi praxi ecclesiae Africanae et Romanae, in quibus absolutio eorum criminum, quae a concilio Illiber. notantur, concedebatur, et voluisse praxim firmare, quae Novatianae haeresi adeo faveret". Ad cn. 69 notat Collet, De poen. p. II., c. 5 (Migne col. 536): „Nihil est, cur reconciliationis et communionis vocabula hic promiscue sumi dicantur. Docet enim breviter synodus 1° coniugatum, qui semel lapsus sit, post quinquennalem poenitentiam reconciliari debere. Sed quia hinc inferri poterat privandum eum esse communione . . . docet 2° quod urgente necessitate ante emensum poenitentiae curriculum et reconciliari debeat, et communione refici". Ad cn. 68 dicendum est, catechumenam baptismo indignam aliter puniri non potuisse ac dilatione baptismi. Ceterum usque ad mortem nonnulli sponte eum differebant, quo securius salvarentur.

b) Idem responderi potest atque ad *a*). Ceterum ne id quidem certo comprobatum est. Nam illud μέχρις ἐξόδου (cn. 21) non excludit communionem

in fine concedendam; neque in canone 22. contineri mitigationem inde probatum est, quod talis etiam canone 21. et 23. introducta sit; praesertim cum in can. 23 ὁ δεύτερος ὅρος potuerit iam existere et a synodo confirmari. Nec facile praetenta interpretatio synodi Ancyranae cum cn. 13. Concilii Nicaeni, paulo post in eodem oriente celebrati (cf. et cn. Ancyr. 6.) conciliabitur. Sane recte monet contra Morinum Chardon, Hist. des sacrem., Pénit., s. 4, ch. 8: „De plus, si les malades, dont il est question, n'avaient point reçu l'Eucharistie dans l'extrémité, où ils étaient, pourquoi le concile de Nicée et les autres de ce temps-là auraient-ils ordonné qu'ils ne la recevront pas, s'ils reviennent en santé, mais qu'ils demeureront dans la consistance, communiant seulement aux prières? Pouvait-on croire que ceux qui n'avaient point reçu la communion en cet état, y prétendraient étant en pleine santé et en état de faire pénitence?

c) Edictum illud alii tribuunt Zephyrino (Baronius, Guignebert, Straub), alii Callisto (De Rossi, Funk, Bardenhewer, De San, Rolffs, Smirnov), alii alicui probabiliter Africae episcopo ex iis, quos Ep. 85. Cyprianus indigitat (Tillemontius, Collet). In ultima sententia nulla omnino est difficultas. In priorum alterutra dicemus non sequi hinc contrarium praecessisse; potuit prior usus confirmari; et ut de solis moechis decretum fieret, controversia alicubi orta effecit. Ceterum verba „poenitentia functis“ videntur potius plenae reconciliationi convenire, quamquam alii, ut Bertus (Dissert. 2, c. 9, prop. 6), hinc probare conantur remissionem peccatorum demum poenitentia peracta tributam esse. — Ad secundam dubitationis partem Morinus l. 9, c. 20 et Natalis Alex., Diss. 7. respondent Tertullianum falso calumniari catholicos asserentem vel supponentem in ecclesia catholica veniam idololatris et homicidis semper fuisse negatam et tum primum pacem moechis fuisse concessam. Cum adiuncta compositionis huius libri De pudicitia ignota sint, conicere licebit, eum edicto illi episcopo episcoporum obicere disciplinam erga idololatras et homicidas ab aliquibus Africae episcopis servatam vel eum decretum illud malevole explicasse, acsi id, quod explicite nominatum est, exclusive praeceptum esset. Nec responsum hoc vanum effugium est. Nam Tertullianum testem esse veri antiquae ecclesiae usus probavimus. Insuper ex compluribus locis in eodem eius libro (De pudic.) concludi potest, quid adversarii eius ea de re senserint. Ita enim refert catholicos argumentantes: „Nihil enim agendum est frustra; porro frustra est poenitentia si caret venia. Omnis autem poenitentia agenda est. Ergo omnis veniam consequatur.“ Praeterea refert eos ad parabolam ovis perditae, drachmae amissae, filii prodigi provocasse. Atqui rationes hae aut manifesto nihil valebant, aut ad praxim (non solum theoriam) omnium peccatorum remittendorum probandam afferebantur. — Ceterum Marano (Praef. ed. op. Cypriani § 9) et Peters (in Katholik 1876, II. p. 115—121) videtur Tertullianus dimicare contra adversarios ex ipsis Novatianis, parum sibi constantes. Cf. c. 1: „Sed hoc in ecclesia legitur...“

d) Ignoti huius auctoris, quem alii putaverunt fuisse Origenem (Müller, Migne), alii censent fuisse Hippolythum (Döllinger, Lightfoot, Erbes, Bardenhewer, Funk etc.), alii Tertullianum (Bern. Jungmann; cf. *c*), alii Novatianum (Grisar), et qui de ss. Trinitate errabat putans Verbum separatum esse a Patre nec tempore Callisti videtur, sed post eum scripsisse, huius igitur auctoris sententiam, cum sane falsum esse primum Callistum „ea quae ad voluptates faciunt“ remisisse ex Herma, Irenaeo, Tertulliano notum sit, ita explicat Bern. Jungmann, ut concedat primum Callistum statim perfecte recepisse libidinis reos, cum prius plena reconciliatio ad mortem esset differri solita. Triplex aliud responsum A. Straub proposuit. Respondet α) Quid, si Callistus, non sane primus crimina lasciviae hominibus condonavit, sed, ut condonarentur, primus edicto publico et sollemni statuit? β) Vel quid, si collatis verbis Tertulliani de edicto tali Callistus tamquam pontifex maximus et ipsorum quoque episcoporum episcopus et fidelium Christi omnium supremus in hac terra pastor, immodicae episcoporum nonnullorum severitati se opponens, declaravit, hominibus baptizatis omnino

omnibus, etiam non Romanis, a iudicio episcoporum suorum vel haereticorum ad ipsum provocantibus et confugientibus peccata seu generatim omnia seu moechiae speciatim, rite quidem poenitentibus se esse dimissurum? Ita quidem licet rem explicare in hypothesi, si auctor Philosophumenon edictum idem respicit ac Tertullianus. γ) Ceterum haec hypothesis vix sustineri potest. Nam cum edictum a Tertulliano recitatum agat potius de catholicis, qui poenitentia laboriosa fungi debeant, edictum, quod refert auctor Philosophumenon, pro contextu integro agit de haereticis, non tamen omnibus, sed in haeresi ipsa baptizatis et post peccata carnis ad ecclesiam accedentibus; quos Agrippinus Carthaginiensis aliique episcopi catholici, utique sine ulla poenitentia canonica, denuo baptizabant, Callistus mere reconciliando nec iam imponendo poenitentiam diuturnam, fortasse vere primus ecclesiae aggregaverit secundum modum illum ab Innocentio I. expositum (Ep. 24, n. 4): „Eorum [Arianorum] laicos conversos ad Dominum, sub imagine poenitentiae ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus.“ Quo etiam spectat, quod teste auctore Philosophumenon, peccata commissa ab hominibus illiusmodi a Callisto non imputentur (οὐ λογίζεται), nempe ad poenitentiam diutinam subeundam; cf. dictionem similem Paciani, Ep. 3. ad Sympron., n. 11: „Quid solvo gentibus, quod non est ligatum?“ Cf. Peters in Katholik 1876, II., p. 123—5.

e) Respondemus α) Si ante Cyprianum negata fuisset lapsis in persecutione venia, non posset explicari a) cur Cyprianus omnibus locis de sola immaturitate reconciliationis vel de condicionibus neglectis quereretur, b) cur numquam ad priorem severitatem provocaret, c) quomodo fieri potuisset, ut lapsi tam importune communionem flagitarent, clerici nonnulli tam facile concederent.

β) ad Ep. 55: Hoc propter specialem malitiam haereticorum, de quibus agitur, evenit. Dicit enim: „Namque ut gaudent, cum tolerabiles redeunt, ita fremunt, quoties inemendabiles et superbi sic ad ecclesiam remeant, ut bona intus ingenia corrumpant.

γ) ad Ep. 52, n. 3: Mitigatio in eo fuit, quod prius omnibus lapsis (saltem a martyribus non adiutis) communionem non concedebat nisi longam vel saltem comparatis aliis sceleribus longiorem poenitentiam egissent, postea, cum magnus numerus lapsorum fuisset, distinctis variis lapsorum speciebus (Ep. 52, n. 12 ss.) poenitentiam pro gradibus culpae restrinxit et omnibus lapsis, etiamsi martyrum libellis non essent adiuti necdum plene satisfecissent, in articulo mortis saltem eucharistiae participationem concessit. Ita rem esse explicandam patet *a*) ex Ep. 52, n. 21 s. et Ep. 54, n. 1. 4. 5; cf. etiam Ep. 57, n. 3; 67, n. 2. 4. *b*) ex eo, de quo praecise severus ille Antonianus conquestus est Ep. 52, n. 2; cf. n. 11 s.

δ) ad Ep. 13: Quod non omnibus lapsis ab initio persecutionis veniam expresse promisit, inde potuit fieri, quod novum id erat, cum longa ecclesiae quies praecessisset vel quod sive tunc sive prius nonnulli episcopi severiores se praebuerant, ideoque Cyprianus exspectare lapsos iussit, donec per synodum futuram uniformis procedendi modus statueretur, vel quod cavere voluit, ne numerus lapsorum promissa venia augeretur.

ε) ad Ep. 52, n. 23: Si communicatio et pax, quam ibi denegat, intelligenda est absolutio sacramentalis a peccatis, certe fuit particulare decretum („censuimus“), non usus universalis ecclesiae; quodsi Cyprianus tales homines non posse esse rite dispositos putavit, erravit. Verum illa communicatio et pax intelligi potest absolutio ab operibus poenitentiae cum communione Eucharistiae; quod quidem cum textu difficilius conciliatur, praesertim cum eis, qui carent „delicti poenitentia“ nulla conveniat absolutio et cum textus eiusdem epistolae paralleli aliud exigere videantur („ut nec in totum spes communicationis et pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent“; quaecumque ad pacem pertinent, facies, sed nullam pacem, quam quaeris, accipies“, „qui ex toto corde poenituerint et rogaverint, in ecclesiam debent suscipi“), sed magis consonum est cum eiusdem verbis: „In isto adhuc mundo manenti poenitentia nulla sera est.

Patet ad indulgentiam Dei aditus et quaerentibus atque intelligentibus veritatem facilis accessus est. Tu sub ipso licet exitu et vitae temporalis occasu pro delictis roges . . venia confitendi datur et credendi indulgentia salutaris de divina pietate conceditur, et ad immortalitatem sub ipsa morte transitur". Ep. ad Demetrianum.

f) Clerus Romanus haerebat in determinanda poenitentia (quoad tempus), quia pro adiunctis particularibus persecutionis illius sub Decio, quae post longam tranquillitatem irrupit, lex nulla aderat. Temperamentum vero mediocre, de quo agitur, non est interpretandum „eine kleine Milderung" (Funk), sed idem est ac media agendi ratio (cf. ibid. n. 7: „temporis facto temperamento"; et ep. 30, n. 2: „lapsorum animos temperare") statuta non ea quidem inter negatam prius veniam et nunc facillime a quibusdam concessam — alioquin enim clerus priorem ecclesiam crudelitatis accusasset, sed inter duo extrema vel per se possibilia vel duarum factionum schismaticarum, „quae tunc ecclesiam turbabant: quarum una crudeliter nimis pacem lapsis negabant, altera nimis temere et inconsiderate lapsis, licet congruam nondum egissent poenitentiam, pacem dabat" Hurter, Theol. dogm. comp. T. III., tract. 9, n. 455. Ubi mitigatio sane facta non est. Cf. „properata nimis remedia"; „intelligant non momentaneam neque praeproperam desiderare medicinam"; „praestare patientiam" „in ipsius postulationis lege"; et in Ep. 30, n. 3: „productioris temporis"; „dilatos esse"; „dilationum remediis" etc. — Nec concessiones aegrotis tunc demum factae sunt. Nam Ep. 2. inter Cypr. idem clerus scripserat ad clerum Carthaginiensem: „si, qui in hanc tentationem inciderunt, coeperint apprehendi infirmitate et agant poenitentiam facti sui et desiderent communionem, utique subveniri eis debet, sive viduae, sive clinomeni, qui se exhibere non possunt, sive hi, qui in carceribus sunt, sive exclusi de sedibus suis, utique habere debent, qui eis ministrent." Et Ep. 31, n. 2 „tenendam" scripserunt esse severitatem debitam, ergo non putabant eam esse mitigandam. Et iterum „disciplinae semper custoditam rationem" appellant, non igitur novatores.

g) Non posse Origenem hic gravioribus criminibus negare veniam manifestum est α) ex eiusdem testimonio de usu ecclesiae Alexandrinae supra relato (C. Celsum l. 3, n. 51); β) ex verbis in eodem libro De oratione paulo praecedentibus: Ὁ δὲ ἐμπνευσθεὶς ὑπὸ τοῦ Ἰησοῦ . . . ἀφίησιν ἃ ἂν ἀφῇ ὁ θεὸς καὶ κρατεῖ τὰ ἀνίατα τῶν ἁμαρτημάτων. Igitur sensus eius loci haud scio an sit: perperam quosdam veniam tribuere, antequam peccator poenitentiam convenientem egerit. Ceterum, cum l. c. de sacerdotibus agat, postquam de episcopis et presbyteris iam dixit, suspicari licet etiam id, eum de casibus reservatis loqui. Denique non spernenda est sententia eorum, qui hunc locum ita intelligunt, ut Origenes directe solum dicat, sacrificium impetratorium et propitiatorium ex disciplina recta vel Spiritus doctrina non esse offerendum pro peccatoribus omnibus, ut excommunicatis (cf. Cypriani Ep. 66, n. 2), neque orationem quandam simplicem factam pro peccatoribus insignioribus sufficere ad poenitentiam veram ipsis obtinendam proindeque absolutionem impertiendam, praesertim quidem eam, qua et secundum poenas omnes debitas culpa remittatur; quo pacto locus artius cohaeret argumento libri, qui est de oratione.

h) Gregorius l. c. tantum dubium se ostendit, qualis poenitentia imponenda sit homicidis talibus, de quibus interrogatus erat. Et ex canone sequente de raptoribus conicere licet potius auctam quam mitigatam esse severitatem.

i) Respondemus cum Palmieri (De poen. th. 9, III b) p. 93): „Si ecclesia veniam negavit idololatris, moechis, homicidis etiam poenitentibus et quantumvis poenitentibus, ea vel ab enormi inoboedientia erga Christi legem vel ab errore in fide nequit liberari: atqui id absurdum: ergo. Sane dogma fidei non est tantum potestas facta ecclesiae remittendi quodlibet peccatum, quod dogma in opinione, quam impugnamus, maneret in tuto, sed dogma est quoque necessitas exercitii potestatis huius, ut assequantur

fideles remissionem peccatorum; ita ut nisi solvat ecclesia, peccata a Deo perpetuo retineantur. Hoc posito quaerimus: Ecclesia primo et altero saeculo noverat id an ignorabat? Si noverat, noverat profecto simul obligationem sibi inesse potestatem exercendi, cum debitae condiciones adessent: neque enim pro se, sed pro aliis potestatem acceperunt ecclesiae pastores. Condiciones vero non alias ecclesia postulare poterat, quam quae possibiles sint hominibus in hac vita, quibus Deus veniam voluit semper paratam esse: cur ergo ecclesia poenitentibus et maxime poenitentibus veniam negabat? An putabat fieri per gratiam Dei non posse, ut illi homines vere converterentur et poenitentiam agerent? Id quidem haereticum fuisset; sed constat ecclesiam id non putasse iuxta ipsos adversarios, quia censebat a Deo posse hos peccatores veniam consequi, quod sine vera poenitentia fieri nequit. Si ergo ecclesia noverat necessitatem usus potestatis clavium pro obtinenda venia peccatorum, enormiter in damnum fidelium abusa fuisset sua potestate, negando etiam rite eam postulantibus absolutionem. Si autem dicas ignorasse hanc necessitatem ecclesiam, adverte, quod, cum res ageretur in quotidiana praxi sita, moraliter impossibile erat, quod non occurreret pastoribus ecclesiae haec quaestio: exercitium meae potestatis estne necessarium? Quod cum negari non possit, restat, ut haec veritas clara semper fuerit et certa in ecclesia. Sane ad hanc praxim negandae absolutionis, si serio fiebat, aliquod iudicium mentis praevertere oportebat, quod eam regeret; hinc dici nequit, quod exstiterit solum defectus iudicii huius: exercitium sc. huius potestatis est necessarium; sed oportuit esse iudicium positivum, quod solum poterat esse ratio huius continuatae negationis, seu ratio, cur censeret ecclesia se bene agere in tali administratione sacramenti, quod iudicium debebat esse hoc: exercitium meae potestatis non est necessarium; quod haereticum est. Quod quis ecclesiae tribuet? Ratum sit ergo et fixum nunquam negasse ecclesiam cuilibet peccatori rite poenitenti veniam.

Quocirca, si factum hoc demonstraretur, negatam fuisse olim ab ecclesia quibusdam criminibus veniam, consequens colligendum ex demonstratione istud unice foret: nimirum veniam et remissionem, de qua agebatur, non fuisse absolutionem a culpa coram Deo, sed fuisse remissionem totius poenae, sive, quod nunc dicimus, indulgentiam plenariam, quae poenitentiâ praescriptâ functis dabatur, quae tamen pro certis criminibus negata fuisset ab ecclesia, impetranda tantum a Deo: qua in re suo iure usa esset ecclesia."

Eos, qui similem saltem ecclesiae antiquae affingunt severitatem, simili modo refutare possumus. Ita idem scriptor p. 95: „Si negabatur, inquit, venia pro peccatis admissis post sollemnem poenitentiam, vel id ex eo erat, quod deesset potestas remittendi crimina relapsis, vel quod necessarium medium pro obtinenda remissione credebatur poenitentia sollemnis aut publica, vel quod credebatur non posse vere poenitere eos, qui rursus peccassent. Atqui primum est evidenter falsum: secundum tum se ipsum destruit, — nam si id creditum fuisset, fuisset et pluries concessus locus humillimae poenitentiae, — tum falsum est, quia non omnibus peccatoribus nec omnibus delictis dabatur ea poenitentia; tertium absurdum est; ergo."

Ceterum primo saeculo poenitentiam multo mitiorem fuisse quam tempore Novatianorum conici potest vel ex usu vocabuli exomologesis pro poenitentia publica; qui certe oriri non potuit nisi eo tempore, ubi confessio peccatorum in tota poenitentia fuit maximum et insignissimum. Cf. Bickell in Ztschrft f. kath. Theol. Innsbruck 1877, p. 420.

Ad 10. Veniam clinicis saltem generaliter in universa antiqua ecclesia negatam non esse patet:

A. ex Caelestino, qui scripsit ad episcopos provinciae Viennensis et Narbonensis, ut „disciplinam ecclesiasticam" ibi restitueret: „Agnovimus poenitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantae impietatis aliquem reperiri, qui de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere et periclitantem sub

onere peccatorum hominem, pondere, quo se ille expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere eiusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere . . . Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore praeteriti poenitentiam denegarit. Et desperavit de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non credit."

B. ex Leonis M., Ep. 108 ad Theodorum episc. Foroiul. c. 1: „Quid, de poenitentium statu ecclesiastica habeat regula, non tacebo." c. 4: His . . . qui in tempore et in periculi urgentis instantia praesidium poenitentiae et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniae moras conversio". c. 5: „Verum, ut dixi, etiam talium [qui „ad paucarum horarum se reservant incertum"] necessitati ita auxiliandum est, ut et actio illis poenitentiae et communionis gratia, si eam etiam amisso vocis officio, per indicia integri sensus postulant, non negetur".

C. ex Dionysii Alex., Ep. ad Cononem, n. 2: Καὶ τοὺς πρὸς τῇ ἐξόδῳ γινομένους τοῦ βίου, εἰ δέοιντο καὶ ἱκετεύοιεν ἀφέσεως τυχεῖν . . . καὶ τούτους ἐλευθέρους παραπέμπειν τῆς θεοπρεποῦς ἐστι πολιτείας καὶ φιλανθρωπίας. Cf. etiam Augustin., De adult. coniug., l. 1, c. 28.

D. ex decreto Conc. Nicaeni, c. 13: Καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς οὕτινος ουν ἐξοδεύοντος, αἰτοῦντος τοῦ μετασχεῖν εὐχαριστίας, ὁ ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας ἐπιδότω.

Sed nec ulla argumenta videntur adesse, quae saltem alicubi talem usum viguisse probent.

Nam *a*) Cyprianus l. c. loquitur imprimis tantum de lapsis. Quomodo vero hic locus explicari possit, iam monuimus in responso ad dub. 9, *e*), ε.

b) Respondet Collet (Migne, C. th. XXII., col. 543): „Cum ad sacram synaxim digni etiam requiruntur poenitentiae fructus, non minus de Eucharistia, quam de absolutione, intelligi potest praedictus canon".

c) Respondemus, si Innocentius voce communionis intellexisset absolutionem a peccatis, nisi de priore observatione erravit (Heinrich, Dogmat. Theol. X. Bd., S. 43 § 562) potuit tantum aliquem particularem usum veniae recusandae clinicis respicere. At reapse intellexit Eucharistiam. Nam α) poenitentiam concedi sine absolutione Novatianorum erat, non ecclesiae catholicae; β) sane „durior remissio" etiam est remissio: γ) cf. Pius VI., Bull. Auctorem fidei. — Ad difficultatem ex verbo „securos" respondet Collet (Migne col. 545): „Etsi non omnino deerat securitas reconciliationis cum Deo, qualis sc. per absolutionem et contritionem haberi potest, at deerat securitas publicae cum ecclesia reconciliationis. Unde cum ii, qui hactenus steterant in fide, viderent lapsos perinde ut excommunicatos haberi, non dubium est, quin a labendi tentatione potenter retraherentur. Ecquis, ut composita sunt hominum ingenia, non magis ab adulterio abstineat metu excommunicationis denuntiandae, quam sibi denegandae a confessario absolutionis? Adde, quod longe securius salutem sperare posset, qui eius in Eucharistia pignus recipiebat, et sollemniter ecclesiae reconciliatus per impositionem manuum, suffragiis eius adiuvabatur, quam qui, ut gravius lapsi, hisce praesidiis destitutus erat". Deinde, quod communio illa concessa est in oppositione ad Novatianos, attendatur oportet non dici: ne sequamur, sed ne sequi videamur. Scilicet „cum Novatiani ex sua sententia et veniam et reconciliationem cum ecclesia sacramque communionem negandam esse lapsis contenderent, qui primo, quod frequenter secreto fiebat, concesso, alterum, quod omnibus notum esse poterat, negabat, poterat vulgo videri subsequi duritiam Novatiani". Palmieri, De poen. th. 9, III., a. Denique quod dicitur „ut a perpetuo exitio vindicentur", hic effectus intentus si tribuitur etiam communioni eucharisticae, quod is, qui eius expers est, non habebit vitam aeternam, nostra in praesens non interest, dummodo id componatur cum verbis „ne totum penitus negaretur" et „duriorem remissionem fecit temporis ratio".

Ad 11. Respondemus *A.* a priori: Talis disciplinae sequela esset desperatio. Cf. Augustin., Serm. 352., n. 9.

B. Parvum fuisset discrimen inter Novatianos et catholicos, cum illi semel, hi bis remisissent; et argumenta horum facile a Novatianis retorta essent.

C. Melior fuisset condicio eorum, qui ante mortem demum poenitentiam agere decrevissent, cum incertitudo bene moriendi alioqui maior fuisset.

D. Auctor vetustus libri de vera et falsa poenitentia n. 13 scribit: „Oportebat enim, ut quoties videbat eos cadere, toties adiuvaret eos surgere. Memor enim erat illius, qui dixerat »Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.« Scimus autem primos patres et in omni tempore ecclesiam Dei semper usque septuagies septies, quod est semper, peccata dimittere. Quam potestatem illi ab ecclesia Dei conantur auferre".

E. Siricius scribit ad Himerium Ep. 1, n. 6: „De his vero incongrue dilectio tua apostolicam sedem credidit consulendam, qui acta poenitentia tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeuntes, et militiae cingulum et ludicras voluptates et nova coniugia et inhibitos denuo appetivere concubitus, quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia iam suffugium non habent poenitendi [nota, quid hoc significet!], id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione iungantur, sacrae mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; a dominicae autem mensae convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, et ipsi in se sua errata castigent et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscoenis cupiditatibus retrahantur. Quos tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum coeperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam et circa mulieres, quae se post poenitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus".

F. Cf. quod supra (Prob. 3⁰. a, γ) diximus de causa Marcionis; et Iren., l. 3, c. 4; Gregorius Naz. Or. 39, n. 18; Barnabas Ep. c. 19; Doctrina duodecim apostol. XIV., 1.

Nec argumenta contraria insolubilia sunt. Nam

a) Sec. Conc. Tolet. III. damnandi sunt relapsi ad satisfactionem, non simpliciter.

b) Quid voce communionis haec synodus intellexerit, iam supra inquisivimus.

c) Verum est, dictum tale nostro tempore nulli crimini vertendum esse; at ex Socratis verbis conicere licet actum esse de poenitentia publica sollemni, quae tunc semel tantum concedebatur.

d) Patres, cum de poenitentia simpliciter loquuntur, intelligunt poenitentiam publicam sollemnem. Cf. Augustin., Ep. 265 ad Seleucian. n. 7: „qui proprie poenitentes appellantur"; Conc. Toletanum I. (a 400) cn. 2: „Poenitentem vero dicimus de eo, qui post baptismum aut pro homicidio aut pro diversis criminibus gravissimisque peccatis publicam poenitentiam gerens sub cilicio divino fuerit reconciliatus altario". Conc. Illiberritanum can. 14: „Virgines, quae virginitatem suam non custodierint, si eosdem, qui eas violaverint, duxerint et tenuerint maritos, eo quod solas nuptias violaverint, post annum sine poenitentia reconciliari debebunt". Ubi sane, cum reconciliandae essent, sacramento poenitentiae ad delendam causam excommunicatis opus fuit.

Ad locum Hermae attende, quid ibidem (n. 3.) rationis subdat: δυσκόλως γὰρ ζήσεται; Hermas etiam unam poenitentiam denegat eis, qui in futuro Christiani fient (ibid.).

Difficilior multo est locus Origenis, ubi concessa pro levioribus peccatis iterata poenitentia, gravioribus negari videtur. Nec Hom. 11 in Levit. n. 2, fin. satis clare oppositum tuetur, ut inde nobis conciliari possit. Nec effugium patet, graviorum criminum reis demum ante mortem tributam esse absolutionem. Cf. C. Cels. l. 3, n. 51. Nec Oswaldii „paraenetici respectus" difficultatem tollunt. Sed fortasse de plena reconciliatione locutus est, qua

peccata „redimantur". Ceterum, si in Africa talis fuit disciplina, ut relapsis in quaedam crimina negaretur usus clavium, id certe non pertinebat ad ecclesiam universam. Cf. Heinrich, Dogm. Theol. X., p. 44 s. (§ 562).

Ad Clementem Alex. respondemus cum Collet (Migne l. c., col. 695) „ex obiecto textu tantum sequi suspectam fuisse Clementi continuam peccatorum et poenitentiarum vicissitudinem, non tamen absolute reiectam ab eo poenitentiam secundam, 1⁰ quia hanc de facto supponit; ut quid enim poenitentias sibi invicem succedentes redarguit, si has prorsus ignoraret ecclesia? 2⁰ quia alioqui mortaliter quocumque in genere lapsus numquam per poenitentiam denuo resurgere potuisset [cf. Origenes, Hom. 15 in Levit. n. 2]; 3⁰ quia passim ut alii Patres hortatur Clemens lapsos ad poenitentiam. Frustra autem iuxta eosdem Patres esset poenitentia, nisi speraretur venia".

Ad Tertullianum respondet Simmonet (Instit. th., De poen. p. 582) ideo loqui eum de sola poenitentia publica, quia ei immorari voluit, quae specialem cum baptismo similitudinem habet. — Quod Ambrosius adiungit in fine l. c., urgendum non est.

Ad rationes Witassii in explicando Augustino allatas Collet respondet (Migne l. c. col. 696): α) „Potuit Macedonius, vir laicus, iurisque scientior quam ecclesiasticarum rerum, non cognovisse totam ecclesiae agendi rationem, quod saepe saepius in multis huiusmodi saecularibus viris, ingenii ceterum acuti, perspeximus. Potuit nullam veniae in extremis tantum concedi solitae habere rationem; quam et frustra allegasset Augustinus; ut episcoporum sollicitationes tueretur, quia hi non pro iam morituris, sed pro valentibus intercedebant. Denique ex Macedonii textu nude spectato nemo est, qui statim non inferat mortalia quaecumque peccata semel tantum in ecclesia veniam habuisse; quod nemo dicere ausit. β) Ut ex ambigua Augustini locutione nihil certi adversum nos deduci possit, sufficiunt duo, 1⁰ ut aliam a publica poenitentiam indirecte astruat; 2⁰ ut graves habuerit causas eam disertius non exprimendi. Atqui 1⁰ aliam a publica poenitentia poenitentiam indirecte astruit; docet enim huiusmodi lapsos utiliter poenitere posse; unde eis negat esse desperandum; atqui generale est Augustini principium, neminem utiliter poenitere, nisi qui sub clavium ministerio poenitentiam agat (Serm. 392, c. 3) . . . 2⁰ suas habuit rationes subobscure loquendi; sc. ss. doctores publicam adeo poenitentiam commendabant, ut aegre alterius meminissent. Quin et, ut a peccato retraherent, vix novam post baptismum poenitentiam indicabant, quod egregie evincit id Tertulliani l. de poenit. c. 7: »Piget secundae, immo iam ultimae spei subtexere mentionem, ne« etc. Quid mirum ergo, si ulteriorem poenitentiam persaepe reticebant, quos vel secundam post baptismum recensere pigebat?"

e) Ad istud respondemus cum Palmieri (De poen. th. 9, III., c, p. 96): „haec non iudaice spectanda esse sed christiane. Poenitentia publica non erat poena aliqua, qua in vindictam criminis etiam invitus plecteretur; sed erat reapse beneficium [cum tota ecclesia pro eis oraret], quod petendum erat et non nisi petentibus concedebatur, eaque functis ab ecclesia non solius culpae, sed totius quoque poenae remissio concedebatur. Qui vero eam poenitentiam sollemnem meruissent nec petebant, removebantur certe a sacramento altaris participando, et a consessu fidelium in ecclesia, nam et ipsi poenitentes ab his arcebantur: quae est excommunicatio quaedam, qua adigebantur peccatores ad petendam poenitentiam, ut tandem cum ecclesia et Deo reconciliarentur. De qua excommunicatione loquens Augustinus, Ep. 108 ad Seleucianum ait: „Agunt homines poenitentiam, si post baptismum ita peccaverint, ut excommunicari et postea reconciliari mereantur, sicut agunt in omnibus ecclesiis illi, qui proprie poenitentes appellantur". Et Auctor Serm. 261 in append. op. Augustini: „Qui poenitentiam petit excommunicari se supplicat. Ideo enim se excommunicari rogat, quia ad percipiendam Eucharistiam Domini indignum esse se iudicat". Erat autem poenitentia sollemnis medium maxime idoneum ad satisfaciendum

Deo et reconciliationem cum eo assequendam [cum poenis se cogerent id observare in posterum, quod ex gratitudine pro baptismo non observarant]. Si ergo animae negotium spectetur, falsum est fuisse in meliore condicione relabentes, quam primo labentes. Graves autem rationes esse poterant, cur poenitentia publica non sineretur iterari, nimirum, ut Augustinus ait, ne frequentia sua vilesceret; et quia reapse opus erat longum (si saltem ratio habeatur legis scriptae; quoad praxim enim fere totum in arbitrio episcopi positum erat), laboriosum, plurima exigens, quae difficile ab omnibus nec saepius generatim praestari possent". Cf. Francolini, Clericus Romanus l. 1, disp. 5, n. 16 (Vet. ecclesiae severitas). Faure in annot. ad s. Augustini Euchiridion n. 64 ss.

Ad 12. Leo loquitur de poenitentia publica. „Nimirum cum in poenitentia publica fideles et potissimum sacerdotes imponentes manum orarent pro poenitentibus eorum orationes flagitantibus, non videretur autem decere sacerdotem, qui pro aliis ex officio tanquam mediator Deum inter et homines orare debet, aliorum orationes in publico ecclesiae conventu postulare, quod et illud scripturae testimonium suadet, statuerunt apostoli, ne sacerdotes publice poenitentiam agerent". Palmieri, De poen. th. 9, III., *d*). Pergit autem Leo, l. c.: „Unde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit condigna, sit etiam fructuosa".

Qui fuerit usus de clericis optime docet nos Basilius, Ep. ad Amphilochium, can. 3: „Διάκονος, μετὰ τὴν διακονίαν πορνεύσας, ἀπόβλητος μὲν τῆς διακονίας ἔσται· εἰς δὲ τὸν τῶν λαϊκῶν ἀπωσθεὶς τόπον, τῆς κοινωνίας οὐκ εἰρχθήσέται. Διότι ἀρχαῖός ἐστι κανὼν τοὺς ἀπὸ βαθμοῦ πεπτωκότας τούτῳ μόνῳ τῷ τρόπῳ τῆς κολάσεως ὑποβάλλεσθαι, ἀκολουθησάντων, ὡς οἶμαι, τῶν ἐξ ἀρχῆς τῷ νόμῳ ἐκείνῳ τῷ· Οὐκ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό'· [Nahum 1, 9] καὶ δι' ἑτέραν δὲ αἰτίαν· ὅτι οἱ μὲν ἐν τῷ λαϊκῷ ὄντες τάγματι, ἐκβεβλημένοι τοῦ τόπου τῶν πιστῶν, πάλιν εἰς τὸν ἀφ' οὗ ἐξέπεσον τόπον ἀναλαμβάνονται· ὁ δὲ διάκονος ἅπαξ ἔχει διαρκῆ τὴν δίκην τῆς καθαιρέσεως". — Cn. 32: „Οἱ τὴν πρὸς θάνατον [cf. cn. 69 et 70] ἁμαρτίαν ἁμαρτάνοντες κληρικοὶ τοῦ βαθμοῦ κατάγονται, τῆς κοινωνίας δὲ τῶν λαϊκῶν οὐκ ἐξείργονται. Οὐ γὰρ ἐκδίκησις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό". Cf. cn. 51. — Cf. etiam Canon. apost. 25; 26; 32; 63; 64; 65; 66; 69; 70; 84. — Conc. Agathense, cn. 50 decrevit: „Si episcopus, presbyter aut diaconus capitale crimen commiserit aut chartam falsaverit aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus in monasterium retrudatur et ibi, quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat". Quod ipsum fere ad verbum statuit Concilium Epaunense, cn. 22. — S. Augustinus, De bapt. contra Donat., l. 1, monet non consuevisse ecclesiam ordinatis ad ecclesiam redeuntibus manus imponere inter laicos, innuens impositas quidem manus fuisse, sed procul a laicis et in loco secreto. Similiter Isidorus, De ecclesiasticis officiis, l. 2, c. 6 agens de clericorum laicorumque diversa poenitentia: „A sacerdotibus et levitis, inquit, Deo tantum teste fit poenitentia, a ceteris vero adstante coram Deo sollemniter sacerdote". Cf. B. Francolinus, Clericus Romanus [2] (Augustae, Vindelicor. 1796), l. 1, disp. 1, n. 3.

V. p. Usus per totam ecclesiam inveteratus.

Dub. 1. Solus Deus potest dimittere peccata, sacerdos tantum poenas. Hoc docet Albertus M. in l. 4. dist. 18, a. 5: „Dicendum, quod homo non remittit peccatum ex parte culpae, quia hoc solius Dei est facere; sed per ministerium suum remittitur ei pars poenae, quandoque in actu, quandoque etiam clave exsistente in voto, et hoc virtute passionis Christi, quae est in clavibus, et non virtute ministri . . . Ad hoc, quod obicitur de Ioanne, dicendum, quod intelligitur de remissione peccati ex parte poenae." Ibid. art. 7: Dicendum, quod sacerdos non potest absolvere a culpa et poena aeterna; cf. a. 9. Similia docent Hugo Victorinus, De sacramentis l. 1, p. 14, c. 8. Richardus de s. Victore, De potest. lig. atque solv. p. 1, c. 12. Cf. Medina, De poenit. tract. 2, qu. de eff. absolut.

Item Alexander Al. 4. p., qu. 80, memb. 1. Bonaventura d. 18 ar. 1, q. 1. 2. Cf. Mich. Buchberger, Die Wirkungen des Busssacramentes nach der Lehre des h. Thomas von Aquin. Freiburg 1901. S. 41 ff.; W. Rütten, Studien zur mittelalterlichen Busslehre. Münster i. W. 1902.

Dub. 2 Ecclesia non habet potestatem peccata retinendi. Haymo († 853), Hom. de temp. 81: „Ipsa remissio septem modis efficitur. Primo per sacramentum baptismatis. Secundo per Eucharistiae perceptionem. Tertio per martyrium. Quarto per eleemosynam. Quinto per poenitentiam. Sexto per caritatem. Septimo, quando in nobis peccantibus dimittimus.“ Cf. In Hebr. c. 6. Iam vero qui docet peccata tot mediis posse deleri, negat retinendi potestatem. Eodem modo loquuntur v. g. Theodulphus († 813), Rabanus Maurus († 856). Is, De modo poenitentiae l. 3, c. 23 insuper ait: „Quodsi verecundia petrahente revelare coram hominibus erubescis, illi, quem latere non possunt, confiteri ea iugi supplicatione non desinas ac dicere ei: Iniquitatem . . . Ps. 50, 5.“ In fine dicit de omnibus mediis enumeratis: „Quae etiamsi haec omnia fecerimus, non erunt idonea ad expiationem scelerum nostrorum, nisi ea bonitas Domini clementiaque deleverit, qui cum religiosi conatus obsequia supplici mente a nobis oblata perspexerit, exiguos parvosque conatus immensa liberalitate prosequitur.“ — Rupertus Tuitiensis († 1135), De div. off. l. 4, c. 16 censet: „Per privatam correctionem poenitentibus confestim venia peccatorum affluit. Cum autem quis secreto correptus inter te et ipsum solum non audierit, postquam ecclesiae dictum fuerit, non tam facilis indulgentiae leniendus erit oleo, sed congruae poenitentiae secandus cauterio.“ — Petrus Lombardus († 1164) l. IV. sent. dist. 18.: „Etsi aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie ecclesiae solutus habetur, nisi per iudicium sacerdotis.“ — [Gratianus], Dist. de poenit. doceri refert „sola cordis contritione et secreta satisfactione absque oris confessione posse Deo reconciliari.“

Dub. 3. Ecclesia habet tantum potestatem declarandi remissa esse peccata. Ita Hericus Antisiod., Hom. in die apost. Petri et Pauli docet: „Quin etiam omnibus episcopis ac presbyteris in ecclesia idem officium committitur, ut videlicet agnitis peccantium causis iuxta modum culparum vel poenitentiae ligandi atque solvendi exerceant potestatem . . . . Perspecta igitur causa peccati, quos viderint digna compunctione errata delere, hos a vinculis aeternae mortis pronuntient absolutos; quos vero probaverint segnes esse in poenitentia agenda, nec solum peccata non placere, verum in illis velle permanere, illos debent damnationis perpetuae suppliciis adiudicare, ut sic apertae damnationis exprompta destrictione, salubria poenitentiae et humilitatis decreta cogantur subire.“ — Haymo, Hom. de sanctis III. fin.: „Nec solum apostolis haec potestas data est, sed etiam episcopis et sacerdotibus . . . non quod ipse leprosum mundare, aut mundatum leprosum facere possit, sed quia ad ministerium ipsius sacerdotis pertinet, ut discernat inter lepram et lepram, id est inter peccatum maius et minus“. Cf. Hom. de te temp. 81, ubi idem repetit, postquam gratiam Io. 20, 21 concessam magnam appellavit; ubi addit: „Illos enim sua sententia pastor absolvere potest, quos viderit per compunctionem cordis et dignam emendationem a Deo esse solutos.“ — Similia invenies ap. Petrum Lomb. l. 4., dist. 18; Bonaventuram in 4, art. 2, q. 1; Alex. Al., ibid. q. 21; Io. Maiorem, dist. 14, q. 2.; Gabrielem qu. 1. art. 1. et álios. — Cum hoc cohaeret certitudinis defectus, qui nonnumquam apparet. Ita Rabanus Maurus, De modo poen. l. 3, c. 3: „Quisquis autem positus in ultima necessitate aegritudinis suae, acceperit poenitentiam et mox reconciliatus fuerit et transierit de corpore, fateor, non illi nego, quod petit, sed nec praesumo dicere quia bene hic exiit, non polliceor, non dico, neminem fallo, neminem decipio, non penitus promittitur“. Cf. ibid. paulo post: „aut ignoscitur tibi aut non ignoscitur, quid horum tibi futurum sit ego ignoro“.

Dub. 4. Poenitentia, qua remittuntur peccata, est sola virtus. Alcuin., De div. officiis c. 55: „Ut sicut in baptismo iniquitates remitti vel per martyrium nulli peccatum credimus imputari, ita poenitentiae com-

punctione fructuosa fateamur deleri peccata". Cf. Opusc. de confess. peccator., ubi attende rationem, cur confessio commendetur. Quapropter dicere potuit (De div. off. c. 41): „Remissionem peccatorum credo esse in ecclesia primum per baptismum, deinde per martyrium, demum per eleemosynam, postmodum per orationem et cetera bona opera." — Nec alia media novit Paulus diaconus in hom. 192: „Quid, obsecro, proderit nobis baptizatos esse, animas nostras saepius afflixisse ieiuniis, vigiliis et ceteris operibus poenitentiae, eleemosynas quoque pauperibus distribuisse, ut remissionem acciperemus peccatorum, si peccata nostra, quae his remediis iam nobis a Deo dimissa sunt, iterum pravitate nostra adversus nosmetipsos suscitamus." — Item Rabanus Maurus poenitentiam tantum ut virtutem affert (cit. Ps. 6, 31), dum — enumeratis sacramentis („Sunt autem sacramenta: baptismus et chrisma, corpus et sanguis Domini") de remissione peccatorum loquitur (De universo l. 5, c. 11.). Cf. De clericor. institutione l. 1, c. 24. — Nec Amulo sacramentum poenitentiae novit: secundum eum (Ep. 2 ad Gothescalcum) sacramenta sunt: „exorcismus, baptismus, chrisma et Eucharistia ac manus impositio." Cf. Beda In Mt l. 2, c. 12. — Sic et Rupertus Tuitiensis, De div. off. l. 5, c. 19 baptismo non absolutionem opponit sed lacrimas. — Petrus Damianus († 1073), Serm. 69 confessionem vocat quidem sacramentum, sed non nostro sensu, ut patet ex exemplis David, Petri, Magdalenae; ceterum 12 sacramenta nominat, inter quae non est Eucharistia, sed dedicatio ecclesiae etc. Item Serm. 51. tantum de virtute confessionis loquitur, „cui tam veteris testamenti quam novi tota servit auctoritas".

Dub. 5. Ecclesia de peccatis post baptismum commissis nihil nisi orare potest. Id constat ex ritibus ecclesiarum. Ita a Coptis Deus oratur, ut ostendat misericordiam suam, rumpat vincula peccatorum nostrorum etc.; similiter a Nestorianis (sec. patriarcham Jesujabum), ut peccatorem clementia sua purget ab omni macula. (Cf. Renaudot t. 5, l. 4, c. 3). Item secundum Euchologium (ed. Venet.) sacerdos tantum rogat, ut Deus peccatori per se omnia dimittat et in hac vita et in futura et indemnatum eum sinat coram terribili suo tribunali. Quibus dictis poenitentem monet, ne propter peccata commissa timeat. Ipse Arcudius, qui totus in eo fuit, ut Latinis Graecos hac in re conciliaret, fatetur (De poen. l. 4, c. 3) in nullo Graecorum Euchologio aliam inveniri absolutionis formam nisi deprecativam. Idem et in ecclesia occidentali prioribus saeculis solum in usu fuit. Alcuinus, De divinis officiis c. 13, ubi omnia ad confessionem pertinentia accuratissime describit, sacerdotem tantum hoc modo super poenitente orantem facit: „Exaudi Domine preces nostras et tibi confitentium parce peccatis et sim. Idem in baptismo sane formulam: Et ego te baptizo in nom. P . . . refert ibid. c. 19. — Idem clare proponitur a Guilelmo Parisiensi, De sacr. poen. c. 9: „Neque more iudicum forinsecorum pronuntiat confessor: Absolvimus te, non condemnamus, sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem et remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat". — Etiam Thomas Aq. Opusc. 22. ad illud adversarii sui „Vix anni triginta elapsi sunt, cum omnes sola forma deprecativa uterentur" non aliud respondet quam eum „de omnibus testimonium perhibere non posse, qui omnes non vidit; sed certum esse, „quoniam sunt mille ducenti anni et amplius, quod dictum est Petro: „Quodcumque solveris" etc. Cf. etiam Egberti Ordinem ad infirmo poen. dandam.

Idem patet ex dictis scriptorum illius aetatis. Petrus Damianus, l. 5. Ep. 2; „Et non solum pro hoc, sed et pro cunctis, quae tibi supra confessus sum, continuas Deo preces fundere atque apud divinas aures misericordiae mihi locum studeas impetrare". Propterea secundum eundem ab efficacia verorum sacramentorum (baptismi, consecrationis) omnino differt oratio super poenitentem. De hoc cf. libri Gomorrhiani c. 7 cum libro „qui appellatur Gratissimus" c. 20; c. 9. — Hericus Antissiodorensis (in Hom. Pauli diaconi 176) ita sentit: Multiplex enim Dei misericordia hanc praelatis ecclesiae sacerdotibus potestatem contulit, ut et confitentibus poenitentiae sanctionem darent, et eadem salubri satisfactione purgatos, ad ianuam reconciliationis etiam admitterent, sic divinae voluntatis praesidiis

ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri". Cf. etiam Anonymi ex saec. XI. epist. ap. Migne t. 156, c. 693 ss. etc.

Dub. 6. Ecclesia tantum suam offensam condonare potest. Id probatur imprimis ex usu liturgico vocabulorum „ligare" et „solvere" pro epitimias imponere (excludere ab Eucharistiae participatione) easque solvere. Ita his vocibus ecclesia orientalis utitur (cf. Eucholog. ed. Rom. p. 333). — Idem testatur Beda. In Lc. 5, 17: „Quisquis vel haeretica pravitate vel superstitione gentili, vel Iudaica perfidia, vel etiam schismate fraterno, quasi vario colore per Domini gratiam caruerit, necesse est ad ecclesiam veniat coloremque fidei verum, quem acceperit, ostendat. Cetera vero vitia tanquam valetudinis et quasi membrorum animae atque sensuum, per se ipsum interius in conscientia et intellectu Dominus sanat et corrigit. Cf. in ep. Iacobi 5, 16.

Dub. 7. Saltem venialia peccata ab ecclesia remitti non possunt. Goarius enim in Eucholog. p. 697 sic describit Graecorum disciplinam: Patres spirituales sedentes poenitentes pro exomologesi audiunt. Si leves et venia dignas culpas apprehenderint, nullam adhibent solutionem, sed de pio quodam opere exercendo monitum amice reddunt etc.

Etiam hanc partem suppeditare, unde potestas clavium probetur, probatur 1⁰: Omnes ecclesiae tenent traditam sibi esse a Domino potestatem remittendi peccata omnia post baptismum commissa. In ritu Syrorum (Dionysii Barsalibi) sacerdos poenitenti confesso dicit: Ego dimitto tibi hic et Deus in caelo. Et quia haec mihi hic revelasti, iam non revelabuntur in die iudicii nec eorum poenam lues. — In ritu Armenorum poenitens rogat: Sancte pater, te habeo mediatorem reconciliationis et intercessorem apud Filium unigenitum et rogo, ut per potestatem tibi datam, me a vinculis peccatorum meorum liberes. Et sacerdos eum absolvit his verbis: Et ego virtute sacerdotalis ordinationis, ex potestate divinitus concessa iussuque divino: Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo, secundum haec verba absolvo te ab omni vinculo peccatorum tuorum, a cogitationibus, verbis, operibus in nomine Patris et Filii et Spiritus s. et restituo te in priorem statum per sacramentum ecclesiae et quidquid boni feceris, in auctum meritorum tuorum et in gloriam vitae aeternae tibi tribuatur. — In ritu Coptorum provocatur ad potestatem ap. Io 20, 23 collatam. Ceterum cf. P. Paez, Historia aethiopica (Rerum Athiopicar. scriptores orientales vol. II. R. 1905) l. 2, c. 10. — In ritu Russorum sacerdos admonens confessurum sic loquitur: Točiju potščisja sokrušitisja serdcem tvoim o vsěḫ grěsěḫ tvoiḫ, i tyja Gospodu Bogu tvoemu, nevidimo s nami sušču, predo mnoju smirennym, vlasť razrěšenija ot Nego priemšim, istinno ispovědati" . . . et „Izpověžď sam na tja bezzakonija tvoja predo mnoju grěšnym, da priem razrěšenie, svobodišisja ot uz grěḫovnyḫ, očistisja, i iscělen budeši duševno blagodatiju Boga". Absolvens autem dicit: „Gospod' i Bog naš Iisus Ḫristos, blagodatiju i ščedrotami Svoego čelověkoljubija da prostit ti, čado N. N., vsja sogrěšenija tvoja: i az nedostojnyj ierej, vlastiju Ego mně dannoju, proščaju i razrěšaju tja, ot vsěḫ grěḫov tvoiḫ, vo imja Otca i Syna i Svjatago Duḫa. Amin"! — Graeci provocant ad Io 20, 23 et secundum Euchologium ed. Rom. sacerdos absolvens dicit: *Αὐτὸς ἐξ ὕψους παρίδοι σοι πάσας τὰς ἁμαρτίας καὶ τὰ πλημμελήματά σου.*

Ἐγὼ δὲ ὁ ἀνάξιος αὐτοῦ δοῦλος ἐξ ἐκείνων λαβὼν τὰς ἀφορμὰς τὸ αὐτὸ ποιεῖν· ἀπολύω σε ἀπὸ παντὸς ἀφορισμοῦ καθ' ὅσον δύναμαι καὶ σθένω, καὶ σὺ χρείαν ἔχεις. — In ecclesia occidentali secundum antiquum Ordinem Romanum sacerdos absolvens plures dicit: „Nos etiam secundum auctoritatem nobis indignis a Deo concessam absolvimus vos ab omni vinculo delictorum vestrorum, ut mereamini habere vitam aeternam“; absolvens autem unum dicit: „Dominus Iesus, qui dixit apostolis: Quaecumque ligaveritis etc., ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis. In Sacramentario ecclesiae Turonensis sacerdos his verbis absolvit: „Absolvimus vos, fratres, ab omnibus peccatis vestris“. Simili modo sec. Codicem Rhemensem: „Ego divinitus vos absolvo a vinculis peccatorum vestrorum“.

2⁰ Idem docent scriptores illius aetatis. Gregorius M., Hom. 26 in Io 20: „Ecce principatum superni iudicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Horum profecto nunc in ecclesia episcopi locum tenent. — Alcuin, Ep. 112: „Foetentem in mala consuetudine peccati, dum lacrimas poenitentiae elicit ex corde, suscitat et ex ecclesiastica auctoritate solvere iubet, ut dignus sit communione Domini et particeps sacri altaris efficiatur . . . ut non ad iudicium damnationis, sed ad salutem sanctificationis communicet corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi“. — Haymo, Hom. de temp. 126: „Nam, ut ostenderet ad iudicium sacerdotum peccata esse liganda atque solvenda, Lazarum . . . non prius abire permisit, quam a discipulis solveretur“. — Rabanus Maurus, In Eccli l. 5, c. 1: „Qui cum mortem impii nollet, quantum ut revertatur et vivat, dedit ecclesiae suae Spiritum s., ut cuicumque in eo peccata dimitteret, dimitterentur ei. Qui vero huic dono exstiterit inimicus, ut non illud per poenitentiam petat, sed ei per poenitentiam contradicat, fit irremissibile; non quodcumque peccatum, sed contempta vel etiam oppugnata ipsa remissio peccatorum. Atque ita dicetur verbum contra Spiritum s., cum ex dispersione ad congregationem nunquam venitur, quae ad remittenda peccata accepit Spiritum sanctum“. Cf. Praefat. ad De quaestionib. canonum poenit.; De modo poen. l. 3, c. 2. — Anselmus in Elucidario: „Sicut in baptismo originalia, ita in confessione remittuntur peccata actualia.“ — Rupertus Tuitiensis, In Io c. 11: Funibus peccatorum suorum sub lapide clausus tenetur [Lazarus] . . . Statim prodit, reatum suum confitetur, et quia iam vivit, solvite illum, inquit Iesus. Dixit enim: Quaecumque etc“. — Cf. Hildebertus Cenomanensis († 1133) Serm. 30. — Ceterum v. Natal. Alex., Diss. in saec. 13. et 14., § 35.

Hinc patet sententiam illam, poenas solas remittendi potestatem esse penes ecclesiam vel potius per absolutionem sacerdotis tantum poenas deleri fuisse erroneam quorundam explicationem. Ceterum eorum opinionem in suae favorem explicat Amort, qui dicit: „verba absolutionis tanquam constitutiva iudicii ecclesiastici circa actus internos pro obiecto immediato habent absolutionem a rigorosa obligatione satisfaciendi iuxta arbitrium offensi in ordine ad remissionem culpae“. Quod fortasse etiam Oswald sensit, urgens maxime vocabulum ligandi, quo significari vult satisfactionem imponere compensatoriam. Cf. thes. 15, Decl.

Deinde sententia eorum, qui absolutionem esse declaratoriam censebant, multum differt a sententia evangelicorum. Dicunt enim illi *a*) contritionem non delere peccata, nisi in ordine ad claves ecclesiae. *b*) absolutionem producere secundam gratiam vel gratiae sanctificantis augmentum. Ita A. Vega in decr. Trid. l. 13, c. 33: „Et ad augmentum gratiae et ad remissionem poenae debitae pro peccatis omnibus rite sua peccata confessis utilem eam esse tradiderunt, et hac ratione tueri eos possumus, ne videantur adversari definitionibus ecclesiae". Praeterea ad rem explicandam notat Billot (De sacr. l. 2, th. 22 fin.): In summa, Magister Sententiarum et qui eiusdem cum eo opinionis erant, duo haec explicite confitebantur: ministerium remissionis peccatorum esse penes sacerdotes, sed penes solum Deum esse auctoritatem, i. e. potestatem principalem . . . Nunc autem in assignanda habitudine ministri ad principalem potestatem veteres illi magistri difficultatem inveniebant . . . Ideo potestatem clavium opinabantur esse potestatem remittendi peccata non ratione cuiusdam inditae virtutis instrumentalis, sed solius comitantis operationis Spiritus sancti; et hoc ipsum rata sententia minime affirmabant, sed timide et more eorum, quibus nihil melius interim dicendum occurrit".

Quod dubitationem ex forma deprecatoria absolutionis ortam attinet, optime notat Chardon, Hist. des sacraments, Pénit., S. 4, ch. 1: S'il y eut jamais un acte juridique dans l'Église, et qui requît que l'énoncé en fût indicatif, c'est l'absolution de l'excommunication, qui consiste principalement dans le rétablissement d'une personne dans tous les droits extérieurs attachés à la communion des fidèles; depuis longtemps même, l'excommunication est un acte judiciaire du for externe séparé de l'intérieur; cependant l'absolution ou la révocation de la sentence d'excommunication se faisait autrefois par des prières ou en forme déprécatoire, quoique de tout temps la sentence de l'excommunication ait été énoncée en termes indicatifs, comme il paraît par celle qui fut fulminée au concile d'Ephèse contre Nestorius, dans celui de Calcédoine contre Dioscore d'Alexandrie, et par la formule d'excommunication que Burchard et quelques autres nous ont conservée pour servir de modèle dans les occasions . . . . Les Grecs encore aujourd'hui ont une formule d'absolution déprécatoire pour l'excommunication". (Cf. Goar, Euchol. p. 666).

Quodsi secundum Bedam tantum quattuor peccata potestati ecclesiae subiacere videntur, respondemus cum Godefrido l. 3. ep. 16. ad Guilelmum: „Proposuisti quod solummodo quattuor peccata confessione indigebant, cetera autem a Domino sine confessione sanabantur; quod te invenisse asseris in expositione Bedae de evangelio, ubi decem leprosi sanati a Domino memorantur. Sed hoc ita intelligendum minime censemus, et iuxta fidem christianam sic intelligere nec possumus nec debemus. Determinanda est enim ista sententia sapienter, ut . . . illa quattuor peccata, non iam soli sacerdoti, sicut in ceteris agitur, sed universae ecclesiae confiteantur: cetera vero vitia, sicut dicit, per se ipsum Dominus sanat . . . videlicet, quae sibi privata in confessione revelantur. Sibi dico, quia illi, qui in eius loco esse dignoscitur". Ceterum cf. similem locum difficultatis expertem ap. Hericum in Hom. Pauli Diaconi 176.

Apud Goarium leves culpae opponuntur eis, quae censuris subiacent, quae tamen confessione iam expiatae sunt. *A. Špaldák.*

MISCELLANEA.

Revue internationale de théologie. XIVe ann. No 53—54. Berne 1906. —

Hi fasciculi, qui a theologis veterocatholicis eduntur et quibus edendis praeest E. Michaud, in universitate Bernensi theologiae dogmaticae et historiae ecclesiasticae professor, multas procedente tempore attulerunt commentationes, quae et ad theologiam slavicam et ad conatus ecclesias uniendi attinent. Exempli causa nominentur hic:

Nikephoros Kalogeras (aëp.) Die Verhandlungen zwischen der orthodox-katholischen Kirche und dem Konzil von Basel über die Wiedervereinigung der Kirchen (1893, 39—57). — A. Maltzew, Die russische Kirche und Dr. Knie (1894, 483—504). — E. Michaud, La Latinisation de l'Orient sous Louis XIV. (1895, 217-259, 488—504). — Friedrich, Die noch erhaltenen Schriften des Slavenapostels Constantinus oder Cyrillus (1896, 411—419) etc.

Hoc anno prof. E. Michaud IV. partem commentationis suae Notes sur l'union des Eglises (p. 1—37) emisit. Agit ibi de commercio, quo Roma Russiam attingebat (1—9), de L. Allatio eiusque opere »De ecclesiae occidentalis atque orientalis perpetua consensione« secundum Dr. Zotos in Union chrétienne, 1868 (p. 9—15), de Petri Mogilae »Confessione orthodoxa« (15—17) secundum G. Morel in Revue catholique des Eglises (1905, mars), de Cyrilli Lucaris »Confessione« secundum Zotos in Union chrétienne 1868 (mars, avril), de E Renaudot eiusque scriptis de Eucharistia secundum A. Villien, L'abbé Eusèbe Renaudot et son oeuvre liturgique. Paris, Lecoffre, 1904 (p. 20—27), de epistola patriarcharum orientalium a. 1723 (27—28).

Accedunt conclusiones imprimis generales: unionem ecclesiarum esse propositum prudens, christianum, necessarium, cuius rei rationes afferuntur.

Deinde in conclusionibus particularibus agitur de via ad unionem. Unionem non esse »une simple question de sentiments, de persuasions, de compromis fraternels, de concessions à l'amiable«, p. 31; sola doctrina historica, philologica, exegetica explorari posse, quid Christus docuerit. Verum sane est, religionem non esse »exclusivement une affaire de sentiment« (Revue int. de th. 1896, 786), sed, ut iam monuimus (cf. 1905, 81; 1906, 155) via ad unionem ecclesiarum praeparanda est unione animorum, quae mutua cognitione et fictis opinionibus detractis conciliabitur. P. Ja. Světlov hac de re (in Bogosl. Věstn. 1904, II., 33): »Bol'šoju zaslugoju, inquit, Vl. Solov'eva i drugiḥ edinomyslennyḥ s nim pisatelej nado priznat' eto energičeskoe napominanie nam o tom glavnom, ot čego zavisit po preimuščestvu uspěḥ v velikom dělě soedinenija cerkvej. Edinstvo v věrě dostižimo liš' na počvě ljubvi, ono — rezul'tat ljubvi a ne naoborot Za etoju točkoju zrěnija v voprosě ja priznaju glubokuju pravdu psiḥologičeskuju, religiozno-cerkovnuju i istoričeskuju. Edinenie ljudej v mysljaḥ legče vsego ustanovlivaetsja na počvě vzaimnoj ljubvi, meždu ljubjaščimi — eto govorit psiḥologija. Edinomyslie v věrě cerkov objavljaet slědstviem vzaimnoj ljubvi, kogda ispovědaniju věry predposylaet priglašenie vozljubit' drug-druga: vozljubim drug-druga, da edinomysliem ispověmy!«

Etiam Michaud quidem quoddam »désir« antecedere necessarium ducit, sed aliud videtur sentire: ecclesias inter se separatas non posse uniri priusquam cognoverint singulae, se plena veritate carere (p. 31). Ita ab ipso principio sententia introduci videtur, qua, si in generum universis quaestionibus ponitur, unionis conciliandae condicio fertur, quam eventuram esse a priori sciri non potest, et quae secum ipsa pugnat, quatenus iis, qui hanc sententiam tuentur, aeque accidere potest, ut errent. His in concreto nihil decrevimus sed causam ad universas quaestiones rettulimus; quid in concreto Russi sentiant, nota subiecta, sententiae Fr. Michelis, vetero-catholici, 13. sept. 1873 prolatae opposita doceat [1]). Unde, si in neutram partem moveamur, etiam per-

---

[1]) Michelis dixerat: Wir wollen davon ausgehen, dass wir sagen: „Die Einigkeit in Christo ist da", und jede Partei soll sich fragen: „Wo fehlt es bei uns, welchen Beitrag liefern wir zu diesem Zustand der Zerrissenheit". K. Zaruckij in libro Nedavnyja javlenija v rimsko-katoličeskom i protestantskom mirě M. 1878, p. 50—1 inter alia respondit: „Esli prinjat' takoj vzgljad, to čtó že budut značit' slova

suasionem cuiuscumque ecclesiae, se veram Christi ecclesiam esse, in bonam partem accipere poterimus (cf. p. 204).

Quibus praemissis nonnulla, quibus unio inniti possit, proponuntur.

1 Ea sola, quae Christus docuit, et non ea, quae ab hominibus apposita sunt, christiano credenda sunt. —

2 Quae Christi doctrina ecclesiae eius concredita ac demandata est, quae cum non magistra, sed custos eius sit, nihil addere potest. »L'Eglise n'est pas chargée de faire une seconde révélation, pas même sous prétexte d'expliquer celle du Christ« (p. 33). Hoc ambigue videtur dictum esse. Aut sententiâ hac nominatae tantum explicationes reiciuntur, non verae, aut quaevis explicatio pro additamento habetur. Illo priore sensu subiecto omnino eam approbamus, quamquam argumenta, quibus hoc doceri solet, exiliora esse videntur quam argumenta, quibus res alioqui minus confessae nituntur. At posteriore sensu subiecto sententiae nostra ex parte assentiri non possumus; cf. ceterum Der zweite internationale Altkatholikencongress in Luzern. Luzern 1892, p. 63: »So sind gar viele Erklärungen der christlichen Lehre theologische Speculationen, die doch zur unveräusserlichen Lehre Christi gehören«. Sane, ut eae, quae nunc separatae sunt ecclesiae, inter se coniungantur, hoc posito facilius fieri posse in promptu est putari; verum eodem posito non videntur posse coniungi cum ecclesia prisca septem conciliorum oecumenicorum.

3. Certum criterium, quo cognoscatur, quid Christus docuerit, est illud Vincentianum: Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. — Quamvis utilis re vera huius criterii usus esse possit, si »ad hominem« adhibeatur nec sensu exclusivo explicetur (quod quidem non videtur convenire cum eis, quae p. 34, 7 dicuntur), difficile nobis videtur id theoretice in tuto collocare. Equidem non intelligo, qua ratione confirmatio eius omitti possit; quodsi aliunde probetur, aliud certius criterium videtur adesse. Praeterea vereor, ut facile sit illud criterium ad obrussam haereseon primorum saeculorum exigere.

4. Hoc criterio haud aegre invenitur, quid Christus docuerit: doctrina Christi contenta est in libris sacris, qui ab universa ecclesia canonici iudicati sunt, in symbolo fidei, proposito et approbato a conciliis oecumenicis, in definitionibus fidei conciliorum oecumenicorum. — Adiunctis quae sub 3. adiunximus, etiam haec a nobis videntur posse concedi, non tamen sensu exclusivo; alioqui ne communis quidem usus vim haberet; Vincentium Lirinensem non alia habuisse prae oculis, non crediderim. Sed etiam alia res occurrit. Quomodo cum certitudine docebitur haec concilia oecumenica esse, illa non esse? Prima concilia certe ex se oecumenica non fuerunt; si omnes illi episcopi defecissent, qui iis intererant, corpus episcoporum mansisset integrum; quomodo igitur definitiones eorum dogmaticae appellantur, cum »das Recht der dogmatischen Definition nur der ganzen Kirche angehört«? (Rev. intern. de th. 1893, 639.) Sed sufficiant hae dubitationes.

5. Si praeterea huius doctrinae explicatio — quae nullo modo necessaria est ad sanctificationem salutemve hominum —, desideratur, diversae et liberae opiniones proponantur, quae singulorum arbitrio permittentur.

Quae adduntur, dicta vel consequuntur vel explicant. — Dolemus, nos non potuisse omnibus assentiri.

Gospoda: „I vrata adova ne odolějut ej“? Takim putem otricaetsja nepreryvnost' istiny Hristovy na zemlě, nepreryvnost' spasenija roda čelověčeskago, a stalo byt' i nepreryvnost' cerkvi. Nel'zja dumat', čtob eti slova Gospoda obezpečivali cerkvi liš' častičnoe každoju eja větv'ju obladanie istiny, kotoroe tol'ko v svoej fiktivnoj i daže ne soznannoj složnosti javljaetsja obladaniem polnoj istiny (p. 50).

Idem scriptor E. Michaud studiis protestantium communia quaedam decreta statuendi consilio occurrit, ut vinculo communi Christi doctrinae se concilient. Commentatio haec inscribitur L'union des Eglises dans les enseignements du Christ (p. 230—257). Ex evangeliis, auctoritate eorum historica admissa — maiore enim in rebus religiosis opus non esse (p. 233) — ipsis scripturae verbis doctrinam Christi ad ordinem redactam exponit. Loci diligenter collecti sunt; primum — ex synopticis — de regno Christi, de eius divina legatione et filiatione, de membris regni, de condicionibus, quibus patefit, de rebus, quibus obtinetur, de ecclesia, de vita futura; deinde ex Ioanne de vita aeterna, vita in Christo etc. — Quae p. 256 leguntur: »C'est dans ces enseignements et dans ces préceptes que consistent, comme il a été établi précédemment, tous les dogmes chrétiens, par conséquent les seuls dogmes chrétiens, le seul vrai dépôt de révélation du Christ«, prout iacent non videntur convenire cum eis, quae p. 33, 4 dicta sunt.

Saepe in his foliis theologis Romanis obicitur, eos non habere claram notionem dogmatis (velut p. 109, 162, 312). Ut saltem de hoc, quid nobis videatur, aperiamus — de bulla Unam sanctam et sim. interim ad Kirchenlexicon remittimus — obscuritatem nos non videre fatemur in communi huius rei explicatione.

Dogma est veritas revelata; veritas revelata (formaliter) est ea, quae est terminus talis divinae locutionis, ut ad eam tenendam ut motivo non sit opus nisi auctoritate Dei loquentis In ea comprehenduntur etiam omnia, quae sola analysi in revelata doctrina reperiuntur; nam ea sunt quasi partes vel elementa veritatis revelatae, nobisque a Deo loquente manifestantur. Sed eae veritates, quae mediante alia veritate naturaliter cognita ex revelata per deductionem colliguntur, licet implicite affirmentur a Deo, non tamen sunt a Deo formaliter revelatae, quia non manifestantur nobis a Deo loquente; nam ut eas teneamus, non sufficit auctoritas Dei, sed requiritur etiam principium rationis.

Etsi igitur non omnia implicite revelata sunt, quae in revelatis virtualiter continentur et ex eis ope principii naturaliter cogniti per ratiocinium deduci possunt, nihilominus multa sunt implicite revelata et implicite (ratione materiae) creduntur: vel quia aliqua propositio in duabus praemissis revelatis ut conclusio in principio continetur, vel quia est pars definitionis vel aliquid essentiale contentum in definito, vel quia est pars in propositione complexâ contenta.

Hinc intelligitur facile possibilitas progressus fidei subiectivae in singulis, quatenus ea, quae initio implicite creduntur, postea explicite credi possunt; patet etiam possibilitas progressus in fide subiectiva fidelium saeculi posterioris relate ad fideles saeculi prioris, etiam apostolos, quatenus possunt magis distincte percipere, de quo obiecto in particulari locutus sit Deus, propter meliorem et magis distinctam applicationem ipsius obiecti in particulari, quae eis fit propter praesentiam ipsius obiecti, quod prius non fuit praesens; quodsi apostolos excipias, aliquis progressus relativus in fide subiectiva etiam eatenus fieri potest, quatenus aliquid, quod antea minus certo cognoscebatur ut revelatum, postea potest certo cognosci a plerisque et omnibus profitendum imponi, et quatenus progressus in obiectiva dogmatum explicatione coniunctus est cum progressu in subiectiva fide fidelium

Sed et in ipsa obiectiva revelationis explicatione et propositione progressus admittendus est. Licet enim formaliter contineantur in revelatione, possunt contineri aliqua implicite tantum vel explicite quidem, sed obscure seu ita, ut saltem clarius proponi, aptis formulis exprimi possint, vel possunt magis usu practico proposita esse, quam diserta praedicatione (ut valor sacramentorum ab haereticis collatorum). Non potest autem revelatio ita clarior et amplior fieri, ut, quae obiecta fidei prius alio sensu intelligebantur, his novus diversusque sensus

substituatur (ut Günther voluit, Lydia p. 348 ss.), id quod Conc. Vatic. Sess. 3, de fide et rat. cn. 2 damnavit. Cf. Casop. kat. duch. 1906, p. 102–3.

Restat solum, ut annotetur, non omnia, quae ecclesia infallibiliter definire potest, esse dogmata. Nam magisterium authenticum infallibile est etiam quoad veritates in revelatione divina formaliter non contentas, quantum requiritur, ut depositum revelationis integrum custodiatur. (Cf. Palmieri, De rom. pontif. p. 171–177). Quod tamen esse de fide certum non est et potest sine haeresi negari. Quodsi p. 320 ex concesso errore de translatione domus Lauretanae concluditur papam non esse infallibilem in rebus liturgicis, theologi Romani distinguere solent pro natura rei. Ecclesia est infallibilis in disciplina generali statuenda, seu in legibus et ordinationibus, quibus fideles regit ad finem ecclesiae; pertinent huc ritus, praecepta, censurae, quidquid in iure canonico habetur universaliter statutum. In disciplina ecclesiastica varia continentur, quae sunt instituta a Christo, velut ritus essentiales in administratione sacramentorum, sacrificii; haec si ecclesia mutaret, erraret in re fidei. Ea, quae auctoritate propria statuit, et quae totam ecclesiam vel magnam eius partem respiciunt, semper sunt in se bona; nam fieri non potest, ut imponat nobis Deus aliquid, quod sit contra veram sanctitatem, malum (cf. Mt. 16, 19); et revera ecclesia in conciliis oecumenicis saepe tulit leges disciplinares auctoritate divina sibi tributa (Visum est Spiritui s. et nobis), et sententias, quibus hoc ius negatur, damnavit (Conc. Trid. Sess. 13, cn. 6 s.; 24, cn. 11). Non autem semper et omnis disciplina ecclesiastica necessario est opportuna etiam pro singulis regionibus; ipse actus legislationis potest esse imprudens. Ecclesia est infallibilis in sollemni sanctorum canonizatione, et etiam in aequivalenti, cum sc. aliqui a tota ecclesia ita coluntur, ut debeant coli, ut sc. habeant officium. Est in hoc infallibilis, quia sibi id adscribit; ratio autem est, quia colendi sunt sancti iique non in abstracto, sed in concreto (Cf. plura de hoc in Katholik 1905, I., 290). Quodsi ecclesia celebrat festum de aliquo facto, ut in memoriam liberationis urbis Viennensis a Turcis, in memoriam translationis domus Lauretanae, stigmatum s. Francisci, quaeritur, sitne tale festum praescriptum pro tota ecclesia, an tantum permissum pro eis, qui postulant, et quid sit obiectum primarium festi; si est toti ecclesiae praescriptum et si ipsum factum est obiectum primarium, est infallibiliter propositum. *A. Špaldák.*

Fontes theologiae orientalis. Docti Galli I. B. Chabot, I. Guidi, H. Hyvernant, B. Carra de Vaux altum finem suum scriptorum christianorum orientalium antiquorum syriacorum, aethiopicorum, arabicorum, copticorum) e manuscriptis edendorum latinaque versione instruendorum in opere amplissimo »Corpus scriptorum christianorum orientalium« inscripto maximâ industriâ prosequuntur. Inter ceteras editiones criticas prodiit Parisiis iam anno MDCCCCIII. curâ H. Labourt »Expositio Liturgiae« (Syr. seriei II. tom. XCIII.) Dionysii Bar Salībī, Iacobitarum episcopi Maraš-ensis (in Cilicia), dein Mabbūgensis (Hierapolis ad Euphratem) et tandem metropolitae Amidensis (in Mesopotamio). Quem scriptorem († 1171) plurimi facientes Syri »doctorem eloquentissimum et sidus sui saeculi« vocant. Ipse Assemanus, iudex in rebus syriacis omni exceptione maior testatur de eo (Bibl. orient. T. II., p. 157): »Scripsit Bar Salibaeus eleganti sermone syriaco, multaque erudita volumina, in quibus nihil fere optimo theologo indignum occurrit, si Monophysitarum haeresim excipias, quam ubique propugnat.

E numerosis eius scriptis novissime tom. XCVIII. seriei II. syr. in laudata collectione »C. S. Ch. I.« textus syriacus. Commentariorum in Evangelia« cum versionis latinae fasciculo I. pro Romae prodiit. Quam critic m editionem nec non versionem Dr. Jar. Sedláček, studii biblici V. T. et linguarum orientalium facultatis theologicae bohemicae

c. r. universitatis Pragensis professor ordinarius procuravit. Codice (C) scripto iam anno p. Ch. 1174, quem clarissimus editor ipse iure emptionis acquisivit et qui omnino concordat cum codice parisiensi A (syr. 67) usus est. Chabot nonnulla ex altero codice parisiensi B (syr. 68) adiecit. Hucusque sola quaedam fragmenta textus originalis apud Assemani Bibl. orient. T. II. p. 157 sqq. edita erant. Fasciculus I. praeter praefationem docti metropolitae initium commentarii eiusdem in Matth. 1^1—4^4, complectitur, qui commentarius integer sequentibus duobus vel tribus fasciculis absolvetur; Tomus XCIV. opera exegetica in V. T. continebit. Sequentibus clarissimi editoris et interpretis laboribus optima quaeque apprecamur. *H.*

RESPONSA AD INTERROGATIONES.

(De divortio.) Concilia Sl. l. th. I., p. 9—10 [190] enumerata particularia erant ideoque infallibilitate carebant. Textus sunt hi:

Concil. Vermeriense (a. 752) cn. 9: »Si quis necessitate inevitabili cogente in alium ducatum seu provinciam fugerit aut seniorem suum, cui fidem mentiri non poterat, secutus fuerit, et uxor eius, cum valet et potest, amore parentum aut rerum suarum eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quamdiu vir eius, quem secuta non fuit, vivit, semper innupta permanebit. Nam ille vir eius, qui necessitate cogente in alium locum fugit, si abstinere non potest, aliam uxorem cum poenitentia [quae cuivis ducenti alteram uxorem imponebatur] potest accipere«.

Concilium Compendiense (a. 757) cn. 16: »Si vir leprosus mulierem habeat sanam, si vult ei donare commeatum, ut accipiat virum, ipsa femina accipiat; similiter et vir«.

Concil. Foroiulense a. 791: »Placuit, ut resoluto fornicationis causa iugali vinculo, non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere, licet sit adultera; sed nec adulterae, quae poenas gravissimas vel poenitentiae tormentum luere debet, alium accipere virum nec vivente nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito«.

Concilium Bituricense (a. 1031), cn. 16: »ut illi, qui uxores legitimas sine culpa fornicationis dimittunt, alias non accipiant illis viventibus, nec uxores viros, sed sibimet reconcilientur.«

Concilium Romanum (a. 853) cp. 36: »Nulli liceat excepta causa fornicationis adhibitam uxorem relinquere et deinde aliam copulare: alioquin transgressorem priori convenit sociari coniugio. Sin autem vir et uxor divertere pro sola religiosa inter se consentiant vita, nullatenus sine conscientia episcopi fiat, ut ab eo singulariter proviso constituantur loco. Nam uxore nolente aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non solvatur.«

Concilium Compendiense (a. 757) cn. 8: »Si quis eorum habet mulierem legitimam et frater eius adulteravit cum ea, ille frater vel illa femina, qui adulterium perpetraverunt, interim quo vivunt, numquam habeat coniugium. Ille, cuius uxor fuit, si vult, potestatem habet accipere aliam.« [Certe non post mortem uxoris tantum, quod dubium non erat].

Concilium Veneticum cn. 2: »Eos quoque, qui relictis uxoribus suis sicut in evangelio dicitur excepta causa fornicationis sive adulterii probatione alias duxerint, statuimus a communione similiter arcendos, ne per indulgentiam nostram praetermissa peccata alios ad licentiam erroris invitent.«

Concilium Suessionense (744) c. 9: »Nec marito vivente suam mulierem alius accipiat nec mulier vivente suo viro alium accipiat, *quia* maritus mulierem suam non debet dimittere, excepta causa fornicationis deprehensae.«

Concilium Arelatense I, cn. 10: »De his, qui coniuges suas in adulterio deprehendunt et iidem sunt adolescentes fideles et [Petavius

hic supplet »non«] prohibentur nubere, placuit, ut in quantum potest, consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.«

Concilium Illiberitanum cn. 9: »Fidelis femina, quae adulterum maritum reliquerit fidelem et alterum ducit, prohibeatur, ne ducat.« [Sola mulier denuo nubere vetatur, quamquam minor certe non fuit de viro dubitatio].

Concilium Agathense (506), cn. 25: »Hi vero saeculares, qui coniugale consortium culpa graviore dimittunt vel etiam dimiserunt, et nullas causas discidii probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt, ut aut illicita aut aliena praesumant [non simpliciter: qui dimissa uxore aliam accipiunt; cf. Tertull., C. Marcion. l. 4, c. 34]. si antequam apud episcopos comprovinciales discidii causas dixerint et prius uxores, quam iudicio damnentur abiecerint, a communione ecclesiae . . . excludantur.«

Verum est, comparatis his decretis cum decreto Conc. Foroiulensis desiderari saltem clarum rei, sane non ab omni dubitatione alienae, in prioribus conciliis interdictum. –

In epistola Leonis I. ad episcopos per Mauritaniam caesariensem constitutos nihil affirmatur, quod huc pertineat, sed tantum aliud verbum adhibetur atque illud, quod sententia et usus huius temporis videtur postulare. „Eos enim, qui vel secundas nuptias inierunt, vel viduarum se coniugio sociarunt nec apostolica nec legalis auctoritas sacerdotium obtinere permittit; et multo magis illum, si fuerit vestro iudicio confutatus, qui sicut ad nos relatum est, duarum simul est maritus uxorum [profecto non sicut in V. T.] vel illum, qui ab uxore dimissus [non: quia ub u. d] alteram duxisse perhibetur, privandum honore decernimus.«

Quas quaestiones controversas esse inter catholicos et orthodoxos Russi vulgo opinentur. Hoc tempore »otličija, otstuplenija ot Pravoslavnago ispovědanija« in rebus »dogmaticis et moralibus« paucis exhiberi solent (velut in Kalendariis) hoc modo:

1. Dogma de processione Spiritus s. a Patre et Filio. Hoc dogma in symbolum fidei additum est, cuius articulus VIII. est: (credo) et in Spiritum s. Dominum et vivificantem, qui a Patre Filioque procedit.

2. Dogma de immaculata Deiparae conceptione, a. 1854 proclamatum. Hoc dogmate Mariam V., etsi naturaliter natam, tamen ita conceptam esse docetur, ut conceptio eius non esset peccati originalis particeps, quod ab Adamo ad omnes homines propagatum est.

3. Dogma de infallibilitate papae (a. 1870). Primatus papae ad omnem ecclesiam et omnia eius membra, etiam heterodoxa extenditur. Papa, summus iudex omnium fidelium est in rebus ecclesiasticis. Potestas eius maior est quam potestas (vyše vlasti) conciliorum oecumenicorum; decreta eius infallibilia sunt. Ipse Petri apostoli successor, Christi vicarius est.

4. Doctrina de operibus supererogatoriis (sverḥdolžnyḥ). Ecclesia catholica docet hominem sacrificio Christi Redemptoris ab aeternis poenis peccati liberatum esse; debere autem, ad satisfaciendum divinae iustitiae poenas temporales perferre (mala temporalia, epitimias). Quas poenas posse effugi. Eum, qui vitam honeste agit, non mandata solum sed etiam consilia evangelica servat, a necessitate poenas temporales subeundi liberari. Consilia evangelica exsequentem opera patrare, quae mandatorum postulata superent (supererogatoria). Quae opera, eis, a quibus fiunt, altiorem gradum beatitudinis aeternae afferentia, thesauro meritorum ecclesiae inseri, unde papa, ut caput ecclesiae, eis, qui propriis bonis operibus carent, suppeditare possit. Hinc indulgentiae ortae sunt. Indulgentiae sunt remissio vel mitigatio

poenarum peccatoris operibus supererogatoriis Deiparae et sanctorum a papa eis in rem suam conversis. Indulgentiae conceduntur vivis (qui liberantur a debito satisfaciendi iustitiae divinae) et defunctis (quibus spatium tormentorum in purgatorio imminuitur). Indulgentiae dantur dono vel pro peregrinationibus in sacra loca (Romam), pro utilibus communibus conatibus, pro meritis vel muneribus, quibus papa iuvatur. Indulgentiae possunt esse plenae (pro tota vita, omnibus peccatis), vel non plenae (pro aliquot annis vel etiam diebus).

5. Sacramenta sunt conductores (provodniki), unde Christiani gratiam sine ulla ipsorum cura (sočustvie) hauriunt. Etiam qui de sacramento non credit, potest gratiam salvantem accipere.

6. Baptismus infusione (non immersione) perficitur, i. e. aqua infunditur capiti eius, qui baptizatur, dum proferuntur verba: baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus s.

7. Confirmatio non perficitur statim post baptismum, sed demum post septimum aetatis annum. Sacramentum hoc solus episcopus perficere potest, qui frontem confirmandi ungens dicit: Signo te signo crucis et confirmo chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus s.

8. In Eucharistia (Pričaščenie): *a*) panis sine fermento loco fermentati; *b*) s. dona transsubstantiantur in Corpus et Sanguinem Christi in missa post verba Christi (Accipite et manducate . . . , bibite ex eo omnes); *c*) invocatio Spiritus s. omissa est; *d*) laici sub una panis specie ad communionem admittuntur; *e*) pueri ad hoc sacramentum accedere vetantur.

9. Poenitentia — est externum de peccatore iudicium. Confessarii nihil minus curant, quam emendationem confitentium. Confessio saepe est instrumentum ad cognoscenda secreta communia et particularia (tajn obščestvennyh i častnyh). Absolutio a peccatis non est plena: in peccatore debitum (dolg) aliquod remanet, pro quo homo iustitiae divinae satisfacere debet (epitimiae, indulgentiae).

10. Matrimonium insolubile est etiam in causa adulterii alteriusutrius coniugis.

11. In Ordine postulatur caelibatus. — Inter gradus hierarchicos occurrunt cardinales, qui episcopi, presbyteri, diaconi esse possunt. Qui status adeo excellentem confert dignitatem, ut cardinalis diaconus altior sit episcopo non cardinali. Cardinales presbyteri ius habent ordinandi ad inferiores honores ecclesiasticos, id quod secundum canones solus episcopus facere potest. Soli cardinales papam eligunt, eumque ex suo numero.

12. Unctio infirmorum spectat ad aegrotum sublevandum in morbi incommodis et terroribus mortis (non ad aegrotum sanandum) et tantum iis aegrotis, qui iam morituri sunt, confertur, unde sacramentum morientium appellatur. Ius oleum consecrandi ad hoc sacramentum ad solum episcopum pertinet.

13. Doctrina de purgatorio. Ita peculiaris locus vocatur vel status purgationis, ubi animae defunctorum, qui qualiumcumque peccatorum remissionem vivi non obtinuerunt, vel temporales poenas non tulerunt, torquentur, donec a peccatis purgentur.

14. Timore ducti, ne sacra scriptura, penitus cognita et explorata fidelibus falsitatem catholicorum de papatu placitorum patefaceret, papae omnes laicos a bibliis legendis prohibuerunt et biblia verti vetuerunt. *Red.*

Aliorum iudicia de nostro periodico.

Wissenschaftliche Beilage zur Germania. 1906. Nr. 21. S. 167. »Slavorum litterae theologicae . . . Der erste Jahrgang dieser Zeitschrift liegt nunmehr vollendet vor. Aus dem dem letzten Hefte beigegebenen Inhaltsverzeichnisse ergibt sich so recht, welch ein Stück

Arbeit hier geleistet worden. Die theologische Literatur aller Slavenstämme ist von sachkundiger Feder einer Würdigung unterzogen worden. Den größten Umfang zeigen der böhmische und besonders der russische Teil. Durch obige Publikation wird es auch den des slavischen Idioms Unkundigen ermöglicht, die geistigen Strömungen unter den Nationen des Ostens zu verfolgen. Besonderer Zweck der Zeitschrift ist es, Missverständnisse zwischen dem Morgen- und dem Abendlande zu zerstreuen und einer Annäherung zwischen den beiden Kirchen die Wege zu ebnen. Die wissenschaftliche Erörterung der Unterscheidungslehren vermag dieses hohe Ziel zu fördern. Von Neujahr 1906 ab sind der Redaktion drei in slavischen Fragen rühmlichst bekannte Fachgelehrte beigetreten.

La Civiltà Cattolica. 1906. V. II. Pag. 462. – Questa nuova pubblicazione periodica si propone di rendere conto esatto e sollecito di tuttociò che si va pubblicando in fatto di scienze ecclesiastiche tra' varii popoli slavi. Vuol essere dapprima un centro di studii comune tra loro; poi un facile mezzo di comunicazione con le altre dotte nazioni. Non si può invero negare che le difficoltà di una lingua, suddivisa in tanti dialetti diversi, ciascun dei quali ha letteratura sua propria, tengono quei popoli piuttosto separati dal resto del mondo scientifico, mentre pure abbondano quivi ingegni non solo eccellenti, ma fervidi di zelo ed assai fecondi nel lavoro intellettuale. Particolarmente vanno tra loro rifiorendo in modo assai consolante gli studii ecclesiastici e teologici, e però sono degni di essere tenuti in gran conto, soprattutto perchè contribuiscono efficacemente a far cessare a poco a poco i malintesi tra' cattolici ed ortodossi ed a togliere od almeno diminuire le barriere che finora ci dividevano.

Le Slavorum litterae sono scritte in latino ed hanno forma di recensioni bibliografiche di tutto ciò che si va pubblicando in qualsivoglia delle lingue slave, sia in opere particolari, sia nella stampa periodica, che anche quivi è molto ricca. Le recensioni talvolta sono ampie e discutono il merito delle dottrine sotto il punto di vista cattolico, non però in forma polemica, si piuttosto a modo di pacifica ricerca... L'appendice: Quaedam de quibus teologi utriusque Ecclesiae dissentiunt, accoglie trattazioni svariate di controversia. Non mancano le Miscellanea di erudizione e la speciale rubrica: Externa, res Slavorum spectantia, dove si parla di ciò che nel resto del mondo si va pubblicando intorno le cose ecclesiastiche slave.

Percorrendo i fascicoli della prima annata, ogni lettore resterà pienamente soddisfatto delle materie proposte, della copia, esattezza e rapidità delle informazioni e dell' ottimo spirito che vi aleggia. La seconda annata continua col medesimo metodo. Ci congratuliamo con gli editori per felice loro pensiero d' aver creato un mezzo tanto prezioso di comunicazione tra tutti noi e l' oriente slavo e lo raccomandiamo vivamente agli studiosi.

Corrigenda in fasciculo II.

P.	123	infra	v. 1	loco	N. T.	lege	V. T.
„	128	supra	6	„	disceptabatur	„	disceptabatur«
„	131	„	28	„	IV. Esdrae	„	III. Esdrae
„	131	infra	10	„	Comill	„	Cornil
„	132	supra	1	„	N. T.	„	V. T.
„	145	„	20	„	*dccima*	„	*decima*

Slavorum litterae theologicae.
Conspectus periodicus.

Dirigentibus
Dr. Jos. Tumpach, Dr. Ant. Podlaha, Ad. Špaldák, Pragae.
J. Urban, Cracoviae. Dr. F. Grivec, Labaci. Dr. Luc. Jelić, Jadrae.

Annus II. (1906) Pragae Bohemorum. Nr. 4.

BOHEMICA.

Dr. *Vlastimil Kybal*, **M. Matěj z Janova. Jeho život, spisy a učení. (De M. Matthiae de Janow vita scriptis et doctrina.)**

Titulus libri indicat primum fata M. M. d. Janow, qui inter praedecessores M. Ioannis Hus numeratur. Erat natus in pago quodam Janow, non sicut Tomek III. tomo Dějin Prahy pg. 351 asserit, in circulo Pontensi, sed alibi, verisimiliter in provincia olim Bechynensi, nunc circulo Taboriensi. Pater Venceslaus pauper erat cliens regius. Sed nec annus nativitatis eius certus est. Anno 1376 licentiatus in universitate Parisiensi factus est, unde colligitur eum annos viginti unum iam complesse et ideo ante a. 1355 natum fuisse.

Prima fundamenta scientiae ubi iecerit similiter nescitur. 1373 abiit Parisios, ibique novem annos moratus est usque a. 1381. Cognomentum vulgare Magister Parisiensis inde traxit. Deinde qua talis ad curiam papalem Aveniensem expectantiam et provisionem alicuius beneficii ecclesiastici petivit eamque 1378 11. Maii qua reservationem papalem pro aliquo beneficio cum cura vel sine cura ad praesentationem archiepiscopi, praepositi, decani et capituli Pragensis accepit. Eo ipso non praebendam, sed tantum expectantiam in capitulo nactus est. 1381 archiepiscopus fecit eum poenitentiarium ad s. Vitum. Deinde a. 1388 plebanus in Magna villa presentante Henrico de Duba et de Egerperk usque ad mortem a. 1393 permansit. In codice D. 55. archivi capituli Pragensis a. 1394 in die s. Andreae ap. eum mortuum esse marginalis quaedam inscriptio significat. Sed nos ducti libro confirmationum, in quo a. 1393 successor eius die 5. Decembris 1393 ad praesentationem supranominati domini Henrici de Duba confirmatur, annum 1394 falsum et 1393 verum declaramus coaevo fonti confirmationum libro magis innixi quam codici, qui exaratus esse videtur tempore posteriore. Sepultus est in templo divi Viti martyris.

Si scripta eius perpendimus, apparet eum fuisse zelatorem ecclesiae catholicae, sed mala, quae vidit et schisma ortum atque abominatio in loco sancto instigaverunt eum usque ad dictum, quod resonabat pluribus id temporis in locis, antichristum in ecclesiam advenisse. Scriptor huius libri dicit eum non fuisse sibi constantem, et animo debilem atque in se divisum, quamvis eum extollat laudibus, quas non meruit plene.

Ex omnibus tractatibus eius, qui supersunt: De passione Christi, De decem praeceptis, nonnulli sermones extantes, regulae veteris et novi testamenti totam doctrinam eius maxime dilucidant. In parte huius libri tertia doctrina M. nostri secundum synthesin et analysin exhibetur.

Doctrinam christianam atque ecclesiam Christi e sanctissima Trinitate deducit, sicut mos est scholasticis, in quibus ab eis non differt. Etiam ecclesiam definit esse congregationem sanctorum Dei, qui vivunt et aguntur spiritu et vita Iesu Christi, cuius unitas est pulcherrima et delectabilis.

Historicis aevi nostri aequum est respicere ad causas schismatis, quas affert: non tantum presbyteros saeculares, qui replent ecclesiam divitiis, voluptatibus et honoribus huius mundi, sed etiam tyrannidem principum, praelatorum, et nimiam auctoritatem atque iurisdictionem monachorum. Fas est applicare has causas ad huius temporis historicos eosque confutare nimio partium studio.

Animus M. Matthiae de Janow occupatur, ut mos erat omnibus aequalibus, reformatione ecclesiae, quam conspicit in purgatione eiusdem ab omnibus adinventionibus humanis, quae non concordant cum doctrina Iesu Christi, apostolorum et prophetarum. Et alio loco dicit: solus spiritus Iesu Christi potest comparare unitatem et pacem. Ad media huius unitatis pertinet, ut omnes regulae monasticae auferantur et ad clerum saecularem redeant, qui plebem communem labore animarum zeloso nutriant. Hanc reformationem secundum praestantissimos sanctissimosque viros presbyteris et verbi Dei seminatoribus esse prosequendam.

Secunda eaque maximi momenti pars doctrinae M. M. d. Janow est de venerabili sacramento eucharistiae. Eo tempore de communione vel quotidiana non tantum adultorum sed et infantium disceptatum est inter doctos. Janow pro quotidiana communione pugnat, quamquam synodi Pragenses celebratae usum ecclesiae statuunt atque luculenter definiunt. Quae communio quotidiana secundum auctorem nostrum connexa est cum husitismo vel utraquismo saeculi XV. in hunc modum: intentionem M. Matthiae de Janow fuisse in quotidiana communione laicos faciendi similes vel aequales presbyteris, quod vero fecit M. de Janow consummavit utraquismus et expressit, quum et laicis sub utraque specie sumendam eucharistiam esse assereret. Ad finem operis tenorem scripti sui auctor exprimit, esse historicas ineptias, si ponatur husitismum errores Wiklefiticos assumpsisse; sed inter praedecessores M. Ioannis Hus et utraquismum saeculi XV. maxime vero M. Matthiae de Janow existere realem contactum, quamquam elementa wiclefitica husitismo nonnulla parte inhaerent.

Opinio haec auctoris nova argumentis nonnullis probatur, sed non est adeo liquida, quae multis dubitationibus non careat.

Franciscus Štědrý.

Dr. *Ant. Kubíček,* **Piaristé a jejich školy.** Zvláštní otisk z I. zprávy c. k. ústavu ku vzdělání učitelů v Kroměříži. (**Piaristae eorumque scholae.** Separata editio tractatus in I. programmate c. r. instituti ad praeparandos ludimagistros Cremsirii in Moravia.)

Postquam de scriptoribus, qui hanc rem pertractarunt, auctor exposuit, mox de instituto resp. ordine Clericorum regularium pauperum Matris Dei scholarum piarum a s. Josepho Calasanctio fundato, sermonem instituit. Eiusdem initia atque divulgatio, imprimis per Moraviam, Bohemiam, Silesiam breviter innuuntur. Item de ordinis scopo, sociorum aggregatione eorumque officiis fit mentio. Scholarum, quae ab Ordinis membris diriguntur, fundatio atque directio exponitur. Demum de eiusdem ordinis collegiis in regionibus nostris erectis, de methodo in singulis classibus servata, de viris, qui de litteris, in lingua Bohemica conscribendis, optime meruerunt, breviter sed clare et sufficienter tractatur. — Libellum diligentissime elaboratum unicuique ex animo commendamus. Dr. *C. Kašpar.*

Dr. *Jaroslav V. Sedláček,* **Museum biblických starožitností.** Obsahuje: Popis předmětů a modelů biblického musea s přídavkem o svěcení biblických svátků u Židů. S třemi obrazy. V Praze 1906. Cena K 2·50. **(Musaeum antiquitatum biblicarum.** Continet: Descriptionem rerum et figurarum musaei biblici cum appendice, in qua describitur modus, quo Iudaei hoc tempore festa biblica celebrant. Cum tribus imaginibus.) Pragae Bohemorum 1906. Bibliopola Fr. Řivnáč. Pag. 118 in 8⁰. Pretium C. 2·50.

Clarissimus scriptor aliquoties in Palaestinam profectus est, ut cognosceret loca biblica et rationem vitae incolarum nunc ibi degentium. Quibus in itineribus cognovit incolas huius temporis fere sic vivere, ut vixerunt habitatores pristini. Ut autem etiam alii, qui non possunt tam longum iter suscipere, possent hunc modum vivendi cognoscere, attulit Pragam ex Terra Sancta multas res, alias in natura, alias in figuris et deposuit eas in loculis, qui inveniuntur in aedibus seminarii archiepiscopalis.

Scriptor idem omnes res, quas collegit, descripsit in opere, cui titulus est „Musaeum antiquitatum biblicarum". Cui operi addidit appendicem, in qua docet modum, quo Iudaei his temporibus festa biblica celebrant. Hoc opus, quamquam non est archaeologia biblica sensu stricto sumpta, tamen valde eminet inter scripta huius generis, quia exhibet nobis ea, quae auctor ipse vidit, vel audivit, vel a probatissimis scriptoribus mutuatus est. Legenti statim patebit, ab eo conscriptum esse opus tum utile, tum iucundum. Omittens nonnulla menda impressoris puto corrigendos esse alios errores, non tamen magni momenti e. g. scorpio habet tantum unum aculeum, sed duas glandulas virulentas; non timendae sunt omnes scolopendrae, sed tantum scolopendrae maiores e. g. scolopendra morsitans.

His exceptis omnes res recte et clare descriptae sunt. Qui igitur intelligere vult ea, quae Scriptores Sacri e vita incolarum Terrae Sanctae deprompserunt, pervolvat hunc libellum.

Obořištii prope Příbram. P. *Franciscus Reindl.* C. SS. R.

Hlídka 1905.

St. Souček: Paul Fredericq o účincích věrověstné činnosti Říma a Byzance na literární rozvoj národů obrácených na křesťanství (De Pauli Fredericq sententiis, quomodo Roma et Constantinopolis in litteris populorum ad religionem christianam conversorum promovendis differant) 562—564; 634—638; 693—696.

Paulus Fredericq in oratione in regia Belgiae academia 9. Novem. 1903 habita exponebat litteras apud populos, Roma duce religionem christianam amplexos, et apud populos a fidei praeconibus Constantinopolitanis conversos diversa incrementa cepisse propter diversam linguae liturgicae usum.

Linguam Latinam in Occidente litteras Germanorum, Romanorum nec non Slavorum Romano-catholicorum cohibuisse. Lingua Latina evangelium annuntiabatur, ea omnia, quae in vitae societate magni sunt momenti exprimebantur, quo facto ordo eruditorum a plebe alienabatur, neque linguam eius fovebat. Orientalis autem Ecclesia patrias linguas in ritu adhibebat et promovebat.

Hic Fredericq partem controversiae inter scholam Moscoviensem (Ivan Vasilevič Kirěevskij, Homjakov, Lamanskij et a.) et laudatores occidentis attingit, utrum occidens an oriens magis ad hominum vitam excolendam valuerit.

Qua de re sententiae non concordant Alex. Brückner Polonus, linguae Slavicae in universitate Berolinensi professor, linguam liturgicam ad ingenium gentis moresque domesticos excolendos parum pertinere, immo Slavicam linguam liturgicam, vel »cyrillo-methodianismum« causam esse minoris Slavorum orientalium profectus existimat.

Fidei praecones Roma profecti, linguae Latinae assueti, in regionibus, ubi evangelium annuntiabant, liturgiam Latinam introduxerunt, quae consuetudine inveteravit, unitati quam firmissimae inter ecclesiae membra et caput (Romam) firmandae maxime idonea.

Concilium Tridentinum lingua Latina liturgiam astringendam esse non pronuntiavit, sed sententiam contra sermonis plebei usum protulit. Consuetudines discrepantes, si modo rebus gestis comprobatae erant, permissae, et veteres linguae liturgicae (graeca, syriaca, coptica aethiopica, armena, veteroslavica) conservatae sunt. Ecclesiae orientalis cum occidentali coniungendae gratia et ritus et linguae liturgicae varietas est admissa. Prosperi in evangelio annuntiando eventus causa lingua Slavica et Malabarica admissae sunt. Saeculo XVII. missionariis catholicis rogantibus permissa est lingua liturgica Sinensium; quamquam introducta non est. Utique concessiones hae summatim ad parvum fidelium numerum pertinent.

Lingua Latina in occidente Christiani in scriptis sola utebantur. Linguam hanc imperium illud Romanum, quod renovandum esse videbatur, poscebat; studia ascetica et supernaturalismus aetatis mediae animum scriptorum a discutiendis materiis, quae ad multos pertinerent retrahebant, studiis cogitationis in linguis domesticis deerant usitatae aptaeque voces. Ideo iniustum est dicere unicam causam exigui profectus litterarum domesticarum et vernacularum in occidente fuisse, quod linguae vernaculae ad liturgiam non adhiberentur.

Sententiae Pauli Fredericq de prospero effectu diversi usus in orientali ecclesia non sunt verae. In eâdem sententia »Trilinguistarum« de non permittendis nisi tribus linguis liturgicis (hebraica, graeca, latina) pullulavit

Quod ad Slavos attinet verum est apud gentes liturgiam Slavicam tenentes, litteraturam prius effloruisse, sed aliis ex causis. Apud Bulgaros (et de his agitur) ad litteras, e Moravia allatas, augendas commercium cum Constantinopoli multum contulit; apud Slavos occidentales et septemtrionales aeque prospera rerum condicio deerat.

Ipsa introductae liturgiae Slavicae laus non ecclesiae Graecae sed potius politicis Rostislavii studiis, universum imperium ad religionem christianam convertendi, et integra ac solida libertate donandi tribuenda est. Propria autem causa ingenium erat ss. fidei praeconum — praecipue Constantini, viri omni doctrina eruditi atque multarum linguarum scientissimi. — Labores eorum apostolici linguâ vernaculâ adhibitâ optabilem exitum habebant. A discipulis Methodii Bulgari, ab

his Russiet Serbi Slavicam liturgiam acceperunt — quamquam omnes fidem a sacerdotibus Graecis acceperant.

K. Černocký: Psychologie bludů v dějinách církevních (Psychologia errorum in historia ecclesiastica occurrentium.) 449—454; 535—539; 610—612. *Mužný.*

Frant. Tischer, **K dějinám sporu arcibiskupův pražských o právo metropolitní nad biskupy olomouckými XVI. stol. (Aliquid de controversia archiepiscopos pragenses inter et episcopos olomucenses quoad ius metropolitanum saeculo XVI.** Pragae 1905).

Auctor munere fungens archivarii archiepiscopi Pragensis documentis de archivio depromptis innixus demonstrat, archiepiscopis Pragensibus per bullam Clementis VI. metropolitanorum ius supra episcopum Olomucensem adiudicatum fuisse, quod quidem saepius exercebant. Apostasiâ archiepiscopi Conradi de Vechta a fide catholica, sedes metropolitana Pragensis per 140 annos vacabat, dioecesim administrante inde ab anno 1434 capitulo metropolitano Pragensi. Quo quidem tempore episcopi Olomucenses sensim sine sensu sese a iure metropolitano archiepiscopi Pragensis exemerunt, reclamantibus utique archiepiscopis, postquam restituti sunt. Per bullam denique Pii VI. sede Olomucensi ad dignitatem archiepiscopalem evectâ controversiis finis appositus est. Sequuntur documenta latine conscripta, e quibus lector, etiam linguae bohemicae ignarus, intelliget, quomodo hic quaestionem hanc solvat. Opusculum magnâ cum assiduitate elaboratum ipsum sese commendat.

Dr. *Car. Kašpar.*

Časopis katolického duchovenstva 1905.

B. Spáčil, Volba papežská a tak zvané právo exklusivy. (De summi pontificis electione et de iure quod vocatur »exclusivae«.)

Exposito modo, quo papae eligebantur et momento, quo potestas civilis ad eam rem tempore procedente fuerit (p. 54—8; 144—51; 246—252; 444—52; 562—5; 609—15) agitur de iure ipso. Primum e lege naturali aut ex similitudine cum aliis institutis nihil sequitur nisi, cum plurimum, electoribus cavendum esse, ne virum principibus adeo invisum eligant, ut ecclesia inde plus detrimenti quam emolumenti accipiat (616—620). Deinde ut non constat exclusivam lege aperte prohibitam esse, ita nec sancita est; verbis ac litteris legum non adversatur, sed repugnat voluntati et sententiae (620—2; 845—8). Tum consuetudine ius hoc acquiri non potuit, quia cardinales non propterea alios eligere exclusione facta solent, quod is, quem ipsi volebant exclusus est, sed ne temere pax cum principibus turbetur, deinde quia consensus etiam tacitus legum sanctoris deest, cum circuitione quadam exclusiva prohibita sit (maxime a Clemente XII. et Pio IX), denique quia rationi consentaneum non est (848—853).

A. Podlaha, Rozhledy v umění křesťanském (Nonnulla de arte christiana). Inter alia docemur (p. 67—8) non certo structurae genere aedificium reddi ecclesiasticum et a profanis differre sed »elementorum cuiuslibet generis« usu monumentali (monumentálním užitím prvků slohových). Quamquam sunt, qui Gothicum genus ut aptissimum dignissimumque subtilibus rationibus commendent (Cf. Natur und Offenbarung VIII., 1—14). P. 724—5 laudantur novae ss. Cyrilli et Methodii statuae a Vinc. Vosmík factae et Klatovii collocatae.

Al. Soldát, O uherském právu manželském (De iure matrimoniali in Hungaria). Historia legum de matrimonio in Hungaria nuper conditarum praemissa (p. 46—52; 155—6) ipsum ius matrimoniale ibi

servandum exponitur (p. 157—160; 322—9) secundum librum Camilli Henner, Uherské právo manželské (Pragae 1904, pag. 94).

A. Vřešťál, Mravoučná literatura česká (De litteris Bohemorum theologiam moralem tractantibus), p. 313—322.

R. Zháněl, Z vojenské duchovní správy (De cura animarum apud milites). Agitur de modo, quo rationes cleri militaris ordinatae sunt (p. 118—120), de ipsa animorum moderatione (p. 236—240), de matrimoniis militum (427—9), de matriculis militaribus (429—31).

Fr. Stejskal, Jerusalémský chrám zničen Titem úmyslně (Templum Hierosolymitanum a Tito voluntate et iudicio deletum esse), p. 175—6.

PALAEOSLAVICA.

Dr. *Lucas Jelić,* **Fontes historici liturgiae glagolitico-romanae a XIII. ad XIX. saeculum.** Veglae 1906.

Amplum hoc opus imaginem historicam praebet finium liturgiae glagoliticae. Monumenta collecta sunt magna diligentia magnoque labore. Titulus solam partem argumenti prodit: contineri in libro fontes liturgiae illius; sed praeter liturgica insunt etiam documenta palaeoslavice scripta iudicialia, item epitaphia, dicationes ecclesiarum et capellarum etc. Praeterea in singulis partibus indicatur, ubi et quando liturgia palaeoslavica in usu fuerit, quasque vexationes sacerdotes, qui ea utebantur, passi sint. Frequentissime decreta afferuntur, quibus Romae liturgia palaeoslavica variis in conciliis confirmata est.

Historice certum esse amplissimos liturgiae glagolitico-romanae olim fuisse fines nemo hoc libro perlecto in dubium vocare potest. Hoc potissimum ut efficeret scriptor videtur intendisse.

Desiderari possunt — ad augendam libri utilitatem — notae, quae ad singulos fontes (missalia, responsoria, ritualia) addendae erant, quibus indicaretur, quo saeculo provenissent; non enim semper nec accurate haec facta sunt.

In universum aestimanti hoc libro haud mediocriter liturgia historica aucta est. Cum latine sit scriptus, usus eius omnibus harum rerum studiosis facilis est. Displicet magnus mendorum numerus; ad quae accedunt nonnulla errata velut suburbium Cracoviense in archidioecesi Varsoviensi collocatum.*) *J. M. Černý.*

Fontes historici Liturgiae Glagolito-Romanae a XIII. ad XIX. saec., collegit, digessit et Indice Analytico instruxit Dr. *Lucas Jelić,* professor Historiae Ecclesiasticae et Iuris Ecclesiastici in Seminario Theologico Centrali Jadrensi. Veglae 1906 (mag. 8⁰, pag. 502 et I.—XLVIII.). Sumptibus: „Academiae Palaeoslavicae Veglensis“, „Glagolitarum in Dalmatia“, „Societatis libris catholicis edendis Zagrabiae“ et „Slavorum Litterarum Theologicarum“, Pragae.

Negotium Liturgiae Glagolito-Romanae Slavorum animos triginta abhinc annis vehementer agitat. Inter praecipua studia historicae cul-

*) His typis iam exscriptis uberiorem argumenti expositionem accepimus, quam una exhibemus.

turae Slavorum in genere, et inter primarias quaestiones religiosas Slavorum meridionalium in specie, principem locum procul dubio Liturgia Slavica iuxta Romanum Ritum obtinet. In hac materia enim lucta, quam peripheria Slavorum Occidentalium pro sua existentia et evolutione inde a medio saeculo praeterito sustinet, quasi personificatur. Nec mirum, quod praeter plurimos scriptores Slavicos, recentiore aetate etiam tot Galli (Leger, d'Avril, Lapôtre S. J.), Germanique (Friedrich, Nilles, Goetz) necnon Itali (Bartolini, Pesante, Brunelli, Salata, Benussi) historicis iuridicisque disquisitionibus Liturgiae Glagolito-Romanae operam navarunt; Slavique meridionales occasionem nacti sunt, nationale religiosumque suum esse cum accentu pronuntiandi. Hinc factum est temporibus novissimis, ut supremae potestates civiles et ecclesiasticae hoc negotium ad forum suum traherent. Ex quo Liturgia Glagolito-Romana, per se quidem materia mere religiosa, evasit quaestio mixta eximii momenti et iam ad forum internationale deducta est.

In rebus religiosis, quae ad forum nationale et politicum trahuntur, serenitas obiectivae expositionis historicae obnubilatur partium studio et animorum agitatione, ita ut historia ipsa non parvum damnum patiatur. Idem obtigit historiae Liturgiae Glagolito-Romanae; cuius origo quidem Cyrillo-Methodiana praecipue a Ginzel, Jagić, Snopek, Pastrnek vera luce illustrata est; eius vero evolutio necnon posteriora fata inde a XIII. saeculo, vel neglecta vel obiter tantum a Ginzel, Prodan et Milinović tractata sunt. Et hoc factum est illa de causa praecipue, quia perdifficile fuit, fontes historicos inde a XIII. saec. in unum colligere.

Quod opus revera arduum Jelić aggressus est, ut fundamenta historiae systematicae Liturgiae Glagolito-Romanae substrueret, id quod ex ipsa libri inscriptione patet. Universum conspectum totius operis optimus Index Analyticus (p. I.—XLVIII.) praebet, ut etiam ex summaria recensione liquidum est.

I. Recensent Acta Synodalia de liturgia Glagolito-Romana agentia; canones concilii Lateranensis IV. et Tridentini: duorum conciliorum provincialium et plusquam viginti synodorum dioecesanarum statuta (pag. I.).

II. Registrant Acta Curiae Romanae Pontificum serie digesta, fere innumeras relationes et decreta de Liturgia Glagolito-Romana triginta pontificum inde ab Innocentio III. ad feliciter regnantem Pium X. (p. I.—XIII.)

III. Proponunt Acta civilia Slavicarum et non Slavicarum rerumpublicarum: documenta civilia Croatiae, Dalmatiae, Montis Nigri, Bohemiae, Poloniae, Venetiarum, Galliae et Austro-Hungariae (p. XIII.—XV.).

IV. Topographia historica liturgiae Glagolito-Romanae minutissime enumerat singulas ecclesias glagoliticas tam per omnes dioeceses Slavorum Meridionalium, quam Bohemiae, Poloniae, Italiae nec non religiosas communitates (p. XV.—XXXVII.).

V. Colligunt monumenta, cultus legendasque ss. Cyrilli et Methodii (p. XXXVII.—XXXVIII.).

V. Recensentur secundum classes libri ecclesiastici Slavica lingua,

codices manuscripti vel typis impressi, tam liturgici quam accessorii (p. XXXVIII.—XL.).

VI. Scriptores de Liturgia Glagolito-Romana agentes alphabetica serie referuntur (p. XL.—XLIII.).

VII. Uberrimo repertorio locali monumenta glagolitica alphabetica serie indicantur (p. XLIII.—XLVII.).

Materia vero annorum serie digesta et pro singulis saeculis seorsim distributa omnes fontes historicos complectitur: maxima ex parte hucusque neglectos spretosque: en cur tantae molis volumen plurima hucusque inedita offerat!

Membra haec dispersa neglectaque iam specimen systematicum historiae Liturgiae Glagolito-Romanae inde a XIII. saeculo primis lineis designant, legentiumque animos haud raro rerum novitate alliciunt; quae obiter tetigisse sufficiat. Decimo tertio saeculo sequentique Liturgia Glagolito-Romana una cum characteribus glagoliticis communis erat omnibus Slavis Meridionalibus; decimoquarto et decimoquinto saeculo inter Bohemos, Moravos Serbosque orientales iterum propagata, provinciam quam Cyrillo-Methodiana aetate habuerat, recuperavit. Repressione politica, persecutione Lutheranica, Ottomanica invasione, inopia librorum liturgicorum typis impressorum inde a XV. saeculo crisi obnoxia, ad Croatas Slovenosque maritimos coarctatur; Tridentina tamen ratificatione et libris liturgicis a S. Congregatione Propagandae Fidei editis restaurata, usque ad medium saeculum XIX., si brevem repressionem Austriacam ineunte XIX. saeculo excipias, ad Croatas limitata pacifice ibi conservatur. Quum vero altera XIX. saeculi parte clerus glagoliticus Seminario Glagolitico Jadrensi et Spalatensi (Priko) abolito a Gubernio Austriaco, cuius studium systematicum semper fuit, ut linguae palaeoslavicae in Sacris Latinam substitueret, non minus deficeret, quam libri liturgici glagolitici, Pius papa IX., ut liturgiam Glagolito-Romanam conservaret S. Congregationem Propagandae Fidei anno 1868 libros sacros glagoliticos recudere iussit. Quod consilium Leo papa XIII. studiose prosequens, encyclicis „Grande Munus“ auctores ipsius Liturgiae Slavorum Apostolos SS. Cyrillum et Methodium iure ac merito celebrans, in votis habuit, ut ex Liturgia Glagolito-Romana quasi pons unionis ecclesiasticae Slavorum praecipue meridionalium sterneretur. Sed quibus haec unio ex rationibus politicis invisa fuit, contra Liturgiam Glagolito-Romanam insurrexerunt, non tantum eius propagationi adversi, sed etiam ad eam exstirpandam consilia ineuntes, praecipue inde ab anno 1887, quando Liturgia Glagolito-Romana in provincia Antibarensi, concordato inter S. Sedem et principatum Montis Nigri inito, restaurata est. Notissima sunt scandala diplomatica Russiae et Austro-Hungariae ob actionem huic Liturgiae contrariam; quapropter Slavorum oculi aperti sunt, ut in illo venerando monumento culturae suae religiosae palladium etiam nationale in dies magis conspicientes, contra repressionem politicam agerent. Gravis controversia, quae de conservatione et de propagatione Liturgiae Glagolito-Romanae apud Slavos Meridionales, ex illa reactione Slavica contra scandalosas tricas diplomaticas recentissimo tempore exorta est, adhuc sub iudice est: et ex documentis

Jelićianae Sylloges omnino obiective usque ad annum 1900 nova lucé illustratur.

Sylloge Jelićiana quaestio Liturgiae Glagolito-Romanae ad tranquillum forum scientificum reducitur; lectori iudicique incorrupto argumenta praebentur, quibus animo aequo atque obiectivo de hac quaestione iudicare poterit.

Huic tanto monumento scientifico et practico Sylloges Jelićianae vix officiunt menda typographica, quae hinc inde irrepserunt, vel lacunae, quae ex additamentis perfacile suppleri possunt.

Fontes historici Liturgiae Glagolito-Romanae ante XII. saeculum nec integre nec critice adhuc collecti sunt; Sylloge Jelićiana iustum vivumque desiderium inducit, ut Liturgia Glagolito-Romana, etiam hac ex parte, quam primum investigetur, ut tota eius evolutio atque historia in luce posita sit. *J.*

POLONICA.

Ks. Władysław Szcześniak: **Obrządek słowiański w Polsce pierwotnej (De ritu Slavico in antiqua Polonia).** Warszawa, 1904. Biblioteka dzieł chreścijańskich. No 42. (Pag. 208, mag. 8⁰.)

Celebris agitabatur ultimo saeculo quaestio de initiis christianismi in Polonia. Multi scriptores historici, ut Friese, Maciejowski, Bielowski, Gumplowicz alii pro certo habebant ritum slavicum in pristina Polonia extitisse, qui non sine certamine ritui latino locum cesserit. — Wł. Szcześniak opiniones eorum omnium resumit et complet, qui oppositám sententiam profitentur. Cap. III, IV et V (p. 55—208) omnia argumenta dissolvuntur, quibus existentia ritus slavici in Polonia antiqua fulciri solita erat; cap. 1 (p. 4—35) auctor enarrat quomodo opinio de Poloniae ritu slavico oriri potuerit. Caput hoc, nostro iudicio, pro complemento positivo totius operis, quod censuram alienae sententiae exhibet, habendum est, eiusque locus proprius in fine libri esse debebat. Cap. II (p 36—54) exponitur theoretice, in quo substantia ritus slavici consistat. — Liceat argumentum cap. I. breviter exponere. Nemo usque ad initium saec. XV quidquam de missionibus ss. Cyrilli et Methodii, sive aliorum ritus slavici missionariorum in Polonorum finibus sciebat. Saeculo demum XV ex Moravia et Bohemia simul cum libris liturgicis per monachos ordinis s. Benedicti ritus sl. allatis in Poloniam quoque fama de his Slavorum apostolis venit. Cultus eorum labente tempore magis magisque augebatur ita ut Moraviae apostoli etiam apostoli Poloniae nominari coepti sint. Maxime hoc factum est, cum de unione ecclesiae ruthenicae ageretur. — Piasecki (saec. XVII) primus asseruit Polonos fidem christianam ab apostolis slavicis accepisse, seductus, ut videtur, officio in honorem ss. Cyrilli et Methodii instituto atque fama de slavico monasterio benedictino prope Cracoviam, quod tamen tantum per breve tempus sub finem XIV et initio XV saec. floruerat. Vestigiis Piasecki inhaerentes multi alii rerum scriptores, imprimis protestantes, Hussitis (Bohemis et Moravis) auctoribus, iam pro

re certissima habebant primam formam religionis christianae in Polonia fuisse slavicam sive graecam. Nonnulli, ut Gumplowicz, hypothesim hanc iam adhibebant ad solvendas varias difficultates in historia Polonorum: e. g. conflictum inter s. Stanislaum regemque Boleslaum ex antagonismo inter duos ritus illustrare conati sunt. — Noviores inquisitiones historicae usum ritus slavici in antiqua Polonia inter fabulas relegant. *β.*

A. Parczewski: **Początki chrystyanizmu w Polsce i misya Irlandzka (Initia religionis christianae in Polonia et missio Irlandica),** Poznań, 1902. Reimpressum ex annalibus posnaniensis societatis *φιλομαθῶν*, pag. 75. mag. 8⁰.

Cum dissertatio W. Szcześniak, de qua superius, negative quaestionem tractet, qui non sint missionarii terrarum Poloniae, opusculum A. Parczewski conatur eandem quaestionem positive illustrare. In initiis fidei christianae in Polonia quaerendis, similitudine quadam ex aliis nationibus petita usi, debemus admittere, iam a plurimis annis in Polonia missionarios laborasse, antequam dux Mieszko officiali modo religionem catholicam profiteretur. Sententia de slavica origine missionariorum in Polonia reiecta, Parczewski ex parte vestigiis prof. Wojcśechowski et prof. Abraham insistens, ex parte propriis studiis innixus primos missionarios Neo-Corbeia, Leodio, Fulda, Ratisbona et Colonia in Poloniam advenisse demonstrat. Hypothesis haec magna illa auctoritate, quam ecclesiae illae in dioecesi Cracoviensi et tota Polonia etiam postea per duo saecula, licet minorem in dies, exercuerunt probatur. In Polonia vera fide imbuenda primas partes habuerunt missionarii ex Hibernia, ordinis s. Benedicti, quod vel ex nominibus monasticis, quae variis monumentis exhibentur manifestum est. Haec Hiberniae studia demum in secunda saec. XII parte extincta sunt, cum in Benedictinorum provinciam ordines Cisterciensium et Praemonstratensium ingressi sunt. *β.*

Ks. Jan Rostworowski T. J.: **Z nowych kierunków myśli katolickiej.** (De recentioribus rationibus, quas mens catholica sequitur). Kraków, 1905, pag. 52 mag. 8⁰.

Idem: **Liberalny katolicyzm** (De catholicismo liberali). Kraków, 1906, pag. 60 mag. 8⁰.

Ambo libelli e commentationibus separatim editis, quae in opere periodico „Przegląd Powszechny“ emissae erant, conflati sunt. Occasione cuiusdam libelli prof. Zdziechowski, qui inscribitur „Pestis perniciossima“ data, Rostworowski primo libello defendit traditionalem methodum religionis christianae demonstrandae, valorem intellectualis laboris in praeambulis fidei ostendit, de habitu inter philosophiam et theologiam disserit, ineptam esse illam apologeticae rationem quae „intellectualismum“ nimis deprimit vel principis neo-kantianismi innititur, demonstrat. — Altero libello idem initia „catholicismi liberalis“ a Lamennais eiusque l'Avenir repetit, ulteriores vicissitudines liberalismi in Ecclesia describit eiusque relationes ad auctoritatem eccle-

siasticam. Deinde exhibentur postulata eorum „liberalium“ recentiorum qui foedus Ecclesiam inter et scientiam cultumque nostri temporis iniri volunt. In critica parte libelli ostenditur rationem praecipuam, cur Ecclesia cum „spiritu moderno“ non possit amicitiam conciliare e sententia „liberalium“, in hoc consistere, quod „spiritus hic modernus“ nimis deprimat, vel etiam omnino negligat in vita humana elementum supernaturale et divinum, quod Ecclesia pro officio suo custodire et promovere tenetur. *β.*

RUSSICA.

Academia ecclesiastica Kazanensis, et polemica christiano-islamica.

Academia Kazanensis quae chronologice ultimum tenet locum inter quattuor russicas academias, disciplinis theologicis indesinenter vacantes tanquam sibi propriam tractandam provinciam suscepit apologiam religionis christianae contra Mahumetanos. Hoc sibi munus demandavit quia Kazanensis eparchia suos inter incolas 3 decies centena millia circiter recenset Islami sectatores. Pro viribus russici missionarii conati sunt ingentem hunc Mahumeti exercitum ad christianam fidem adducere, sed incassum laborarunt. In Russia, prout ubique, religio mohamedica christianam veritatem omnino abhorret. Academia Kazanensis, cuius origo repetenda est ab anno 1798, imperante Paulo I., ut huiusmodi missionarios fortiores redderet in certamine antiislamico, sibi proposuit peculiarem scholam condere, quae islamicae fidei studium prosequeretur. Optimus professor E. A. Malov mense martio 1872 Consilio Academiae exposuit miseram conditionem Tartarorum, qui a Russicis missionariis baptismum acceperant, et doluit, quod pauciores essent libri, quibus contra sectatores islami religio christiana defenderetur [1]). Consilium, disserentis rationibus permotus, statuim in lucem edere seriem operum, cui titulus communis Collectio antiislamica (Противо-мусульманскій Сборникъ), curamque commisit eidem ac docenti Ostroumov, ut pararent et colligerent materiam aptam typis edendam. Hinc factum est, uti anno 1873 in lucem editum sit primum volumen pretiosi quidem Sborniki, quâ de serie, cum tota penitus nostros lateat de rebus islamicis scriptores, praesertim in eis quae christianam fidem attingunt, visum est mihi haud abs re quaedam adnotare. Primum volumen (1873) tres continet opellas. Tenet principem locum narratio E. A. Malovi de sectione ad missionarios educandos adiuncta Kazanensi academiae (Свѣдѣнія о миссіонерскомъ отдѣленіи при Казанской духовной Академіи). Doctissimus quidem rerum islamiticarum scriptor, ut lapsu temporis nova et laboriosa opera eum prodiderunt, natus est in provincia Simbirsk, et magistri theologiae diploma obtinuit in academia Kazanensi die 2 septembris anno 1863. Longum quidem esset scriptionum eius seriem imuere. Plura inseruit in Православный Собесѣдникъ circa statum religiosum Tartarorum, qui bap-

[1]) Ternovskij, Историческая записка о состояніи казанской духовной Академіи послѣ ея преобразованія. **Kazani, 1892, p. 51.**

tismum acceperant. et missiones russorum apud islamiticas tribus, et praesertim opus, in quo religio mosaica ad lucem sacrarum scripturarum et Corani analytice diiudicatur Моисеево законодательство по ученію Библіи и по ученію Корана. Пр. Соб.. 1889. III.; 1890. I., II., III. tomi. — Eidem volumini adnectuntur binae opellae, quae notitiarum congeriem ad Tartarorum qui baptizati fuerant religiosam conditionem rite noscendam continent: Primi titulus est: Методъ миссіонерской полемики противъ татаръ-мухаммеданъ: secundi autem: Причины упорной привязанности татаръ-мухаммеданъ къ своей вѣрѣ: primi auctor est E. Vinogradov, alterius B. G. Petrov.

Tomus secundus lucem aspexit anno 1873 cum hoc titulo: Опытъ изложенія мухамеданства по ученію канифитовъ. — Scripsit hanc opellam A. G. Leopoldov. Clare, licet non semper erudite, doctrinam dogmaticam primum, deinde moralem exponit huius sectae, quae puriorem apud Muhamedanos fidem profitetur. Adnotatiunculis fere omnino caret, ac plures in arabicis citatis reprehenduntur errores. Tomus tertius clarissimi viri continet dissertationem de integritate librorum Veteris et Novi Testamenti contra Muhamedanos, qui auctoritate Corani suffulti tenent christianos iudaeosque scienter et callide e suis libris sacris prophetias Muhamedum spectantes expunxisse en titulus operis: Доказательства непровежденности книгъ Св.-Писанія Ветхаго и Новаго Завѣта, противъ мухаммеданъ: idem inquirit subiectum in hoc volumine, in eis quae ad vetus Testamentum pertinent, A. N. Filimonov: Доказательства непровежденности книгъ Новаго Завѣта, противъ Мухаммеданъ, Kazani, 1874.

Tomus quartus auctorem habet N. P. Ostroumov, nunc temporis *πρωτοιερεὺς*, et disserit de prophetis iuxta coranicam doctrinam: Критическій разборъ мухаммеданскаго ученія о пророкахъ, Kazani, 1874. Generatim advertimus omnia, quae typis edidit cl. Nicolaus Petrovitch Ostroumov, ortus in provincia Tambow, magni pretii habenda esse in litteratura polemica islamica. Peculiari mentione digna sunt, quae inseruit Прав. Соб. circa coranicam doctrinam de fine mundi, et de Christo, 1871, 11; de angelis, et de influxu Muhamedi in historiam totius generiis humani, 1872, II., III.; de Ssma Trinitate et Spiritu Sancto, 1872, I., et praesertim de hodierno statu Islamismi in Russia, plurimae tractationes, in Прав. Соб., Журналъ мин. народн. просв., Турк. Вѣдом.. Прав. Обозр.. Странникъ, et Христіанское Чтеніе. Nuperrime edidit volumen de Religione islamica et civili progressu.

Tomus V. est opus A. Hrustalev, disserit de propagatione religionis christianae inter infideles Kazanensis provinciae: Очеркъ распространенія христіанства между иновѣрцами казанскаго края. Казань. 1871. et complectitur historicam narrationem de conatibus ecclesiae russae ad eos convertendos (Kazani 1874).

Reperiuntur in sexto considerationes Th. D. Kudicevskij circa essentiam ac spiritum, ut vocant, Corani: Главныя мысли и духъ Корана, et versio russica operis Weil, Historico-kritische Einleitung in den Koran, quam Malov concinnavit.

Septimus exhibet eruditas investigationes A. G. Zaborovskij quoad dependentiam Korani a fide christiana in systemate theologico ac morali. Huic inest operi titulus sequens: Мысли Алкорана, заимствованныя изъ христіанства: adiungitur delectus locorum Corani, quibus fides christiana extollitur, ut facilius ad eam amplectendam trahantur muhamedani: Locos collegit I. Fortunatov. In eodem vertitur russice caput V. operis Arnoldi: Islam, its history, Character and relation to Christianity. Londini, 1874. — Lucem volumen aspexit anno 1875.

Continet octavus praeclarum quidem opus presbyteri A. I. Světlakov, De historia iudaismi in Arabia deque eius influxu in formatione doctrinae coranicae, quem viri peritissimi, ut Nöldeke, maximum fuisse censent: Исторія іудейства въ Арабіи и вліяніе его на ученіе Корана. Kazani, 1875. Hac sibi meruit auctor diploma magistri theologiae in academia Kazanensi (Ternovskij, l. c., p. 77) et anno 1885 episcopus consecratus est Mojaisk, vicarius Mosquensis eparchiae. De influxu iudaismi in religionem coranicam disseruit etiam in Prav. Sobes., 1881, t. III.

Reperitur in nono tractatus polemicus P. Raev, cui titulus: Notae veritatis christianismi orthodoxi et falsitatis muhamedanismi: Признаки истинности православнаго христіанства и лживости мухаммеданства. Kazani, 1875. Demonstrat in primâ sectione quaenam sint notae tum internae tum externae verae religionis revelatae, easque fidei nostrae propria esse tutatur, coranicis vero doctrinis denegat. Caret tamen opus vi theologica et critica methodo.

Decimus tomus optime disserit de Matrimonio Muhamedanorum comparatione instituta cum matrimonio christiano, deque eius influxu in vitam domesticam et socialem hominis: Мухаммеданскій бракъ въ сравненіи съ христіанскимъ бракомъ, въ отношеніи ихъ вліянія на семейную и общественную жизнь человѣка, Kazani, 1876. Praeclaris argumentis probat doctissimus auctor islamicum matrimonium meram esse conventionem civilem, quae nulla fulcitur religiosa sanctione, ac mulieris conditionem miserrimam reddit. Michael Alexandrovič Maḫanov, natus in provincia Tobolsk, meritam sibi famam acquisivit pro innumeris in lucem editis scriptis, quae islamicam fidem respiciunt. Anno 1885 diploma magistri obtinuit, cum typis vulgasset De vita Arabum tempore Muhamedi. In praesentiarum professor est in Academia kazanensi, docetque theologiam polemicam contra Muhamedanos. Recensenda plura de potestate suprema in Islamo, Prav. Sob., 1878; de cultu sanctorum apud Muhamedanos ib.: de monachis Muhamedanis, quos Derviš vocant, de conditione judaismi in regionibus Muhamedanorum etc.

De caeteris voluminibus huius syllogae alia vice agemus.

P. A. Palmieri.

Вѣра и Разумъ (Fides et Ratio). 1906, n. I., II., III.—IV.

Къ вопросу о Патріаршествѣ въ Россійской Церкви (Controversia de Patriarchatu in Rossica Ecclesia), I.—IV., p. 1—16; 70—94; 132—150:

Anonymus auctor fuse tractat de novo regimine, quod citius sperat in Rossicam ecclesiam introductum iri. Horum laudat sententiam, qui Patriarcham totius Ecclesiae caput statuendum censent, sublata synodo petropolitana. Iura Patriarchae determinat, cui munus competere debet non tantum ecclesiae regendae ut sit arbiter supremus, sed etiam eo spectare, ut mediator sit inter imperatorem et populum, quem ut pater in omnibus fovere debet. Munera etiam et compositionem synodi patriarchalis recenset, quae in regenda Ecclesia auxilium suum Patriarchae praestare teneretur. Cernitur ex hac praeclara scriptione necessitas pro ecclesia russica sibi eligendi caput, quo in praesentiarum ut acephalum corpus, caret.

D. Leonardov, Теорія боговдохновенности Библіи въ александрійской школѣ (Theoria inspirationis Sacrarum Scripturarum in scola alexandrina). I.—IV., p. 17–30; 70—94; 132—150. Doctus auctor iam inde a superiori anno investigare coepit, quaenam in Ecclesia primitiva doctrina sit de divina Sacrarum Scripturarum inspiratione. Hic tractat de sententia Clementis Alexandrini breviterque enucleat historiam exegeticae scholae, quae hic floruit auspice Pantaeno. Moralem characterem Clementis delineat, eiusque eruditionem summis laudibus extollit. In primo capite exponit doctrinam clarissimi scriptoris ecclesiastici circa nomina Sanctorum Librorum, affirmat ipsum professum esse doctrinam, quae tenet auctores eorum sub influxu divinae inspirationis suos libros exarasse, deinde in tertio capite recenset libros inspiratos ex sententia Clementis, eorum proprietates et notas, exponit quid ipse senserit de canone Veteris Testamenti, et Novi, ed de inspiratione singulorum librorum. Eruditione ex optimis fontibus hausta scatet haec dissertatio, quae Patrologiam spectat.

S. Znamenskij, Сверхчеловѣкъ Ницше (De »superhomine« Nietzschiano). I., p. 1—19, 33—50; 67—79. (sectio II, philosophica). Breviter attingit characterem philosophiae Nietzsche, quae hisce temporibus influxum etiam in Russos habuit, eiusque obscuram doctrinam de superhomine praesertim ex famoso opere »Also sprach Zarathustra« exponit. Primum ad crisim revocat eius doctrinam spectatis psychologiae notionibus, eamque ut absurdam et contradictionem involventem reicit: deinde eam logice et moraliter pravam esse demonstrat. Doctrina christiana, quae Deum hominem extollit longe praeclarior est doctrinâ Nietzschianâ de Superhomine quae ad atheismum ducit.

Th. Prohorenko, Русская духовная миссія въ Японіи (Religiosa missio Russorum apud Iapanenses). II.—IV., p. 61—69; 151—168. Pulcherrimam habet Tokio orthodoxam cathedralem quam Rossi magnis expensis erexerunt: ad 30,000 computari debent, qui fidem orthodoxam profitentur in hoc imperio. Iaponensium Apostolum orthodoxum, Russi vocant Nicolaum Kasaktin, alumnum academiae ecclesiasticae petropolitanae, qui iam a 45 annis suam fidem Iaponensibus non sine successu praedicat, ac paucis abhinc mensibus titulo archiepiscopi est decoratus. Originem, vicissitudines, statum actualem huius missionis enarrat praefatus auctor, quae demonstrat zelum pro diffusione christiani nominis in Rossica ecclesia penitus non esse extinctum, quod prodolor! de graeca ecclesia sine veritatis iniuria affirmare licet.

A. Spasskij, Христіанство какъ религія книги и исполнившейся исторіи (Religio christiana considerata ut religio libri et perfectae historiae). II., p. 95—117. Differt religio christiana ab islamitica, quia haec est religio libri, mordicus inhaeret observantiae materiali praeceptorum secundum litteram sine spiritu qui vivificat. Deinde notas moralemque sublimitatem religionis christianae praesertim in certamine contra polytheismum depingit.

I. Brodovič, Библіографическая замѣтка »Православная богословская энциклопедія« (Animadversiones bibliograficae in Encyclopaediam Theologicam orthodoxam). 2, p. 118—120. Loquitur de oΞgine ency-

clopaediae orthodoxae, quae in lucem prodiit ab anno 1900, auspice clarissimo viro A. Lopuhino († 1904). Post eius mortem, curam operis prosequendi suscepit Pr. N. Glubokovskij, qui id praestabit ut Encyclopaedia melius criticae ac scientiarum normis respondeat.

I. Galahov, Почему духовенство утратило свое вліяніе на общество (Quanam de causa clerus suum amiserit influxum socialem). III.—IV., p. 186—194. De reformatione russicae ecclesiae et cleri agit, discutiens sententias clarissimi sacri oratoris Petrov qui hoc thema in Russkoe Slovo evolvit. Petrov tardum, inertem, immobilem iudicat clerum, qui veteribus adhaeret praeiudiciis, quin videat sociales conditiones penitus mutatas esse. Galahov censoria nota Petrov inurit, negatque influxum cleri in societatem civilem pessumdatum esse. Innumera sunt loca, praesertim pagi, in quibus clerus pater ac dux fidelium censetur. Oppida, verum est, minus sentiunt sacerdotalem influxum; huius tamen rei causa ipsi clero imputanda non est, sed optimatum ac primorum coetui, qui perversis doctrinis imbutus, ab ecclesia abhorret. Procul dubio clerus indiget renovatione: haec tamen parum iuvabit, nisi exculti coetus materialismi principia relinquant, ad fidei placita revertentes. Ex responsione Galahovi eruitur quod diminutus influxus cleri in societatem civilem derivet ex falsa scientia, quae in russicis scholis grassatur: communior tamen sententia clerum ipsum religiosae indifferentiae indirecte favisse tenet, cum apostolico zelo et libertate, sub regimine synodali caruisset. *A. Palmieri.*

Libri russici anno 1905 editi *).

S. D. Babuškin, Cerkovno-prihodskaja obščina i zemskij sobor. (De conventu parochiali et concilio rei publicae.) Kazan' 1905. (IX. + 298.) 1·50 r.

K. Cincadze, Avtokefalija Cerkvi Gruzinskoj. Istoričeskij očerk IV.—XI. v. (De ecclesiae Grusin. autocephalia). Tiflis 1905. 0·20 r.

A. M. Ivancov-Platonov, O naših nravstvennyh otnošenijah i objazannostjah k sem'ě, školě, obščestvu, tovariščam, načal'nikam, sosluživcam i podčinennym, k svoemu narodu i gosudarstvu, k cělomu čelověčestvu i sv. cerkvi [2]. (De officiis socialibus, politicis, cosmopoliticis, ecclesiasticis.) M. 1905 (61). 0·30 r.

A. M. Ivancov-Platonov, O zapadnyh věroispovědanijah [4]. (De confessionibus occidentalibus). M. 1905 (156+2) 0·70 r.

A. I. Jacimirskij, Vozroždenie vizantijsko-bolgarskago religioznago misticizma i slavjanskoj asketičeskoj literatury v XVIII. v. (De mysticismo byzantino-bulgarico et litteris asceticis Slavorum saec. XVIII. renatis.) Har'kov 1905 (De Paisio Veličkovskij; ex Sbornik statej v čest' prof. M. S. Drinova).

N. V. Malickij, Istorija suzdal'skoj duhovnoj seminarii (1723—88 gg.) (Historia seminarii spiritualis suzd.) Vladimir 1905. 220 1 r.

A. A. Nau, Cerkovnye sbory i povinnosti v Lifljandskoj gubernii. Valk 1905 (VIII.+398). 3·50 r.

S. Nikol'skij, Istorija cerkvej Antiohijskoj i Konstantinopol'skoj za vremja sv. Ioanna Zlatousta, po ego tvorenijam. (Historia eccl. Antioch. et Cp. temp. s. Io. Chrysost. secundum eiusdem opera). Otd. I. i II. Stavropol'-Kavkazskij 1905 (XXXV.+398) 3 r.

---

*) Cf. supra, p. 53.

V. V. Perepečin, Rimskaja liturgija, eja otličie ot pravoslavnoj i sravnitel'nyja preimuščestva poslědnej. (Liturgia Romana, quomodo ab orthodoxa differat eaque inferior sit). Vitebsk 1905 (90).

ep. Petr, Ukazanie puti k spaseniju. Opyt asketiki (Dux viae ad salutem) [3] M. 1905 (p. 183).

L. I. Petražickij, Vvedenie v izučenie prava i nravstvennosti. Emocial'naja psihologija (Introductio in doctrinam de iure et moribus). Spb. 1905 (XIII+311). 2 r.

S. Petrovskij, Antihrist. Razsuždenie po rukovodstvu svjašč. pisanija i sv. otcov (De Antichristo sec. s. scripturam et ss. patres) Odessa 1905. (71).

S. Petrovskij, Sokraščennoe izloženie istin pravoslavnoj hristianskoj věry, nadeždy i ljubvi [2] (Brevis explicatio rationum et praeceptorum orthodoxae christianae fidei, spei, caritatis.). Odessa 1905. 0·85 r.

N. Pokrovskij, Kratkij očerk cerkovno-istoričeskoj žizni pravoslavnoj Gruzii so vremeni pojavlenija v nej hristianstva i do vstuplenija eja v poddanstvo Rossii (Orthodoxae Grusiae historia adumbratur). Tiflis 1905 (165). 0·50 r.

P. Ponomarev, Učenie Thomy Akvinata o tainstvě evharistii (Quid Thomas Aq. de sacr. eucharistiae docuerit.) Kaz. 1905. 0·25 r.

S. V. Protopopov, O hudožestvennom elementě v pravoslavnom cerkovnom pěnii. (De artificio cantus ecclesiae orhodoxae.) Spb. 1905 (98) 0·80 r.

A. I. Razumihin, Praktičeskoe rukovodstvo dlja pastyrej (Enchiridion administrationis muneris pastoralis). M. 1905.

M. A. Rejsner, Gosudarstvo i věrujuščaja ličnost' (Imperium et persona credens). Spb. 1905 (3+423) 2·50 r.

G. Skardanickij, Farisei i saddukei, kak vyraziteli sostojanija religioznoj žizni iudejstva pred javleniem Hrista. (De Pharisaeis et Sadducaeis et expressa per eos condicione vitae religiosae Iudaeorum ante Christi adventum). Kiev 1905.

P. I. Smirnov, Istorija hristianskoj pravoslavnoj cerkvi (Historia ecclesiae christianae orthodoxae) [8] Spb. 1905 (277).

P. Stroganov, Stavropigial'nyj Bězjukov monastyr i smolenskie episkopy. De monasterio, quod Bězjukov dicitur, (sub ipsa s. synodo constituto) et episcopis smolenskensibus. M. 1905.

P. Ja. Světlov, Kurs apologetičeskago bogoslovija [2] (Cursus theologiae apologeticae) Kiev 1905 (460 + VI) 2 r.

M. Tarěev, Istina i simvoly v oblasti duha (Veritas et symbola in regione spiritus). Serg. lavra 1905 (204) 1·30 r.

arhim Theofan, Tetragramma ili vethozavětnoe Božestvennoe imja יהוה Spb. 1905 (VII + 258).

L. A. Tihomirov, Al'truizm i hristianskaja ljubov' (De altruismo et christiana caritate). Vyšnij-Voloček 1905. 0·15 r.

D. I. Tihomirov, O reformě duhovnoj školy. (De scholarum spiritualiam instituto emendando.) Spb. 1905. 0·60 r.

A. Vinogradov, Istorija kathedral'nago Uspenskago sobora v gubernskom gorodě Vladimirě [3]. (Historia ecclesiae cathedralis in urbe Vladimir). Vladimir 1905.

M. Višnevskij, Protiv nepravil'no ponimajuščim glavnějšija istiny pravoslavnoj ḫristianskoj religii (Contra eos, qui perperam accipiunt summam eorum, quae ecclesia christiana orthodoxa docet). Kiev 1905.

protoier. Vladislavlev, Objasnenie bogosluženija svjatoj pravoslavnoj cerkvi (Liturgia s. ecclesiae orthodoxae explicata) [4] I. et II. Spb. 1905 (440) 1·50 r.

S. N. Vvedenskij, Materialy dlja istorii Voronežskoj eparḫii (Materiae ad historiam dioeceseos Voron. pertinentes). Voronež 1905.

Pamjatniki slavjano-russkoj pis'mennosti izdan. Imp. arḫeografičeskoju kommisseju. I. Velikija Minei Četii, sobranyja Vserossijskim metropolitom Makariem. (Monumenta litterarum slav.-russicar. I. Magnae Vitae sanctorum) Nojabr', den' 11. Vyp. 7. Spb. (XLII.+414).

Pamjatniki pravoslavija i russkoj narodnosti v Zapadnoj Rossii v XVII—XVIII. vv. Tom. I. Akty po istorii zagraničnyḫ monastyrej Kievskoj eparḫii XVII—XVIII. vv. (Monumenta orthodoxiae et nominis russici in Russia occidentali s. XVII—XVIII. T. I. Acta spect. historiam monasteriorum externorum eparchiae kioviensis). Kiev 1905 (č. I.: CLXIV+XXXIII+528; č. II.: XXXV—LXVI + 529 — 1136; č. III.: LXVII — XCVII + 1137 — 1771 + XCIX) 3 + 2 + 2 r.

Христіанское Чтеніе (Hristianskoe Čtenie), годъ LXXXV., 1905. С. Петербургъ.

N. N. Glubokovskij, Ученіе св. Апостола Павла и книги Премудрости Соломоновой о происхожденіи и характерѣ язычества. Съ общими замѣчаніями о взаимоотношеніяхъ св. Павла и псевдо-Соломона (кн. фебраль и апрѣль), p. 149—172; 445—465. De origine et natura paganitatis quid stus Paulus teneat et quid liber Sap. Sal. Cum adnotationibus de communitate sti Pauli cum Pseudo-Salomone generatim.

Hic doctissimus professor aggreditur defendere theologiam sti Pauli a periculosis criticorum huius temporis conatibus, qui »geneticismum paulinismi« praedicant, eorumque sententiam separatim in quaestionem vocat, quae fert stum Paulum cum generatim tam in doctrina de origine et natura gentilitatis librum Sap. Sal. secutum esse eiusque helenismum sua horriditate (rigorismo) infecisse. Glubokovskij comparato in genere primum argumento libri Sap. cum sti Pauli doctrina de paganitate nullam demonstrat fuisse Paulo necessitatem scripti cuiuspiam fontis. Nam sicuti Pseudo-Salomon ita omnia sine vanis rationibus sola experientia duce — neque neglectis praeceptis biblicis — pertractat, ut nihil supersit argumenti, quod ipso non auctore cognosci non possit, — similiter et Paulus scribit. Qua enim ratione ei libro Sap. opus fuerit in describenda paganitate, cum idem ipse optime nosset perditos illos mores, quos etiam alii auctores (Ovidius, Seneca, Iuvenalis etc.) scriptis nobis tradiderunt! Taedium autem paganitatis omnibus Iudaeis fuit commune. Connexio igitur, eaque tantummodo litteralis possibilis apparet ea sola ratione, quod Apostolus non »chronica« gentilitatis scribit, sed historiae eius philosophiam, quippe quae in »evangelii« eius nervis inhaereat. Itaque duas paganitatis descriptiones eiusdem argumenti habemus, quae tamen inter se non continentur. Cum historica et psychologica — ut magnus iudaismi pathologus (Wellhausen) — veritate Paulus paganismi originem explicat congruenter cum s. scriptura, corruptos mores non curans nisi, ut eis medeatur. Apud Pseudo-Sal. autem summa rerum sine ulla interpretatione subiectiva describitur.

Deinde Glubokovskij similitudines locorum ex utroque scriptore a criticis obiectas considerat. Sapientiam capite 13. cultum stellarum distinguere dicunt ab idololatria inferiore et zoolatria eiusque culpam minorem iudicare (ἐπὶ τούτοις ἐστὶν μέμψις ὀλίγη. Sap. 13, 6) quod idem et Paulum facere Gal. 4, 8—9; 1. Cor. 12, 2; Rom. 1, 23. 25. Quam congruentiam apud Apostolum Glubokovskij dubiam esse et explicatione Gal. 4, 3. 9 (τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου) contineri existimat, concedens ut plurimum ab utroque auctore eundem casum historicum narrari, in cuius aestimatione disparitas eorum emergat Quod vero critici affirmant, et Paulum et Pseudo-Salomonem in cultus idolorum origine describenda elementariam Dei cognitionem unicuique patentem tenere, Glubokovskij negat. Etenim Paulus in epist. ad Rom. gentilitatis originem explanans Deum naturaliter cognoscibilem dicit, contra Pseudo-Sal. hac de re nihil certi, quin etiam sententias inter se contrarias (Sap. 13, 1—13, 3. 4. 9), quae Dei cognitionem theoretice possibilem ad verum non perduci praeiudicant, promit. Ad hoc cum Apostolus tam plastice de paganitatis origine agat eamque a cognoscibilis veritatis abiectione repetat, Pseudo-Sal. hanc veluti principalem quaestionem haud attingit ultra distinctionem historicarum eius cultus formarum non progrediens (Sap. 13, 1; 13, 10; 14, 15) — unde radicitus hac in re disiunguntur quae diversitas revera maior est quam nonnullae illae analogiae verborum raro occurrentes. Ceterum Glubokovskij Pseudo-Salomonem intimae subtilitatis psychologicae analysis expertem levitatem prodere et Pauli »evangelio« esse postponendum arbitratur.

Glubokovskij contra eosdem criticos maxime etiam differentiae in delineando naturam et sequelas paganitatis admonet. Sap. 13, 6. 9 ∽ Act. 17, 27 frustra inter se comparantur; adsunt et aliae partes discrepantes: Pseudo-Sal. praecipue ab ipsa potissimum idololatriae stultitia, originem tantae vitiositatis minime perscrutatus, abhorret. Paulus autem omnia ad illam usque abominationem evolvit, quando homo — »mutavit gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium« (Rom. 1, 23. etc.). Simulacra deorum — de quibus in Sap. solum pronuntiatorum rerum gestarum ritu narratur, a Paulo psychologice explicantur (analogia igitur Act. 17, 29. ∽ Sap. 13, 10 inanis est) — sicuti et aliter ab hoc necessitas, qua pagani usque ad tantam pravitatem pervenerint explicatur. In enumerandis paganorum vitiis (Rom. 1, 24) Pauli proprietatem novitatemque Glubokovskij (contra O. Pfleiderer) defendit adductamque analogiam inter (1. Cor. 15, 32 et Sap. 2, 5—9 allegatis locis Rom. 1, 32 ∽ Sap. 14, 22 evertit.

Sic nec singulis locis illam vim Pseudo-Sal. in Apostolum habuisse, quam critici opinantur, probatur. Opinionem igitur a criticis positam. Pauli »evangelium« paulatim ab eo efformatum esse novis elementis acceptis abiectisque prioribus, ad quem »Paulinismi geneticismum« probandum priorem rabbinismum (Rom. 1, 19. 21: γνόντες τὸν θεὸν) posteriorem hellenismum (οὐκ εἰδότες θεόν; Gal. 4, 8) Pauli proferunt, Glubokovskij refutat, Apostoli fontem uberrimum solam christianam religionem fuisse edocens.

Cum autem ab utroque auctore comparato similia tractentur, a proprietate utriusque probatâ vocabulorum similitudo non abhorret, quae reapse inter Pseudo-Sal et Paulum omnino conceditur. Itaque hypercriticismum etiam conatus eiusmodi olent: »est-ce Paul qui philonise ou Philon paulinise?« (Salvador.) Pauli sermo et praedicatio non fuit in persuasibilibus humanae sapientiae verbis orationis iudaeo-hellenisticae, sed in virtute et Spiritu sto et in plenitudine multa cum illa incorrupta proprietate evangelii Iesu Christi obiective percepti, in quo vetera transierunt — ecce facta sunt omnia nova (2. Cor. 5, 17.)

Idem professor N. Glubokovskij in fasc. mensis Augusti »Хр. Чт.« de ulteriore quaestione tractat: »Благовѣстіе св. Апостола Павла и эллинско-философская образованность со стороны возможности

ихъ взаимоотношенія«. (Quid evangelium sti Pauli et philosophico-hellenisticus cultus atque humanitas inter se conferre potuerint). Etsi certum sit, Pauli »evangelium« tot tantisque praeceptis ac sententiis praegnans aliunde, quam ab hominibus originem accepisse, tamen ipsae eius divitiae ad assiduam fontium disquisitionem provocant. »Geneticismi« sectatores Palaestino-iudaica origine apostolicae doctrinae statuta, posteriorem eius faciem variis elementis infectam esse ponunt. Glubokovskij iis assentitur, qui opinioni, quae dicitur »panbabylonismus« cum in universum, tum in N. T. intercedunt; illam similitudinem, quae de idea Redemptoris proponitur (Messias ∽ Marduch.) omnino in dubium vocat. Silentio enim praetermissis aliis differentiis ipse monotheismus Israelis sufficiens exhibet testimonium eius proprietatis, etsi esse religiosam radicem omnium Orientalium communem non negetur. Hoc et de »parsismo« dixeris.

Ad hellenismum transiens varias affert criticorum sententias: Christologiae auctorem esse Paulum, qui ad ethnicorum fabulas imaginem Redemptoris depingat; ubertatem eius doctrinae e gnosticismo esse haustam, ex alexandrinismo ideam Sapientiae et Verbi depromptam esse; quae de altero Adamo leguntur, e fontibus immutati iudaismi desumpta, budhismum prodere. »Geneticismum paulinismi« defendunt omnes, qui religionem christianam ex diversis congestam esse putant. Nam hac concessa re logice concludendum est et Pauli theologiae externa elementa admixta esse. *F. Jemelka.*

N. Lipskij, **Психологическія основы умственнаго и религіозно нравственнаго воспитанія въ дошкольный періодъ.** Нѣжинъ 1905 (m. i. p. t.).

Tertiam partem libri inscribit auctor: Волевые процессы = actus volendi. Hos auctor ita describit: In anima, inquit, variae indigentiae sunt et desideria eis respondentia. Haec ante experientiam (i. e. ante primam assecutionem sui obiecti) caeca et indeterminata sunt (стремленіе = desiderium). Desiderium obiecti certi (quod iam semel saltem obtentum est) vocatur appetitus = желаніе. Appetitus distinguitur a »velle« eo, quod primum refertur ad obiectum (finem) tantum, alterum ad obiectum (finem) et media. In anima possunt oriri simul complures appetitus inter se pugnantes, e quibus ille, qui cetera superat, transit in actum voluntatis (хотѣніе, одержавшее перевѣсъ надъ другими, переходитъ въ рѣшимость, фактъ воли, p. 154). Id, quod efficit unam repraesentationem vel sphaeram repraesentationum praeter ceteras praevalentem, est earum nisus. Hic nisus est praecipuum signum voluntatis (p. 155: Это усиліе затрачиваемое нами при выборѣ того или другого рѣшенія, есть главный признакъ того, что выборъ производится нами, нашей волей, что онъ свободенъ).

Voluntas, quae propria conscientia clare manifestatur nobis actibus suis tamquam facultas appetitiva intellectus cognitionem sequens, reducitur ab auctore fere ad vim et nisum, quem exercet anima circa repraesentationes intellectus, ideasque rationis et duplex distinguitur, intellectualis (разсудочная) et rationalis (разумная).

Ad libertatem voluntatis sufficit auctori, ut actus proveniat a me sine externa coactione, ut proficiscatur a mea indole i. e. meis repraesentationibus p. 160. (ut possit aliquid esse nobis motivum ad actum liberum, debet prius nostrum internum motivum fieri i. e. nostra repraesentatio p. 161). Inde sequitur, nostras liberas actiones etiam aliqua ratione pendere a necessitate, quatenus pendent a nostra indole et ingenio (p. 161: отсюда слѣдуетъ, что до нѣкоторой степени наше поведеніе обусловливается необходимостію, именно, оно зависитъ отъ нашего характера). Esse me liberum significat cognoscere me motiva ad actiones meas a nullo oriri, nisi a meipso (p. 161. Быть свободнымъ значитъ сознавать, что побужденіе къ дѣйствію не исходитъ ни отъ кого, ни отъ чего, кромѣ самого себя).

Verum quidem est, nos voluntatem nostram, eiusque libertatem in hac vita perfecte perspicere vix posse, hoc tamen nobis experientia interna certe constat, nos liberam voluntatem habere eamque non tantum, ut auctor dicit ab externo motivo cogente liberam, sed etiam ab interna necessitate i. e. nos habere voluntatem, quae in multis casibus vera indifferentia activa praedita est. Si habeo e. g. ante me duas novas pennas inter se perfecte similes, unam vel alteram conscientia teste eligere possum ita, ut rationem, cur hanc prae illa elegerim, neque in coactione externa, neque in educatione, neque in consuetudine, neque in qualitate pennarum, neque in mea repraesentatione earum, neque in mea indole inveniam, sed unice in voluntatis libertate. Similiter in multis aliis casibus. Haec indifferentia activa voluntatis non semper adest (habet enim voluntas etiam actus necessarios), potest etiam minui vel externis, vel internis causis, in actibus vero vel perfecte vel plus minusve perfecte liberis proportionate perfecte etiam ipsa indifferentia activa voluntatis adesse debet.

Tantum talis libertas voluntatis (etiam ab interna coactione libera) sufficit ad responsabilitatem, quae vocatur, actionum. Quomodo enim possit quis laudari vel vituperari, praemiis donari vel puniri, si propter indolem suam aliter agere non possit, quam non cum libertate acquisivit? Huius difficultatis in sententia sua auctor sibi conscius, interrogat p. 163: »Num homo responsabilis dici possit de suis actionibus?« Respondet ita: »Quaestio de morali responsabilitate una e difficillimis est et solutionis eius copia non datur, nisi in doctrina christiana, qua imbutus homo cognoscit Deo similem, sublimem se habere finem propositum et ideo officium quoque ad hunc finem tendendi. Simul habet spem auxilii gratiae in pugna ad finem suum assequendum.

Verum quidem est, hominem sine auxilio divinae gratiae nihil supernaturaliter boni facere posse, ipsumque concursum gratiae divinae cum humana voluntate in hac terra mysterium nobis manere, hoc tamen evidens est, ad actiones homini imputabiles ex parte hominis non sufficere solam cognitionem boni sed praeterea in eo adesse debere activam potentiam etiam aliter agendi, atque agit. Potentia haec ea est, quae actus intellectus sequitur et vocatur libera voluntas. Intellectus enim solus (non sensus) plura bona diversa voluntati simul proponere potest, e quibus nullum hic et nunc necessario est ei appetendum et sic voluntatem in actu primo proximo indifferenti constituere. Ratio ex parte hominis, cur in tali casu unum bonum prae altero eligat, est in libera eiusdem voluntate.

Recte affert auctor hac in parte, ut praecipuam regulam educationis moralis, ut liberorum bonae inclinationes magis magisque conformentur ac foveantur, ad malas vero reprimendas liberi certare assuefiant. Generatim in educatione semper attendendum est, ut potentiae liberorum harmonice evolvantur, inferioresque superioribus subiciantur.

In quarta libri parte ostendit auctor, maximam vim in educationem liberorum exercere: familiam, publicam opinionem, ecclesiam. Magni igitur interest, ut parentes bonum exemplum praebeant liberis, maxime sua vita et mutua inter se pace. Parentes a liberis semper maximi aestimentur oportet. Item debita inter parentes et liberos relatio est conservanda. Amare debent parentes liberos ut par est, non tamen inordinato amore, ita, ut eos velut pro re ludicra habeant, omniaque eis permittant, etiam ea, quae auctoritatem parentum laedunt. Videndum etiam, quales sint famuli et famulae, quibuscum liberi maximum temporis spatium transigunt. — Praemiorum et poenarum in educatione vim auctor iusto minoris aestimat (p. 187). Reprobandus quidem est earum nimius et imprudens usus, haud vero omnis usus. — Publica opinio, si mala est, non parvum afferre solet homini tempore educationis incommodum. Ideo ostendendum est liberis, talem

opinionem carere vero fundamento, eosque ab eiusdem influxu removeri praestat.

Maxime religiosam educationem liberorum promovet ecclesia, eorum mater spiritualis. Per hanc enim spiritualiter renascuntur, in eadem auxilia recipiunt ad pugnandum contra improbas inclinationes. Ideo eorum, qui liberos educant, est animos eorum ecclesiae auctoritati subicere (191). *C. Jež.*

De statu, qui nunc est, disciplinae iuris ecclesiastici in Russia quaedam animadversiones. (Pars II[a].)

III.

Duobus decretis, quorum primo a. 1835 praelectiones ex iure canonico in facultates iuridicas introductae, secundo autem a. 1863 independentes ibi cathedrae erectae sunt, positae sunt conditiones faventes huic florenti statui, ad quem scientia iuris canonici in Russia novissimis temporibus pervenit. Irrefragabile testimonium huius optimi status rerum sunt compluria opera systematica, cum necessario supponant campum scientiae etsi non totaliter certe tamen maiore ex parte praeeuntibus laboribus excultum. De optimo statu testatur etiam conatus quorundam canonistarum eligendi et designandi patrem huius scientiae; si respiciatur ad breve tempus non excedens dimidiam saeculi evolutionis, procul dubio conamen hoc summam affert laudem tam evolutae scientiae iuris canonici quam eiusdem cultoribus.

N. Milaš, Kirchenrecht der morgenländ. Kirche. Czernovitz, 1897, p. 24 celebrat archimandritam Ioannem ut patrem iuris scientiae canonicae in Russia, qui a. 1851 incompletum cursum iuris ecclesiastici publicavit continentem introductionem et historiam codicis canonum ecclesiae orientalis cum adnexo commentario. Eodem tamen vel etiam potiore iure posset protopresbyter Skvorcov hanc dignitatem induere, qui quattuor annis ante arch. Ioannem a. 1848 edidit completum cursum per multos deinde annos pro optimo libro habitum et usitatum (4 editiones). —

Hac occasione corrigendum est mendum, quod irrepsit in recensionem operum systematicorum apud Milaš, Kirchenrecht o. c., qui respiciens ad solam secundam editionem compendii a Skvorcov exarati collocat id post opus arch. Ioannis; hoc mendum coniungitur manifeste nexu causali cum opinione auctoris de patre scientiae iuris canonici in Russia. Omnino autem imprudens eundem errorem commisit L. K. Goetz in opere suo: Kirchenrechtliche und kulturgeschichtliche Denkmäler Altrusslands nebst Geschichte des russischen Kirchenrechts (Kirchenrechtliche Abhandlungen herausgegeben von U. Stutz 18. und 19. Heft) Stuttgart, 1905 — p. 7. Iuvat haec pauca referre de hoc opere: L. K. Goetz proposuit sibi suscipere et adimplere permagnum laborem scil. describere historiam christianismi et cultus in vetere Russia, nominatim in Russia Kioviensi seu Ukraina. Ad hoc praeparat se necessariis studiis; quorum fructus sunt: Das Kiever Höhlenkloster als Kulturcentrum des vormongolischen Russlands, Passau, 1904. et opus, supra indicatum, quod constat ex duabus partibus: prima comprehendens 1—94 pag. praebet nobis historiam iuris ecclesiastici in

Russia. — Animadvertendum est, secundum Pavlov, Cursus iuris ecclesiastici ed. a Gromoglasov (Курсъ церковнаго права А. С. Павлова, Свято-Троицкая Сергіева Лавра, 1902) pag. 109 sqq. duo in historia iuris ecclesiastici in Russia respicienda et consideranda esse, quae sunt: fata nomocanonis a Graecis accepti et formatio proprii-particularis iuris ecclesiastici. In historia huius formationis Pavlov distinguit tres periodos, quarum prima perdurabat inde ab initio christianismi in Russia usque ad descendens saec. XV., quo tempore Russica ecclesia autokephalos evasit. In hac periodo iacta erant fundamenta iuris proprii-particularis praeprimis externi. quo determinabantur mutuae relationes inter ecclesiam et civitatem idque secundum exemplar graeci nomocanonis simul tamen condicionibus et circumstantiis propriae gentis vitae maiorem vim habentibus. Documento existunt statuta Sti Vladimiri et Jaroslavi ex saec. XI., quae continent varia privilegia (decimarum, iudiciorum) hierarchiae concessa, statuta aliorum principum ex saec. XII., de quorum tamen auctoritate maxima ex parte dubitatur.

Extant etiam septem scripta chanorum seu principum Tatarorum ex saec. XIII. et XIV., quibus iura metropolitarum tuebantur vel nova privilegia concedebant. Iuris interni ecclesiastici in hac periodo varia sunt monumenta: complures litterae patriarcharum Constantinop. et nonnullae litterae imperatorum Byzantin. de rebus ecclesiasticis decernentes, praeprimis cum de erectione vel divisione metropoliarum vel dioecesium ageretur; ad peculiares fontes pertinent decreta quarundam synodorum, maxime vero responsa et litterae canonicae ecclesiasticorum antistitum; gravissimi momenti sunt responsa metrop. Ioannis II. ex saec. XI. et responsa episc. Niphontis ad interrogationes Cirici, Savvae et Eliae ex saec. XII. —

In periodo secunda — autocephaliae a saec. XV. usque ad Petrum Magnum — evolutio iuris proprii-particularis maxime per synodos promovebatur, quae eo tempore iam nihil amplius erant quam vice potestatis civilis, quia princeps Moscoviae ipse res in synodo tractandas earumque ordinem praescribebat.

Inde autem a reformationibus illius magni imperatoris stabilitum est hoc systema iuris ecclesiastici, quo hodie ecclesia Russica regitur. —

Praetermissa historia Graeci nomocanonis in Russia L. K. Goetz attendit ad solam historiam formationis iuris proprii-particularis, quae apud Pavlov o. c. continetur § 40—53 et accuratam versionem eorum capitum praebet.

Secunda pars libri (pag. 95—403) quaedam monumenta iuris ecclesiastici ex prima periodo eius evolutionis complectitur, nempe: canonica responsa metr. Ioannis II. deinde interrogationes Cirici cum responsis episc. Niphontis, denique monita archiep. Eliae-Ioannis, quorum verba et ipsa afferuntur et in Germanicum versa cum commentario exhibentur; praemittitur vero singulis his monumentis introductio de scriptore, fontibus, relatione ad disciplinam ecclesiae Graecae etc.

Sicuti prima pars ita secunda praecipue auctoritate Pavlovi innititur. Patet eam solam respondere consilio scriptoris, formandi sibi nobisque

suo tempore proponendi imaginem cultus et humanitatis primis saeculis Russiae conversae. Insignia huius cultus abunde sunt sparsa in his antiquissimis monumentis; propterea iam quaedam lineamenta eiusdem imaginis ope adnexi optimi commentarii clare conspiciuntur. Aptissime autem praemisit conspectum historicum formationis et evolutionis iuris ecclesiastici in Russia; eo enim modo in occidente desideratum complementum habetur operis editi a Mitrovits, Nomocanon der slavischen morgenländischen Kirche oder Kormčaja kniga. Wien-Leipzig, 1898. Haec ambo opera pandunt et praebent lectoribus totam historiam iuris canonici ecclesiae Russicae; mutuo se complentens in eo quoque conveniunt, quod sedulo fructus diuturni laboris celeberrimi Pavlovi colligunt et exhauriunt. Valor igitur utriusque operis summa auctoritate determinatur, quam meruit sibi Pavlov tam in patria sua quam, ut patet, extra patriam. —

A. C. Павловъ (A. S. Pavlov).

Spectatis spectandis Alexius Stephani Pavlov ille est, cui soli competit dignitas patris scientiae iuris canonici orthodoxae Russorum ecclesiae. Totam fere alteram dimidiam praeteriti saeculi partem cathedram iuris canonici tenens — deinceps in universitatibus Kazaniensi, neorussica et moscoviensi — plurimis operibus nomen suum celebravit id contendens, ut solida et spatiosa fundamenta scientiae iuris canonici poneret: quibus eo mortuo a. 1898 ab aliis splendidum aedificium superstruitur. Etiam N. Suvorov, acerrimus eius adversarius, qui post mortem eius primatum inter Russicos canonistas digne tenet eum vocare fundatorem in ambitu scientiae iuris canonici non cunctatur (Памяти А. С. Павлова. Птб. 1898, pag. 2.)

Perpetui valoris opus, quod Pavlov perfecit, est editio critica plurimorum fontium iuris ecclesiastici praecipue vero historia eorundem fontium; opus, quod his fundamentalibus laboribus praeparabat et cui perficiendo continuo operam dabat, est systema iuris canonici constructum methodo historico-dogmatica, cui ad finem optatum perducendo mors eius se opposuit. Inde eius „cursus iuris ecclesiastici“ demum post ipsius mortem editus est a Gromoglasov.

Iam paucis referre libet eiusdem praecipua opera. —

Certum habetur, primos Graecos episcopos, qui tempore Sti Vladimiri in Russiam conversam venerunt, simul cum aliis libris etiam codicem canonum suae ecclesiae attulisse. Quo tempore in Graecia in usu erant nomocanon Ioannis Scholastici et nomocanon XIV. titulorum, quocum coniunctum erat syntagma canonum. Id quoque certum est inde ab a. 1262. in Russicae ecclesiae usum venisse codicem Slavicum: nam hoc anno Svjatoslav princeps Bulgarorum ad metrop. Cyrillum II. versionem Slavicam synopsis canonum cum commentario Aristenis misit, quam versionem St. Sávva primus patriarcha Serborum adornavit. Quaestio erat, fuissetne iam ante a. 1262 in usu Slavica versio nomocanonis, ad quam quaestionem affirmative respondens Pavlov definitive eam solvit opere: Первоначальный славяно-русскій номоканонъ. Казань. 1869. (Primus Slavo-russicus nomocan. Kazan, 1869). Haec affert argumenta: brevi tempore post conversam Russiam sub Jaroslavo

I. medio saec. XI. plurimi antistites eccl. erant natione Russi: licet igitur conicere illo tempore versionem Slavicam nomocanonis a Graecis allati provenisse. Expresse hoc testantur saec. XII.: 1) interrogationes Cyrici ex initio saec. XII., quae quosdam canones plene et accurate in Slavicum versos continent. 2) in inventario cuiusdam Graeci monasterii montis Athos, a. 1142 conscripto, inter alia etiam ῥωσσικὰ βιβλία notantur, manifeste a Russicis monachis allata: e quibus unus liber erat nomocanon. 3) saec. XVI. monachus Zenovius duo codices manuscriptos vidit, quorum unus — secundum eiusdem verba — erat nomocanon conscriptus in Novgorod sub Jaroslavo I., secundus nomocanon conscriptus sub Izaslavo, ex quo secundo a Zenovio quaedam etiam afferuntur. 4) exstant manuscripta Slavici nomocanonis, quae lingua et compositione haud dubie ad prima saecula post conversionem Russorum et generatim Slavorum referuntur et versionem nomocanonis Ioan. Scholastici et nomoc. XIV. tit. cum syntagmate canonum continent. Prototypos versionis nomoc. Ioan. Scholastici erat originis Bulgaricae huius autem nomoc. XIV. tit. originis Russicae: proximum vero est sub Jaroslavo I. id esse exaratum. — Praeterea origo et mutua relatio duorum generum explicatur, in quae omnes codices manuscripti nomocanonis Slavici inde a saec. XIII. usque ad medium saec. XVII. recte dividi possunt idque hoc modo: Kormčaja, quam accepit Cyrillus II. a 1262 a Svjatoslavo facta est mater magni numeri vel potius omnium sequentium, quorum complures codices manuscripti exstant. Qui distinguuntur eo, quod alia eorum nihil amplius praebent quam apographon Kormčej Cyrilli II. sine ullis Russicis additamentis, cum alia ex duobus fontibus, ex Kormčaja Cyrilli II. et ex nomocanone Russico, qui iam ante Cyrillum in usu erat et in quem tempore procedente etiam Russica additamenta iuris eccl. et civilis ut statutum Sti Vladimiri etc. inserta sunt, coaluerint.. Antiquissimum exemplar prioris generis scriptum est a. 1284 in Rjazan alterius autem a. 1280 in Novgorod: inde prius genus rjazanense (рязанская) vocatur, alterum sophiense (софійская) propterea, quod antiquissimus codex manuscriptus in ecclesia Sophiae Novgorodii asservatur. Rectius Pavlov prius genus Serbicum alterum Russicum vocat propter geneticum eiusdem nexum cum primo Slavorussico nomocanone. — Nihilominus annis 1649 et deinde 1653 officiales editiones Kormčej knigi procuratae sunt non ad exemplar generis Russici sed Serbici. *D. Jaremko.*

Вопросы Философіи и Психологіи. Изданіе московскаго психологическаго общества при содѣйствіи С.-Петербургскаго философскаго общества, подъ редакціей кн. С. Н. Трубецкого и Л. М. Лопатина. Москва. 1905. **Quaestiones philosophicae et psychologicae**. Editio Moscoviensis psychologicae societatis simul cum Petropolitana philosophica societate; cuius adornandae curam gerit S. N. Trubeckoj [1]) et L. M. Lopatin. Moscoviae 1905. 5 fasciculi per annum; 776 pag.

Programma huius philosophici operis est: 1. Logica et theoria cognitionis, ethica et philosophia iuris, historia philosophiae, metaphysica, philosophia scientiarum, empirica psychologia, physiologia,

---

[1]) С. Н. Трубецкой anno 1905 mortuus est.

psychopathologia. 2. Labores critici operum philosophicorum et psychologicorum Europae occidentalis. 3. Conspectus litteraturae huc pertinentis. Eorum, qui commentationes in hoc periodico opere edunt, sententiae non in unum congruunt sed plura genera dissentientium philosophorum alia ab aliis defenduntur (cf. pag. 335, ubi Lopatin mentionem facit suae disputationis cum professore Vernadskij in No 65. et 71.)

Attentione summa dignus est ipse qui editioni praeest L. Lopatin, qui a. 1905. tres commentationes scripsit: No 76, Ученіе Канта о познаніи, (Doctrina Kant de cognitione). No 79, Памяти князя С. Н. Трубецкого. No 80, Аксіомы Философіи. Quae L. Lopatin, (* a. 1855) professor philosophiae in universitate Moscoviensi et celeberrimus psychologus et scriptor Russiae scripsit, ad philosophiam atque omne doctrinae genus summi pretii sunt. Obiectum eorum praecipuum sunt metaphysica, ut fundamentum philosophiae et logica, imprimis obiectivus valor nostrae cognitionis, ut fundamentum omnis scientiae. In articulo »Аксіомы Философіи« optimis argumentis demonstrat, veritates universales, quas principia metaphysica vocamus (principium identitatis: omnis res est id, quod est et non quicquam aliud; principium causalitatis: omnis actio habet causam et omnis causa se manifestat actione; principium substantialitatis: omni actione, phaenomeno, mutatione aliquid agit, se manifestat, mutatur; principium obiectivi valoris nostrae cognitionis: perfectiones, quae physica necessitate in obiecto cognoscuntur, etiam in ordine reali tales in obiecto sunt) habere obiectivum valorem. Negatis his ipse intellectus negaretur. Adversariorum sententias utpote omni argumento, quin etiam omni fundamento in natura intellectus carentes, non solum ostendit esse futiles, sed ex ipsis ex parte adversa propositis et argumenta sumit, quibus suam sententiam confirmat.

Loquens de Kant, eiusque doctrina de cognitione (Ученіе Канта о познаніи p. 1.) subiectivismum eius, quo impossibilem iudicat cognitionem rerum in se, cognitionem Dei etc., et qui in metaphysicis tegulam nullam relinquit, reprobat, ipsumque Kant in hoc fundamento non permansisse, nec permanere potuisse, dicit (p. 12). Nihilominus operam eius magni aestimat. Kant enim opinione sua de cognitione impossibilem ostendit sententiam spatium et tempus esse realitates absolutas rebus omnibus praeexistentes, idem opinione sua de unitate cognitionis unitatem proprii »Ego« salvavit, idem demonstravit cognitionem doctrinarum propriam impossibilem esse, si sola experientia consulatur, sed ad eam necessarias esse etiam veritates universales ab empiria non dependentes. Lopatin censet, Kantium hac opinione de cognoscendi natura positivismum radicitus impossibilem fecisse, etsi vera non est, quatenus ad subiectivismum ducit. Quamquam positivismus et aliae falsae rationes iam ante Kantium reiectae erant et refutatae.

Vere gratulandum est Russis, quod tempore, quo plurimi universitatum professores ipsa fundamenta sani intellectus evertere moliuntur, philosophum nacti sunt celeberrimum, cuius opera »philosophia perennis« restituitur, qui in sublimi scientiae fastigio etiam supernaturalem animi oculum apertum habet profundam fidem.

C. Jež.

Velehradii.

Episcopus *Arsenij*, **Изслѣдованія и монографіи по исторіи Молдавской церкви. (Quae de rebus ecclesiae Moldaviensis scripta sint.)** С.-Петербургъ. 1904. I.—XXII. + 583. 3 руб.

Ep. Arsenius (Stadinskij) inde ab a. 1886 rebus historicis, maxime vero Bessarabiae et Romaniae ecclesiae dilucidandae et illustrandae studet. Prae ceteris eius operibus: „Гавріилъ Банулеско-Бодони, экзархъ Молдо-Влахійскій (1808—1812 г.) и митрополитъ Ки-

шиневскій (1813—1821 г.). Кишиневъ. 1894", pro quo opere anno 1894 magistri gradum obtinuit. In dies indefessa opera nova documenta ad Rumenorum ecclesiam spectantia perlustrans, eaque partim in variis commentariis periodicis publicans, optime in ecclesiae Rumenicae historia versatus est. Quae documenta tum edita tum non edita simul in unum colligens et in ordinem redigens separato in libro a. 1904 edidit; — pro eodem labore a. 1904 ab Academia Kioviensi doctoratus laurea decoratus est.

Auctor in sua disquisitione maxime Rumenicis operibus et documentis usus est. Quibus nominatum opus tum Russorum tum Rumenorum de hac re tractantium operibus praestat, haec sunt: imprimis cum historia Rumenorum valde intricata sit, is, qui melius et clarius rem enarrat et explanat, maiore laude dignus est. Secundo Russos quod attinet, eorum opera partim iam antiquata (ut opus a Golubinskij editum) sunt, partim speciales periodos vel ecclesias spectant, et quod maxime notandum est, haec opera non ipsis documentis Rumenicis innituntur (Idem dic de opere a. 1904 a Kurganov edito licet ceteroquin solido). Rumeni vero, cum ob Phanariotarum iugum de Graecis, ob Bessarabiae praesertim cum Russico imperio coniunctionem de Russis deque lingua slavica sinistre sentiant, mirum esse non debet, quod non semper hisce in quaestionibus iudicium, quod vocant obiectivum proferant.

Totum auctoris opus in duas divisum est partes: in prima parte dioecesium metropolis Moldaviensis earumque episcoporum historia a ducatus constitutione usque ad hoc tempus proponitur; in secunda parte „главные моменты и важнѣйшіе дѣятели Румынской церковной жизни въ XIX. вѣкѣ (maiores res gestae et insigniores viri Rumenicae ecclesiae saec. XIX.) describuntur.

Opus hoc primum tomum constituit historiae ecclesiae Rumenorum, quam auctor integram enarrare intendit. I. tomus de ecclesia Moldaviensi agit, — II. tomus, quem auctor promittit (cfr. p. XXI.), de Valachica metropoli tractaturus est.

In praefatione auctor de Rumenorum origine quaestioni nondum solutae suum calculum adicit. Duplex nempe exsistit sententia de Rumenorum sedibus. Cum enim in fine saec. II. et initio III. Rumeni e suis sedibus profligati essent, e suis regionibus emigrarunt secundum alios trans Danubium, in Mysiam seu Aureliani Daciam, in Haemi regiones (theoria „Balcanensis"), — secundum alios in montes Sarmaticos et in Transsilvaniam (theoria „Carpathensis"). Posterior theoria post A. Xenopol, optimi Rumenorum historici (Itoria românilor diu Dacia Trajana), studia communior evasit eamque etiam ep. Arsenius tenet. Secundum ipsum Rumeni a saec. XIII. ad sua pristina domicilia reversi duos crearunt ducatus, Valachiensem et Moldaviensem, qui tamen a Turcis brevi occupati, saec. XIX⁰ demum in unum regnum uniti sunt (cf. p. XIII. sqq.).

Primae parti, quae sex capitibus constat (p. 1—132) pauca de christianae religionis apud Rumenos origine deque episcoporum Daciae usque ad ducatus constitutionem ad ecclesiam Romanam et Graecam, dein ad Primae Iustinianae, Ochridae et Constantinopolis praesules

relationibus praemittit (p. 1—10). Relatis variis de christianismi apud Rumenos origine opinionibus, opinionem de Christi fide iam saec. II. hisce in terris propagata, argumentis allatis defendit. Documentis, quae de ecclesiae hisce in terris constitutione habentur, perlustratis, eam non fuisse perfecte (не вполнѣ) temperatam concludit (p. 10).

In primo capite (p. 11—66) metropolis Moldaviensis (ut dioecesis Mold.) historiam enarrat. Cum descendente saec. XIV. ducatus Moldaviensis constitutus esset, etiam ecclesia temperanda erat. Praecedenti tempore metr. Moldaviensis ab Achridae episcopo dependebat, — at cum Achrida a Serbis occupata esset, id occasionem Moldavis praebuit, ut ab Achrida sese avellerent (p. 14 sq.). Verum ne patriarchatui Constp., qui in dies suam auctoritatem etiam super hanc ecclesiam extendere conabatur, eorum ecclesia subiceretur, Rumeni ad metropolitam Haličensem, ut ipsis episcopos constitueret, sese converterunt, et quod optabant impetrarunt. At patriarcha Constantinopolitanus id aegre ferens, episcopos Meletium et Iosephum, excommunicationi tradidit, donec tandem hac via Moldaviensem ecclesiam sibi subiecit. Res eo composita est, quod a. 1401 metropolis Moldaviensis constituta et Josephus metropolita agnitus est (p. 16 sqq.). Quod patriarcharum Constantinopolitanorum studium A. cum Golubinskij contra Kurganov statuit defenditque. Ut enim patriarchis Constantinopolitanis super Moldavorum ecclesiam iurisdictio tribuatur, canonicas rationes adesse necesse est; quae tamen desunt (Во всякомъ случаѣ, для такой юрисдикціи нѣтъ строго-каноническихъ основаній) (cf. p. 16).

Metropolita residebat ad a. 1564 in Sučava, inde vero Iassiis (p. 33 sq.). Tota metropolitae Moldaviensis ex patriarcha Constantinopolitano dependentia nominalis tantum erat, in eoque consistebat, quod metropolita Moldaviensis recens ab electione a patriarcha Constantinopolitano benedictionem petebat; immo non raro patriarcham de sua electione tantum certiorem reddebat (p. 36).

Idem patriarcha nequaquam metropolitam Moldaviensem gradu movere potuit; — ideoque metropolita ut liber atque immunis patriarchae nihil *(κοινότινος καὶ βοήθειας)* solvebat (p. 37). Post Florentinam synodum Achridae et Ipek episcopis Rumeni eadem ratione subiacebant. Tempore Phanariotarum dependentia ecclesiastica a patriarchis Constantinopolitanis licet nominalis tantum permanserit (?), procedente tempore magis augebatur (p. 38). Immo et in rebus fidei, patriarcha Constantinopolitano prius certiore facto, ipsi metropolitae diiudicabant, — chrisma tantum e Constantinopoli soluta pro eo pecunia, accipere tenebantur (p. 38).

Etiam metropolitae potestas civilis usque ad unionem ducatuum in unum regnum sub Al. Cusa peractam magna erat (p. 39).

Historia metropolis descripta episcoporum catalogum in chronologico ordine enumerat insigniorumque de ecclesia et gubernio merita eorumque momentum adnotat operaque, quae de hac quaestione agunt, adducit.

Eodem modo (— ne dicta repetamus —) sequentibus quoque capitibus procedit: descripta nempe huius vel illius dioecesis historia,

episcoporum eius catalogum usque ad nostrum tempus excurrentem tradit, illustriumque virorum gesta narrat, litteraturam affert. Quod metropolitarum Moldaviensium catalogos attinet, eos tum a Russicis tum a Rumenicis historicis confuse et inaccurate tradi dicit (p. 40). Cuius rei rationem in eo cernit, quod historici non attendant primis temporibus in Moldavia duas fuisse metropoles Sočavjensem et Romanensem (p. 41). Ideo A. suum praebet catalogum.

Simili modo et alterum ‚mixtum compositum' (Grigoriu) solvere studet, quisnam nempe ex metr. Moldaviensibus in conc. Florentino adfuerit. Qua in re revera unusquisque historicus suum proponit metropolitam. Huius implicationis causa fuit terrae Moldaviensis inter duos Alexandri filios divisio. Utriusque partis episcopus sese metropolitam Moldaviensem et ecclesiae Moldaviensis personam gerentem ducebat. Et licet neuter in concilio Flor. fuerit, historici aliud asserunt. Secundum Stephanum Logophet fuit in concilio metr. Iosephus cum monacho Gregorio Camblak; — secundum acta synodalia metr. Damianus; secundum Vaillantium metr. Iosephus-Metrophanes; etiam Fotino Metrophanem significat; secundum Golubinskij Auphimus; secundum Philaretum Scriban (sicut acta conc.) Damianus fuit, qui postea crimen a se commissum luere volens, monachus factus est et Davidis nomen assumpsit. Secundum documentum Urěke ab Alexandro bono missus est Gregorius Camblak. Secundum episc. Arsenium ex septem, quibus titulus metropolitae Moldaviensis inditus est, de facto (по правѣ) solum duo legitimi metropolitae Moldavienses fuerunt; in conc. Florentino solus Damianus fuisse videtur, ipse tamen nequaquam metropolita Moldaviensis fuit, sed Constantinopoli tantum hunc in finem electus est (?). Ut legitimi metropolitae Moldavienses secundum A. solum Gregorius Camblak, metr. Romanensis (cf. a Jacimirskij, Григорій Цамблакъ. Petropoli 1904) et Iosephus II., metr. Sočavjensis in quaestionem venire possunt (cf. p. 43 sqq).

Inter metropolitas, quorum catalogos texit, notandi videntur: 1. Barlaam (1632—54). Sub eius regimine a. 1642 celebris synodus habita est, in qua Confessio Mogilae approbata est (cf. 51 sq.); 2. Dositheus (1671—73, 1675—91), qui eo notus factus est, quod libros liturgicos in Rumenicam linguam transtulit (cf. 52 sqq.); 3. Benjamin Kostaki; de quo infra.

In secundo capite (p. 67—86) Romanensis dioecesis historia exponitur. Haec dioecesis a. 1401 constituta est. Episcopus usque ad dimidium saec. XVII. metropolitae titulum gerebat (p. 68). Ipse, sicut Sočavjensis, sui iuris fuit; uterque principe regionis petente, et metropolita ex Ochrida bene precante sedem episcopalem adipiscebatur (p. 68 sq). Procedente tempore fere omnia ep. Romanensis privilegia sublata sunt.

In tertio capite dioecesis Radoncensis (p. 87—93); in quarto dioecesis Hušensis (p. 94—117); in quinto Proilabensis (p. 118—130); in sexto Inferioris-Danubii dioecesis (131—132) historia proponitur. Dioecesis Radoncensis a. 1402 constituta est. A. 1777 imperio Austriaco adiuncta est, a. 1782 sedes

in Černiovice translata est (p. 87 sq.). Verum non tota dioecesis ad Bukovinam transiit; territorium enim Chocin simul cum circumiacente regione remansit, ex quibus specialis dioecesis efformata est, donec a. 1812 cum Russia iuncta est et dioecesis ab urbibus ‚Kišinev et Chocin' denominata, constituta est. (pag. 93). Dioecesis Hušensis, urbs Hussii, Husulu, Husch, *Χουσίον*, probabiliter a secta I. Hus appellata, a. 1592 erecta est. Ep. Metrophane III. auctore s. scriptura in Rumenicum a. 1688 versa est (p. 103). Dioecesis Proilabensis quo tempore fundata sit, ignoratur (p. 118). Ipsa a. 1829 sublata est. Inferioris Danubii dioecesis a. 1864 erecta est. Episcopus ad annum 1879 in Ismael, inde in Galatz residebat. Secundus ep. fuit Iosephus Gergiau, ab 1886 metr. Bucharestini; tertius fuit Parthenius Klinčan, ab 1902 metr. Moldaviensis.

Altera pars (p. 133—570), similiter sex capitibus constans, principales eventus et illustres viros saec. XIX. describit. Quae sex capita inter se coniunguntur idea unionis et renovationis et ecclesiae et ducatuum.

Primo capite (p. 135—210) de cleri Rumenici saec. XIX. statu oeconomico et eruditione narratur. Hoc caput operibus ep. Melchisedec (synodalia acta) et commentationibus, quae in commentariis periodicis Rumenorum editae sunt, innititur. Haec autem de cleri conditione tradit: Cum seminaria neque bene temperata sint, et a ministro cultus, non ab episcopo, regantur, neque ad pietatem in iuvenibus excolendam multum attendatur cumque omnia in seminario praeter theologiam tradantur, nec doctrinae nec virtutis incrementa esse magna per se intelligitur. Immo nec post a. 1884, quo Bucharestini facultas theologica condita est, educatio cleri ad doctrinam aucta est. Effectus huius fontis scientiarum initio valde dubii erant; maior enim professorum numerus Germani (protestantes) erant, vel, qui in Germanicis universitatibus studuerant, quod quantopere ad fidem orthodoxam conservandam pertineat vel potius id impediat, omnibus notum est, ita ut nec hoc tempore facultatem theologicam ad rectum statum, qui fructus afferat, reducere possint (p. 155).

Quod clerum, ipsum, attinet, nec episcopi nec inferior clerus magno honestatis gradu excellebant. Saec. XIX. simonia commune vitium erat (156 sqq.). Sicut Constantinopoli post a. 1453, ita apud Rumenos nominato saeculo gradus episcopalis emebatur; omnes ab infimo clerico ad episcopum simoniae labe polluti erant (p. 157). Praeter simoniam ebrietas inter clerum longe lateque diffusa erat (ibid.). Quid plura? Teste ep. Melchisedec, „жизнь большинства скорѣе можетъ служить соблазномъ, чѣмъ добрымъ примѣромъ для пасомыхъ" (plurium sacerdotum vita scandalo potius quam bono exemplo gregi est) (p. 158). Quin etiam „священники не рѣдко судятся за различные проступки, особенно за пьянство и распустную жизнь" (Sacerdotes non raro ob diversa delicta, maxime ob ebrietatem et malam vitam iudicantur) (p. 157). Clerus ritus sacros sine mente ac ratione perficit; raro orationes sacras habet; a docenda catechesi etiam in scholis elementaribus remotus est: ideo quanta vis sit cleri in populum facile patet (cf. p. 159 sq.). — Sed oeco-

nomice quoque misera in conditione fuit: in multis enim regionibus usque ad a. 1893 cleri pensio e communitatibus pendebat: — communitas ipsa pro lubitu pensionem designabat, nec raro ob communitatum praepositorum et scribarum malitiam non omnem designatam pensionem clerus accipiebat. Inde dissidia, litesque cum parochianis orta (pag. 163 sqq.). Lege demum a. 1893 lata gubernium tristi huic cleri conditioni multum consuluit. Huius legis maximum meritum in eo positum est, quod parochias constituit temperavitque: tamen in hoc probari nequit, quod clerum potestati civili nimis subiecit. Et licet tempore procedente lex modificata fuerit (v. g. 1902), vis tamen potestatis civilis in res ecclesiasticas fere eadem mansit (p. 175 sqq.). Per hanc eandem legem reditus cleri auctus est; seminariorum numerus autem ad tria, unum Iassiis, duo Bucharestini redactus est (178 sqq.).

In fine capitis ipsa lex a. 1893 in Russicum versa in extenso adducitur.

In secundo capite de monasteriorum, maxime Neamtzu (Нямецкій) saecularizatione agit (p. 211—334). A. non totam monasterii historiam tradere intendit, sed annotatis eius momento et dignitate, ultima tempora, imprimis bona monasterii profana reddita et auctoritatem amissam describit. Quae descriptio ad vitam Rumenorum ecclesiasticam et religiosam illustrandam aptissima est. Et revera monasterium saec. XV. fundatum multum ad cleri educationem, ad populi pietatem augendam et conservandam contulit. Eiusdem auctoritas fere eundem gradum assecuta est atque in Russia monasteriorum, quorum nomina sunt: Trojce-Sergieva et Kievo-Pečerskaja Lavra. Penes ipsum erat vis vitae religiosae, turbidis vero temporibus etiam politicae. Immo cum monasterium multa bona temporalia possideret, etiam ad miseriam levandam multum succurrebat (cf. 211 sqq.). In fine nonnulla documenta ad monasterii historiam spectantia adduntur (p. 319 sqq.). Hic annotandum est: scriptorem hunc monasteriorum (Neamtzu) bonorum saecularizationem clarius quam alios exposuisse; qua in re ei testis oculati, arch. Andronici († 1893), manuscripta non parum profuerunt.

In sequentibus capitibus insigniorum episcoporum vitam et gesta describit: in tertio capite de metropolita moldaviensi Benj. Kostaki (335—394), in quarto de episcoporum Neophyti et Philareti Scriban (p. 395—457), in quinto de episcopi Melchisedec (p. 458—560), in sexto (561—570) de episcopi Ḫužskij vita et gestis agit.

Benjamin Kostaki, natus a. 1768, ep. factus a. 1792, metr. Moldaviensis 1803—8, 1812—42. Eius meritum in eo positum est, quod ipse ducatuum in regnum unum coniunctionem praeparavit et ad populi cultum atque humanitatem augendam eamque naturae gentis insitae consentaneam multum contulit (p. 371 sqq.). Ipse quoque seminarium iuxta Iassios in monasterio Sokol erexit.

A. metropolitam Benj. Kostaki a. *1808* non propter metrop. Gabriel Banulesko artes et machinationes sede episcopali cedere coactum esse opinatur. Probabilius tamen videtur esse aliter rem se habere (cf. V. Čeḫovskij. Кіевскій митрополитъ Гавріилъ Банулеско-Бодони in Труды Кіев. Д. Акад. 1904 II., p. 515 sqq.). A. *1842* Kostaki

cum bonorum ecclesiasticorum saecularizationi assentiri nollet, cathedra episcopali se abdicavit. Opus a Benj. Kostaki inceptum duo viri in Rumenorum ecclesia celebres continuarunt: fratres Neophytus et Philaretus Skriban. Neofit (nat. 1803, † 1873) episcopus tit. Edessensis et Filaret (nat. 1811, † 1884) ep. titul. Stauropolitanus duabus ex causis illustres facti sunt. Cum enim a. 1856 foedere Parisiensi ad Rumenos uniendos consensus datus esset, ambo fratres omnibus viribus cum civilem tum ecclesiasticam unionem propagabant (p. 418 sqq.). Multum quoque ut professores et rectores in seminario Sokolensi prope Iassios ad studia inter clerum promovenda adlaborarunt (p. 399, 407 sqq.). Cum autem Al. Cusa promulgata Rumenicae ecclesiae a patriarcha Constp. independentia ipsam potestati civili subicere vellet, fratres ei et verbo et scriptura restiterunt (p. 424 sqq.). Ipsorum cura et studiis, immo ipsis adornantibus lex Alexandri Cusa ex a. 1865 alii legi 1872 locum cessit. Quae lex, licet ad principia iuris canonici Orientalium non omnino quadret, tamen melior quam lex ab Al. Cusa proposita simpliciter censenda est (p. 452 sq.). Quas ob causas ipsi et orthodoxiae defensorum et optimorum civium nomine insigniti sunt.

Melchisedec Stefansku (* 1823) factus est a. 1861 minister cultus, 1862 ep. tit. ab a. 1879—1892 episcopus in dioecesi Roman. Is quoque unionistarum conamina quam maxime adiuvabat. Per longum tempus ipse princeps erat synodi generalis agendae: ipse multas ad ecclesiam reformandam propositiones in synodi sessionibus praelegit (p. 466 sq.); etiam, cum patriarcha Const. ob chrismatis consecrationem 25. martii a. 1882 a Rumenorum episcopis peractam iratus, in eos animadvertisset, Melchisedec responsum composuit (p. 468 sqq.). Contra catholicismum quoque et protestantismum varias commentationes edidit. In eius responso ad patr. Const. duo notanda sunt: 1. ad eius opinionem ecclesiam particularem nationis finibus circumscribendam esse; 2. historia teste patriarcham Const. contra canones iuris sui terminos ad Rumenorum ecclesiam promovere conatum esse (p. 469 sqq.).

Quae in ecclesia catholica vituperat, a theologo et historico prolata, prorsus singularia videntur (cf. p. 476 sqq.).

Vitam episcopi Melchisedec describens, summis laudibus eius scientiae agitationem effert. Et revera, licet ipse non fuerit primae notae ingenio donatus, eius tamen opera nequaquam reicienda sunt. Quod vero scriptorum copiam attinet, Arsenius iam 30 tomos typis exscriptos esse dicit, 10 manuscriptos exscribendos edendosque restare (p. 513). Id unum episcopo Melchisedec dedecori verti potest, quod temporum homo fuit. Ipse enim in bonis ecclesiasticis in profana mutandis brachium saeculare etiam agendo adiuvabat („принялъ дѣятельное участіе въ этомъ грабежѣ“) (p. 535); item, cum de episcopis a solo principe eligendis ageretur, reprehensione dignum se praebuit (p. 535 sqq.).

Silvester Balanesku natus 1838 episcopus factus est a. 1879, a. 1886 episcopus in dioecesi Hužsk. Per plures annos curam commentarii periodici „Biserica orthodoxa Româna“ gerebat, ubi multa publicavit. Ipse strenue ecclesiae iura tuebatur ac defendebat.

In fine quaedam annotanda videntur esse: A. meritum in eo potissimum positum est, quod eius historia ipsis documentis innititur, et quod cum ipse Rumenus non esset, quae in Rumenorum ad Graecos et Slavos relationibus a Rumenis historicis depravantur illustravit. De ea quoque re bene meruit, quod metropolitarum Mold. catalogos sine discrepantiis texuit, et in quaestione, quisnam e Rumenis fuerit in concilio Florentino, sat verisimilem viam (etsi non certam) commonstravit. Nonnullis in quaestionibus etiam Rumenorum historicorum sententiam corrigit atque ut non probabilem reicit.

At quaedam animadvertenda sunt: primum iniuriâ contra Golubinskij metropolitam Georgium V. Mogila coniunctioni cum catholica ecclesia favisse negat; hanc enim Georgii voluntatem fuisse nuntiorum relationes testantur (cf. p. 50 sq.). — Deinde relationis, quam auctor (p. XXI.) pollicitus est, Rumenorum ad Russicam ecclesiam descriptio plenior ac perfectior desideratur. Tum quomodo haec duo: *α*) Православіе румынъ — исконная ихъ религія (p. XVIII.); et *β*) certum est (несомнѣннымъ) Rumenos a colonis Romanis originem ducere (p. XIII. et 1 sqq.) inter se congruant, manifestum non est.

Denique, quomodo in II. tomo repetitionem eorum, quae iam I. t. dixit, evitaturus sit, videbimus. Priore enim tomo ecclesia Moldaviensis sola tractanda erat; verum iam in 2. parte quaedam de metropolis Valachiensis rebus traduntur; quibus de rebus II⁰ tomo agere eidem scriptori propositum est. *M. Haluščynskyj.*

Богословскій Вѣстникъ (Nuntius theologicus). September—December. 1905.

S. Smirnov, Исповѣдь мірянъ предъ старцами, p. 1—38. (Confessio laicorum senibus facta). Laici et clerici in saeculo degentes aevo IV.—VIII. in Oriente monachos natu maiores adire solebant, qui ipsis peccata confessis poenitentiam ut spirituale remedium imponerent. Num absolutionem quoque tribuerint, deficientibus fontibus certo affirmari non potest. Non tamen caret fundamento opinio, eiusmodi confessioni coram monacho (non sacerdote) factae vim absolutioni sacramentali similem tributam esse. Inde quaedam animarum pastoralis cura extra monasterii muros a monachis suscipi coepta est. Quaestio, cur monachi hac in re sacerdotibus saecularibus neglectis adiri consueverint, maiore favore monachorum, ipsorum charismatibus maioreque rei spiritualis usu et vitae sanctitate explicatur.

M. Muretov, Іуда предатель (Iuda traditor), p. 39—68. Huius commentationis partis prioris mentio iam est facta (Slavorum litterae theologicae, annus II. N. 1, pag. 52). —

A. Golubcov, О причинахъ и времени замѣны гласнаго чтенія литургійныхъ молитвъ тайнымъ, p. 69—75 (Cur et quo tempore precationibus in missae sacrificio quondam magna voce pronuntiatis secreta ipsarum lectio substituta sit?). Inter causas, quae hancce substitutionem effecerunt, liturgiae contrahendae studium, disciplina arcana, rarior in dies communio fidelium enumerantur. Substitutio haec, temporibus antiquioribus paulatim praeparata, saeculo V. evenit.

A. A., Въ шатрахъ симовыхъ, p. 76—94. Ex diurnis adnotationibus Sinensis missionarii. —

I. Kant, Физическая монадологія, p. 95—127 (Naturalis monadologia). Latina dissertatio Im. Kantii, anno 1756 in universitate Regiomontana habita in Russicum translata a P. Florenskij.

P. Tiḫomirov, Состояніе философіи къ началу XX. столѣтія. p. 128—134 (Status philosophiae initio saec. XX). Materia porro tractatur. —

A. Bĕljaev, Профессоръ Московской Духовной Академіи П. С. Казинскій и его переписка съ архіепископомъ Костромскимъ Платономъ, p. 135—168 et 236—253. (P. S. Kazanskij, professor spiritalis academiae Moscoviensis, eiusque cum Platone archiepiscopo Kostrómensi litterarum commercium).

Dim. Silin, Къ вопросу объ оживленіи церковно-общественной дѣятельности, p. 169—190. (De augenda industria ecclesiastico-sociali). Haec commentatio profundâ evangelicâque muneris ecclesiastici consideratione inspirata, cuius sententiis quibusdam ii, qui periodicis litteris Б. В. edendis praesunt, assentiri recusant, ansam dedit alii in menstruo fasciculo Novembris edendae, quae inscribitur »По поводу статьи свящ. Дим. Силина: Къ вопросу объ оживленіи церковно-общественной дѣятельности« p. 463—473 (a V. Myšcyn conscriptae). —

Episcopus Nikodim, О святѣйшемъ сунодѣ. p. 191—211. (De s. synodo). Commentatio episcopi Jenisejensis eparchiae a. 1874 mortui, iam pridem tradita Bogosl. Vĕstnik, nunc demum, cum de vita ecclesiastica radicitus emendanda ab ipsis spiritalibus administratoribus ecclesiae deliberatur, foras datur. Reprehenditur insolens titulus Synodi »sanctissimae«, quae a Petro Magno imperatore laesà ecclesiae libertate constituta est, proponiturque alius: Synodus ecclesiastica, spiritalis vel orthodoxa; reformatoribus occidentalibus accommodata ratio s Synodi ecclesiastico-politica probari non potest. Ecclesia sui iuris est. Caput eius Christus, lex eius evangelium. In rebus spiritualibus imperator ecclesiae filius est. Ut filius habeat suam partem in ecclesiae administratione. non tamen acsi eius gubernator esset. Hoc tempore Synodum constituunt sex archiepiscopi (Petropolitanus, Kijoviensis, Moscoviensis, archiepiscopus Uniatorum, Vilnensis et Tulensis) duoque protoierei. Synodi, cuius membra ecclesiastica auctoritatem suam fere amiserunt, solus dominus supremus procurator est, imperatori tamen subiectus. Quae ad administrationem spectant maxima ex parte in cancellariis ab hominibus saecularibus decernuntur et membris spiritalibus ad subnotandum dumtaxat proponuntur. Subscriptionem recusare id quod ad contemptum auctoritatis procuratoris accipitur quotusquisque animum inducit! Quomodo res mutandae sint adumbratur: Synodi corpus ex solis membris spiritualibus constet; Synodo principales tantum partes administrativae et legislativae administrationis ecclesiasticae attribuantur, cetera omnia episcopis dioecesanis relinquantur, ne omnia in unum conferantur. Synodi negotia duas in partes distribuantur: negotia ecclesiastico-spiritualia et ecclesiastico-politica. Illa a solis personis ecclesiasticis decernantur, in hisce exequendis et potestas saecularis in consilium adhibeatur. Synodi sententias et decreta sistere vel commutare soli imperatori ab ipsis membris synodi informando reservetur. Cancellaria synodi, in quam officiales saeculares possunt admitti, ab episcopo dirigatur. Synodus de rebus in qualibet sessione agendis antea instruatur. Procurator et secretarii synodi clerici sunto etc.

Th. M. Il'inskij, Митрополитъ Зосима и дьякъ Федоръ Васильевичъ Курицынъ. p. 212—235. (De Zosima metropolita et F. V. Kuricyn diacono.) In tractatu historico, cuius materia in libellis posterioribus porro tractatur, Zosima, metropolita Moscoviensis qui sub fine saec. XV. floruit, in suspicionem haereseos iudaizantium a pr. Iosifo vocatus purgatur.

A. Spasskij, Изъ новыхъ открытій въ области древней церковной исторіи. p. 266—293 et 394—411. (Ex eis quae nuper inventa sunt ad antiquam historiam ecclesiasticam spectantia.) Duo libelli Graeci tempore persecutionis Decianae (249—251) ab exactoribus imperialibus per urbes et vicos constitutis, iis, qui a fide christiana recesserant — lapsis

— exhibiti, quorum alter in thesauro manuscriptorum Bructeriano per Krebs inventus modo in imperatorio musaeo Germanico Berolini asservatur (editus in Sitzungsberichte der k. preussischen Akademie der Wissenschaften, No 2, 1894 et descriptus per Harnack in Theol. Literaturzeitung 1894 No 2, p. 38—41), alter, in manuscriptorum thesauro archiducis Rhenani repertus est, (editus per Wessely in SAB. phil.-hist. Klasse, 3. Jan. 1894 et descriptus per Harnack in ThLz. 1894, p. 162—163). Haec sunt verba eius: Sacrificiorum exactoribus in pago Philadelphia. Ab Aurelio Syro et Pasvio fratre atque a Dimitriade et Sarapiade uxoribus legitimis. Nos semper diis immolavimus et nunc vobis praesentibus secundum legem libationes perfecimus et de epulis sacrificalibus edimus, huiusque facti testimonium precamur. Avete. Praestiterunt Aurelius Syrus et Pasvius. Scripsi ego Isidorus pro illis litterarum iusciis 3. Litterae Psenosirici presbyteri ad Apollonium presbyterum. Documentum hoc, loco quodam inter vastas solitudines aegyptiacas sito inter alias litteras detectum, in musaeo Britanico asservatur et a prof. Diessmann (Tübingen und Leipzig 1902) editum et descriptum est. In tractatu Mommseni »Zweisprachige (Graeca et Latina) Inschrift aus Aricanda«, in comment. period. »Archaeologisch-epigraphische Mitteilungen aus Oesterreich-Ungarn Jahrg. XVI., Wien 1893, typis exscriptum est. 4. »Vestigia christianae religionis in Graecis insulis«. Detectarum nuper inscriptionum in coemeteriis quarundam insularum maris Aegaei, in opere Hilleri »Corpus inscriptionum Graecarum insularum maris Aegaei« editarum, doctus Achelis in ZNW. (1900, I., pag. 87—100) maiorem partem magna cum eruditione recenset.

S. Bratkov, Религіозное образованіе и періодическая печать римско-католическаго клира въ Италіи, p. 305—323. (De religiosa eruditione et litteris periodicis cleri romano-catholici in Italia). Materia porro tractatur. (V. Sl. lit. th. II., 53.). De Civiltà Cattolica et restituta scholastica philosophia Thomae Aquinatis.

A. Orlov, Лютеръ и Цвингли, p 366—393 (De Luthero et Zvinglio). Comparantur eorum rationes theologicae. Rara sunt historiae exempla, ut aetate aequales defensores eiusdem propositi (restituendi pristinam vitam christianam [?]) tantas inimicitias inter se gesserint, quantas Lutherus et Zvinglius. Orlov diversas eorum vias ad idem propositum assequendum a diversitate naturalis ipsorum dispositionis et diversitate educationis domesticae et institutionis ex parte repetit. Uterque catholicam iustificationis doctrinam reiciens, rigidum determinismum statuebat. Cum autem in Luthero scholastica theologia monachi aetatis mediae facile cognoscatur, Zvinglius potius e philosophica schola antiquae Romae, antiqui stoicismi exiit. Doctrinae eius causalis, geneticus nexus cum illa indubius est. Lutherus liberum arbitrium negat, ut individualitatem tollat; non ita Zvinglius. Negat quidem is quoque liberum arbitrium, verum ex alia ratione; ad stoicorum rationem reversus, etiam malo suum locum rationemque esse in mundi harmonia et universo rerum ordine, in ipsaque voluntate divina ponit. Secundum Lutherum lex homini est data, ut eum in continuo metu culpaeque conscientia contineat. Secundum Zvinglium peccatum non est nisi efficiens vel adiuvans morum hominis perficiendorum. Sapientia huius divini consilii maxime e revelatione Christi apparuit. E Christi vita et cruce non solum magnum pretium boni manifestum est, sed etiam necessitas mali a Deo praedestinati, effectus ipsius voluntatis eius consilia divini ordinis non turbans. Hominem sola fide iustificari, docuit Lutherus. Deus propter Christi merita modo forensi iustificat, licet homo revera improbus maneat. Haec fides non est caritate formata; est tantum fiducia salutis in Christo adipiscendae. Etiam secundum Zvinglium sola fides iustificat, alio tamen sensu. Fidem non in illa passiva, intellectuali tantum fiducia Lutheri, a caritate separata ponit, sed vivam, moralem vim spiritus, omnem substantiam hominis moventem praedicat. Fides et caritas unum et idem sunt. Hinc et operibus

bonis in salute hominis constituenda quandam vim concedit: qui opera fidei facit, iustificatus est et filius Dei; vita christiana in continuo motu poenitentiae consistit, consideratione Christi Dei procreatae et spei in eum ut pignus ultimi triumphi boni de malo firmatae. Extra eam solum peccatum et sui aestimatio restant. Verum causa certaminis utriusque doctoris non iustificatio est sed ea, quibus iustificatio efficitur, et quaestio de Eucharistia. Secundum Lutherum solum instrumentum salutis est sacra vis verbi evangelici. Secundum Zvinglium salus in incrementis illorum bonorum elementorum et seminum, quae a Deo hominibus ad salutem praedestinatis insita sunt, consistit. Secundum Lutherum christianus in Eucharistia accipit Christum reapse in, cum et sub pane praesentem; secundum Zvinglium percipere corpus Christi non est nisi credere, Christum pro nobis esse mortuum.

S. Glagolev, Задачи русской Богословской школы, p. 412—448. (De partibus Russicae scholae theologicae.)

Archimandrita Thaddej, По поводу статьи »Рабъ Іеговы (Исаіи 40—66)« въ Бог. В. за Іюль-Августъ 1905 г., p. 448—457. (Ad commentationem »De servo Domini« Isaiae 40—66.) Polemicae adnotationes archimandritae Thaddaei, qui conscripsit librum »Единство книгы пр. Исаіи«, ad tractatum »Servus Jahve« in Nuntii theologici fasciculis menstruis (Iul.-Aug.) emissum, cuius mentio iam est facta (Myšcyn, Sl. lit. theol. a. II., p. 52).

Quas subsequitur responsum (eiusdem) Myšcyn, p. 458—462. »Dixisti aliquando, occidentales theologos exegetas consulto veritatem corrumpere ac studiose mentiri«, scribit Myšcyn Thaddaeo archimandritae. »Iam tunc probavi tibi, hoc crimine accusari eos non potuisse nisi ab homine caeco furore, et iam tunc praemonui te, ut caveas eiusmodi a proposito legis Christianae abhorrentem affectum«. —

S. Šumov, Наглядность и ея примѣненіе въ духовной школѣ, p. 474-483. (De disciplinis sensibus et oculis subiciendis in scholis spiritalibus et experimentis eo pertinentibus.) Multum abest, ut desiderata Am. Comenii, ut res quae adolescentibus exponuntur sensibus et oculis eorum subiciantur, in scholis et seminariis spiritalibus, ubi facile ea methodo paedagogica, didactica, historia, historia biblica aliaeque disciplinae tractari possunt, iam ad effectum adducta sint. Qua ratione et quibus conditionibus methodo huic maior in scholas aditus patefieri possit, Šumov paucis exponit. –

L. Sokolov, О сокращеніи дѣлопроизводства въ духовныхъ учебныхъ заведеніяхъ, p. 484—500 (De amputandis negotiis rei administrandae in spiritalibus scholis.)

N. Kapterev, Къ вопросу о церковной реформѣ, p. 506—524. (Ad quaestionem de rebus ecclesiasticis in melius restituendis.) Pars ab I. V. Preobraženskij in corpore suo (de quo Sl. l. th. I., 279 s.) relicta, quo inter 66 litteras periodicas 4 tantum ecclesiasticae comprehenduntur, aptis supplementis expletur fervorque cleri in gravi hoc negotio tractando iure laudatur.

A. Orlov, Сущность и историческое значеніе такъ называемаго »Культуркампфа« въ Германіи, p. 588—624. (Vis et ratio historica sic dicti »Kulturkampf« in Germania.) Vexatio ecclesiae in Germania e conflictu duarum rationum orta est: rationis in Syllabo pronuntiatae ecclesiam esse societatem veram, perfectam et plane liberam, cuius iura non liceat potestati saeculari circumscribere vel determinare (Syl. 19 n.) et rationis quae naturalistica vocatur (secundum papae terminologiam) extra ecclesiae et papae auctoritatem nuper ortae, qua vita ecclesiae catholicae imperiali administrationi subicitur. Eventus anni 1870—71 ad infestum animum alendum contulerunt. Gallia victa, imperium Germanorum cum protestantium Borussorum rege principatus locum tenente, diffidentiam Romae, — Borussiae suspicionem promulgatio dogmatis de papae infallibilitate, cuius limites super iustum modum exaggerabantur, nutriverunt. In imperio parem fere partem

catholicorum et protestantium continente protestantici imperatoris studium eo tendebat, ut fracta clericalium vi politica, postpositoque Romae influxu tam catholica quam evangelica subditorum pars in unum assimilaretur. His expositis ipsa nova »persecutio Diocletiana« quam catholici vocabant describitur. Utraque parte fatigata cum Pio IX. mortuo quietus et pacis amans Leo XIII. cathedram Petri ascendisset, et in senatu imperio Germanico alii adversarii nascerentur, aequationis »bonorum studiosi, Bismarck signum receptui dedit et pax vel saltem indutiae initae sunt. Enumerantur pacti conditiones. Nec papa nec gubernium nec recentioris cultus humani civilisque propugnatores ab institutis suis abducti sunt. Compromissum factum est, sed quaestio mutui usus novos exitus exspectat. Hic est tamen certaminis indubius effectus: papa motus est, ut in re civili tractanda ex angustis suis limitibus in latiorem provinciam politico-socialem exiret.

N. Zaozerskij, Основныя начала желательнаго для русской церкви учрежденія патріаршества, pag. 625–657. (Quibus nitatur rationibus constitutio patriarchatus ab ecclesia Russica desiderata.) Materia porro tractatur. Est nunc universale desiderium ecclesiae Russicae, ut in ea dignitas patriarchalis restituatur. Sed quid sit patriarcha, quae sit eius iurisdictio et quomodo eo constituto temperanda sit Russica ecclesia, de hac quaestione in Russica societate vagae et perplexae sententiae circumferuntur. Hanc ob rem Zaozerskij quomodo restitutio dignitatis patriarchalis et ad fundamenta iuris canonici et ad temporum nostrorum rationem pertineat exponit. Commentationem suam in duas partes dividit: in prima quaestionem illustrat, quid sit patriarcha et quale sit ecclesiasticum eius officium et munus. Iura et iurisdictio patriarchae, modus adhibendi iurisdictionem, eius electio et remotio tractantur. In altera parte consilium temperandi totam ecclesiam Russicam adumbratur.

M. Tarěev, Живыя души. p. 658—681. (Animae vivae.) Hic professor theologiae moralis in Academia Moscoviensi morales vires Russiae aequalis nostrae aetatis delineat

N., Ревизіи духовно-учебныхъ заведеній. p. 682—697 (De inspiciendis disciplinis spiritalibus). Curam disciplinarum spiritalium, quae tribus tantum exactoribus committitur, omnium rerum tradendarum non semper sat gnaris, quae non raro per decem annos negligitur, non esse iustam ostenditur, quaedamque consilia huc spectantia proponuntur. Inspectio doctrinae per viros in re cognoscenda bene versatos (in seminariis aptissime per academiarum professores) facienda ab inspectione artis educandi et bonorum administrationis separetur. Exactorum numerus augeatur, seminaria et scholae spiritales proprios habeant.

Episcopus Antonius, Первая отвѣтная докладная записка Св. Правительствующему Синоду. p. 698—710. (Primum rescriptum S. Synodo). Rescriptum Antonii, episcopi Volyniensis et Žitomiriensis ad quaestionem »De compositione exspectatae universalis synodi Russicae«, quo e canonibus et usu ecclesiae episcoporum proprium esse ius universalem synodum constituendi defenditur.

Contra haec N. P. Aksakov sub titulo »Всецерковный Соборъ и выборное начало въ Церкви«, p. 711–777 (Universalis synodus et eligendi ratio in ecclesia) iussu partis »32« sacerdotum Petropolitanorum contendit non solis episcopis sed et sacerdotibus et laicis locum esse in universali synodo

N. Popov, Объ отношеніи пастыря церкви къ современнымъ общественнымъ движеніямъ. p. 778—815. (De relatione pastoris ecclesiae ad praesentes motus sociales.) Quid sit ecclesiae pastorum? Ab hisce conaminibus et motibus socialibus abstinere an ipsa attingere et in eis versari? Inter ecclesiae Russicae pastores utraque opinio suos habet defensores. Popov a parte posteriore stat. Dr. *L. Petr.*

Церковный Вѣстникъ, издаваемый при с. петербургской духовной Академіи. 1905. No 16—32.

Graves tristesve eventus, quibus Russia praesenti tempore agitatur, innumeris fere consiliis reformandorum diversorum modorum vitae ecclesiasticae ansam dant, quorum alia certe in reformationibus perficiendis adhibebuntur, alia tamen, eaque plura, tamquam privatae opiniones singulorum praeter meritum bonae voluntatis haud alium effectum creabunt. Cum angustiarum loci causa omnia consilia hic explicari non possint, nihil aliud superest, nisi ut solus conspectus commentationum huc spectantium secundum materiam reformandam ordinatus hic notetur. Tractatuum tamen graviorum in parenthesi breve argumentum ponitur.

Ecclesiae status de integro temperatio tractatur hisce: P. Kudrjavcev, По поводу реформы церковнаго управленія. Col. 482. (Parata reformatio ecclesiasticae administrationis positivum faustumque effectum non habebit, nisi in convocando concilio ecclesiastico non episcopi soli sed etiam clerus curatus et quidam parochiani partem habebunt, et nisi reformatio et parochias et dioeceses respiciet.) — N. C., Объ институтѣ благочинныхъ. Col. 496. (Auctor abrogationem status propriorum rectorum ac moderatorum cleri (благочинныхъ) lege institutorum, quorum est vitia cleri sui districtus annuntiare, petit. Clerus quoad suos defectus ad suam auctoritatem penes parochianos tuendam peculiari iudicio spirituali subsit ex electis clericis constanti, cum admissione publicae causae dictionis et defensionis.) — N. Aksakov, Канонъ и свобода. Col. 522, 552. (Ecclesia orthodoxa ea ex causa non est libera et eam ob rem e participatione in vita populi est exclusa, quia de fundamento suo canonico deiecta, organismus non canonicus effecta est. Forma ecclesiastici regiminis nec monarchia nec oligarchia est. Potestas ecclesiastica non est igitur penes monarcham vel hierarchas, cuiuscunque gradus sint, sed penes ecclesiam ipsam, neque potest nisi a synodis canonice exerceri, quae ita ordinentur, ut synodi inferiores et latiores moderationi ac regimini synodorum superiorum subiciantur.) — Arḫ. Miḫail (Арх. Михаилъ), »Первосвятитель« или »первоприсутствующій?« Col. 587. (De concilio generali, quod ex voluntate imperatoris prorogatum est.) — Потребность въ общеепархіальныхъ и окружныхъ пастырскихъ собраніяхъ. Col. 598. — О составѣ церковнаго собора. Col. 641. — Изъ мнѣній объ ожидаемой церковной реформѣ. 675. — Религіозныя послѣдствія приходской реформы. 677. — О подготовленіи къ собору. 709. — Правящій соборъ. 713. — Церковный соборъ и сословная рознь въ Церкви. Col. 803. — A. Miḫail, Объ областномъ управленіи въ Церкви. Col 808. (Petitur, ut collata in unum ecclesiae potestas aliquatenus laxetur. Episcopis maior auctoritas suo iure agendi sit adiudicanda, quae tamen dioecesanis synodis ad modum pristinarum, quae quotannis agebantur, definiatur.) — Arḫ. Miḫail, Епископъ и епархіальные съѣзды. 832 — A. Il'enkov (А. Ильенковъ), Старый вопросъ. 918. (Qua ratione provideri possit indigentiis cleri.) — Arḫ. Miḫail, Епархіальные и благочинническіе съѣзды. Col. 1025. (De amplianda autonomia dioecesanarum synodorum.)

Lege de tolerantia et libertate confessionis 17. Aprili 1905 promulgata occupantur: 17-е апрѣля для православной Церкви. Col. 513. (Laeto cum animo lex 17. Apr. de tolerantia annuntiatur, ex qua libertas ipsius ecclesiae orthodoxae, quae modo republica in omnia, quae ad illam pertinent, importune se ingerente impedita ac veluti constricta est, promittitur. — De eadem materia tractat О послѣдствіяхъ указа 17. апрѣля для православія. Col. 737. (Libertas confessionis non tali modo potest concipi, ut gubernium indifferens maneat ad conamina studii alterius confessionis, praesertim catholicae, quoscumque ad suas partes subdole adiungendi. Commentatio ea alii polemicae, a sacerdote catholico scriptae ansam dedit (Голосъ Католика. col. 746): Unio agnitione romani Pon-

tificis continetur. Confessio orthodoxa libere suam liturgiam poterit retinere. Catholicismus cum ritu latino non est pro eodem habendus. Hinc unio tamquam titulus certaminis contra religionem catholicam iuste adhiberi non potest. — R. Kumov (Р. Кумовъ), Призывъ. Col. 811. (Respectu novarum conditionum libertate confessionis et censurae creatarum orthodoxi ad strenuum et intentum certamen vocantur.) — Къ вопросу о свободѣ вѣроисповѣданія, вѣротерпимость и индифферентизмъ. 869. — Свобода совѣсти и старообрядцы. 908.

Reformando de libris edendis iudicio dedicati sunt tractatus: Al. Kotovič (Ал. Котовичъ), Чѣмъ живетъ Церковь. 515. — P. Světlov (П. Свѣтловъ), Какъ же быть безъ духовной цензуры? Col. 682, 718, 778. (In rebus, quae directe ecclesiam tangunt, censura necessaria est, spirituali naturae ecclesiae utique respondens.)

Necessitas reformationis seminariorum et institutorum spiritualium agnoscitur in articulis: Потребность въ реформѣ духовной школы. 404. — Истинная причина бѣгства семинаристовъ. Col. 493. (Aditus ad altiora studia amplioremque eruditionem in academiis sacerdotibus omnibus pateat. Numerus clausus, ex quo nimius rigor examinum et omissiones in examine approbatorum nascuntur, item exclusio sacerdotum, qui uxores duxerunt, tollantur) — Къ реформѣ духовно-учебныхъ заведеній. Col. 545. (Auctor ad seminaria reformanda convocationem collegiorum e praepositis seminariorum libere electorum commendat. In hisce causae tristis status seminariorum deliberentur.) — Толки о духовно-учебной реформѣ. Col. 583. — Къ съѣзду преподавателей. Col. 679. — Къ вопросу о реформѣ духовной школы: желательныя преобразованія, школа и жизнь. Col. 836. — Ant. Grinevič (Антонъ Гриневичъ), Къ реформѣ духовной школы. Col. 840. — Къ духовно-учебной реформѣ: проектъ преобразованія семинарій въ высшія школы. 929. — Прошлое и настоящее. 961. —

Reformandam liturgiam spectant tractatus: Объ упорядоченіи церковной службы. Col. 501. (Auctor duplex praeprimis malum amovendum suadet: contractiones liturgiae modo consuetas et indiligentiam in sacris agendis.) — Th. Bogos (Ѳ. Богосъ), О церковномъ чтеніи. Col. 685. (Ex articulo »О чемъ говорить на съѣздахъ« in No 13 Церк. Вѣстнику publicato thema de lectione in ecclesiis eligitur modusque legendi maioris partis psalmistarum tamquam praeceps, mechanicus et fere inarticulatus improbatur.) — О проповѣдничествѣ. Col. 930. (De oratione sacra. Ecclesia orthodoxa ad imitandum exemplum catholicorum et evangelicorum commonefit, apud quos orationes sacrae pro substantiali parte liturgiae habentur, cum in ecclesia orthodoxa raro habeantur. Suadetur, ut sacerdotes ad orationes sacras habendas obligentur.)

Ius matrimoniale tractant: О раздѣльномъ жительствѣ супруговъ, 673, ubi revisio legislationis de divortio petitur. — О каноническихъ основаніяхъ къ разводу. 801. (Ex pristina praxi doctrinae scti Basilii et codicis Iustiniani innixa, complures legitimae causae divortii admittebantur, quarum sex enumerantur. Anno 1809, principis Galicyn, S. Synodi procuratoris opera, sola fornicatio ut sufficiens causa divortii admissa est. Cum in imperiali Consilio (Госуд. Совѣтѣ) causa divortii discutienda exspectetur, reditus ad mitiorem praxin pristinam commendatur.)

Лѣтописъ церковной и общественной жизни за границей. (Annales vitae ecclesiasticae et politicae extra Russiam.) — Significatio fit periculi orthodoxiae in Galicia et Bucovina imminentis, ubi praeter Polonos et sodales Societatis Iesu Ukrajinomani, qui vocantur, subsidio Romae innixi populo uniendo ecclesiae catholicae operam dant. (509.) — Mentio fit encyclicae Pii X. de 15./4 1905. (Acerbo nimis) de doctrina christiana altius accuratiusque tractanda, de erigendis in qualibet parochia congregationibus doctrinae christianae et de continuanda instructione religiosa iuventutis ad scholam iam non pertinentis. (Col. 542.) — Recensetur opus »Pio X.

Suoi atti e Suoi intendimenti«, cuius auctor persona papae proxima(?), damna et detrimenta ecclesiasticae vitae in Italia inquirit et varios ea emendandi modos urget: maiorem simplicitatem apparatus palatii papalis, diminutionem numeri ordinum religiosorum reformationemque congregationum, seminariorum, ubi libertas sui iudicii opprimitur et simulatio alitur, purgationem cultus; cardinales non secundum dignitates hierarchicas sed secundum merita creentur etc. Col. 667. — Deliberationes episcoporum Dalmatiae et Istriae Romae habitae gesta de restituenda vel conservanda Slavica lingua liturgica narrantur spesque restaurationis huius iuris fere nulla promittitur. Col. 699. — Iterum eadem materia in forma epistolae Romae scriptae et »Папское славянофильство« intitulatae aequali cum diffidentia tractatur. Col. 775. – Recensetur encyclica Pii X. ad episcopos Italiae, qua Leonis XIII. prohibitio participationis catholicorum in politica ac legislativa actione Italiae abrogatur. Col. 795. — Secundum opus Dris Verguni de periculo pangermanismi deliberatur ostenditurque, quomodo certamen cum pangermanismo non solum ad Slavos occidentales sed et ad ipsos Russos pertineat. Col. 830. — Describitur XVI. Congressus ss. Eucharistiae adoratorum Romae 1 - 6 Iunii 1905 habitus. Col. 923. — Изъ Праги. (Litterae Praga missae.) Veterocatholici, quorum nonnulli quibusdam concessionibus acceptis (v. gr. communis confessionis) in ecclesiam orthodoxam nuper ingressi sunt, paucis hebdomadibus elapsis iam declararunt se nil commune cum ecclesia orthodoxa amplius habere. Episcopus Zadrensis, caput ecclesiae orthodoxae in Austria ex postulato gubernii ius veterocatholicos in ecclesiam orthodoxam recipiendi iisque functiones parochiales exhibendi orthodoxo clero Pragensi ademit. Auctor epistolae munus orthodoxae ecclesiae Pragensis expendit et persuasum habet illud non in proselytismo sed in »slavjanofil'stvo« consistere. Suadet simul, ut sacra divina Pragae simili modo ut in Russia absque contractione ritus celebrentur. Repraesentationem orthodoxiae Pragae sufficientem esse negat. Quo meliore habitu orthodoxa ecclesia Pragensis ornata erit, eo maiore vi ea, quae antiquitus per ss. Cyrillum et Methodium tradita sunt, Pragae resuscitabuntur, eoque maior spes erit Bohemos ad ecclesiam orthodoxam reducendi. Qui conatus non initium sed finem industriae orthodoxiae Pragensis expleat, necesse est.

Praeterea tractatus notentur: Доброе начало. Col. 705. (Translatio Scripturae sacrae in linguam Russiae parvae ut bonum initium grate accipitur) — П. К-д-цевъ, Будда или Христосъ. Col. 709. (Quod in quadam ephemeride Germanica legitur in bello cum Japonia Christum a Budha fuisse victum, falsum esse ostenditur, cum in hoc bello controversia Budhae cum Christo non sit acta.) — А. М. Ч., Странное требованіе. Col. 814. (Impugnatur votum Theodori, ut excommunicatio comitis L. N. Tolstoj tollatur. Quid mali comiti Tolstoj evenit? Quod ecclesiae praesules pronuntiarunt, non est nisi: Doctrina Leonis Tolstoj doctrinae ecclesiae orthodoxae adversatur; nos pastores doctrinam eius erroneam pronuntiamus, et cum Tolstoj ipse declaret, se ecclesiae orthodoxae membrum non esse, nec ecclesia eum membrum suum iudicat, donec ipse ad eam redire voluerit.) — V. Vvedenskij, Епископство и монашество. Col. 865. (Censura tractatus »Episcopi et monachi« iam anno 1863 in Прав. Собесѣдникъ publicati, modo in proprio libello editi. Tractatus polemicus adversus opiniones ephemeridis День, ac si canonibus electio episcoporum e solis monachis admittatur. Ostenditur, canonibus, postremo in synodo Trullana, nihil aliud postulari, nisi ut episcopi electi coniuges suas dimittant.) — Arh. Mihail, Епископъ и Консисторія. Col. 897. (Consistorium, quod in Russia a S. Synodo nominatur et fere sui iuris praesidium episcopo non concedit, malum esse exponitur, desideraturque ut in sacerdotale consiliarium collegium episcopi immutetur.) — E. Akvilonov, Панихиды надъ иновѣрцами. Col. 970. (Exprimitur desiderium, ut quaestio,

num licitum sit orthodoxis sacerdotibus militaribus super non orthodoxis mortuis, ubi ipsorum sacerdos desit, panichidam agere, auctoritate ecclesiastica definitive solvatur. Akvilonov suam opinionem profert, prioribus decisionibus quorundam episcoporum et synodorum particularium innixam, hanc participationem in sacris non esse licitam.)

Dr. *Lub. Petr.*

A. P. Lebedev, **Исторія вселенскихъ соборовъ,** часть II. Вселенскіе соборы VI., VII. и VIII. вѣковъ. **(Historia conciliorum oecumenicorum.** Pars II.) Peterburg 1904. Pag. 343, rubl. 2·—.

Titulus partis huius eadem determinatione restringendus est, quae primae parti apposita est, cum auctor fere exclusive haeresiologiam saec. VI.—VIII. prosequatur. Tractatio reipsa per tres partes procedit, quae tres haereses spectant.

Quarum prima de monophysitismo est. Initio describit auctor monophysitismi post Chalcedonense fata sequendo ordinem patriarchatuum orientalium Hieros., Alex. et Antiocheni. Deinde ad ecclesiam Cplnam transit, de tribus capitulis disserit, singulorum in utramque partem disputabilitatem exponit et defendit, denique conc. V. oec. gesta enarrat. Auctori propositum quidem non erat, historiam ecclesiasticam illius aetatis scribere, quae omnibus gestis occuparetur. Nihilominus intra fines operis huius quaedam non erant omittenda. Sic e. gr. in primo articulo sectionis huius fere unice imperatorum de rebus fidei sollicitudinem secundum Euagrium et Theodorum lectorem recenset in ea, quae ecclesiarum praesules, quaesierint et paraverint, remedia non inquirens (Cf. ep. archimandritarum et monachorum Syriae secundae ad Hormisdam ep. 19 ed. Thiel; commonit. Gelasii I. papae ad Faustum ep. 10 item ep. 26. apud M. 136.) In Iustinianum auctor nimis bene affectus videtur, cum praesumtionem illam, qua anathema episcopis nondum ab ecclesia iudicatis impingere attentavit, nulla censura notet; Vigilium violentiae cedentem continuo tamquam hominem ingenii instabilis sugillat. Attentione digna est nota quaedam auctoris de episcoporum orientalium protestatione, qua declarant, se subscriptiones exhibere dependenter a R. P., quam relationem monet se tantum referre, utrum autem ipsi credendum sit nec ne, iudicare se non posse, cum apud solos scriptores occidentales sit conservata.

Ex parte altera auctoris de Honorio mentio praeteriri non potest. Itaque Lebedev Honorium haeresis reum ex litteris eiusdem arguisse sibi videtur. Honorii etiam alio loco meminit. Dum de Sophronio refert, qui Romae auxilium invocavit, monet diu conamina eius successu prospero caruisse „quia inter papas ipsos haeretici erant e. gr. Honorius.“ Secus de Honorio in libro Lebedev sermo non recurrit. Ceterum Lebedev monet Honorium deceptum esse. „Sergius, ita L, tanto artificio rem cum Honorio gessit, ut iste facile in haeretica retia se intricaverit, quae ei a patriarcha Cplno posita erant.“

Iam vero assentiendum esse videtur Lebedev, quatenus difficultatem contra Honorium e litteris eius, non e damnatione ipsius a. 860 facta petendam esse censet. Rationes tamen seu textus, quibus rem evincere studet, prorsus sunt inefficaces. Prima enim („unus operans“)

nulla est. Altera autem „confitemur in D. Iesu unam voluntatem“ recte intelligitur e contextu, e quo patet unitatem nil aliud esse quam absentiam contrarietatis, quam homines lapsi in membris suis experiuntur. Ceterum Lebedev, qui scripta illius periodi apprime cognita habet, auctoritates externas s. Maximi et Ioannis abbatis causam Honorii inexpugnabilem reddere poterit animadvertere. Quae quidem ecclesiae latinae nequaquam amice scripta minime nostrum est, auctori in malam explicare partem, cum vel catholici scriptores diversas, immo oppositas in hac controversia sententias tulerint.

Sectio tertia iconoclasmi historiam exhibet, quaenam fuerint a saec. IV. haeresis initia et prima germina, quibus rationibus propagata sit haec „despotica civilis potestatis invasio in ecclesiae rationes“, quomodo a viris ecclesiasticis suppressa, ab aulicis et militibus recocta sit, ac tandem defecerit. Enarratio fidelem et veram haeresis imaginem exhibet, haud semel et pietate non ficta splendet, quae libri virtutes librum valde commendant eique et ultra scholae fines aditum comparant.

Verum popularitati nonnumquam etiam distinctior dictio et expressio multum prodesse potest, cum prima omnis historiae lex sit, „ne quid veri dicere non audeat.“ Sic e. gr. quaestio gravissima, unde concilio nota oecumenicitatis accedat, e libro colligi nequit, adeo ut vere necessarium sit dicendum illud „дѣло по собору“ quod in Russia agi audivimus. Concilium V. dicitur oecumenicum inde ab initio quamvis Occidens nullatenus repraesentatus fuisse agnoscatur. Rationes gravissimae, ob quas canones Trullani approbati a Romano Pontifice non sunt, sedis Cplnae elevatio ibi decreta (c. 36) atque postulatorum R. Pontificis repulsa antea facta non commemorantur.

In appendice addidit L. brevia complementa ad quattuor concilia priora. „Le 1. Concile de Nicée d' après les textes Koptes,“ tomi duo, quae a concilio ipso descendere, Revillout, inventor et editor documenti, putavit; Lebedev impugnat opinionem octo argumentis. Verhandlungen der Kirchenversammlung zu Ephesus am XXII. August 449. aus einer Syrischen Handschrift übersetzt von Dr. Hofmann, Kiel 1873. Postremo narrantur gesta IV. concilii a. 451. secundum acta propria.

Lebedev ut verus historicus sobrie omnia pertractat, laudem bene meritam neque Pontificibus R. denegat et systematica compositione styloque populari excellens summi pretii opera scribit.

Car. Večeřa.

SERBICA.

Istočnik 1906, nr. 1—6.

Pošljedice razvoda braka zbog preljube (De sequelis divortii propter adulterium permissi), 5—9.

Ecclesia orientalis separata admittit divortium ob adulterium; iuxta canones suos parti innocenti novum matrimonium permittit, at nocenti iuxta canones novum matrimonium vix potest permitti. Ob causas graves crimen excusantes canones viro nocenti quidem matrimonium novum permittunt, sed nunquam mulieri nocenti. Experientia teste maior pars talium dissolutorum, si a novo matrimonio

arcentur, in fornicationem incidit, magno fidelium scandalo. Quapropter multi episcopi parti nocenti magis indulgentes saepius novum matrimonium permittunt; quae consuetudo in singulis ecclesiis »autocephalis« iam valorem iuridicum obtinuit. Ut per totam ecclesiam orientalem hac in re uniformitas quaedam obtineretur, Antonius metropolita Petropolitanus a. 1903 omnium ecclesiarum autocephalarum antistites de eorum procedendi modo interrogavit. Ioachim patriarcha Constantinopolitanus respondit in ecclesia sua iam diu vigere consuetudinem parti nocenti matrimonium novum concedendi, ne alioquin in fornicationem incidat. In eccl. Hierosolymitana iuxta responsum patriarchae divortia ob adulterium rarissima sunt; potestas ecclesiastica coniuges litigantes placare studet. Sin autem divortium impediri non potest, mulier tunc tantum a novo matrimonio arcetur, cum ipsa reconciliationem impossibilem reddidit. Ecclesia Antiochena et Graecohellena mulieri nocenti novum matrimonium nunquam permittunt. In Serbia ad arbitrium singulorum episcoporum proceditur cum nulla vigeat consuetudo legitima. In Romania (Rumunia) causae matrimoniales legibus civilibus subiectae sunt; potestas ecclesiastica his in causis nulla est. In Bosnia-Hercegovina et Crnagora severius quidem proceditur, tamen utrique parti matrimonium novum conceditur. — Patet igitur errorem in re dogmatica et iuridica de matrimonio omnibus ecclesiis separatis magnas parare difficultates sequelasque tristissimas habere pro societate humana.

QUAEDAM, DE QUIBUS THEOLOGI UTRIUSQUE ECCLESIAE DISSENTIUNT.

VI.

Doctrina Russorum de canone Veteris Testamenti.

Concinnavit Ad. Jašek.

Verum, cum Lutherus et sectam eius secuti pro libertate illa, quam praedicabant, quaecumque ipsis apta non esse videbantur traditionis divinae vi sublata a librorum sacrorum numero segregassent, Russorum theologi tempore procedente de canone V. T. secus sentire coeperunt et protestantium decreta approbabant. Sed haec ratio erat, non usus, quia difficile erat prorsus novum usum statim inducere et aliam auctoritatem vel fortasse nullam tribuere libris, qui ab initio in russicis sacrarum litterarum corporibus sine discrimine auctoritatis cum aliis commixti erant; haec sane erat Sacra Scriptura, in qua non solum pia et utilis lectio continebatur, sed ex qua etiam doctrina ecclesiae hauriebatur. Qua de causa primi conatus novam doctrinam in Russiam inducendi sunt incerti et pavidi. Immo etiam nostris annis Aleksěj Speranskij primus theoreticus propugnator, ut ita dicam, in Russia novae doctrinae de auctoritate librorum deuterocanonicorum queritur, quod ea doctrina, quam ipse propugnat ac tuetur, hucusque in ecclesia russica non sit satis explorata, absolute certa, quae in controversiam vocari non possit. Adducam ipsissima eius verba, quibus primo loco praesentem sententiam scriptorum russicorum exprimit [59]): „Nostra or-

[59]) Алексѣй Сперанскій, Краткій историческій очеркъ судьбы неканоническихъ книгъ Ветхаго Завѣта. Христіанское Чтеніе. СПБ. 1881, p. 387—404. Auctor pertractat originem deuterocanonicorum

thodoxa et patria ecclesia in hoc capite explicando (sc. in quaestione de libris non canonicis) libera est ab immoderatis et quasi curtis sententiis. Quamquam enim non eundem valorem iis tribuit ac libris canonicis, tamen eos a bibliis non relegat, quippe qui ad pietatem excitandam et ad docendum aptissimi sint; in nostris editionibus bibliorum et slavica et russica hucusque inter canonicos libros collocantur. Aptitudinis eorum ad sanctitatem alendam habita ratione nostra ecclesia lectiones ex nonnullis non canonicis libris in publico cultu proponit (ex Sapientia Salomonis, cantico trium puerorum, oratione Manassis). Haec orthodoxae ecclesiae doctrina apud nos nondum plene explicata nec applicata est in commentationibus de his libris.

Sed tamen iam saec. XVIII. invenimus vestigia doctrinae prorsus alienae a Petri Mogilae de canone librorum ss. V. T. sententia. Theophanes Prokopovič, professor in academia Kijoviensi (1712—16) in praelectionibus [60]) de canonicitate singulorum librorum tractans provocat ad ss. patres, quorum auctoritate rem definiri iudicat". „Est vero gravissima quaestio" [61]), docet auctor, „quinam sint illi libri certo nomine et numero canonici: nam licet sint plures extra controversiam positi, et de quibus numquam dubitatum inter christianos est, quod sint sacri et divini: sunt tamen nonnulli, qui vocantur in dubium. Causa dubitationis est, quod cum certis sacris libris in eodem volumine ab imperitis olim alii quoque libri positi fuerint, et nunc etiam simul typis imprimantur. Quaestio, inquam, haec gravissima et cum propter acerrimas inter plurimos heterodoxos theologos (forte etiam inter orthodoxos aliquos) lites, tum maxime propter rei ipsius gravitatem. Nam si non aliunde, nisi ex canonicis Sacrae Scripturae libris de rebus divinis

---

librorum. ad eosdem relationem Iudaeorum Palaestinensium, Iesu Christi et apostolorum, breviter percurrit sententias ss. patrum usque ad reformationem, demonstrat doctrinam primorum protestantium aliam fuisse atque eorum, qui nunc sunt, eamque proxime accessisse ad doctrinam Russorum, perscribit evolutionem canonis V. T. in ecclesia catholica et praesentem statum Catholicorum, Protestantium et Russorum doctrinae de libris deuterocanonicis. P. 403: »Наша православная отечественная церковь въ этомъ пунктѣ стоитъ на высотѣ пониманія, свободной отъ крайныхъ и односторонныхъ воззрѣній. Она не усвояетъ этимъ книгамъ значенія одинаковаго съ каноническими, но въ тоже время и не исключаетъ ихъ изъ Библіи, какъ глубоко назидательныя и поучительныя произведенія; въ нашихъ изданіяхъ Библіи славянскомъ и русскомъ, онѣ доселѣ занимаютъ мѣсто между каноническими книгами. А имѣя въ виду назидательность содержанія ихъ, наша церковь предлагаетъ чтенія изъ нѣкоторыхъ неканоническихъ книгъ при общественномъ богослуженіи (изъ Премудрости Соломоновой, пѣснь трехъ отроковъ и молитву Манассіи). Это православно-церковное воззрѣніе еще не получило у насъ полнаго своего развитія и приложенія въ научныхъ изслѣдованіяхъ объ этихъ книгахъ«.

[60]) Theophanes Prokopowicz, Christiana Orthodoxa theologia. Ex officina Breitkopfia Lipsiae 1792. Loci afferuntur sec. Alex. Dombrovski in Revue biblique, 1901, l. c

[61]) Idem, l. c, § 185, p. 164—165.

doceri nos oporteat: si non aliunde probanda vera dogmata, haereses confutandae, omnis denique controversia finienda sit: agitur utique de salute aeterna, cum de certitudine canonis istius agitur. Si enim non discernas inter canonicos et non canonicos, poteris non canonicum pro canonico suscipere et illi tamquam Verbo Dei credere, quod est verbum mere humanum; sic facile impinges in falsum, quod tibi videbitur verissimum, utpote ipso auctore Deo prolatum. En quale et quantum periculum . . . Porro non est dubium, non omnes, qui in volumine, quod vocant Biblia, continentur, canonicos libros esse". In inquirenda canonicitate singulorum librorum testimonia ss. patrum in contrarias partes affert. „Esther librum Origenes quidem numerat inter canonicos apud Eusebium citato loco; numerat et Damascenus et Cyrillus Hierosolymitanus et Hieronymus et Augustinus et citatus canon Apostolicus et concilium Laodicenum et Carthaginiense et fere omnes alii. Tres tamen refragantur: Athanasius et Nazianzenus locis citatis: Nazianzenus quidem dubitando loquitur: Sunt quidam inquit qui non numerant etc. Athanasius vero extra canonem ponit: et tertius Melito apud Eusebium citato loco non memorat. Plura igitur pro se, quam contra se Esther habet testimonia. Pars tamen eius extrema (quae in vulgatis Bibliis habetur) stare nequit et illa forte integrum etiam librum vocaverat apud quosdam in dubium" [62]). Hac nova methodo, quam, in enumerandis ad utramque partem latis sanctorum Patrum sententiis unice consistere videmus, Prokopovič omnes libros deuterocanonicos V. T. facili negotio inter apocryphas scripturas detrudit. En eius definitivae de singulis libris in Iudaeorum canone non exstantibus sententiae: De libro Iudith: . . . „Tot igitur et tanta documenta plane evincunt librum Iudith inter canonicos referendum non esse" [63]). De libro Tobiae . . . „neque nos infitiamur bonum esse ac proinde lato modo sacrum et citari posse. Hinc tamen non sequitur esse canonicum. Citamus et sancta dicimus opera Patrum; licet etiam late loquendo appellare divinitus inspirata: numquid tamen inter canonica scripta numerabimus?" [64]).

De libro Sapientiae: „Liber Sapientiae Salomonis dictus sane praeclarus est et suo nomine dignus et dignus, qui Panaretus quasi omni virtutum genere plenus (ut ait Damascenus) appelletur: pro Dei tamen verbo haberi et in canone Scripturae numerari non potest. Et ratio: quia plures contra dicunt" [65]).

De libro Ecclesiastici: „Ecclesiasticus, qui et Syracides dicitur, nunquam satis laudari potest: neque tamen potest haberi pro canonico. Non fuit enim pro tali habitus a veteri Ecclesia, ut nemo ambigit" [66]).

De libris Machabaeorum: „Similiter librum tertium et quartum Maccabaeorum arcet ille (sc. Bellarminus) a canone, non obstante, quod

---

[62]) Idem, op. c., § 189, p. 167.
[63]) Idem, op. c., § 190, p. 171.
[64]) Idem, op. c., § 192, p. 175.
[65]) Idem, op c., § 193, p. 176.
[66]) Idem, op. c, § 194, p. 176.

citantur a Patribus; neque ergo nobis hoc nocet, quia primum et secundum a canone arcemus“ [67]).

De libro Baruch: „Et nos fatemur egregium scriptum esse, inter canonica tamen ponere non audemus“ [68]).

Simili modo loquitur idem auctor orthodoxus etiam de partibus deuterocanonicis librorum protocanonicorum prouti Esther, Danielis. Inde patet iuxta Theophanem Prokopovič libros V. T. dividendos esse in canonicos et apocryphos; canonicos continere in se Verbum Dei, apocryphos esse scripta mere humana, utilia quidem ad legendum in ecclesia ac laude dignissima, minime tamen divinitus inspirata [69]).

Sed ne hierarchae quidem servabant distinctionem librorum V. T., quam Prokopovič in Praelectionibus tuebatur. Mullen [70]) adducit librum e Russico in Anglicum versum sub titulo „The doctrine of the Russian Church, by the Rev. R. W. Blačkmore, B. A., formerly at Merton College, Oxford, Chaplain to the Russian Company at Cronstadt. Aberdeen 1845“. In quo libro ab archiepiscopo Georgio Konickij (1795), membro S. Synodi, est conscripta commentatio „de officiis parochorum“, ubi ad confirmandam doctrinam proto- et deuterocanonici libri adhibentur loco eodem atque aliae partes Sacrae Scripturae, sine discrimine auctoritatis; ex deuterocanonicis allegantur Ecclesiasticus 1, 23; 2, 11 in cap. XXXIII. (p. 220), Tobias 8, 7 in c. XXIX. (p. 235), Ecclesiasticus 25, 17 in c XIII. (p. 269), Baruch 3, 4. 5 in c. XVI. (part. II., p. 281), II. Macc. 12, 41—46.

Tempore procedente autem praevaluit sententia protestantica. Professores in academiis libros protestanticos consulentes imbuebantur eorum doctrina de canone, quam et ex cathedris et in scriptis propagabant.

Eadem atque Prokopovič saec. XVIII. etiam archimandrita Silvester docuit, qui ut libri V. T. extra canonem positi facilius memoria continerentur, sequentes versus composuit [71]):

„Judith, Tobias, Sirach, Sapientia, Baruch,
Tertius et quartus codex, qui fingitur Esdrae,
Et quae gesta refert Machabaeae historia gentis,
Senaque cauda Esther, Danieli subdita bina,
Unde ode Psalmos augens, supplexque Manasses
Non possunt merito divina oracula dici“.

Eandem doctrinam defendit ignotus scriptor operis „Orthodoxae Orientalis Ecclesiae Dogmata“ [72]). Moscoviae 1783.

Quod hi separatim docebant, hoc systematice in fidem ecclesiae orthodoxae ad praecepta revocatam demum Philaretus introduxit hac

---

[67]) Idem, op. c., § 195, p. 184.
[68]) Idem, op. c, § 201, p. 200.
[69]) Alex. Dombrovski in Revue biblique 1901, p. 271.
[70]) Tob. Mullen, The Canon p. 230—232.
[71]) Archimandrita Silvester, Compendium Theologiae Classicum, Sacrarum Scripturarum auctoritate confirmatum Petropoli 1799, p. 31. Vide Alex. Dombrovski, Revue biblique 1901, p. 272.
[72]) Vide infra. Cfr. Alex. Dombrovski, Revue biblique, 1901, 272 et seq.

doctrina in catechismo [73]) eiusdem ecclesiae auctoritate edito inserta. Sed etiam ipse in hoc catechismo a sententia sua discedit. De precibus agens pro mortuis adhibendis, auctoritate II. Macc. 12, 43 utitur, de specialibus officiis liberorum erga parentes allegat II. Macc. 12, 43—44 [74]). In sermonibus suis [75]) Ecclesiastici 38, 4 verba vocat divina. Immo adeo immemor sententiae suae Philaretus fuit, ut nonnullis locis deuterocanonicos libros inspiratos esse a Spiritu Sancto, atque praecepta et regulas fidei et morum continere sensisse videatur. Cum ad ipsum pars curationis ecclesiasticarum academiarum delata esset, materiam theologicarum doctrinarum definivit, quae in academiis traderetur. Explicata auctoritate Sacrae Scripturae et ratione lectionis Sacrae Scripturae designata pergit: „Libri V. T. plerumque dividuntur in historicos, didacticos et propheticos". Pertractatis libris Moysis scribit [76]): „In ceteris historicis libris legendis: Iosue, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Esdrae, Nehemiae, Esther et Maccabaeorum, celerius progrediantur oportet. Libris historicis legendis destinatur spatium semestre. In altera anni parte libri didactici legantur. Doctrinam fidei et morum alias placuit Spiritui Sancto explanare in historia ut in libris supra adductis alias separatim in certis praescriptis. Illic fides et mores concorporati sunt in sanctis viris eorumque rebus gestis, hic docendo inculcantur".

„Excellentes regulae fidei et morum in Proverbiis Salomonis, in libro Ecclesiastae, Cantico Canticorum, Sapientia Salomonis et Sapientia Iesu, filii Sirach continentur". Quibus

---

[73]) Vide eius titulum et catalogum librorum canonicorum V. T. supra.

[74]) Mullen ornat suum tractatum (The Canon, p. 234—30) de canone V. T. apud Russos his verbis: „So far, therefore, as a conclusion can be drawn from the use made of the deutero books by the Russian theologians, it cannot reasonably be denied, that the canonicity of the books is admitted by them".

[75]) Изъясненія нѣкоторыхъ мѣстъ св. Писанія, собранныя изъ словъ Высокопреосвященнѣйшаго Филарета митрополита московскаго. Чтенія въ обществѣ любителей духовнаго просвѣщенія. Москва 1872. IV., p 266.

[76]) Обозрѣніе богословскихъ наукъ въ отношеніи къ преподаванію ихъ въ высшихъ духовныхъ училищахъ, составленное Высокопреосвященнымъ Митрополитомъ Филаретомъ. Составлено въ то время, когда онъ, въ санѣ архимандрита былъ членомъ Коммиссіи Духовныхъ Училищъ. Čtenija v obščestvě ljubitelej duhovnago prosvěščenija. Moskva 1872. III. p. 44: Прочія Историческія книги, какъ-то: Іисуса Навина, Судей, Руѳь, Царствъ, Паралипоменонъ, Ездры, Неемiи, Есѳиръ, и Маккабейскія, можно пройти чтеніемъ скорымъ... Для чтенія Историческихъ книгъ назначается полгода. Другую половину года пустъ продолжается чтеніе книгъ Учительныхъ. Ученіе вѣры и нравственности иногда угодно было Духу Святому излагать въ исторіи, какъ въ выше упомянутыхъ книгахъ: иногда отдѣльно, въ извѣстныхъ правилахъ. Тамъ вѣра и нравственность олицетворены въ святыхъ мужахъ и ихъ дѣяніяхъ; здѣсь внушаются чрезъ поученія«.

»Изящныя правила вѣры и нравственности заключены въ Притчахъ Соломоновыхъ, въ книгѣ Екклесіаста, Пѣсни Пѣсней, Премудрости Соломоновой и Премудрости Іисуса сына Сирахова.«

verbis clare doctrina priscae ecclesiae exprimitur. Illinc etiam in libris Esther, qui continet fragmenta deuterocanonica in Slavicum (vel Russicum) versa, et Maccabaeorum placuit Spiritui Sancto doctrinam fidei et morum explanare seu, ut aliter rem exprimam, etiam eos libros esse inspiratos agnoscitur, hinc Sapientiam Salomonis et Sapientiam Iesu, filii Sirach, easdem praeclaras fidei et morum regulas continere atque ceteros libros ad idem genus pertinentes scribitur. Quadecausa Mullen [77]) illud tenet Philaretum fortasse non docuisse deuterocanonicos libros minoris aestimandos esse quam protocanonicos, allata dumtaxat s. Cyrilli Hierosolymitani, Athanasii etc. doctrina, adnotatione nulla adiecta [78]). Quae opinio etiam inde suadetur, quod Philaretus Petri Mogilae Catechismum magni faciebat.

Sed Philaretus in praelectionibus suis diserte et numerum et auctoritatem librorum apocryphorum definivit [79]): § 1. Introductio. Praeter libros V. T., qui in Hebraicis codicibus Sacrae Scripturae inveniuntur, et in Graecis et in aliis antiquis exemplaribus integri libri et nonnulla fragmenta adiuncta sunt ad libros inspiratos. Quos protestantes apocryphos, deuterocanonicos catholici appellant. § 2. De numero librorum apocryphorum. Qui libri sunt: Baruch, Tobias, Iudith, Sapientia filii Sirach, Sapientia Salomonis, Maccabaeorum I., II., III., Esdrae II., III., secundum Vulgatam autem III., IV., fragmenta: Additamenta ad librum Esther 10, 4—16, 24, additamenta ad librum Danielis, Psalmus 11; oratio Manassis. Adnotatio: Ex Scriptura nulla ecclesia habet inspiratos hos: Maccabeorum III., Esdrae II. et III., Psalmum 11, orationem Manassis, quos ecclesia Romana proprie apocryphos appellat". Mullen potuit opinionem illam proferre, cum non omnia opera Philareti cognovisset.

Si igitur inter se omnia ea comparamus, quibus Philaretus doctrinam librorum deuterocanonicorum attigit, praecepta eius cum usu discrepare cognoscimus. Doctrinae protestantium favens non potuit tamen negare, quod ab initio ecclesia professa erat. Theologi qui post eius

---

[77]) The Canon of the O. T. p. 232—33.

[78]) Vide cupra p. 127.

[79]) О книгахъ такъ называемыхъ апокрифическихъ. Изъ академическихъ чтеній Филарета митрополита Московскаго. Čtenija v Obščestvě ljubitelej duhovnago prosvěščenija. Moskva 1876 »§ 1. Вступленіе. Сверхъ книгъ Ветхаго Завѣта, находящихся въ еврейскомъ составѣ Св. Писанія, есть еще целыя книги и нѣкоторые отрывки, присоединенные къ книгамъ, богодунохвеннымъ въ греческомъ и другихъ древнихъ спискахъ. Ихъ называютъ апокрифическими (протестанты) и второканоническими (католики). § 2. Исчисленіе книгъ апокрифическихъ. Сіи книги сутъ слѣдующія: Варухъ, Тобитъ, Іудиѳь, Премудрость сына Сирахова, Премудрость Саломонова, Маккавейскія I., II., III., Ездры II., III., а по Вулгатѣ III., IV; отрывки: прибавленія къ книгѣ, Есѳирь X. 4—XVI. 24; прибавленіе къ книгѣ Даніила; псаломъ 11-й; молитва Манассіи. Примѣч. Изъ числа писаній сихъ никакая церковь не признаетъ богодухновенными: Маккавейской III., Ездры II. и III., псалма 11 и молитвы Манассіи, и ихъ то римская церковь собственно называетъ апокрифическими.«

aetatem scripserunt Catechismum eiusdem approbatum a S. Synodo ceu normam secuti sunt.

Consentiuntne omnes Russorum theologi de numero librorum apocryphorum [80]) cum Philareto? Silvestro archimandritae [81]) apocryphi V. T. videntur esse libri: Tobiae cap. XIV., Iudith cap. XVI., Baruch cap. V., I. Maccabaeorum cap. XVI., II. Maccabaeorum cap. XV., III. Maccabaeorum cap. VII., III. Esdrae cap. IX., IV. Esdrae cap. XVI., Sapientiae cap. XIX., Ecclesiastici sive Siracidae cap. LI. Et haec de libris integris; praeterea autem nonnullorum canonicorum librorum quasdam partes seu potius additamenta non canonica, neque ab eodem scriptore composita, sed aliunde inserta ideoque apocrypha esse docet quattuor: 1. Psalmum, qui in fine Psalterii extra CL. adicitur. 2. Sex capita libri Esther in vulgata editione adiecta et decem versiculos ad decimum caput post tertium versum additos. 3. Duo capita ultima Danielis, et praeterea tertio capite canonico Hymnum trium puerorum insertum. 4. Manassis Regis orationem.

Makarij [82]) in libro, qui introductio in orthodoxam theologiam inscribitur, enumeratis canonicis libris hos non canonicos nominat: 1. librum Tobiae, 2. Iudith, 3. Sapientiam Salomonis, 4. Sapientiam Iesu, filii Sirach, 5. secundum et tertium librum Esdrae, 6. omnes tres libros Maccabaeorum. Eosdem libros ad non canonicos etiam Uspenskij [83]) rescribit. Epistolas Ieremiae et Baruch Makarij [84]) inter canonicos relinquere videtur. Etiam in formam seminariorum Russicorum usque ad annum 1896 (!) haec sententia epistolas Ieremiae et Baruch canonicas esse recepta erat. A quo anno nova forma statuta in libros non canonicos transscriptae sunt [85]).

Professor A. Olesnickij [86]) de libris non canonicis haec docet: „Ceteri libri, qui in corpore nostro litterarum sanctarum inveniuntur, non recensiti a Melitone in V. T. libris, qui sunt: tres octavae partes historicorum librorum (II. l. Esdrae, Tobias, Iudith, Esther, tres libri Maccabaeorum, III. l. Esdrae), liber Sapientiae Salomonis, Iesu, filii Sirach, liber Baruch sunt libri non canonici: usitati ii sunt et utiles,

---

[80]) Numerum librorum canonicorum V. T. apud Russos v. in p. 127.

[81]) Compend. p. 25—28. Vide supra eius versiculos.

[82]) A. Makarij, Введеніе въ православное богословіе. Спб. 1847. § 124. p. 481.

[83]) Uspenskij Evg., Обличительное Богословіе. p. 17—19.

[84]) Ita P. Jungerov iudicat, O. i—k. vved. p. 207—208. — Alexij Speranskij (Краткій историческій очеркъ судьбы неканоническихъ книгъ Ветхаго Завѣта in Hrist. Ctenie. 1881. сентябрь — окт. p. 387—88) hos libros non canonicos adducit: „Tobiam, Iudith, Sapientiam Salomonis, Sapientiam Iesu Sirach, II. et III. Esdrae, I., II., III. Maccabaeorum, librum Baruch; orationem Manassis, partes libri Esther, canticum trium puerorum, in libro Danielis, historiam Susannae, et de Bel dracone". Cfr. etiam Ivan Korsunskij, Переводъ LXX. M. 1897. p. 533.

[85]) Jungerov, O. i—k. vved. p. 208: »Колебаніе архим. Макарія и семинарской программы, относящихъ Варуха и Посланіе Іереміи къ каноническимъ книгамъ, справедливо устраняется единогласіемъ новыхъ академическихъ программъ (за 1896-й г.) относящихъ ихъ къ неканоническимъ книгамъ.«

[86]) op. cit. p. 207.

verum numero agnitorum ab omnibus non sunt inserti, neque in arca Foederis repositi erant". Notandum est scriptorem hunc etiam librum Esther legare inter non canonicos.

Jungerov [86]) hoc ordine et numero libros non canonicos enumerat: „historici: 2. Esdrae, Tobias, Iudith, 1., 2. et 3. Maccabaeorum; didactici: Sapientia Salomonis et Sapientia Iesu, filii Sirach; prophetici: Epistola Ieremiae, Baruch et 3. Esdrae. Non canonicis annumeranda sunt fragmenta: CLI. Psalmus, oratio Manassis (in fine II. Paralip.), 3, 25—95 et 13 et 14 Danielis et ex libro Esther 1, 1; 2, 13; 3, 17; 4, 1; 8, 13; 10, 3 — fragmenta, quae non inveniuntur in textu Hebraico". Quae doctrina de numero librorum non canonicorum hoc tempore in ecclesia Russica praevaluit.

Antiquiores Russorum scriptores ecclesiastici negata canonica enumeratorum librorum auctoritate eos apocryphos appellabant (апокрифы, книги апокрифическія), recentiores autem omnes eos non canonicos nominant (книги, писанія неканоническія) et quos theologi catholici, eosdem libros etiam Russi apocryphos appellant exceptis Psalmo CLI., III. l. Macc., oratione Manassis, III. et IV. l. Esdrae, quos catholici apocryphos, Russorum theologi non canonicos vocant; quae vocabula etiam nos retinemus, ubi de canone Russorum loquimur.

Quo loco et numero libri non canonici apud Russos sunt? Cum nec quantum simpliciter et ex sua vi nec quantum collatione canonicorum libri non canonici valeant auctoritate ecclesiastica hucusque definitum sit, sententias singulorum theologorum audiamus, priusquam concludamus.

Sententiam Th. Prokopovič supra exposuimus. In libro, qui „Orthodoxae Orientalis eccl. Dogm." [88]) inscribitur, sine nomine vulgato enumeratis omnibus libris utriusque Testamenti prout in Bibliis Graecis poni solent, ita res exponitur: „Quamvis omnes isti libri hactenus a nobis commemorati, qui a diversis scriptoribus diversisque temporibus prodierunt, ab iis, quibus tradebantur diligenter collecti, sancte asservati et in unum systema coacti sint: nemo tamen dubitat omnes hos libros ab iis, qui religionem suam in illis fundarunt, non pari pietatis affectu receptos neque eiusdem auctoritatis iudicatos esse. Hinc patet discrimen inter libros canonicos et apocryphos [quos

---

[87]) Руководственныя о Священномъ Писаніи Ветхаго и Новаго Завѣта свѣдѣнія изъ твореній св. Отцовъ и учителей Церкви. С. Пб. 1894 р. 11: Остальныя-же книги изъ находящихся въ составѣ нашей Библіи, не поименованныя Мелитономъ между ветхозавѣтными книгами, именно все третье осьмикнижіе историческихъ книгъ, (2-я кн. Ездры, Тобитъ-Іудиѳь, Есѳирь, три книги Маккавейскія и 3-я Ездры), кн. Прему, дрости Саломона, Іисуса с. Спраха и кн. Варуха, сутъ книги неканоническія, т. е. хотя употребительныя и полезныя, но въ число признанныхъ всѣми не внесенныя, и не бывшія въ ковчегѣ.«

[88]) Orthodoxae Orientalis Ecclesiae Dogmata seu Doctrina christiana de credendis, usibus eorum, qui studio theologico sese consecrarunt addixeruntque adornata accommodataque. Mosquae. Typis Sanctissimae Synodi. 1831. p. 55—56. Cf. Alex. Dombrovski, Revue biblique 1901. p. 273.

nos non canonicos nominamus]. Canonici sunt, quos ecclesia Iudaica pro divinis semper habuit et quos christiana a Iudaeis sibi traditos accepisse testatur . . . . Canonici autem vocantur propter illam scripturae perfectionem, qua pleno, certissimo et indubitato omnium assensu quoad singulas partes digni fiunt. Quosdam autem libros apocryphos denominari. Patres ecclesiae hanc reddunt rationem: quia sunt occultae originis et auctoritatis, quamvis cum fructu legantur in ecclesia. Nos quoque in discernendis apocryphis hunc significatum sequimur: Fatemur enim commendandos esse libros istos, et non sine magna utilitate legi in ecclesia, sed eiusdem auctoritatis eos esse, cuius sunt canonici, id est, quod negamus". Philaretus[89]) formam ecclesiasticarum academiarum describens, de libris non canonicis hanc sententiam proponit: „Libri apocryphi [non canonici], qui sunt tales, quorum prima origo occulta est, multas et sanctas gravesque continent veritates ideoque non sine causa numero librorum sacrorum sunt inserti et pleno respectu digni". In Praelectionibus [90]) auctoritatem et dignitatem eorum pertractans ita rem explicat: „Quamquam constat eos libros [non canonicos] in canone ecclesiae Iudaicae, quae in Palaestina erat, non fuisse et prorsus dubium est apostolos cum ecclesiae translationem Alexandrinam in manus darent, etiam eos tradidisse ut inspiratos: nihilominus eos in ecclesia Palaestinensi diligentissime observatos esse scimus". Allegatis e Iosepho Flavio, Maimonide, Patribus christianis locis, qui eius sententiam fulcire videntur, pergit: „Ex omnibus his testimoniis manifestum est libros qui apocryphi vocantur, et qui legantur et qui respiciantur dignos esse atque omnium in ecclesia pietatem alere posse".

Makarij in sua Introductione [91]) traditione secundum causam doctrinae Russicae usus etiam contrarios locos conciliare ei intendit:

---

[89]) Čtenija v obščestvě ljubitelej duhovnago prosvěščenija 1872 III, otd.III. p. 42: »Апокрифическія книги, то есть, такія, которыхъ вышнее происхожденіе закрыто, заключаютъ въ себѣ многія чистыя и важныя истины, а потому не безъ причины внесены въ число книгъ священныхъ, и достойны полнаго вниманія.«

[90]) Idem Čtenija . . . 1876 мѣсяцъ май: »§ 4 Важность и достоинство апокрифическихъ книгъ. Хотя извѣстно, что сихъ книгъ не было въ канонѣ іудейской церкви, находившейся въ Палестинѣ, и весьма сомнительно, чтобы апостолы, оставляя первенствующей церкви переводъ александрійскій, передали съ нимъ и сіи книги за богодухновенныя: однако-жъ мы знаемъ, что іудейская палестинская церковь имѣла ихъ въ великомъ уваженіи . . . . . Изъ всѣхъ сихъ свидѣтельствъ видно, что книги, такъ называемыя апокрифическія, полезны, достойны нашего чтенія и вниманія и могутъ служить въ назиданіе всѣхъ вообще членовъ Церкви«. Cf. Nestor Dagaev, Istorija vet ozavětnago kanona, p. 262—263, qui auctor in opere suo nonnullas sententias Russorum theologorum de dignitate et auctoritate librorum non canonicorum collegit.

[91]) A. Makarij, Vvedenie p. 322—26: »Если же въ 85 правилѣ Апостольскомъ наряду съ книгами каноническими упоминаются и нѣкоторыя неканоническія, именно 3 книги Маккавейскія, книга Премудрости Іисуса с. Сираха: то надобно знать, что въ этомъ правилѣ идетъ рѣчь о книгахъ чтимыхъ и святыхъ, а не о книгахъ капо-

„Si in 85. canone Constit. Apostol.“ — inquit — „una cum libris canonicis etiam nonnulli non canonici commemorantur, nominatim tres libri Maccabaeorum, liber Sapientiae Iesu filii Sirach: sciendum est in hoc canone agi de libris venerandis et sacris et non de libris canonicis; venerandis et sacri nominari et libri canonici pariter potuerunt et non canonici quin etiam nonnulli alii a Christianis magni aestimati“. Explicatis aliis quoque locis viam planiorem ac tritam ingreditur: „Denique, ut in aliquibus priscis corporibus Sacrae Scripturae conversae e gr. in Italico libri canonici cum non canonicis permisceantur necne nihil interest; eodem enim modo adhuc in ecclesia orthodoxa in unum confunduntur, quae tamen differentiam eorum statuit, quos eo consilio adiungit, ut uno corpore comprehendat omnes libros et inspiratos et eos, qui etsi eandem auctoritatem non habeant, nihilominus antiquitus omnibus libris humanis pluris aestimabantur atque ab ecclesia ut legentium animos ad pietatem excitent ut libri boni atque utiles recepti sunt.“ Postquam de singulis libris non canonicis explicavit, his verbis rem persequitur[92]): „Non magis certum est hos libros nec apud Iudaeos nec apud Christianos in eadem atque canonicos auctoritate putatos esse quam dignum quod credatur, eos apud hos et illos semper maxima fuisse auctoritate. Ceterum etsi orthodoxa ecclesia libros non canonicos neque contempsit neque contemnit, obliviscendum non est eam a libris canonicis eos semper distinxisse. Cuius discriminis ratio est, quod hi quidem — ut ecclesiae doctrina est — inspirante Spiritu Sancto scripti sunt et in proprio sensu Scripturam divinitus inspiratam continent, sed illi hac excellentia carentes Sacrae

---

ническихъ; чтимыми-же и святыми равно могли называться и каноническія и неканоническія книги Свящ. Писанія, и даже нѣкоторыя другія уважаемыя христіанами« . . . . . »На конецъ, уже совершенно не важно то, что въ нѣкоторыхъ древнихъ переводахъ Свящ. Писанія, напр. Италійскомъ, совокуплены вмѣстѣ и книги каноническія и кн. неканоническія; такъ совокупляются онѣ доселѣ въ Церкви православной, которая однако-же различаетъ ихъ, совокупляя съ тою цѣлію, чтобы въ одномъ сборникѣ имѣть всѣ книги, и богодухновенныя, и тѣ, которыя хотя не имѣютъ такой важности, однако-жъ издревле были уважаемы Церковію болѣе всѣхъ книгъ человѣческихъ, и приняты ею для назидательнаго чтенія вѣрующими, какъ книги добрыя и полезныя«.

[92]) »Сколько несомнѣнно, что эти книги ни у іудеевъ, ни у христіанъ не считались наравнѣ съ книгами каноническими, столько-же достовѣрна и другая мысль, что у тѣхъ и другихъ онѣ всегда пользовались большимъ уваженіемъ. Впрочемъ, какъ ни уважала и ни уважаетъ православная Церковь книгъ неканоническихъ, не должно забывать, что она всегда и отличала ихъ отъ книгъ каноническихъ. Отличіе это въ томъ, что послѣднія, какъ учитъ она, написаны по вдохновенію отъ Духа Святаго, и въ собственномъ смыслѣ составляютъ Писаніе богодухновенное, а первыя этого важнаго преимущества не имѣютъ и служатъ только въ видѣ прибавленія къ богодухновенному Писанію, какъ книги добрыя, назидательныя, священныя«. Cf. Dagaev Istorija vetchozavětnago kanona p. 263—265.

Scripturae additi librorum bonorum, pios sensus excitantium, sacrorum munere funguntur."

G. Smirnov-Platonov[93]) discrimine facto inter libros canonicos et non canonicos verbis: „Orthodoxa ecclesia duo librorum biblicorum V. T. genera distinguit: canonicos et non canonicos — illi proprie dici possunt Scriptura divinitus inspirata — hi Scripturae inspiratae supplementum, sunt ab ecclesia propter argumenti sanctitatem et salubritatem magni fiunt," eorum auctoritatem persequitur[94]): „Ex adductis (priscae ecclesiae testimoniis) patet ecclesiam christianam cum libros canonicos ab aliis in canone V. T. ignotis sed in librorum sacrorum corpus receptis hos non canonicos libros maxima observantia asservasse et semper ad legis Christianae studiosos salubriter monendos adhibuisse. Ne commisceantur cum libris apocryphis auctoritatem huius vel illius propter temporum et locorum condicionem firmandam esse rata ecclesia nonnunquam etiam non canonicos libros suis canonibus comprehendebat.... Eodem loco erant in usu ecclesiae: ut nonnullae partes librorum non canonicorum in ritu ecclesiastico leguntur, in his versus ex libro Sapientiae, preces trium puerorum; item ex libris non canonicis multae orationes et cantica ecclesiastica composita sunt, argumentum ad sacras imagines hauriebatur et adhuc hauritur."

A. N. Speranskij[95]) „testimonia palaeo-orthodoxae ecclesiae de non canonicis libris Veteris Testamenti eorumque vi his testimoniis confirmata historico-critice," exposuit. Sententiis patrum apostolicorum et scriptorum ecclesiasticorum saec. II. et III., dein canonibus conciliorum et patrum saec. IV. et V. iudicio ecclesiae Russicae opportunis

---

[93]) »Неканоническія книги Ветхаго Завѣта« in Pravosl. Obozrĕnie a. 1862 t. IX. p. 1. et seq.: »Православная Церковь различаетъ въ составѣ библейскихъ книгъ Ветхаго Завѣта два рода книгъ: каноническія и неканоническія, — первыя, какъ въ собственномъ смыслѣ Воговдохновенныя, — вторыя какъ дополненія къ Писаніямъ богодохновеннымъ, какъ книги чтимыя ею по ихъ священному содержанію и назидательности«.

[94]) Idem p. 20—21: »Этихъ данныхъ (sc. свидѣтельствъ древней церкви) достаточно для того, чтобы видѣть, что церковь христіанская, отличая каноническія книги отъ другихъ, неизвѣстныхъ въ канонѣ Ветхаго Завѣта, по принятыхъ въ составъ Библіи, съ величайшимъ уваженіемъ хранила эти неканоническія книги и всегда пользовалась ими къ назиданію вѣрующихъ. Заботясь, предотвратить смѣшеніе ихъ съ книгами апокрифическими, находя нужныхъ по временнымъ и мѣстнымъ обстоятельствамъ усилить уваженіе христіанъ къ той или другой неканонической библейской книгѣ, иногда Церковь перечисляла даже неканоническія книги въ своихъ правилахъ..... Тоже уваженіе обозначалось и въ церковной практикѣ: такъ нѣкоторыя части книгъ неканоническихъ читаются на церковном богослуженіи, напримѣръ паремін изъ книги Премудрости, или молитва трехъ отроковъ; изъ книгъ неканоническихъ составлены также многія молитвы и пѣснопѣнія церковная, заимствовалось и доселѣ заимствуется содержаніе для священныхъ живописьныхъ изображеній«. Nestor Dagaev, Istorija vetḫozavĕtnago kanona. P. 267—68.

[95]) Свидѣтельства древне-православной церкви о неканоническихъ книгахъ Ветхаго Завѣта и значеніе ихъ на основаніи этихъ свидѣтельствъ. Ḫristianskoe Ctenie. СПб. 1882. Январь—Февраль. p. 28—65.

congestis ipse fatetur primis ecclesiae saeculis nulla inveniri testimonia id quod Russi hoc tempore de non canonicis libris tenent exprimentia vel saltem eis suffragantia: „illo tempore invenimus locos ex omnibus non canonicis libris ad idem adhibitos et eadem forma allegatos atque locos qui ex libris canonicis afferuntur“ [96]). Tempore procedente demum doctrina haec clarior evasit seque aperuit. Commentationis suae, in qua non omnibus ad eandem materiam pertinentibus testimoniis locum praebuit, hisce verbis finem facit [97]): „Sicut orientales ita etiam occidentales patres et theologi sexti et posterorum saeculorm usque ad ecclesiae discidium solis viginti duobus libris Hebraici canonis summam canonicam auctoritatem addicunt eosque divinos existimant; nonnulli eorum praeterea graviter et severe libros canonicos a nostris non canonicis secernunt hosque utiles ad lectionem habent, sed argumenta inde non ducunt. Itaque omnium antiquae orthodoxae ecclesiae testimoniorum, quas attulimus, summa haec est: Ecclesia Christi prima aetate libros non canonicos V. T. mirifice colebat eisque eodem modo atque canonicis utebatur sed quaestionem num ad canonem pertinerent non decidebat. Exeunte quarto et ineunte quinto saeculo simul et canon circumscriptus est et quanta, collatione aliorum aestimata, librorum

---

[96]) l. c. p. 33.

[97]) l. c. p. 63—65: „Какъ восточные, такъ и западные отцы и богословы шестаго и слѣдующихъ вѣковъ до раздѣленія церквей только двадцати двумъ книгамъ еврейскаго канона усвояютъ всеобщее каноническое значеніе и считаютъ ихъ за божественныя; нѣкоторые же изъ нихъ кромѣ того строго отличаютъ каноническія книги отъ нашихъ неканоническихъ и считаютъ послѣднія лишь полезными для чтенія, но не приводятъ изъ нихъ мѣстъ въ видѣ доказательствъ.

Сводя къ единству всѣ представленныя нами свидѣтельства древней православной церкви, мы приходимъ къ слѣдующему результату. Церковь Христова въ первые вѣка своего существованія питала большое уваженіе къ неканоническимъ книгамъ Ветхаго Завѣта и пользовалась ими наравнѣ съ каноническими книгами, но не рѣшила вопроса объ отношеніи ихъ къ канону. Въ концѣ четвертаго и началѣ пятаго вѣка вмѣстѣ съ опредѣленіемъ объема канона было опредѣлено относительное достоинство неканоническихъ книгъ. Общимъ сужденіемъ всей вселенской церкви неканоническія книги были выдѣлены изъ списка книгъ каноническихъ въ точномъ смыслѣ слова — Богодухновенныхъ и признаны „полезными для чтенія, — особенно оглашаемымъ и нововступающимъ въ церковь, назидательными, благотворными и добрыми.“ Въ отличіе отъ каноническихъ книгъ, признанныхъ единственною нормою вѣры и благочестія, неканоническія получили значеніе церковное, но отнюдь не догматическое, такъ что изъ нихъ запрещено было заимствовать доказательства для подтвержденія догматовъ вѣры. Съ другой стороны неканоническія книги были выдѣлены изъ класса апокрифовъ, къ которымъ отнесены были лишь еретическія произведенія. Это сужденіе вселенской церкви опирается на принятыхъ еще со временъ Мелитона и Оригена началахъ на единогласныхъ свидѣтельствахъ знаменитѣйшихъ представителей восточной и западной церкви, подтверждено на вселенскихъ соборахъ, руководимыхъ Духомъ Святымъ . . . Церковь пребыла вѣрною древнему преданію — іудейскому и христіанскому и послѣдовательною, совершенно ясно и правильно рѣшивъ вопросъ объ относительномъ, достоинствѣ неканоническихъ книгъ.“

non canonicorum sit dignitas definitum. Communi totius oecumenicae ecclesiae iudicio libri non canonici ex indice librorum proprie canonicorum — divinitus inspiratorum exempti sunt et utiles ad legendum — praecipue a catechumenis et a Christianis noviciis, pii, salutares ac boni agniti sunt. Secus atque ii libri qui canonici probati sunt, ad quorum normam solam fides et sanctitas dirigenda est, non canonici libri auctoritate ecclesiastica distincti nequaquam dogmaticam vim habent neque, ut ex eis argumenta ad dogmata fidei confirmanda hauriantur, permittitur. Rursus libri non canonici ex numero apocryphorum exempti sunt, in quem tantum opera haeretica relata sunt. Quod oecumenicae ecclesiae iudicium regulis iam temporibus Melitonis et Origenis positis atque receptis conspirantibus maximorum orientalis et occidentalis ecclesiae columinum testimoniis innixum in oecumenicis conciliis per Spiritum Sanctum directis confirmatum est . . . Ecclesia in accepta antiquitus opinione Iudaeorum et christianorum permanens quam clarissime et iustissime quaestionem de librorum non canonicorum dignitate relativa decidit."

Idem scriptor eandem sententiam in alia commentatione[98]) profert, in qua patrum testimonia catholicam de canone doctrinam confirmantia hoc modo explicare conatur: „Nonnulli occidentalium thoologorum, qui a regula antiquitus accepta sanctum Augustinum, qui exempli primi Veteris Testamenti rationem non habebat secuti deflexerunt, inter canonicos et non canonicos libros discrimine omni sublato eodem modo utrosque adhibebant, cui usui latina Itala, quam in manibus habebant, e LXX versa, non modice suffragabatur.

Scriptor, qui primis litteris M. G. nomen subnotavit, in Vos-kresnoe Čtenie[99]) agens de Sacrae Scripturae compositione, de

[98]) Краткій историческій очеркъ . . . Hrist. Čtenie 1881. p. 395—97. Summa totius commentationis in fine p. 403—404., ubi breviter doctrina Russorum tractatur. Plenius de s. Augustini sententia de canone Veteris Testamenti idem tractat in commentatione: Свидѣтельства древне православной церкви etc. in Hrist. Čt. 1882, I. p. 58—62. Dagaev, Istorija . . . p. 232—36.

[99]) Воскресное Чтеніе 1861—62 t. XXV. p. 892—903.: „Отцы христіанской церкви IV. вѣка совѣтовали въ церковныхъ собраніяхъ изъ ветхозавѣтныхъ книгъ читать только книги издавна и всѣми признанныя за священныя. Такими книгами Отцы признавали книги еврейской библіи, и называли ихъ каноническими (другія книги, называются неканоническими потому, что они не вездѣ были внесены въ церковные списки священныхъ книгъ), но въ то же время напоминали, что есть и кромѣ этихъ книгъ, хотя не поставленныя въ канонъ (т. е. не всключенныя въ составъ еврейской библіи), но тѣмъ не менѣе полезныя для чтенія даже оглашеннымъ . . . . Въ этомъ классѣ они исчисляютъ книги, составляющія у насъ дополненіе къ еврейскому канону . . . . Въ послѣдствіи времени при большемъ раскрытіи и разъясненіи ученія Церкви объяснено различіе между книгами каноническими и неканоническими. Первыя, къ коимъ причисляются всѣ книги еврейской библіи, приняты Церковію за несомнѣнно боговдохновенныя; прочія же книги ветхозавѣтныя, не имѣя достоинствъ несомнѣнной боговдохновенности, признаются однако полезными и потому употребляются въ Церкви, хотя не могутъ служить основаніемъ вѣроученія въ тѣхъ случаяхъ, если бы кто-нибудь захотѣлъ только на нихъ основывать свое вѣроученіе." Nestor Dagaev, Istorija vet. kanona p. 272.

librorum non canonicorum auctoritate, cum in ecclesia falsi doctores se extulissent haec adnotat: „Patres ecclesiae christianae IV. saeculi in conciliis ecclesiasticis praecipiebant, ut ex libris Veteris Testamenti soli illi libri, qui pridem ab omnibus sacri iudicati erant, legerentur. Tales libros agnoscebant Patres libros Hebraei thesauri scripturae sacrae, quos canonicos nominabant (ceteri libri non canonici appellantur, quia non ubique codicibus librorum sacrorum comprehendebantur), sed simul monebant praeter hos alios esse libros etsi in canonem non receptos (i. e. non comprehensos Hebraico scripturae sacrae corpore), tamen utiles ad legendum etiam catechumenis .... In quem numerum referebant libros qui apud nos canonem Hebraicum supplent ... Tempore procedente cum longius progrederetur et describeretur doctrina ecclesiae, discrimen inter libros canonicos et non canonicos explanatum est. Illos in quibus omnes libri Hebraici thesauri numerantur, haud dubie divinitus inspiratos esse, ecclesia professa est; hos reliquos Veteris Testamenti libros, quos divini spiritus instinctu conscriptos esse non constat ecclesia nihilominus utiles iudicat ob eamque rem adhibet, quamquam in eis fundamenta dogmatum poni non possunt ita, ut iis solis ullum doctrinae sacrae locum quispiam probare queat.

Uno etiam adducto, eoque celeberrimi procuratoris ecclesiasticae academiae, Pauli Sokolov testimoniorum satis erit. Is in pretioso opere „Historia scripturarum Veteris Testamenti in ecclesia Christiana ab incunabulis christianismi usque ad Origenis tempus (hoc addito)“ [100]) postquam quae de sacrorum librorum V. T. origine et auctoritate divina eorumque canone in scriptis patrum apostolicorum et apologetarum iveniuntur, exposuit, haec colligit: „Quae de usu non canonicorum et apocryphorum Veteris Testamenti librorum diximus, demonstrant patres et doctores ecclesiae illius aetatis libros non canonicos in LXX receptos magni fecisse: eorum auctoritatem in dubium vocari non posse existimabant ... Quamquam nonnumquam libros canonicos, quin etiam apocryphos allegabant, tamen eius generis locos in comparatione innumerabilium ex canonicis libris allatorum repperimus. Accedit, quod hi loci

---

[100]) Исторія Ветхозавѣтныхъ Писаній въ Христіанской церкви отъ начала Христіанства до Оригена включительно. Москва 1886. p. 71: Сказанное нами употребленіе неканоническихъ и апокрифическихъ книгъ Ветхаго Завѣта само собою показываетъ, что отцы и учители церкви разсматриваемаго времени относились къ неканоническимъ книгамъ перевода LXX съ особеннымъ уваженіемъ; они усматривали въ нихъ такія книги, авторитетность которыхъ несомнѣнна.... Правда, они цитовали иногда неканоническія и даже апокриф скія книги, но такихъ цитатъ, при цѣлыхъ сотняхъ изъ каноническ хъ книгъ, мы нашли весьма немного. Притомъ, всѣ эти цитаты приводятся отцами церкви не для обоснованія догматическихъ истинъ, а исключительно для цѣлей нравственныхъ, (каковы напр., увѣщаніе къ покаянію, удаленію отъ грѣшниковъ и проч. у Климента), приводятся не въ формѣ свидѣтельствъ, подтверждающихъ истинность сказаннаго, но какъ продолженіе собственной рѣчи. Но такое пользованіе неканоническими книгами на ряду съ каноническими, безъ сомнѣнія, нѣсколько не говоритъ о смѣшеніи послѣднихъ съ первыми, потому что нравственная назидательность тѣхъ или другихъ книгъ далеко не то, что ихъ безусловная истинность.“

a patribus ecclesiasticis allegati numquam ad confirmanda dogmata, sed tantum morum gratia adhibentur (e. gr. ad commonefaciendum poenitentiae agendae, removendum a peccatoribus etc. apud Clementem), non ut testimonia, quibus vera esse exposita confirmetur, sed ut pars propriae (sc. scriptoris) expositioni adiuncta. Talis usus librorum non canonicorum una cum canonicis certe nequaquam testatur promiscuos habitos esse hos et illos quia librorum vis ad mores formandos sanctitatemque alendam idem non est atque eorum absoluta veritas."

Alii de librorum non canonicorum auctoritate Russorum theologi eadem sentiunt aut non repugnant [101]).

Slavorum Meridionalium catholicorum liturgicae linguae.
(Ad quaestionem de unitate liturgiae.)

VIII.

Fontes historicos liturgiae Glagolito-Romanae inde a XIII. saeculo nobis in syllogen redigentibus complurâ nova vel hucusque non pro merito curata, occurrerunt. Quae linguae slavicae in S. Liturgia Romana inde a XIII. saeculo et quo iure viguerint, clarandum nobis proposuimus, illa de causa praecipue, quod haec quaestio prorsus hucusque neglecta est; dum res pro anteriore aetate iam alio loco incepta porro tractatur [1]).

I. *Linguae apud Slavos Meridionales inde a XIII. saeculo in sacris adhibitae.*

1. Lingua Slovenica, quae et palaeoslavica a SS. Cyrillo et Methodio in S. Liturgiam inducta, origine tenus erat dialectus vulgaris Macedonica (Thessalonicensis?) vel Pannonica, [2]) quae brevi post in usu communi esse desiit, et inter linguas emortuas cessit.

2. Lingua Slavonica vel Glagolito-croatica, ab extraneis lingua Dalmatica Hieronymiana, Illyricum litterale etiam appellata, in S. Liturgiam Romani Ritus recepta in Slavonia, vel Illyrico occidentali, ab illis Slavicis populis, qui hodiedum Sloveni, Croatae Serbique dicuntur, dialectus vulgaris Illyrici Occidentalis erat. Haec lingua Slavonica erga linguam palaeoslavicam ita se fere habet, sicuti lingua Latina vulgaris in Missale Romanum recepta erga linguam classicam latinam; non sub respectu grammatico tantum sed etiam sub

[101]) Cfr. Dagaev, Исторія канона ветхз. p. 224 et aliis locis; Jungerov, Общес. и. к. введеніе p. 217; Vigouroux-Voroncov, Руководство къ чтенію и изученію Библіи. Москва. I. 1899. p. 41—53. Ad hoc: Bogoslovski Glasnik, Karlovicii III. 1903 p. 308—314 recens. a dre J. Čupič, etiam Slavorum lit. theol. I. p. 96; A. P. Lopuhin, Толковая Библія. I. Пятокнижіе Мойсеево. СПб. 1904. p. V. et seq.

[1]) Cfr. La liturgia Glagolito-Romana nella sua origine e nel suo svolgimento storico-giuridico, in ephemeride Romana „La Rassegna Giuridica Ecclesiastica Anno II (1904), p. 657 ss., 792 ss.; Anno III (1905) p. 449 ss.

[2]) Nota est controversia inter Slavistas hac in materia pendens; Miklošićiana enim schola palaeoslavicam linguam dialectum Pannonicam, Jagićiana vero dialectum Macedonicam, propius vero Thessalonicensem, tenet.

respectu historico. Quum enim lingua palaeoslavica ab usu vulgari pariter ac lingua Latina vetus remota esset, lingua Slavonica, pari modo ac vulgaris Latina in Missale Romanum recepta, postquam lingua palaeoslavica extincta est, aliquot saecula vulgo apud Croatas Istriam Dalmatiamque incolentes viguit. Hi enim hanc suam linguam vulgarem usque ad XII. saeculum „Slavonicam" tantum dixerunt; [3]) inde vero a XIII. saeculo „Slavonicam" promiscue et „Croaticam", sed XVI. saeculo exclusive „Croaticam". Lingua vero „Slavonica" vel „Croatica vulgaris" in S. Liturgiam Ritus Romani recepta a philologis „Glagolito-croatica" vel „redactio Croatica" illa de causa appellatur, quia characteribus Glagoliticis, qui et Hieronymiani dicuntur, libri sacri eiusdem descripti sunt; et liturgia Slavica Romana etiam nomine „Liturgia Glagolito-Romana" venit.[4])

Quum enim apud Croatas, praecipue Istriam et Dalmatiam incolentes, usque ad XV. exclusive et inde a XVI. ad XVIII. sporadice, usus characterum glagoliticorum non tantum in ecclesiasticis sed etiam in civilibus negotiis vigeret, linguae Glagolito-croaticae usus vulgaris in viridi observantia etiam XVII. saeculo certe fuit; [5]) qui pedetentim deinde intermissus est: illam praecipue ob causam, quod anno 1648 libri liturgici Glagolito-Romani Russorum consuetudinem loquendi imitati sunt, [6]) et consequenter lingua Glagolito-croatica ab usu communi re-

---

[3]) Croatae usque ad XII saeculum linguam suam vulgarem vel litterariam nunquam „croaticam" sed „slavonicam" tantum appellant; ita in diplomate Crescimiri Croatiae Dalmatiaeque regis 1069: „vulgaris sclavonica" (Monumenta Slavorum Merid. VII, 73); et in diplomate Colomani Hungariae Croatiaeque regis 1111: „sclavonice" (Smičiklas, Codex Diplomaticus XII s. 22 et pluries, uti in Indice Alphabetico p. 476 sub v. „Sclavonica ligua (idem quod Croatica)".

[4]) Cfr. Jelić, L' istituto croato a Roma, Zara 1902, 12 ss. — Venetae vero eandem linguam liturgicam Glagolito-croaticam „lingua Schiavona", „sermo Dalmatus", „sermo Dalmatus secundum Divi Hieronymi Ritum atque institutionem", „rito Dalmato", appellabant; cfr. Jelič, F(ontes) h(istorici) L(iturgiae) G(lagolito)-R(omanae) XIV s. 8; XV s. 123; XVI s. 11, 25, 30, 32, 43, p. 4 ss. (Nota, nos opus hoc brevitatis causa notis „F. h. L. G.-R." infra citaturos esse.) Ita etiam Cardinalis Hosius Legatus Apostolicus ac Praeses S. Concilii Tridentini: „Dalmatarum lingua", „Dalmatica lingua sacros libros Hieronymum vertisse constet"; F. h L. G. R. XVI s. N. 110 p. 24. Postea vero lingua glagolito-croatica ab extraneis Illyrica litteralis communiter dicta est.

[5]) Cfr Liturgistam episcopum Traguriensem medio XVII s., et Ioannem a Foča Bosnensem anno 1658, hoc asserentes (F. h. L. G.-R. XVII s. N. 134 p 38; N. 163 p. 47).

[6]) Quum Urbanus papa VIII. unioni Orientalis Ecclesiae consuleret, novam editionem librorum liturgicorum glagoliticorum cura Raphaelis Levaković M. O., ad captum vulgarem etiam Septentrionalium Slavorum accommodari iussit; ex tunc lingua liturgica Glagolito-croatica mixtura quaedam Croato-russica facta est; cfr. Šurmin, Povjest književnosti hrvatske i srpske, Zagreb p. 60 s. Sed iussu Pii papae IX, Leonis papae XIII., et Pii papae X., in novissimis duabus editionibus „Missalis Romani Slavonico idiomate", 1893 et 1905 (cfr. F. h. L. G.-R. XIX s. N. 108 p. 91; N. 115 p. 102) textus purgatus Croato-glagoliticus XIV et XV saeculi russismis demptis, elimatus est.

mota est, et inter linguas mortuas sub nomine „linguae palaeocroaticae“ (starohrvatski jezik) recensetur.

3. Lingua Dalmatica vel Illyrica vulgaris origine tenus idem ac lingua Slavonica, sed characteribus potius Latinis conscripta formasque euphonicas dialecti „ikaviensis“ Istro-dalmaticae affectans. Haec enim inde a medio XIV. saeculo vulgo aeque ac Slavonica lingua vigens etiam in litteris characteribus Latinis Gothicis usurpari coepit et typographica arte deinde per Illyricum Occidentale, simul cum lingua Slavonica existens, in civili commercio potius invaluit. Cum autem lingua Slavonica inde ab anno 1648 in usu communi esse desiisset, lingua Dalmatica vel vulgaris Illyrica eiusdem locum obtinuit, in litteris profanis praevalens, donec XIX. saeculo a lingua litteraria Serbo-croatica recentissima loco suo in litteris depulsa, in libris tantum liturgicis ecclesiasticisve et in usu vulgari Istriae, Dalmatiae ac Bosniae viget.

4. Lingua litteraria Serbo-croatica vel idioma Slavicum meridionale, dialectus vulgaris Hercegoviensis „ijekavština“, XIX saeculo ad honorem litterarium, Dalmatica vulgari lingua dialecti „ikavština“ posthabita, elevata, in vita civili et commercio vulgari fere ubique apud Serbos et Croatas nunc praevalet.

5. Claritatis causa relationes harum linguarum ad invicem ob oculos proponuntur hoc schemate:

Lingua Slavorum primitiva communis

L. Slovenica palaeoslavica (dialectus Macedonica vel Pannonica)	L. Slavonica vel glagolito-croatica (dalmatica Hieronymiana, Illyricum litterale)
L. Dalmatica vel Illyrica vulgaris „ikavensis“ (Illyrica vulgaris; lingua vulgaris Istriae, Dalmatiae et Bosniae).	L. litteraria Serbo-croatica, idioma Slavicum meridionale „ijekaviense“ huius temporis lingua vulgaris Dalmatiae meridionalis ac Hercegovinae).

II. *Liturgiae Glagolito-Romanae specifice lingua Glagolito-croatica et vulgaris Dalmatica »ikaviensis« propriae sunt.*

6. Ex concessione Hadriani papae II. (869) et confirmatione Ioannis papae VIII. (880) ab Apostolis Slavicis ss. Cyrillo et Methodio lingua „Slovenica“ in sacram liturgiam inducta est. Haec enim quia posteriore aetate obsolevit a philologis „palaeoslavica“ vel „veteroslovenica“ appellatur; et nunc iam inter linguas mortuas est.

Inter philologos adhuc disputatur, utrum palaeoslavica lingua dialectus Macedonica (Thessalonicensis) an potius Pannonica fuerit; sed certum est eam linguam vulgarem fuisse, quam apprime etiam Slavi Illyrici Occidentalis vel Slavoniae, qui Sloveni Croatae Serbique nunc dicuntur, vulgariter intelligebant.

7. Ab aetate Cyrillo-methodiana apud Slavos orientales liturgia Graecoslavica, apud Slavos catholicos Illyrici occidentalis liturgia Sla-

vonica iuxta Romanum Ritum, quae vulgo Liturgia Glagolito-Romana appellatur, passim invaluit. Dum in liturgia Graecoslavica palaeoslavica lingua cum cyrillianis characteribus viget, in Illyrico occidentali lingua Croatica vulgaris iuxta Romanum Ritum characteribus vero peculiaribus glagoliticis, uberius evoluta est.

Codices manuscripti Liturgiae Glagolito-Romanae et antiquiores libri typis impressi ante annum 1648, non lingua palaeoslavica dialecti Macedonicae vel Pannonicae, sed potius „Slavonica", quae tunc vulgaris Glagolito-croatica vocabatur, conscripti sunt; unde apud philologos redactio haec librorum sacrorum nomen „Glagolito-croatica" habet; ita ut ipsum Missale Glagolito-Romanum, non aliter ac „Missale Croaticum" denominaretur. In fronte enim eiusdem Missalis anno 1531 ab episcopo Segnensi Simeone Kozičić de Begna typis editi sic legitur:

Misal hrvacki
po običaju rimskoga dvora
idest:
Missale Croaticum
secundum consuetudinem Curiae Romanae [7]).

Reapse XIV. s. in universo Illyrico Occidentali Liturgiam Glagolito-Romanam communiter in usu fuisse, testis est aequalis chronographus Pulkava († 1380): „papa — in perpetuum statuit, quod in lingua Slowanica possint misse et alia divina officia celebrari. Et sic per archiepiscopatus et provincias Spalatensem, Ragusiensem et Iadriensem et apud omnes suffraganeos eorum et multos alios episcopatus tam per presules quam per sacerdotes misse et alia divina usque hodie in slavonico celebrantur" [8]).

Hanc vero linguam Slavonicam liturgicam Glagolito-croaticam Slavoniae vel Illyrici Occidentalis linguam vulgarem, at non palaeoslavicam Macedonicam vel Pannonicam, tunc iam extinctam, ex praeclaro testimonio pontificio eiusdem temporis, fuisse patet.

Epistola enim Clementis papae VI. anno 1346 ad Arnestum, Pragensem archiepiscopum data, explicite declarat, linguam glagolito-croaticam in s. liturgia vigentem inter catholicos Illyrici Occidentalis vel Slavoniae illo tempore fuisse linguam vulgarem:

„Significavit nobis — Karolus Marchio Moraviae, quod in Slavonia et nonnullis partibus de Slavonica lingua existentibus misse et alie hore canonice ad laudem Christi in eorum vulgari de licentia et ex indulto Sedis Apostolicae leguntur, et etiam decantantur" [9]). Haec lingua vulgaris in Slavonia anno 1346 vigens in sacris, a Pontifice Innocentio IV. epistola anno 1248 ad Philippum Segnensem episcopum data, cum lingua Croatico-glagolitica vel Hieronymiana identificatur: „in Slavonia est littera specialis, quam illius terre clerici se habere a beato Hieronymo asserentes, eam observant in divinis

[7]) Cfr. Ljubić, Ogledalo književne poviesti jugoslavjanske I. Rieka 1864, p. 38; Šurmin, Povjest . . . p. 59.
[8]) Cfr. F. h. L. G.-R.: XIV s. N. 29 p. 12 s.
[9]) Cfr. F. h. L. G.-R. XIV s. N. 5 p. 4.

officiis celebrandis" [10]; et passim adhuc XVII. s. viguit, prout ex testimonio liturgistae Pacis Iordani episcopi Traguriensis et Ioannis a Foča M. O., iam citato, patet [11].

8. Sed iam ante exitum XIV. saeculi in S. Liturgiam Romanam apud Dalmatas, lingua Dalmatica vulgaris dialectus „ikaviensis" introducta est. Quum enim apud Croatas characteres glagolitici usque ad XVI. saeculum etiam in civili commercio exclusive adhiberentur, sacerdotes extranei Latina lingua sacra persolventes et characterum glagoljticorum ignari, libros Glagolito-croaticos liturgicos characteribus Latinis, formisque grammaticis secundum dialectum Dalmaticam „ikaviensem" accommodatis descripserunt; et ita linguae Glagolito-croaticae etiam Dalmaticam „ikaviensem" comparem adiunxerunt.

Haec consuetudo ab anno 1350 c. inducta per Franciscanos M. O. in Dalmatia meridionali et Bosnia, XV.^{0} saeculo procedente ab aliis Franciscanis Dalmatis accepta est, ut ex codicibus liturgicis comprobatur [12]. Quum vero eadem aetate, Dalmatia et Istria maritima sub Venetico dominio constitutis, Latini praesules et sacerdotes plerumque ex Italia peregre profecti characteresque glagoliticos ignorantes constituti essent, ut desiderio pietatique populi Liturgiae Glagolito-Romanae hucusque assuefacti satisfacerent, in missa Latina sollemni vel cantata partes cantatas, praecipue Evangelium et Epistolam, lingua Dalmatica vulgari „ikaviensi" secundum consuetudinem a Franciscanis M. O. iam receptam, iuxta Evangeliarium Dalmaticum vulgare decantabant. Typographica vero arte introducta, plurimae editiones eiusdem Evangeliarii Dalmatici vulgaris, ab iisdem Italis „Schiavetto" nominati, prodierunt.

Editio princeps Bernardini Spalatensis M. O. 1495 Venetiis excusa sic inscribitur: „Vulgarizatio Dalmatica Epistolarum et Evangeliorum atque Prephacionum et Benedictionum continentium in Missali. — Evangelia et Epistolae cum Praephationibus et Benedictionibus per anni circulum in lingua Illyrica feliciter expliciunt: emendata et diligenter correcta per fratrem Bernardium Spalatensem. Impressum Venetiis per Damianum Mediolanensem. Anno MCCCCXCV, die XII Martii" [13]. Plures quam viginti editiones successerunt [14], inter quas etiam Romana Bartholomaei Cassii Soc. Iesu anno 1641 [15] facta, ut putatur iussu pontificio a S. Congregatione Propagandae Fidei, nam anno 1640 ab eadem S. Congregatione et Rituale vulgare Dalmaticum iussu Urbani papae VIII. a B. Cassio curatum, editum est [16].

---

[10]) L. c. XIII s. N. 3, p. 9.
[11]) L. c. XVII s. N. 134 p. 38; N. 163 p. 47.
[12]) Lectionarium Badiense a Franciscanis M. O, qui ex Bosnia 1394 in conventum Badiensem Corcyrae Nigrae, nunc Ragusiensis dioeceseos, emigrarunt, characteribus Latinis Gothicis conscriptum: F. h. L. G.-R. XV s. N. 133 p. 31. — Evangeliarium vulgo „Croaticum" a. 1450 c. a Franciscanis M. O. Iadrae Latinis characteribus Gothicis pariter conscriptum; l. c. XV s. N. 35 p. 11.
[13]) F. h. L. G.-R. XV s., N. 123 p. 29.
[14]) Cfr. l. c. Index Analyticus p. XXXIX.
[15]) l. c. XVII s. N. 116 b. p. 80.
[16]) Cfr. l. c. N. 109 p. 32 et 82.

Lectionarium vel Evangeliarium Dalmaticum partes missae cantatas (demptis Secretis et quae a solo sacerdote sollemniter celebrante recitantur), nec non omnia Benedictionalia in Missali Romano contenta et Ritualia extra Administrationem sacramentorum adhibenda continet.

Ex hoc patet, Lectionarium vel Evangeliarium Dalmaticum nihil aliud esse nisi excerpta ex Missali Glagolitico-Romano, characteribus Latinis transcripta ad usum sacerdotum Latina lingua sollemniter celebrantium, inductum ab extraneis sacerdotibus, praecipue Italicis, qui, ut se consuetudini communi Illyrici Occidentalis accommodarent, missam Latinam sollemniter celebrantes, partes cantatas etiam Dalmatica vulgari lingua decantabant. Primum factum est hoc in civitatibus maritimis Istriae et Dalmatiae inde a medio XIV.^{0} saeculo: sed posterioribus saeculis praecipue ab anno 1648 [7]), eadem consuetudo etiam in parochiis foraneis, a glagolitis officiatis, passim invaluit.

9. Quum autem nec sacerdotes Liturgia Glagolito-Romana celebrantes, ad administrationem Sacramentorum Ritualis Glagolitici „Trebnik“ copiam sufficientem haberent (nam typis editum non est), et sacerdotes Latini characterum glagoliticorum inscii Rituali Slavico characteribus Latinis exscripti indigerent, Urbanus papa VIII. anno 1640 B. Cassio S. I., Poenitentiario Apostolico S. Petri in Vaticano, mandavit, ut Rituale Romanum in linguam Dalmaticam vulgarem („communiori dialecto“) converteret et idem Rituale Dalmaticum Vulgare typis S. Congregationis Propagandae Fidei edi Motu Proprio („Te praecipiente“ in dedicatione) iussit et ut sibi dedicaretur concessit [18]).

10. Quod Rituale Dalmaticum Vulgare aliquoties a loci Ordinariis editum, anno tandem 1893 Leone XIII. iubente a S. Congregatione Propagandae Fidei denuo editum est, idque lingua Serbo-croatica vulgari recentissima, quod idioma „litterarium Slavicum meridionale“ appellatur [19]).

11. Lingua Dalmatica vulgari ex consuetudine in partibus cantatis missae Latinae sollemnis iam a medio saeculo XIV. in liturgiam se insinuante et deinde ex indulto Urbani anno 1648 in Rituale Romanum inducta, sponte factum est, ut lingua eadem vulgaris, etiam in aliis ritibus liturgicis, praecipue in illis, qui a choro populari decantantur, sensim in locum obsoletae ab anno 1648 propter librorum liturgicorum inopiam linguae glagolito-croaticae introduceretur; quod quum ex plurimis fontibus historicis eruitur, tum ex rescripto S. Congregationis Officii ad episcopum Polensem anno 1744 dato liquet [20]).

---

[17]) Ex quo anno nempe ob russificationem librorum liturgicorum glagoliticorum (cfr. supra § 2, nota 6.) lingua vulgaris glagolitico-croatica exolevit

[18]) F. h. L. G.-R., XVII s. N. 109 p. 32 et 82.

[19]) Cf. l. c. Index Analyticus p. XXIX., In Approbatione editionis anni 1893 p. III. sic testatur: „Manuscriptum Ritualis Romani Slavonico-meridionali idiomate, quod hucusque bis typis vulgatum est, scilicet Romae anno 1640 (Typ. de Propaganda Fide)“ etc. . . .

[20]) F. h. L. G.-R., XVIII s. N. 61 p. 28 s.

III. *In S. Liturgia Romana usus linguae Glagolitico-croaticae vulgaris Croaticae, tam Dalmaticae »ikaviensis« quam Serbo-croaticae litterariae recentissimae a S. Romana Ecclesia specialiter confirmatus existit.*

12. Concessio privilegialis usus linguae Slavicae in S. Liturgia ab Hadriano papa II. (869) in genere et a Ioanne papa VIII. (880) confirmata, compluribus S. Romanae Ecclesiae de lingua Glagolitico-croatica vulgari et de lingua Croatica vulgari „ikaviensi" in specie sancita indultoque vero recentissimo ad idioma litterarium Serbo-croaticum extensa est.

13. Imprimis enim a SS. Concilio Lateranensi IV. Generali XII. anno 1215 celebrato, ius liturgicum particulare Glagolito-Romanum, ceteris iuribus liturgicis particularibus tunc vigentibus, Latino Graecoque, lege generali ex toto aequatum est [21]). Quam sanctionem generalem speciales secutae sunt.

Nam Innocentius papa IV. rescripto, anno 1248 ad Philippum Segnensem episcopum et anno 1252 ad Fructuosum Veglensem episcopum dato, ius privilegiale consuetudinarium, ex primaeva concessione Hadriani II. Ioannisque VIII. confirmatione manans, sollemniter recognovit ratumque fecit pro lingua tunc vulgari Glagolito-croatica [22]); eodem modo ac Clemens VI. implicite iam citato rescripto anni 1346 fecerat.

14. Hae enim tres pontificiae confirmationes usum linguae glagolito-croaticae tunc vulgaris, sed XVII. saeculo obsoletae respiciunt. Diximus, statim post postremam pontificiam confirmationem, a sacerdotibus Latinis linguam Dalmaticam vulgarem „ikaviensem" in partibus cantatis missae Latinae sollemnis, praecipue in Evangelio et Epistola introductam esse (supra § 8.), ita ut apud Glagolitas Croatas lingua Glagolito-croatica vigente, ab anno 1350 c. apud sacerdotes Latine celebrantes, lingua vulgaris Dalmatica ex parte invaluerit.

De hoc duplici usu linguae Slavicae in S. Romana Liturgia in SS. Concilio Tridentino, quum quaestio de usu linguae vulgaris in sacris tractaretur, actum est, episcopis Dalmaticis et Istrianis rem exponentibus, praeeunte vero Jadrensi archiepiscopo Mutio Callino [23]). In specie Cardinalis Hosius Legatus Apostolicus et S. Concilii praeses votum de introducenda etiam apud Polonos in sacris lingua glagolito-croatica („Dalmatica lingua Hieronymiana") potius quam Polonica vulgari deprompsit [24]); archiepiscopus vero Jadrensis Mutius Callinus de usu linguae Dalmaticae vulgaris in missa Latina sollemni rettulit [25]). Quamobrem Sacrosancta Synodus, de his certior facta, non tantum usum

---

[21]) Canon IX in Decretal. Gregorii IX., Lib. I. Tit. 31, cap. 14 receptus; F. h. L. G.-R. XIII s. N. 1, p. 5.

[22]) Cfr. F. h. L. G.-R. XIII s. N. 3, N. 5 p. 9; et sententiam canonistae N. Nilles S. I. „Innocenz IV. und die glagolitisch-slavische Liturgie" Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck 1899, XXIV Bd. 66 ss

[23]) Cfr. F. h L. G.-R. XVI s. N. 111—113, p. 24 ss.

[24]) F. h. L. G.-R. XVI s. N. 110 p. 24.

[25]) L. c. XVI s. N. 112 et 113, p. 27.

earundem linguarum non reprobavit sed implicite approbavit, cum ratione stabili firmaque usum linguae vulgaris iam introductum in S. Liturgiam Canone VIII. Doctrinae de Sacrificio missae confirmaret: „retento ubique cuiusque ecclesiae antiquo, et a S. Romana Ecclesia probato ritu“ [26]), et in specie usum linguae Dalmaticae vulgaris Evangelium et Epistolam decantandi intra missam Latinam sollemnem [27]).

15. Cui sollemni confirmationi Tridentinae accessit S. Pii V. decretum, qui libros liturgicos glagolito-croaticos et Dalmaticos vulgares a codificatione Iuris Latini Occidentalis reformati exemptos provinciae Iuris Liturgici Orientalium Ecclesiarum adscripsit [28]); quod etiam ex constitutione Benedicti papae XIV. „Ex pastorali munere“ anno 1754 data [29]), et ex usu sequentium saeculorum Curiae Romanae [30]), et ex sententia probatorum scriptorum patet [31]).

16. Usus linguae vulgaris Dalmaticae in missa Latina sollemni confirmatione Tridentina anni 1562 „speciosum privilegium“ nationale factus, a S. Congregatione Inquisitionis sequenti anno 1563 in urbe Jadrensi, ubi interim sublatus fuerat, sollemniter restitutus, in universa Dalmatia et finitima Istria, nec non in ecclesia nationali S. Hieronymi Romae sine intermissione semper viguit.

17. Liturgista Pax Iordanus Traguriensis episcopus de usu Evangeliarii Croatici tam apud Dalmatas in genere, quam in sua dioecesi, anno 1643 [32]) eodem modo atque eius in sede successor Ioannes Paulus Garzoni relatione ad S. Congregationem a. 1675 datâ referunt: hic vero explicite de Evangelio et Epistola vulgari lingua inter missarum maiorum sollemnia in universa dioecesi adhibita testatur [33]).

In dioecesi Jadrensi vero lingua vulgaris Dalmatica inde a Tridentina confirmatione in missa Latina sollemni pontificali et conven-

---

[26]) L. c. XVI s. N. 111, p 26.

[27]) L. c. XVI s. N. 112, et N. 113, p. 27.

[28]) L. c. XVI s. N. 119 p. 29; N. 123, p. 30.

[29]) L. c. XVIII s. N. 80 p. 39 s.

[30]) Omnis materia, quae linguas Slavicas in S. Romana liturgia attinet, provinciae S. Congregationis Propagandae Fidei, quod forum ordinarium est Iuris Liturgici Orientalium Ecclesiarum, semper deputata est: F. h. L. G.-R. XVII s. N. 44—47, 49—58, 60, 61, 64, 65, 70, 72, 73, 83—85, 87, 88, 99—102, 109, 121, 130, 131, 154, 163, 182, 218, 223, 224, 237, 244; XVIII s. N. 63, 72, 78, 83, 119, 120, 127, 118 a a; XIX s 16, 17, 71, 78—80, 91, 92, 107, 108. Recentissima aetate revocata est iuridica materia Liturgiae Glagolito-Romanae ad forum extraordinarium peculiaris coetus S. R. E. Cardinalium, l. c. XIX. N. 109, quod S. Rituum Congregatione mediante sua decreta publicat; semper tamen in provincia S. Congregationis Propagandae Fidei negotiis ordinariis permanentibus l. c. XIX s. N. 107, 108, 115.

[31]) Cfr. Benedicti papae XIV. (Cardinal. Prospero Lambertini) Della S. Messa, ed. Venetiis 1749, Sez. I., C. VI., §. 2, p. 447.; Merati. Novae observationes ad B. Gavanti: Thesaurus sacrorum Rituum, Romae 1738, I. p. 25; Bouix, Tractatus de iure liturgico, Parisiis 1853, Pars I., Cap. I., p. 202.

[32]) Pacis Jordanis Vincentini Elucubrationes diversae; de re Sacra, ed. Venetiis 1693 L. II., T. I, n. 335; cfr. F. h. L. G.-R., XVII s. N. 134 p. 38.

[33]) Cfr. F. h. L. G.-R. XVII s. N. 205 p. 57.

tuali in principalioribus quoque sollemnitatibus, praecipue in Epistola et Evangelio semper in usu fuit: quod patet ex iam citata actione archiepiscopi Mutii Callini in S. Tridentino Concilio a. 1562 et apud Curiam Romanam anno 1563, ex publico testimonio Ordinariatus Jadrensis annorum 1750, 1843, et ex fide anni 1877 archidiaconi Jadrensis C. F. Bianchi[34].

Idem valet de dioecesi Sibenicensi, teste Synodo dioecesana anni 1611[35]; item de dioecesi Spalatensi, cuius duplex synodus dioecesana (1620, 1688) „privilegium" illud celebrat: archiepiscopus Stephanus Cupilli 1711 anno in missa pontificali ab adversariis defendit[36]; ac de dioecesi Makarskensi nunc eidem unita, testante convisitatore episcopi Nicolai Bjanković anno 1710[37].

Ragusiensis dioecesis peculiari modo de consuetudine usus linguae vulgaris in missa Latina cantata et sollemni, praecipue in Evangelio Epistolaque canenda gloriatur ad concessionem primam Ioannis papae VIII., ad confirmationes Innocentii papae IV., SS. Concilii Tridentini et Benedicti papae XIII. provocans. Synodus enim dioecesana anno 1763 celebrata Capite III. haec statuit: „Et cum a multis saeculis receptum sit, Ioannis VIII. P. M. decreto concessum, et ab Innocentio IV. confirmatum, ut apud Illyricos populos divina officia lingua eorum vulgari celebrari possint, iubemus omnibus diebus Dominicis, et Festis de praecepto in omnibus Ecclesiis Parochialibus post lectionem Epistolae, et Evangelii Latinam, eadem lingua Illyrica, clara elataque voce a Parocho perlegi: Quod Romae etiam in Urbe media, in Collegiata S. Hieronymi Illyricorum S. M. Benedictus XIII. de anno 1725 statuit faciendum. Ita enim fore speramus, ut et rudis populus ad Sacra mirifice alliciatur, nec maximis emolumentis ex divinorum Oraculorum auditione provenientibus, per nostram negligentiam fraudetur; et Pastores ipsi munitam habeant viam, et aptiorem occasionem, quae lecta fuerint ad plebis aedificationem explicandi"[38]. Idem tradit historiographus sacer Ragusinus Fr. Cerva anno 1724 ad Tridentinam confirmationem provocans[39]; item Daniel Farlati S. I. anno 1800[40].

Eadem consuetudo linguae Dalmaticae vulgaris in missa sollemni et cantata Latina tam in paroeciis quam in cathedrali in universa dioecesi Pharensi vetustissima est, praecipue cantus Epistolae et Evangelii in prima missa sollemni Nativitatis Domini et in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum in cathedrali et in omnibus missis parochialibus.

---

34) Cfr. F. h. L. G.-R., XVI s. N. 112, 113, 115, p. 26 ss.; XVIII s. N. 70 a p. 72; XIX s. N. 52 p. 45; N. 82 p. 69.
35) L. c. XVII s. N. 23 p. 9.
36) L. c. XVII s. N. 225 p. 63; XVIII s. N. 17 b p. 73.
37) L. c. XVIII s. N. 17 a p. 73.
38) Acta authentica Synodi dioecesanae Ragusiensis anni 1763. Mss. Bibliothecae Conventus S. Francisci M. O. Ragusii N. 934, Cap. III., De verbi Dei praedicatione.
39) F. h. L. G.-R. XVIII s. N. 62 p. 30.
40) Illyrici Sacri T. VI. p. 29; F. h. L. G.-R. XVIII s. N. 125 p. 70.

Idem etiam in Istria de eadem consuetudine linguae vulgaris in missa Latina sollemni vel cantata dicendum est, sicuti ex actis Synodi Dioecesanae Aemoniensis anno 1780 celebratae et ex relatione Caroli Camutii Iustinopolitani episcopi ad S. Congregationem Concilii anno 1765 data, patet [41]).

18. Quum inde a XV. saeculo usus canendi in missa Latina sollemni Evangelium et Epistolam lingua vulgari Dalmatica in ecclesia nationali S. Hieronymi Slavorum Romae invaluisset, S. Sixtus papa V., constituto anno 1589 apud eandem ecclesiam Capitulo Collegiato, privilegium nationale praefatum in missa conventuali ac sollemni Latina confirmavit; quod „speciosum privilegium“ anno 1725 a Benedicto papa XIII. peculiari statuto recognitum, semper in viridi observantia, a liturgista Merati et cardinali Dominico Bartolinio, S. Rituum Congregationis olim Praefecto, a Synodo dioecesana Ragusiensi anni 1763 necnon a Capitulo Collegiato eiusdem ecclesiae S. Hieronymi, iure merito celebratur [42]).

19. Peculiaris cura S. Sedis Romanae semper fuit Liturgiam Glagolito-Romanam atque usum linguae Dalmaticae vulgaris in Latina liturgia conservandi et augendi; quod revera praesenti tempestate albo lapillo notandum est, ut novatorum quorumdam Slavicorum contra studia Curiae Romanae consuetudinem Latinam Slavis dandi declamationes retundantur.

Quum enim Segnensis episcopus anno 1654 novationes quasdam Liturgiae Glagolito-Romanae iniquas et adversas introduceret, a S. Congregatione Propagandae Fidei severe reprehensus est [43]); idem episcopo Absorensi anno 1805 accidit [44]). Anno vero 1887 usus liturgiae Glagolito-Romanae in provincia Antibarensi, ubi olim iam exoleverat, a S. Sede benigne sollemniter restitutus est [45]); et rescripto pontificio anni 1900 ab adversariorum persecutione in tuto positus est [46]).

Missalis Glagolito-croatici duabus editionibus (1893 et 1905) Summi Pontifices Leo XIII feliciterque regnans Pius papa X, re ostenderunt, se Liturgiam Glagolito-Romanam stabilem apud Slavos Meridionales, ab adversariis internis externisque ex causis politicis acriter impugnatam, incolumem tuere velle.

Idem de specioso privilegio usus linguae Dalmaticae vulgaris in S. Liturgia Romana dicendum est. Praeter relatas iam confirmationes post SS. Concilium Tridentinum factas a S. Sixto V. et Benedicto XIII,

---

[41]) F. h. L. G.-R. XVIII s. N. 88 p. 44; N. 107 p 52.

[42]) Cfr. Jelić, L' istituto croato a Roma. Zara 1902, p. 30 s.; F. h. L. G.-R., XVIII s. N. 99 p. 48; Bartolini, Memorie storico-archeologiche dei SS. Cirillo e Metodio, Roma Tip. Vaticana 1881, p. 160; F h. L. G.-R. XIX s. N. 315, p. 142. De confirmationis statuto Benedicti XIII. cfr. acta Synodi dioecesanae Ragusiensis supra iam §. 17 relata; Merati, Novae observationes ad B. Gavanti: Thesaurus Sacrorum Rituum, Romae 1738, I. p. 25, cfr. F. h. L. G.-R. XVIII s. N. 52, p. 21.

[43]) F. h. L. G.-R. XVII s. N. 154, p. 42.

[44]) L. c. XIX s. N. 16, p. 27.

[45]) L. c. XIX s. N. 99, p. 84.

[46]) L. c. XIX s. N. 109 A p. 94.

alias duas adhuc commemorare libet. Confirmationes dico S. Congregationis Propagandae Fidei et Concilii episcopo Iustinopolitano anno 1765 c. de recognito usu Evangeliarii vulgaris „Schiavetto“[47]; et S. Congregationis Officii anni 1744, qua decretum episcopi Polensis et Veneticae Inquisitionis de tollendo usu linguae Slavicae vulgaris in ritu funebri peragendo, abolitum est[48].

Speciosissimum pariter privilegium usus linguae vulgaris Dalmaticae in Rituali Romano sacerdotibus glagolitice pariter ac latine sacra patrantibus Motu Proprio ab Urbano papa VIII anno 1640 concessum[49], benignissimo pariter Motu Proprio Leonis papae XIII etiam ad linguam Serbo-croaticam litterariam huius temporis anno 1893 extensum est[50].

20. Quum Litteris Decretalibus die 5. Augusti 1898, de usu linguae Slavicae in S. Liturgia ad Ordinarios Slavorum Meridionalium datis[51], S. Sedes canonem IX. S. Concilii Lateranensis IV. Tridentinamque confirmationem non abrogavisset, et ne unam quidem ex tot superius relatis concessionibus et recognitionibus Summorum Pontificum revocavisset, dicendum est nullum ius novum in materia usus linguarum Slavicarum in S. Liturgia Romana iisdem Litteris Decretalibus inductum esse; ius ergo antiquum, inde a XIII.⁰ saeculo pluries sollemniter recognitum auctumque, necnon consuetudine tot saeculorum firmatum, non innovatum, hodiedum viget. Dr. *L. Jelić.*

MISCELLANEA.

Κωνστ. Ι. Λυοβουνιώτης, Η ΜΕΣΗ ΚΑΤΑΣΤΑΣΙΣ ΤΩΝ ΨΥΧΩΝ. Athenis (typogr. *Σ. Βλάστου*) 1904, 116 pag.

Omnibus profectus doctrinae theologicae in ecclesia orientali cupidis gratissimum certe est, quod etiam Graeci theologi ad subtiliores quaestiones dogmaticas peculiaribus libris tractandas aggrediuntur. Hic scriptor, cuius libri censuram facere in animo est, bene meminit suum non esse totius rei fontem aperire, sed quaestionem movere (p. 20). In hoc proposito exsequendo certissime laude dignus est, quamquam res ab eo exposita ipsa ad magna desideria notanda nos provocavit. Sed age sententias eius ex ordine exponamus.

I⁰ capite (p. 21—27) scripturam sacram duo status animarum post mortem discernere docet: ante resurrectionem et post resurrectionem. Qui differunt *a)* in eo, quod ante resurrectionem anima privata est suo corpore; desiderium illud, ut supervestiantur (2 Cor 5, 4), quod iam hic fideles habent post mortem cessare non potest: ante resurrectionem mors non est plene superata (Apc 20, 14) *b)* in eo, quod perfecta beatitudo demum post resurrectionem conceditur; corona iustitiae s. Paulo redditur post resurrectionem, non statim post

---

[47]) F. h. L. G.-R. XVIII s. N. 88, p. 44.
[48]) L. c. XVIII s. N. 61, p. 28 s.
[49]) L. c. XVII s. N. 109 p. 22 et 82.
[50]) L. c. XIX s. N. 107 p. 90.
[51]) L. c. XIX s. N. 109 p. 91 ss.

mortem (2 Tim 4, 8); ex 1 Thess 4, 17 discrimen hoc beatitudinis manifestum est; nam ante resurrectionem animae non sunt sine intermissione apud Christum (*εἰς ἀπάντησιν, πάντοτε*); beatitudo earum minuitur etiam propter relationem ad homines in statu viae positos (Lc 16, 13 [sic; = 23?]); neque poenae damnatorum ante resurrectionem (*ὀδυνῶμαι* Lc 16, 24) eaedem sunt ac postea; *c)* in eo, quod post resurrectionem erit novum caelum et nova terra.

Hinc sequitur post mortem statim fieri particulare quoddam iudicium (*μερική τις κρίσις*), quo relativa (*σχετική*) beatitudo vel miseria animae defuncti decernitur. In secundo vero Christi adventu iudicium ultimum, terminale (*ἡ τελικὴ κρίσις*) fiet, quod inutile esset, si prius aeternum (*τελική*), et praemium vel poena eo constituta plena esset (p. 24).

Quibus expositis occurritur iis, quae opponi solent: Hebr 9, 27; 12, 23; Phil 1, 23; 1 Cor 5, 10; Rom 6, 7. — Nec 2 Cor 5, 6—8 (cf. p. 66) adversarios iuvat, quia — aliis omissis — etiam in paradiso inferni (*τοῦ Ἅιδου*), animae Christo coniunctae esse possunt, sicut iam in terra sunt. Difficultatem omnem inde oriri existimat, quod apostoli et primi christiani (cf. Atzberger, 98 ff.) Christum brevi rediturum esse sperantes statum interiacentem negligebant.

Testimonia traditionis afferuntur ex Iustino (Dial. c. Tryph. p. 307), Irenaeo (C. haer. 4), Tertulliano (De anima c. 55), Io. Chrysostomo (Hom. 28 in Hebr.) Lactantio, Ambrosio, quibus adduntur „*καὶ οἱ πλεῖστοι τῶν πατέρων τῆς ἐκκλησίας.*

II⁰ capite (p. 27—35) agitur de doctrina V. T. de Šeol. Šeol in duas partes dividebatur: paradisum seu sinum Abrahae pro piis et gehennam pro malis. Boni beatitudinem futuram gustantes manent in paradiso usque ad resurrectionem — ad transitum in paradisum superiorem, in caelum; mali manent in gehenna in aeternum.

III⁰ capite (p. 35—50) descensus Christi in infernum tractatur. Paucis locis scripturae sacrae dogma hoc continetur: non demonstratur locis Mt 12, 40; Rom 10, 6; Eph 4, 8; sed tantum Io 20, 17; Act 2, 27; Lc 23, 43; 1 Pet 3, 19 (p. 38—44), 1 Pet 4, 6. Cum Christi descensus in infernum eo spectaret, ut ethnicis evangelium praedicaretur, necesse est eos converti potuisse (p. 47). Etiam alios, quibus in hac vita praedicatum non est, evangelium audituros esse post mortem hinc tantum conici potest; idque iure conicitur; non enim est, cur solum semel praedicatum sit evangelium in inferno. E 1 Pet 4, 6 vero concluditur fore, ut ante iudicium universale omnibus evangelium innotescat, quibus id in hac terra non contigerit.

E Patribus Christi in infernum descensum testantur Polycarpus (1, 2), Ignatius (Magn. 9, 3), Hermas (Sim. 9, 16 cum: apostolis descendit), Melito Sard., Iustinus (Dial. 99). Hippolytus (De Antichr. 45: etiam Io. Bapt. eo descendit, praecursor), Clemens Alex. (Strom. 2, 9; 6, 6: cum discipulis baptizantibus). Cum alii iustorum causa Christum eo descendisse existiment (Iren., Haer. 4, 27; Tert., De anima 7, 55 etc.) alii universalitatem praedicationis et salutis statuunt (Athanas., Greg. Naz. [Hom. 42, 59], Euseb.), alii universalitatem

praedicationis concedunt, salutis negant, eos solos, qui praedicanti crediderint, salvari dicentes (Iustinus, Clem. Alex. et generatim Alexandrini).

IV⁰ capite (p. 51—62) rationes, quibus animas defunctorum non omnino incorporeas esse defendi solet, refelluntur.

V⁰ capite de loco animarum exponitur. E Mt 11, 23 aliisque locis et a priori infernum (Šeol) esse proprium locum (non solum statum) eumque infra, sub terra, non tamen omnem, quippe cum etiam per aërem usque ad caelum extendatur (Eph 2, 2; 6, 12). Illud caelum, in quod animae iustorum post mortem veniunt (2 Tim 4, 18; Hebr 12, 23: Apc 21, 2), ad infernum pertinet, quod probatur e 1 Cor 15, 55: Phil 2, 10; Apc 5, 13 Duae inferni partes singulari quodam et ignotae naturae abysso distinentur tertiae non est locus (p. 71). Eadem traditione confirmantur. Velut Iustinus (Dial. 5, 223) animas piorum meliore loco, impiorum deteriore tempus iudicii exspectare dicit. Hippolytus (Prov. 30, 18) animas iustorum sub terra versari testatur (quidquid alibi statuere videtur Ant. 30, 31, 59 al.). Item secundum Tertullianum animae omnium iustorum sub terra sunt (De an. 56; De idol. 13; De resurr. c. 17), solae martyrum animae in paradiso recipiuntur, qui tamen aeque in inferno est (Scorp. 12), etsi alibi aliter loquatur (De resurr. 26. De mon. 5). Augustinus (Civ. D. 20, 15) iustos non in caelo . . . sed in inferno ponit, unde tamen (21, 13) in caelum veniant. Item secundum Irenaeum utrorumque, bonorum et malorum, locus est sub terra.

P. 75 perquam breviter adnotatur memoratu dignum esse omnia testimonia conspirare locum, in quem martyrum animae statim post mortem perveniant, esse caelum.

VI⁰ capite (p 76—77) animas post mortem vivere in tempore probatur; alioquin enim ea, quae in terris geruntur, cognoscere non possent; cf. Apc. 6, 10. Verum post iudicium universale cessabit omnis rerum motus *(παύει πᾶσα ἀνάπτυξις καὶ πᾶσα κίνησις, διότι ὅλα εἶνε πλέον τελείως ἀνεπτυγμένα, τό τε καλὸν καὶ κακόν·* cf. illud s. Thomae Aq.: in ultima consummatione cessabit corporum motus: I., q. 63, a. 6; F. Maxim. C., Amb. f. 255 b [C. G.]).

VII⁰ capite (p. 77—81) animas non esse in statu defectionis demonstratur.

VIII⁰ capite (p. 81—87) animas mortuorum gaudia vivorum gaudere vivorum dolere angoribus (in Christo enim coniuncti sunt incolae terrae cum caelitibus; Apc. 6, 10) atque inter se adiuvare docemur.

IX⁰ capite (p. 87—98) felicitas et miseria animarum post mortem tractatur. Aliquam beatitudinem animae piae statim obtinent (Apc. 14, 13); a pari malae aliquam miseriam; neutri plenam (Lc. 16, 25). Beatitudo illa magis (non tamen unice) in internis spiritualibus statibus *(ἐσωτερικαὶ πνευματικαὶ καταστάσεις)* consistit; mali poenam damni patiuntur: fieri enim nequit, ut desideria eorum (terrena) impleantur. Ignis, de quo N. T. loquitur tropice explicandus est (p 90), quod maxime ex Mt. 13. 42 et ex insociabilitate ignis et tenebrarum probatur. Quamvis gravis sit conscientiae cruciatus, omnis malorum poena hoc contineri non potest, quia — praeter alia — peccati dolor

non est sine peccati odio et poenitentiae possibilitate, quae in scriptura s. negatur.

Sintne iam ante iudicium universale varii beatitudinis et miseriae gradus, scriptura non docet. Status animae morumque condicio post mortem alia esse non potest atque antea. Unde efficitur ut iam ante iudicium sint varii beatitudinis ac miseriae gradus. Plurimi in sanctitate imperfecta decedunt, imprimis ii, qui sero facti sunt christiani; ipsi baptismo regenerati sanctitate perfecta carentes in infernum descendunt; sanctitas autem et beatitudo inter se colligatae sunt.

IX⁰ capite (p. 98—114) de „evolutione" animarum post mortem (ante iudicium) agitur. Pars perficitur in sanctitate — nam ad animas corpore solutas diabolus, mundus, caro non pertinent, pars in malitia. Nec enim mali in his terris adeo depravati esse solent, ut eis statim poena aeterna constitui possit; iustitiae et caritati divinae repugnat, ut aeternum praemium vel poena paucorum annorum homini constituatur (114). Sicut perfecta beatitudo non est sine perfecta sanctificatione ita nec perfecta condemnatio sine perfecta malitia (100). E Patribus allegantur Irenaeus, Origenes, Hermas. (Hinc inferre solent theologi orientales, velut Homjakov, Polnoe sobr. sočin.[3] II., 123 (M. 1886) etiam pro beatis [martyribus quoque] preces fieri posse).

Tamen nec boni in illo statu in malos nec mali in bonos converti possunt (p. 103).

Hic demum quaestio de purgatorio tractatur. Catholicorum responsa et propria argumenta (cf. Slav. litt. theol. II., 158—160) ignorantur. D. nec verum miratur nec iuste miratur papam non concedere indulgentias nisi *„ἐπὶ χρηματικῇ ἀμοιβῇ"* i. e. nisi eleemosynam largientibus.

Denique inquiritur de sorte „non vocatorum" post mortem et infantium sine baptismo decedentium (p. 107—114). Consideratis variis scripturae s. locis (Mt. 11, 20; Lc. 12, 47; 2 Pet. 2, 20; 1 Tim. 2, 4 etc.; non innititur Mt. 12, 31) concluditur ethnicos nec pro honestate operum suorum nec omnes promiscue condemnatum iri sed fore, ut in statu illo ante iudicium universale vocentur, cui vocationi ita responsuri sint, sicut pro condicione morum in his terris respondissent. Simile etiam de mente captis statuitur. Infantibus baptizatis negat satis esse sacramentum receptum; propria voluntate ab eis bona percepta custodienda esse. Quod discrimen inter infantes baptizatos et non baptizatos in illa vita a D. teneatur, non liquet.

His expositis sententiis non possum quin reprehendam, quod vir ingenii satis acuti neglectis reconditioribus scientiae fontibus nec satis erudite ea, quae aggressus erat, tractavit nec omnia, quae ad hoc argumentum spectabant, comprehendit. Unam quaestionem, quae sine dubio ab eo tractanda erat, cum expositis omnino coniunctam eisque antiquiorem, hic ante oculos ponere liceat.

D. multum inquirit sitne beatitudo post mortem statim perfecta an imperfecta; sed in caput rei, sitne sita in sola spe *(οἱ μὲν τῇ ἐλπίδι χαίροντες, οἱ δὲ τῇ τῶν δεινῶν προσδοκίας λυπούμενοι· οὐ γὰρ ἔλαβον οἱ ἅγιοι τὴν ἐπαγγελίαν τῶν ἀγαθῶν ἔτι* etc. Synaxar. ap. Nilles,

Kalendarium[2] 1897, II., 32) an in ipsa visione Dei, non inquirit. Certum enim est homines iustos (i. e. a peccato gravi liberos) defunctos admitti ad visionem Dei idque, si nihil eis luendum est (etsi quis non habet peccatum, tamen, quia habuit, potest debere poenam), statim [1]).

Beatitudinem iustis promissam visione Dei (quae est cognitio Dei diversa a nostra sicut visio sensitiva ab abstracta rei cognitione) conferri una vox est Patrum, manifesto illud „tunc" 1 Cor. 13, 12 (tunc autem facie ad faciem) vel illud „cum apparuerit" 1 Io 3, 2 de vita aeterna interpretantium. En Irenaei (l. 4, c. 20, n. 5) verba: „aeterna vita unicuique evenit ex eo, quod videat Deum." Item Io. Chrysostomi (Ad Theodor. laps. n. 10): „Quodsi Petrus obscuram quandam videns futurorum imaginem omnia statim reiecit ab animo ob inditam ex tali visione voluptatem, quid dicetur, quando ipsa rerum veritas aderit, quando apertis aedibus regiis intueri licebit regem ipsum non amplius in aenigmate neque per speculum, sed facie ad faciem, non amplius per fidem, sed per speciem." Cf. Theophilus Ant., Ad Autol. l. 1, n. 7; Recognit. Clementin. l. 3, c. 27, 29. 30. Clem. Alex., Strom. 5, p. 548; Origenes, In Io. t. 1, n. 16; Cyprianus, Ep. 56; Novatian., Trin. c. 18, al. 26; Basilius, De Spir. s. c. 16, n. 38; Gregorius Naz., Or. 28 (al. 34), n. 4. 17; or. 32 (al. 26) n. 15; Gregorius Nyss., Or. de Meletio t. II., p. 1025 s.; Cyrillus Alex., In Io. l. 10; Hilarius, In Ps. 118 l. 8, n. 7. 8. Augustinus, Tr. 21 in Io.; Ep. 147, n. 24 ss.; Ep. 148, n. 7; De civ. D. l. 11, c. 29; Fulgentius, Ep. 14 ad Ferrand. 3, n. 33; Gregor. M. Moral. l. 18, n. 90—3. Cf. Franzelin, De Deo uno[3] th. 15 p. 188—190 (1883).

Hanc visionem beatificam tribui iustis statim post mortem probatur e 2 Cor. 5, 6—8 cuius loci interpretationem nescio quomodo cum inspiratione et traditione componendam a D. propositam iam novimus. Dicit enim Paulus: Dum sumus in corpore, peregrinamur (ἐκδημοῦμεν) a Domino; et hanc peregrinationem a Domino dicit ideo (vel eatenus) nos pati, quia non per speciem (διὰ εἴδους) ambulamus, sed per fidem. Porro huic peregrinationi opponit peregrinationem a corpore, quacum coniunctum sit „praesentem esse (ἐνδημῆσαι) ad Dominum," utique per speciem. Et hanc subsequi mortem saltem mox concedi; quodsi mox, in iusto non est ratio, cur non statim) manifestum est inde, quod voluntatem peregrinandi a corpore et perveniendi ad Dominum dicit bonam esse; quae bona non esset, si fatua esset. Cf. etiam Metrophanes Critopulus, Confess. cp. 20 (ap. Kimmel p. 194). Si igitur cum praesentia ad Dominum et ambulatione per speciem (distincta ab

---

[1]) Cf. Io. Plusiadenus (= Ios. Methonensis), Apologia syn. flor. c. 4 Migne P. G. 159. 1283 ss.); R. Bellarminus, De sanctor. beatitudine l. 1.; Alph. a Castro, Adv. omnes haeres. l. 3; Petavius, De Deo l. 7, c. 13. 14; Tournely, De Deo q. 14; Thomas a Iesu, De unione c. 1, a. 6 (Migne Th. c. c. V. [1841], c. 441—50); Lud. A. Muratori, De paradiso[2]. Venetiis 1755; Th. Mamachi, De animab. iustor. in sinu Abrahae 1766; Stentrup, Soteriol. th. 145; A. Franki, Dvie poslanice. Zadar 1881, str. 100—115 etc.

ambulatione per fidem) coniuncta est visio beatifica, demonstratum est visionem Dei tribui iustis statim post mortem. De hoc vero dubitari imprimis vel ipsa ratio videtur vetare. Nam cognitio per speciem in oppositione ad fidem esset alioquin aut cognitio per immediatam evidentiam, aut per ratiocinium aut esset quidem visio, sed tantum accidentium, ex quibus mediate tantum cognosceretur essentia. Immediata evidentia, si non est de sola exsistentia Dei, sed etiam essentiam eius comprehendit, nihil aliud est quam visio; ratiocinatio non opponitur fidei nisi quod illa certitudinem necessariam ferre potest, qua haec forte semper carebit; sed Paulum non cogitare solum discrimen inter certitudinem necessariam et liberam, manifestissimum est. Quodsi agatur de visione tantum partiali, haec aut refertur ad Christum hominem aut ad Dei gloriam; sed cognitione intuitiva Dei gloriae non fimus praesentes ad Dominum; nec de visione materiali Christi hominis transfigurati agitur; nam subiectum cognitionis est anima soluta a corpore, quae non continetur accidentibus huius mundi, quippe quorum cognitio non esset ad usum accommodata, ad quem in hoc mundo necessaria est. — Deinde conferatur hic locus cum 1 Cor 13, 13 (*πίστις*) et cum interpretatione huius loci apud Patres recepta. — Denique etiam huius loci interpretatio consideretur a s. Io. Chrysostomo (supra) etc. proposita.

Idem ex altero revelationis fonte probatur.

Consentiunt enim traditionis testimonia I⁰ falsum esse animas iustorum post mortem non fore mox beatas (vel habere sortem defunctorum in V. T. iustorum [2]) vel expectare demum promissae mercedis exsecutionem et gaudere tantum spe non ipsa possessione. Hoc paene omnes Patres expresse docuerunt, velut Clemens Rom., Ep. 1. ad Cor. c. 6 (*γέρας γενναῖον*); cf. c. 5. 45; Polycarpus, Ep. ad Philipp. c. 9 (*παρὰ τῷ κυρίῳ*; loco debito); Dionysius Alex. ap. Euseb. l. 7, c. 22; Clemens Alex., Strom. l. 7 (praemium et honores); Eusebius, Vita Const. l. 1, c. 2; Lucifer, Moriendum pro Filio Dei; Cyprianus, De mortalitate (in fine: remunerati): Ambrosius, De bono mortis c. 3. 10. 11—12 (repromissam hereditatem; remunerationis gloriam); De fide resurr. l. 2, n. 94: Ep. 15, n. 4 etc.; Constit. apost., l. 5, c. 8; Afrem, Serm. ad monachos, qui requieverunt et alibi (ap. Bickell, Carmina Nisibena, Prolegom. c. 6, p. 24—28); Basilius, Or. in 40 martyres; Gregor. Naz. Or. 10 (*συναγάλλειο· μισθόν*); Or. 3 (*δόξης κληρονομήσαντα*); Or. 18 (*τὴν τῆς ἁγίας Τριάδος ἔλλαμψιν, ἧς σὺ νῦν παραστάτης*); Antoninus, Ad Arcadium exul. (resurrectio: ut ipsa caro videat, quod tua anima cum exierit, mox videbit); Io. Chrysostomus, Hom. ad baptizandos; Or. panegyr.

---

[2]) De hoc nominatim cf.: Io. Chrysost., Hom. de sanctis Berenice, Prosdoce et Domnina; Rabulas, Hymnen für die verstorbenen Gläubigen (Bickell, Ausgewählte Schriften der syr. Kirchenväter S. 267 f.; Ignatius, Ad Trall. 2; Clem. Alex., Strom. 6; Origen., Hom. 15 in Gen; Cyrillus Alex., Ad reginas; Athanas., Or. de incarn. Christi: Ep. ad Lucif.; Cyrillus Hieros. Catech. 4; Augustin., Ep. 49; Gennadius, De eccl. dogm. c. 78. 79; Iren. l. 5, c. 31 etc.

de s. Philog. etc. (cf. Muratori, De parad. c. 15—16): Epiphanius, Haer. 59 seu 79: Hieronymus, Ep. 27 (Epit. Paulae) c. 16: Ep. 24 (ad Marcel. de ex. Leae): [Augustinus], Serm. de consolatione mortuorum; [Leo M.], Serm. 96 in cathedra s. Petri; Petrus Chrysol. Serm. 66 (praemia: dulcia: gloriam); Serm. 119: Gregorius M., Mor. l. 4, c. 27; l. 35, c. 9; Fulgentius, De fide c. 3; Ep. 2 ad Gallam: Synesius, Hymn. 1; Prudentius, Hymn. V. de s. Vinc.; Honoratus, Vita Hilarii Arel. (cum Christo gloria frueris): Basilius Seleuc. De s. Steph.; Isidor. Pelus., Ep. l. 1, 376; l. 2, 179; l. 4, 121; l. 5, 396. — E Graecis posterioribus commemoramus hos: Daniel mon., Vita s. Io. Climaci; Andreas Cret., De s. Tito (fin.): De s. Nicolao; Io. Damasc., Or. de s. Barbara; Theodorus Stud., Serm. 42; Ignat. Diac., Vita Nicephori patr. Cp. (angelis comparantur); Germanus in epist. lecta a. 787 in Conc. VII. act. 4. Post schisma: Simeon Metaphr., Vita s. Ioannici: Passio ss. Acyndini, Aphth. . . .; Nicephorus Gregoras, Vita s. Codrati; Manuel Palaeologus, Or. de Theodoro Despota etc. Adde testimonia liturgica velut Hymn. de s. Tito Thaumat. (2. Apr.) etc. ap. Comnenum Papadopolim, Praenot. mystagog. (fin.) Io. Plusiadenum l. c.

Illi Patres, qui pro contraria sententia afferuntur, si reapse contrarium usquam senserunt, certissime secum ipsi dissenserunt multo pluribus locis. Cf. Augustin., Conf. l. 9, c. 3; Tract. 26 in Io. n. 16 (cf. Petavius l. c. 13, n. 6; Muratori l. c. c. 17); Theodoret., Graec. affect. l. 8; Bernardus, Serm. 2. in nat. s. Victoris confessoris etc. (cf. Mabillon, Praef. ad eius serm. n. 20—23; adnot. ad Serm. 2. in festo oo. ss., n. 4); Ioannes XXII. in bullis canonic. s. Ludov. Tolosani (a. 1317), s. Thomae Herford. (1320), s. Thomae Aquin. (1323).

Martyres hac spe ad mortem properasse notum est. Cf. Ignat., Ep. ad Magnes: ad Trallian. (*Θεοῦ ἐπτύχω*): Ep. eccl. Smyrn. de mart. b. Polycarpi c. 17 (*βραβεῖον ἀναντίρρητον· ἀγαλλόμενος*); c. 8. 12; Acta s. Symphorosae; s. Epipodii et Alexandri; ss. Fructuosi, Augurii et Eulogii; s. Pothini ep. (ap. Euseb. l. 5, c. 1 s.); s. Sadoth etc.; Auctor Vitae s. Syncleticae; Io. Chrysost., De s. Ignatio M.; Gaudentius, tract. 17. Cf. de hoc argumento Constantius, Praef. gener. ad op. Hilarii Pict. § 6, s. 3, n. 219. Hurter, Ss. Patrum opusc. selecta, t. 13 (Oenip. 1870), Praef. p. 39—43.

II° Neque desunt positiva Patrum testimonia iustos frui visione beatifica iam post iudicium particulare. Velut Gregorius Nyss., Or. funebr. in Pulcheriam (*ὡς καλὸς ἐκεῖνος ὁ ὀφθαλμὸς ὁ τὸν Θεὸν βλέπων*): Gregorius Naz., Or. 20 de s. Basilio; (*καὶ συνεποπτεύοντες τὴν ἁγίαν καὶ μακαρίαν Τριάδα*): Or. 11 (in calce): Clemens Alex. Strom. l. 5 (p. 546); Cyprianus, De exhort. mart. (aperi eos, ut Deus videatur et Christus); Ambrosius, De bono mortis c. 11; Io. Chrysost., Or. panegyr. de s. Philogonio (*οἱ παρόντες ὁρῶσιν*); Hom. 1. in Phil. (*οὐ γνωρίζεις τί αἱρήσῃ*); Hom. 3. in Phil. (*πρὸς πρόσωπον*); Augustinus, Serm. 303 de s. Laurentio; Enarr. in Ps. 119 (per faciem Dei illic cernunt): Paulinus Nolan., Natal. VI.;

Eustratius, Or. de s. Eutychio (fin.) et pecul. tract. („inspiciunt sanctam et beatam Trinitatem"). E posterioribus allegari possunt Nicetas Paphlago; Ioannes Diacon. (Vita s. Ios. Hymnogr. vers. fin.); Michael Psellus (Resp. ad Michaelem Ducam); Nilus mon. (Vita s. Philareti); Gregorius Cyprius (Or. de s. Georgio M. v. fin.); Nicolaus Cabasilas (Or. de s. Theodora fin.) etc. E liturgia solum pulcherrimum illud ex ode 9. canonis s. Ioannis Theologi afferamus: *Νῦν οὐκ ἐν αἰνίγματι, πρὸς πρόσωπον δὲ πρόσωπον, τῆς τρυφῆς τὸν χειμάρρουν ὁρᾶν ἠξίωσαι, καὶ τὸν ποταμὸν τῆς εἰρήνης, καὶ τὴν πηγὴν τῆς ἀθανασίας, ἧς νῦν ἀρδευόμενος ἀπολαύεις τῆς θεώσεως.* Cf. quae (29. Iun.) de Paulo dicuntur (*Νῦν οὐκ ἐν αἰνίγμασιν οὐδὲ ἐν ἐσόπτρῳ . . .*) et similia de Antonio, Cyrillo, aliis ap. Io. Plusiaden. l. c.

Quae cum ita sint apparet nos scriptori iniuriam non intulisse iudicio quod supra de eius libro fecimus. *A. Špaldák.*

Revue Augustinienne 1906. N. 52—3. — L. Baurain, Notes de théologie russe. Pag. 78—89. Exponitur theologos Russorum notam catholicitatis intelligere de conciliari fundamento (»ecclesia septem conciliorum«) et de conciliari regimine ecclesiae, vocem καθολικός voce sobornyj reddentes. Ad eorum opinionem sobornost' est unionis dogmaticae omnium membrorum expressio; concilia non sunt oecumenica nec infallibilia nisi propter id, quod ab universitate christiana, a corpore fidelium professione unius fidei coniunctorum reiecta non sunt. Unde sobornost' norma infallibilitatis ecclesiae, nota praecipua ecclesiae verae habenda est (Cerkovnyj Golos). Multi ecclesiam democratice, quodamsenatu instituto, temperari volunt. Factio vetustati propitia intelligere incipit illam verbi vim non esse extollendam. — Deinde p. 85—89 historia sententiae de vi epicleseos in theologia Russorum tractatur. Sil'vestr Medvědev († 1691) usum adorandi species eucharisticas statim post verba Domini prolata testatur. Ut hic usus a Polonorum Latinorumque auctoritate repetatur (cum Ioachimo patr. Mosc.) fieri vix potest. In Raskol tunc idem defendebatur. Theodorus diaconus diserte dicit (ap. P. S. Smirnov, Vnutrennye voprosy v Raskolě v XVII. vèkè p. 232) mutari dona oblata verbis, quae Christus in arcana illa coena pronuntiavit. Quodsi alii palaedoxiae defensores cum hoc non consenserunt, transsubstantiationem non post verba illa, sed antea, inter proscomidiam fieri putabant; certe igitur non per epiclesin. —

L'Assomption (p. 110—112). Immaculatam Deiparae conceptionem agnoscitur esse condicionem assumptionis B. M. V. in caelum; negatur tamen hanc ex illa necessario sequi. Sed — si modo vera assumptionis privilegii notio teneatur — cur tot patres mirati sunt Deiparam mortuam esse, cum peccati, propter quod apostolus homines mori dicit, expers fuerit, i. e. non peccaverit? Cf. Zeitschrift f. kath. Theologie 1904, p. 774—5.

L'Immaculée Conception et les Grecs modernes 113—5. Neglecto sententiae, quae ap. Isidor. Thessalon., In dormit. Dp. n. 33 (M. 139, 161, B) legitur, parente primus Deiparam a peccato liberam fuisse negasse dicitur Metrophanes Critopulus; quem secuti sunt Seb. Kymenites, Diamantes Rhysios, Ephraemus II. patr. Hierosol., Eugenius Bulgaris, Theophilos Papaphilos, Athanasius Parius.

Zeitschrift für katholische Theologie 1906. P. 376—8. N. Glubokovskii liber de evang. s. Pauli indicatur ab A. Špaldák. — *J. Kern* in commentatione, quae inscribitur »Zur Kontroverse der katholischen und der griechisch-orthodoxen Theologen über das Subjekt der hl. Ölung« praeclare et magna eruditione de controversia inter theologos catholicos et graeco-orthodoxos agit, in qua subiectum sacramenti unctionis infirmorum versatur. — P. 597—624.

1. Iam Simeon, Thessalonicensis archiepiscopus Latinis exprobravit (Migne P. G. t. 155, 520), quod solis morientibus hoc sacramentum concedant. Idem obiecit Metrophanes Critopulus (Kimmel, 155 s.), ob idem graviter eos accusant theologi Russorum: Ignatius (Semenov), O tainstvah edinoj, svjatoj, sobornoj i apostolskoj cerkvi.[2] Spb. 1863, p. 275 ss.; M. Arhangelskij, Izslědovanie ob istoričeskom razvitii činosoveršenija Eleosvjaščenija. Spb. 1895, p. 79 ss.; Macarius, Pravoslavno-dogmatičeskoe bogoslovie[5] Spb. 1895, II. p. 470 ss.; A. Běljaev in Encyclopaedia theologica V. 397 ss.; idem et Graeci huius temporis eis crimini vertunt: Mesoloras, Ἐγχειρίδιον λειτουργικῆς τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς ἐκκλησίας. Ἀθήν. 1895, p. 219; Andrutsos, Δοκίμιον συμβολικῆς. Ἀθήν. 1901, p. 336; K Ralli, Περὶ τῶν μυστηρίων τῆς μετανοίας καὶ τοῦ εὐχελαίου. Ἀθήν. 1905, p. 123.

Quod ad haec attinet, discrimen faciendum est inter consuetudinem a saeculo XII. coeptam solis infirmis graviter decumbentibus iisque iam ante mortem constitutis vel fere desperatis conferendae s. unctionis infirmorum et doctrinam ipsam authenticis documentis contentam. Mos ille, avaritia nonnullorum sacerdotum (cf. Harduin, t. 7, 107. 1081. 1237. 1979; Preger, Beiträge 64 ff.; Göbel, Die Missionspredigten 333), fictis atque vanis opinionibus fidelium (Harduin t. 7, 107. 337. 1081. 1979; t. 10, 1946), theologorum quorumdam sententiis (Bonaventura, In l. 4, d. 23, a. 1, q. 1, ad 1; D. Scotus, In l. 4. d. 23, q. unica), non a Spiritu s. introductus, improbandus est. »Gewiss, inquit auctor. p. 617, sind die orientalischen Theologen im Rechte, wenn sie die seit dem 12. Jhd. innerhalb der katholischen Kirche stark verbreitete Sitte tadeln, derzufolge man die Krankenölung erst verlangt und erteilt, wenn die Hoffnung auf Genesung aufgegeben ist und der Tod nahe bevorsteht« Effectus enim praecipuus huius sacramenti, ea confirmatio animi, qua aptus fiat, qui »volle Verzeihung jeglicher Schuld und gänzliche Nachlassung aller zeitlichen Strafen erlange, und so, falls der Herr ihn ruft, bereit sei, ohne Durchgang durch das Reinigungsfeier sofort der ewigen Seligkeit teilhaftig zu werden« tum vanus evadit. Neque antiquis temporibus hic abusus fuit, quod optime probatur e Caesario Arel. (Migne, P. L. 67, 1075), Cyrillo Alex. (P. Gr. 68, 470 s.), Io. Mandacuni (J. Schmid, H. Reden des J. M. 220 ff.), Isaac Antioch (Bickell, S. I. A. opera p. 187 s.), Procopio Gaz. (Migne, P. G. 87, 764); Innocentio I., Ep. ad Decent.

Verum doctrina catholica de unctione infirmorum non in abusu, decretis pontificiis impugnato, sed in decretis dogmaticis concilii Tridentini, in catechismo Romano, ex decreto eiusdem concilii edito, in rituali Romano quaerenda est. Concilium Tridentinum de subiecto s. unctionis infirmorum agens certe docet: esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur (Doctrina de sacr. extr. unct. c. 3.). Itaque generatim infirmis s. unctionem administrandam esse docet s. synodus; utique si quis ex quacumque causa in extremo periculo mortis nondum hoc sacro ritu munitus versatur, ei imprimis conferendam esse, ut saltem salvetur, etsi effectus ille praeclarus, tota sanitas supernaturalis animae, vix iam obtineri possit. — Etiam nomen »extremae« unctionis, etsi ab abusu impositum (Chardon, Histoire des sacrem., ch. 1), tamen verum sensum admittit. Ceterum idem abusus etiam in Russia invenitur (cf. Arhangelskij op. c. p. 261 s.; A. Dmitrievskij, Nedostatki sovremennago cerkovno-religioznago vospitanija. Kiev 1901, p 17.)

2. Ex alia parte nonnulli theologi catholici reprehenderunt Orientales, quod etiam sanos ungant. Cf. P. Arcudius, De concordia l. V, c. 4; Th. Raynaud, Heteroclita spiritualia t. XVI, p. 164; Benedictus XIV, l. 8, c. 5.

Verum est a Graecis in ecclesia Constantinopolitana et alibi etiam in sanis ritum unctionis infirmorum adhiberi idque fieri posse

et sacramentum esse doceri. Cf. Stephanus (ep. Mogilev.), Tainstva i obrjady pravoslavnoj cerkvi. Harkov 1904; G. Jacquemier in Echos d' Orient 1899; F. di Mento in Bessarione 1899—1900 (p. 538 s.). — Mesoloras o. c. 218 ss.; Ralli o. c. 115.

Sed omnino alius est usus et doctrina Russorum; cf. Ignatius l. c.; Macarius l. c.; Arhangelskij o. c. p. 81.; A. Maltzew, Die Sakramente 451; quibuscum Serbi conveniunt; cf. N. Milaš, Kirchenrecht d. morgenländ. Kirche[2] 1905, 684. Et revera unctionem sanorum, quae apud Graecos fit sacrilegam esse certum est, nec rima, quam nonnulli repperisse se putant tristitia pro morbo posita, teneri potest; quod ostenditur cum ex tota antiquitate schisma illud deplorandum praecedente, tum ex contextu loci s. Iacobi (5, 13). Qui error a confuso s unctionis ritu ceremoniis quibusdam sacramentalibus repetitur (cf. Goar, Eucholog. p. 349 ss.).

Quod attinet effectum principalem s. unctionis infirmorum, qui est sanitas omnimoda supernaturalis, obtinenda cooperando gratiis actualibus uberrime et extra ordinem communem collatis, licet pro theologis catholicis res sit maximi momenti, tamen quia intime cum doctrina de purgatorio multum inter orientales et occidentales controversa connectitur, modo loqui de eo non videbatur esse opportunum.

Velehradii 8. Oct. 1906. *Ot. Židek*

Aliorum iudicia de nostro periodico.

Slovenec 1906. Štev. 38. (Febr. 16.) — Do sedaj še ni bilo poskusa kako večje književno medslovansko podjetje ustanoviti na cerkveni in bogoslovsko znastveni podlagi. Ta ideja se je šele pred dvema ali tremi leti porodila v mladih glavah in naenkrat zbudila mnogo zanimanja v odličnih znanstvenih in cerkvenih krogih; ideja se je širila pod imenom »idejo Cirilo-Metodijske«, svoje središče je imela na bogoslovskih in akademiških sestankih v Velehradu. „Ideja C. M.« hoče organizirati katoliške Slovane na cerkvenem in bogoslovsko-znanstvenem polju in njih pozornost obrniti na slovansko-grški vzhod; zraven pa hoče posredovati med slovanskim vzhodom in zapadom med Slovani in ne-Slovani — vse to pred vsem na bogoslovsko-znanstvenem in cerkvenem polju, vsaka politika je strogo izključena. Na ta način hoče zapad seznaniti z vzhodom in narobe, vsem Slovanom pa s tem priboriti njih številu in zmožnostim primerno stališče na bogoslovsko-znanstvenem in cerkvenem polju. Na tej podlagi je zasnovan novi časopis.

Kar nepričakovano je l. 1905 meseca marca izšla 1. št. vseslovanskega bogoslovskega časopisa pod naslovom „Slavorum litterae theologicae. — Conspectus periodicus«.

Po treznem preudarku je bil izbran za časopis latinski jezik, ki se je res že izkazal kot najprimernejši. Plašno je nastopila 1. št. svojo pot med širni slovanski in ostali svet . . . Optimisti so se bali za drobni listič, pesimisti so ga pa takoj obsodili na smrt. A izredni blagoslov božji je spremljal novi časopis in z vsako št. mu je rastel pogum. Ob koncu prvega letnika so bili tudi največji optimisti presenečeni nad izrednim uspehom . . .

Časopis je takoj iskal stika z ruskimi bogoslovskimi krogi; hitro je našel navdušenega prijatelja v osebi bogoslovskega učenjaka N. N. Glubokovskega, prvega ruskega biblicista in urednika ruske »Bogoslovske Enciklopedije« in zato najvplivnejšega ruskega bogoslovskega pisatelja. Kar naenkrat je pa vrhutega zasijala še zlata svoboda v Rusiji, in časopis in njega ideje imajo zdaj že popolnoma svobodno pot v Rusijo; ustanoviteljem se še sanjalo ni, da bodo to že v enem letu dosegli. Da se je časopis usta-

novil ravno v tako ugodnem trenutku, to gotovo spada med slučaje, ki niso slučaji . . .

Tudi pri nas se večkrat govori o teh stvareh in ljudstvo v izobraževalnih društvih in drugod rado posluša taka predavanja. V omenjenem časopisu najde vsak dosti gradiva in informacij; a kar je glavno, to gradivo nima samo časnikarske in informacijske vrednosti, ampak tudi popolno znanstveno vrednost, ker je vse vzeto iz prvih virov, povsod so citirani dotični časopisi, knjige in strani, tako da se na podatke tega časopisa lahko vsak popolnoma zanesljivo opira, zraven pa tudi vidi, kje ima iskati podrobnejših podatkov ako jih želi. *Dr. Fr. Grivec.*

Theologisch-praktische Quartalschrift. Linz, 1906, II. Heft, S. 404. »Slavorum litterae theologicae . . . Die orientalische Kirche mit der römischen zu vereinigen, war seit der Entstehung des Schisma die Sehnsucht aller Katholiken. Ganz besonders hegte diesen Wunsch der gottselige Papst Leo XIII., dessen Bestrebungen, die schismatischen Slaven in den Schoss der katholischen Kirche zurückzuführen, auf daß wieder ein Schafstall und ein Hirt werde, erkannt sind. Der Grund, warum es zu dem entscheidenden Schritte noch ziemlich weit ist, liegt nicht zuletzt in der Unkenntnis der theologischen Literatur der römischen Kirche seitens der Schismatiker. Schisma ecclesiasticum inquit Glubokovskij, (so lesen wir in der Vorrede der ‚Slavorum litt. theol'.) ex humanis dissensionibus ortum est et humana conservatur obstinatione, quae mutuis suspicionibus alitur et augetur; quam ob rem accurata rerum cognitio, aequa confessio, ingenua agnitio optima via est ad removendum tristissimum impedimentum'. Und weil ‚difficultates ab hominibus paratae honesto studio humano facillime superantur' (ibid.), entschlossen sich heuer die bestbekannten böhmischen theologischen Schriftsteller Dr. Tumpach und Dr. Podlaha, beide Metropolitan-Kanoniker bei St. Veit in Prag, unter Mithilfe anderer hervorragender Fachmänner zur Herausgabe der oberwähnten Zeitschrift, Slavorum litterae theologicae' . . . Ein edles Vorhaben, dem wir vom ganzen Herzen den reichlichsten Segen Gottes wünschen, wie auch, daß die Worte der Redaktion: ‚omnes rerum, quae a nobis tractandae sunt, peritos, ut operis nostri socii fiant et quae edere paramus, variae eruditionis accessionibus augeant, invitamus', bei recht vielen Theologen Anklang finden.

Corrigenda in fasciculis III. et IV.

P. 190 infra v. 27 post capax adde et qua perfici potest
» 195 supra v. 23 ante rationes adde qui
» 195 supra v. 27 loco continnanda lege continuanda
» 201 infra v. 27 post baptizandi adde cf. Revue internat. de theol. 1906, 122.
» 226 infra v. 4 loco syriacus. lege syriacus
» 238 supra v. 27 loco ub lege ab
» 251 infra v. 4 loco imuere lege innuere
» 256 supra v. 22 loco orhodoxae lege orthodoxae
» 256 infra v. 4 loco tualiam lege tualium
» 258 infra v. 21 loco 5—9 lege 5—9)
» 259 infra v. 3 loco Выть lege Быть
» 288 infra v. 1 loco [86]) lege [87])
» 292 supra v. 12 ante hos adde discerneret,

Index nominum et rerum.

A

Abramovič D. 53.
Agapit 119.
Aksakov N. 276, 277.
Akvilonov E. 53, 154, 279.
Almazov A. 62, 156.
Angelov G. 20.
Antonij ep. 276.
Arḫangel'skij A. 120.
Arḫangel'skij M. 156, 314.
Arsen'ev K. 53.
Arsenij ep. 51, 265.
Ar'obolevskij S. 53.
Avdaškevič M. 114.
Babák E. 161.

Babuškin S. 255.
Bajkov A. 40, 179.
Bandurski W. 97.
Barsov N. 117.
Barsukovoj Z. 53.
Bartošík 10.
Bažanov N. 53.
Bělevič-Stankevič V. 51.
Bělikov D. 53.
Bělina J. 12.
Běljaev A. 273, 314.
Běljaev N. 158.
Běloděd P. 111, 120.
Beneševič V. 53.
Berdnikov I. 118.
Bilbasov V. 177.
Binički F. 91.
Blagorazumov N. 118.
Blagověščenskij M. 131.
Bogdaševskij D. 112, 154.
Bogoljubskij M. 119.
Bogorodskij A. 41, 42.
Bolek F. 8.
Bol'šakov S. 54.
Borozdin A. 54.
Bratkov S. 53, 274.
Brodovič I. 254.
Bronzov A. 110, 114, 119.
Bulgakov A. 110.
Bulgakov S. 113.
Bulla F. 87.
Burgov A. 154, 156.
Butkevič T. 111.

Cankov S. 19, 20, 89.
[Castranus] 7.
Cincadze K. 255.
Czaykowski K. 97.
Čel'cov I. 32.

Černocký K. 245.
Černík J. 7.
Černý J. 5.
Červík J. 8.
Čiževskij I. 54.
Čupić J. 296.

Dagaev N. 131, 291.
Dębicki W. 93.
Dmitrievskij A. 155, 314.
Dmitrevskij I. 156.
Dobronravov 62, 119.
Dombrovski A. 125.
Domentijan S. 123.
Druzinin A. 46.
Dudarev P. 156.
Dvořák R. 6, 8, 9, 10.
Dyobuniotes K. 306.

Evdokim ep. 51.
Evsěev I. 54.
Esaulov M. 116.

Fedyv V. 56.
Filaret 117, 118, 119, 127, 160, 286.
Filimonov A. 252.
Franki A. 160, 310.
Fryč F. 12.
Fulman M. 95.
Fux A. 18.

Gabryl F. 94.
Galaḫov I. 255.
Gerbanovskij M. 54.
Giduljanov P. 54.

Giljarov-Platonov N. 54.
Glagolev A. 113.
Glagolev S. 54, 275.
Glubokovskij N. 54, 111, 114, 257, 258.
Godlewski M. 26, 94.
Goetz L. 261.
Goląb J. 94.
Golubcov A. 50, 52, 156, 272.
Golubinskij E. 54.
Gomerov V. 158.
Gorskij A. 117.
Gostomski W. 97.
Grigorev K. 46.
Grigorevskij M. 119.
Grivec F. 20, 33, 37, 57, 316.
Gromoglasov J. 53.
Grunskij N. 54.
Gusev D. 118, 119, 158.

Haluščynskyj M. 47, 102, 105, 111, 272.
Haškovec P. 11.
Hazuka V. 8.
Hejčl J. 9.
Henner K. 246.
Hradský V. 4.
Ḥarlampovič K. 43, 54.
Ḥitrov M. 54.
Čhodyn'ski S. 93.
Ḥomjakov A. 153, 309.
Ḫrustalev A. 252.

Ignatij ep. 54.
Ignatij (Šemenov), 314.
Il'inskij G. 54, 120.
Il'inskij Th. 52, 273.
Ioann arḥim. 117.
Ivancov-Plat. A. 255.
Ivanovskij N. 44, 46.
Ivanovskij V. 54.

Jacimirskij A 255, 268.
Jagič V. 76.
Janczak L. 94
Jaremko D. 264.
Jarosin'ski L. 94.
Jastreblov I. 152.
Jašek A. 5, 12, 123, 282.
Javůrek 5.
Jelič L. 246, 297, 305, 306.
Jemelka F. 259.
Jenštein J. 3.
Jeričevič N. 91.
Jež C. 109, 191, 261, 265.
Jivanka J. 9.
Jokl 11.
Jungerov P. 125, 289.

Kadeřávek E. 81, 85, 161.
Kachník J. 2, 84.
Kapterev N. 49, 153, 275.
Karban F. 6.
Kašpar K. 243.
Kašpar L. 9.
Kazanskij I. 55.
Kerenskij V. 45, 47.
Kern J. 313
Kesarev E. 55.
Kirillov A. 119.
Klučarev A. 46.
Koblov Ja. 44, 55.
Komarnyckyj 191.
Kondakov N. 113.
Konickij G. 285.
Konopka C. 93.
Kopyciński A. 62.
Kordač 83.
Korsunskij I. 288.
Koržinskij S. 162.
Kovačič F. 58, 60, 195.
Kovin N. 55.
Kozák F. 6.
Krasnosel'cov N. 155.
Krašeninnikov M. 122.
Kratochvil F. 7.
Kratochvil J. 14.
Krechowiecki 155.
Krestnikov I. 98.
Kruglov A. 120.
Krutikov T. 117, 118.
Krymskij A. 55.
Kryštůfek F. 13, 83, 178.
Kubíček A. 242.
Kudrjavcev P. 277.
Kupka J. 11.
Kurganov Th. 114, 266.
Kutepov 55.
Kybal V. 241.

Lang V. 7.
Laškarev 117.
Latynin I. 119.
Lavrov P. 76, 120.
Lebedev A. 30, 33, 55, 112, 119, 280.
Lebedev D. 51.
Leonardov D. 254.
Leopoldov A. 252.
Lésaz J. 10.
Levašev 117.
Lipskij N. 105, 187, 259.
Likowski H. 97.
Lisiecki A. 96.
Ljubić 299.
Lopatin L. 265.
Lopuḥin A. 119, 296.
Lovjagin E. 117.
Lukaszkiewicz 28.
Lysogorskij N. 55.

Macenko 153.
Macko A. 28.

Maḫanov M. 253.
Makarij 158, 288, 290.
Mal'cev A. 233, 315.
Malickij N. 255.
Malinovskij B. 55.
Malov E. 251.
Malvy A. 155.
Malyševskij I. 119, 177.
Mansvetov I. 156.
Mareš 162.
Markošek J. 194.
Marr N. 55, 153.
Martynov A. 119.
Mazanov P. 55.
Medini V. 89.
Medved A. 195.
Meester de P. 154.
Meissner Cz. 96.
Miḫail arḫim. 277.
Miḫail ep. 55.
Miḫalovič H. 92.
Milaš N. 177, 261, 315.
Miletič L. 152.
Milovič V. 78.
Minskij N. 55.
Mitrović 263.
Modestov N. 55.
Moskov 78.
Müller V. 5.
Muretov M. 47, 52, 272.
Musil A. 5, 6, 7, 8, 9, 10.
[Mužný] 87.
Myšcyn V. 52, 275.

Načov N. 120.
Nəu A. 255.
Nikanor ep. 55.
Nikodim ep, 273.
Nikolaj ep. 56.
Nikol'skij K. 155.
Nikol'skij N. 44.
Nikol'skij S. 255.
Nikol'skij V. 43.
Nilles N. 302, 309.
Novák F. 7.
Nowowiejski A. 26.

Odincov N. 155.
Olesnickij A. 288.
Oliva J. 87.
Oliva V. 7, 12.
Orlov A. 274, 275.
Orlov M. 119.
Orlovskij P. 56.
Ostroumov N. 47, 252.

Palmieri A. 77, 253, 255.
Pal'mov N. 156
Panov 117.
Papadopulo H. 119.
Papadopulos-Keramevs A. 120.
Parczewski A. 250.
Pastrnek F. 11, 120.
Pavič 122.
Pavlov A. 111, 262.
Pavlovskij A. 56.
Pečarič M. 195.
Perepečin V. 256.
Petit L. 121.
Petr ep. 256.
Petr L. 40, 53, 276, 280.
Petražickij L. 256.
Petrov B. 252.
Petrovskij A. 156.
Petrovskij S. 256.
Pobědinsk'j-Plat. J. 118.
Podlaha A. 3, 8, 10, 12, 245.
Pokrovskij I. 46.
Pokrovskij N. 256.
Polikarp arḫim. 118.
Ponomarev A. 158.
Ponomarev P. 256.
Popov A. 156.
Popov I. 56.
Popov K. 118.
Popov M. 56, 102.
Popov N. 56, 276.
Popov V. 119.
Posnov M. 113.
Prášek J. 5, 6, 8, 9, 10.
Preobraženskij A. 45.
Preobraženskij I. 56.
Preobraženskij N. 51.
Preobraženskij P. 117, 118.
Priselkov A. 117.
Proḫorenko Th. 254.
Prokopovič Th. 283.
Protopopov P. 256.

Radonić I. 123.
Raev P. 253.
Ragozin Z. 8.
Raška J. 10.
Razumiḫin A. 56, 256.
Rědin E. 121.
Reindl F. 243.
Rejsner M. 256.
Rostworowski J. 250.
Roudnický V. 84.
Rouhal J. 6.
Rozanov N. 119.
Rožánek O. 174.
Roždestvenskij 113.
Runkevič S. 114.
Rusanov N. 56.
Ruvarac I. 194.
Růžička J. 5.
Rybinskij V. 113.
Rydel L. 97.

Saharov N. 50.
Saharov V. 122.
Samsour J. 85, 179.
Sarnyckyj C. 193.
Savajtov P. 118.
Sedláček J. 5, 9, 124, 243.
Sedlák J. 13.
Seredinskij T. 158, 159.
Sergiev I. 56.
Sergievskij 160.
Sergij archiep. 156.
Sergij arhim. 56.
Sergij ep. 160.
Silin D. 273.
Sil'vestr arhim. 285.
Skardanickij G. 256.
Skopec J. 11.
Skvorcov K. 117, 118.
Slesina J. 9.
Smirnov Plat. G. 125, 292.
Smirnov I. 56, 118.
Smirnov P. 117, 256, 313.
Smirnov S. 208, 272.
Snopek Fr. 176.
Sobolevskij A. 120, 131.
Sokolov A. 117.
Sokolov I. 111.
Sokolov N. 117, 118.
Sokolov P. 295.
Sokol'skij V. 112.
Soldát A. 85, 245.
Solov'ev V. 56, 118.
Somrek J. 60.
Souček S. 243.
Spáčil B. 245.
Spasovič 175.
Spasskij A. 254, 273.
Speranskij A. 282, 292.
Statečný K. 1.
Stefan ep. (Mogil.) 315.
Steinochr I. 5.
Stejskal F. 7, 12, 13, 246.
Stepinac M. 24.
Stratilatov 117.
Stratonov I. 115.
Stroganov P. 256.
Suvorov N. 62, 117, 263.
Světlakov A. 253.
Světlov P. 50, 158, 160, 256, 278.
Sýkora J. 8, 10, 11, 12.
Syrku 89.
Syski A. 95.
Szaniawski A. 94.
Szczepański W. 92.
Szcześniak W. 28, 249.

Šestakov D. 114.
Šost'in A. 110.
Špaček R. 85.
Špaldák A. 17, 76, 114, 155, 232, 236, 313.
Štědrý F 242.
Šumov S. 275.
Šurmin 297.
Šverdík F.

Tadin K. 90.
Talija U. 24, 89, 90, 91.
Taniačkevyč D. 193.
Tarěev M. 256.
Thaddej arhim. 275.
Theofan arhim. 256, 276.
Tihomirov D. 256.
Tihomirov L. 256.
Tihomirov P. 51, 53, 273.
Tichý G. 13.
Tischer F. 245.
Titov Th. 57, 111.
Tkalčić I. 21.
Tomič J. 152.
Tondini de Quarenghi 152.
Tošner 5.
Troickij I. 154.
Truskovskij I. 159.
Trzeciak S. 96.
Tupuzov V. 19.
Turaev V. 156.
Tyčinin P. 112.

Urban J. 29, 96, 97.
Uspenskij E. 125, 288.
Ušakov N. 117.
Ušeničnik A. 59, 61, 195.

Vacek F. 86.
Wais K. 96.
Vajs J. 16, 25.
Vaněk O. 10.
Vasilevskij M. 43.
Vašek B. 10.
Večeřa C. 49, 281.
Velický M. 10.
Veselinović S. 122, 123.
Wietrowski 68.
Vinogradov A. 256.
Vinogradov E. 252.
Višnevskij M. 257.
Vladislavlev 257.
Vlk J. 16.
Volanskyj O. 193.
Vondrák V. 11.
Vozdviženskij 160.
Vřešťál A. 4, 246.
Vvedenskij S. 257.
Vvedenskij V. 279.
Vychodil P. 11.

Zabělin 117.
Zaborovskij A. 253.

Zaozerskij N. 51, 118, 276.
Zapletal V. 9, 10.
Zaruckij K. 233.
Zavitnevič 153.
Zdziechowski 250.
Zháněl R. 246.
Zíbrt Č. 120.
Zítek J. 3, 10.
Zlatarski V. 89.
Znamenskij S. 254.

Žák E. 5.
Žák F. 9, 186.
Židek O. 315.
Žundálek F. 24, 58, 91, 92.
Žuze P. 43.

B

Absolutio sacram. 68.
Absolutionis forma deprecatoria 232.
Absolutionis sacram. significatio 231.
Acathistus Deiparae 120.
Act 17, 27, 29: 258.
Adrianus patriarcha 114.
Aegypti antiquitates 5.
Afrem 117.
Alexandrinus patriarchatus 46.
Allatius L. 36, 233.
Americanismus 90.
Animarum status post mortem 159, 306—313.
Antichristus 256.
Antiochiensis ecclesia 255.
Antiochenus patriarchatus 46.
Apc 20, 14: 306.
Apocryphi libri 122.
Apocryphi N. T. 11.
Apologeticae ratio 250.
Apologia 4, 52, 54, 116, 256, 257.
Apostolatus 87.
Archaeologia bibl. 5—6, 7, 8, 243.
Archaeologia christ. 274.
Ariana haeresis 122.
Aristides Ath. 98—102.
Arkaun 153.
Armeno-Chalcedonitae 55.
Arsenius (Macěevič) metrop. 56, 102, 105.
Ascetica 56, 94, 255, 256.
Ascetismus 56, 115.
Aspersio 26.
Attritio in art. mortis 159.
Augustinus 38.

Babylonia et biblia 7—8, 19, 91.
Baptismi historia 156.
Baptismus 55, 77.
Baruch 6, 113.
Basiliani 57.
Basilius aep. Novgor. 53.
Basilius metrop. Mont. 153.
Beatitudinis desiderium 195.
Beatitudo ante resurrectionem 306—313 (cf. Iustorum sors).
Bellum 43.
Bězjukov m. 256.
Biblia Bohem. 6, 11.
Biblia Bulgar. 78.
Biblia Polon. 94.
Biblia Slav. 11.
Biblica 5—13; v. Evangelia.
Bibliothecae descriptio 53, 54, 56, 96, 122.
Boëtius 60—1.
Bogomili 52.
Bogoris v. Boris.
Boris-Michael 120.
Breviarium 26.
Bulgaricae litterae 89.

Caelum: locus an status 160.
Callisti edictum 220.
Canon 101.
Canones apostolici 117.
Cantus eccl. orthod 55, 256.
Catechetica 92.
Categoriae 15.
Catholicitas 313.
Censura eccles. librorum 278.
Cereus episc. praeferend. 52.
Christi Cor 112.
Christi descensus in infernum 307.
Christi divinitas 85, 111
Christi exsistentia 12.
Christi fratres 112.
Christi genealogia 47—49.
Christi imagines 112.
Christi miracula 12, 52.
Christi nativitas 12.
Christi sanctitas 112.
Christiani legenda 86.
Christianismi praestantia 254.
Christianismi propagatio v. Iaponia orth. etc.
Chronologia bibl. 12.
Chrysostomus v. Ioannes Chrys.
Clemens Alex. 254.
Clemens Bulgarus 76, 195.
Clemens Rom. 117—8.
Coena Domini 60.
Cognitio 14—15.
Collegium Graecum 36.
Colores 108.
Communicatio in sacris 280.
Communio sub utraque 4.
Concilia oecumenica 30.

Conciliorum compositio 276.
Conciliorum oecumenicitas v. Oecumenic.
Concilium apostolorum 111.
Concilium Basileense 233.
Concilium Constantiense 96—7.
Concilium Cp. (V. oec.) 280
Concilium Constantinopolitanum (1166) 121.
Concilium Ephes. 281.
Concilium Florentinum 123, 268.
Concilium Hierosolym. 111.
Concilium Illiber. 219.
Concilium Leopolitanum (1896) 191.
Concilium Nicaenum 141, 281.
Concilium Sirmiense 122.
Confessio monachis facta 272.
Confessio secreta (hist.) 26.
Confirmationis historia 156.
Conscientia 19.
Constantiense concilium v. Conc. Const.
Constantinopolitana ecclesia 111, 255.
Constantinopolitani patriarchae 45, 120.
Constitutiones apostolicae 118.
Contritio 110.
Contritionis vis 202
Controversae quaestiones (inter Or. et Occ.) 20, 120, 153, 238-9, 255, 271.
Conversio post mortem 307; v. Mors, Damnat.
Cor Iesu v. Christi Cor.
Corani natura 252.
1 Cor 3, 15: 159.
1 Cor 14, 12, 16: 194.
1 Cor 15, 32: 258.
1 Cor 15, 55: 308.
2 Cor 5, 6—8: 307, 310.
2 Cor. 12. 7: 12.
Cosmologicum argumentum 27.
Creationis notio 163.
Crucis imagines 121.
Crystallorum formae 174.
Ctisiologia 163.
Cyrilli et Meth. statuae 245.
Cyrillus (Constantin.) 233.
Cyrillus et Methodius 28, 120, 249.
Cyrillus Lucaris 233.

Damnatorum obduratio 309; v. Obstin.
Damnatorum sors 159, 306—7.
Damianus 268.
Daniel 10, 54.
Dei cognitio ap. paganos 195.
Dei exsistentia 13, 27, 53.
Dei natura 15.
Dei potentia 174.
Deificatio hominis 157.
Demetrius Rostov. 103.
Derviš 253.
Deuterocanonici libri 113, 123—138, 282—296.
Dionysius Bar Salibi 236.
Doctrina 12 apost. 118.
Dogmatica 55, 157, 159, 235.
Dogmatis notio 235.
Dogmatum progressio 234, 235—6.
Dositheus patr. Ier. 153.

Ecclesia ac status 49, 183.
Ecclesia corpus Christi 157.
Ecclesia et potestas civilis 105.
Ecclesiae anima 157.
Ecclesiae caput 156—7.
Ecclesiae catholicitas v. Cathol.
Ecclesiae finis 53.
Ecclesiae institutio 112.
Ecclesiae munus 153.
Ecclesiae notae 28—9, 153.
Ecclesia persecutio 275.
Ecclesiae Russ. reform. 56, 77, 97, 154, 254, 255, 256, 273, 275, 277.
Educatio religiosa 46.
Emancipatio feminae 38, 57.
Encyclopaedia theol. 78, 109, 254.
Eph (Comment.) 154.
Ephodus 10.
Ephraemus v. Afrem
Epiclesis 60, 154, 313.
Episcopi electio 279.
Episcoporum iura 276.
Eschatologia Hebr. 154.
Esdras 10.
Esther 288.
Ethicae fundamenta 256.
Eucharistia 60, 256.
Eugenius Bulg. 154.
Eusebius Caes. 31, 119.
Euthymii reliquiae 88, 89.
Euthymii vita 89.
Evangeliorum codex Helat. 37.
Evangeliorum fides 52.
Evangelium Ostromiri 11.
Evangelium Rhemense 11.
Evolutio dogmatum v. Dogmatum progressio
Exclusiva 245.
Exegetica 55, 154.
Exodus 9.
Ezechiel 11.

Festa 156.
Festa V. T. 10.
Festum Imm. Concept. 16, 17.
‚Filioque' insertum 153.
Florentina unio 57.
Francomurarii v. Latomi
Formationis (organismi) principium 163.
Fredericq 243.

Gal 4, 8. 9: 258.
Gen 10, 22: 9.
Georgius V. Mogila 272.
Glagolitica 25, 54.
Gnoseologia v. Noëtica
Gorskij A. 32.
Gregorius V. p. Cp. 45.
Gregorius Camblak 268.
Gregorius Illumin. 153.

Haereses 280.
Hagiographi 95.
Hagiographia 19; v. Menaea. Sancti.
Harnack 11, 60, 85, 87.
Hebr 6, 4 ss.: 73—5.
Hebr 10, 26: 75.
Hedvigis 97.
Hermas 115, 118.
Hexaëmeron 9.
Hierosolym. v. Ierosolym.
Hippolythus 220.
Historia bibl. 8, 9.
Historia eccles. 55.
Historia eccles. Alexandrinae 36.
Historia eccles. Antiochenae 36.
Histor. eccles. antiquae 30—32, 54. 55, 87, 114—15, 207—227, 255, 273.
Historia eccles. Armen. 153.
Hist. eccl. Bohem. 2—3, 83.
Historia eccl. Bulg. 19, 20, 120.
Hist. eccl. Croat. 21, 91.
Historia eccl. Graecae 33.
Hist. eccl. Grusiae 153, 255, 256.
Historia eccles. Ierosolymitanae 36.
Hist. eccl. Litthuan. 26, 94.
Historia eccl. Macedon. 20.
Hist. eccl. Moldav. et Valach, 265—272.
Hist. eccl. orthodoxae 256.
Historia eccl. Polon. 93, 94, 96, 249, 250.
Historia eccl. Rumen. 51.
Historia eccles. Russ. 38—9, 257.
Historia eccles. Ruthen. 57.
Hotowinski 97.
Homiletica 26, 56, 91, 195, historia 56.
Hominis origo 174.
Hominis natura 9.
Homo (anthropol.) 55.
Honorius 153, 280—1.
Homjakov A. 153.
Husitismus 242.
Hyssopus 10.

Iconoclastae 281.
Iconographia 27, 46, 54.
Ideae innatae 188—9.
Ideae rerum creatarum 163.
Idearum vis ad cognitionem 14, 16, 187.
Ieremias 9, 113.
Ierosolymitani patriarchae 111, 153.
Ierosolymitanum templum 246.
Ierosolymitanus patriarchatus 46.
Ierosolymorum historia 113.
Ierosolymorum topographia 113.
Iesuitae 110.
Iesuitae in Graecia 35.
Iesuitae in Russia 94, 115.
Iesus Sirach 113.
Ignatius patr. Cp. 153.
Ignorantia excusans 176.
Imago Dei 9.
Immortalitas 195.
Index libror. prohib. 92—3.
Indulgentiae 153, 309.
Infallibilitas papae 153
Infallibilitatis ecclesiae obiectum 236.
Infantium sors 153, 309.
Inferni ignis 308.
Inferni locus 308.
Innocentius metrop. 53.
Inquisitio 85—6, 89.
Inspiratio 7, 95, 254.
Introductio in N. T. 10—11.
Introductio in V. T. 6.
Ioannes Ap. 112.
Io 1, 9: 14.
Io 2, 4: 90.
Io 20, 21: 61—76.
1 Io 5, 16: 71.
2 Io 1, 1: 90
Ioannes Chrysost. 111, 119—120, 196—7, 201—2.
Ioannes IV. Ieiun. 111.
Ioannes Kronstadt. 79—80.
Iob 10.
Iosephus s. 13.
Isaias XL—LXVI. 52, 275.
Isidorus metrop. Moscov. 153—4.
Iudaei 56
Iudaismi historia 253.
Iudas Isc. 52, 272.
Ius eccl. orientalis 20, 53, 58, 261—4.
Ius internationale (de papatu) 40—1; 179—186.
Ius patronatus 96.
Iustificatio per fidem 274.
Iustorum sors post mortem 306—313.

Jadwiga v. Hedvigis.
Jahve 113.
Jansenismus 178.
Japonia orthodoxa 77, 254.
Japoniae religio 91.

Kant. 13, 265.
Kazaniensis academia ecclesiastica 251—2.
Kazaniensis imago Dp. 46.
Kazanienses scholae 54.
Kazanskij S. 273.
Kioviensis eparchia 257.

Kormčaja 264.
Kyriopascha 51.

Latomi 57.
Legendae pannonicae 76.
Leo Allatius v. Allatius.
Liberalis catholicismus 250—1.
Liberalismus 114.
Liberius 153.
Libertas voluntatis 259—260, 274.
Linguae vis v. Orat.
Liturgia 55 v. Breviarium, Sedes episc. Aspersio, Paschales process., Kyriopascha, Cereus.
Liturgia orientalis 155—6.
Liturgia orthod. explic. 257.
Liturgia reformanda 278.
Liturgia Rumenica 268.
Liturgia secreta 272.
Liturgia Slavica 16, 21, 28, 78, 244, 246—9, 249, 296—306.
Liturgia V. T. 155.
Liturgiae lingua 194.
Liturgiae orthodoxae praestantia 256.
Liturgiae unitas 94, 296—306.
Λόγος 14.
Loisy 7.
Lc 3, 23—38.
Lc 16, 23: 307.
Lc 17, 21: 158.
Lutherus 274.

Macarius Aegypt. 56.
Makarij ep. 54.
Makarij Gluharev 43.
Marcus Xylocar. 120.
Maria 49.
Maria sec. N. T. 12.
Maria corredemptrix 17.
Maria praefigurata 10.
Mariae imagines 46, 54.
Mariae immac. conceptio 12, 16, 17—18, 77, 154, 155, 193—4, 313.
Mariae mors 17, 77, 155.
Mariae sanctitatis causa 17.
Mariologia 17.
Matrimoniale ius 46, 245, 246, 278.
Matrimoniales leges 20.
Matrimonii minister 153.
Matrimonii solubil. 153, 237—8, 281—2.
Mt 1, 1—17: 47—49.
Mt 12, 31: 68, 70—1, 198, 203—5.
Mt 18, 15: 70.
Mt 27, 34: 90.
Matthaei evangelium 11, 49.
Matthaei evang. comm. 191.
Matthias Janow. 241.
Melchitae 57.
Menaea 54, 77, 257.
Metropolitae eccl. ant. 54.
Militaris cura animar. 246.
Miracula russica 46.
Missionarii de doctrinis bene meriti 179.
Mohylevienses archiepiscopi 26, 97.
Molocani 55.
Monachi Russ. 54.
Monasteria Litthuan. 94.
Monasteria orient. 56, 256, 257, 270.
Monasteria Serbica 152.
Monophysitismus 280.
Montenegrinus metrop. 153.
Moralis 4, 53, 81—3, 110, 246, 255; v. Bellum, Communic. in s. etc.
Morbi V. T. 10.
Morel G. 79.
Mors, status viae terminus 68—9, 159, 307.
Mosaica religio 252.
Moscovienses metropolitae 154.
Moscoviensis ecclesia 55.
Motus rerum (corp.) cessabit 308.
Moskoviensis patriarcha 49—50, 273.
Moyses 8.
Muhamedanismus 55, 251—3, 254.
Mulieris christianae caritas 193.
Mundi consummatio 308.
Mysteria Graec. 18
Mythologia Graeca 18.

Nationalismus v. Patriae amor
Neamtzu 270.
Nehemias 10.
Nepluev N. 97.
Nietzsche 254.
Nilus 5
Noëtica 14, 265.
Nominalismus 14—16, 94.
Nomocanon 264
Novatiani 205—7.

Obligationis principium 83.
Obstinatio damnator. 69, 309.
Oecumenicitas conciliorum 153, 234, 281.
Olomucensis episcopatus 245.
Ontologia 58—9.
Ontologicum argumentum 13.
Orationis origo 15.
Orationis vis 14.
Ordo 88.
Orientis latinisatio 233.

Paedagogica 105, 187, 260, 275.
Paganitatis origo 257—8.
Palaeoslavicae litterae 16, 54, 54, 76, 77, 195, 120—1, 246.
Palaestina 5.
Papae auctoritas internationalis 40—41; 179—186.
Paparum potestas unde orta 181.

Paradisi situs 41.
Paradisi status 42—3.
Parochiae 54.
Parochiae Bosniae 58.
Paschales processiones 50.
Paschalia 54.
Paschalis dies 138—152.
Pastoralis 174—6, 256, 273.
Patriae amor 44.
Patriarchae Bulgaror. 89.
Patriarchae Russor. 49.
Patriarchae Russorum 114.
Patriarchatus Romani origo 181.
Patriarchatus Russ. 253—4, 276.
Patrologia 98, 117, 123, 254.
Pauli epistolae 55.
Pauli evangelium 114.
Pauli fontes 257—9.
Pauliciani Bulg. 152.
Paulus 12.
Paulus ap. 54, 55, 115.
Pavlov A. 263—4.
Peccati definitio 62.
Peccati remissio 63.
Peccatum contra Spir. s. 68, 70—1, 198, 203—5.
Peccatum originale 17, 153, 154.
Peccatum veniale 63, 70, 71.
Pentateuchi critica 87.
Pentateuchus 9.
Pesa'h 10.
1 Pet 4, 6: 307.
Petrus episc. Romanus 180.
Petrus Mogil. 233, 268.
Pharao 9.
Pharisaei 256.
Philaretus metrop. Mosc. 114.
Philosophia 1. 56, 264.
Philosophiae hist. 273.
Philosophumenon auctor 220—1.
Photinus ep. 122.
Piaristae 242—3.
Platon metrop. 55.
Plato 14—16.
Poenitentia publica 211—3.
Poenitentiae sacram. 60—76; 110, 195—232.
Poenitentiae sacram. minister 208, 272.
Poenitentiales canones 19.
Poloniae apostoli 249, 250.
Polycarpus 118—9.
Positivismus 90.
Possibilitatis notio 174.
Praeiudicatae opiniones 40, 45, 275.
Pragensis archiepiscopatus 245.
Presbyteri 88.
Primatus Rom. pont. 3, 156.
Prophetiae 10. 52.
Propositionis definitio 14.
Prostitutio 175.
Protestantismi auctoritas 36.
Protestantismi origo 153.
Psalmi 9, 94, 194—5.
Ps. 21, 3—16: 195.
Psalm. comment. 193.
Pseudo-Isidorianae decretales 182.
Psychologia 94, 105—9; 187—191; 259 261, 264.
Psychologicorum phaenomenorum tripartitio 190.
Purgatorium 158—160, 309.

Qohelet 10.
Quartodecimani 138—152.

Realismus 94.
Receptio in eccl. 211—3.
Regnum coelorum 157—8.
Religio futura 55.
Religionis necessitas 175.
Religionis origo 91.
Renaudot 233.
Revelatio finita 234.
Revelationis criteria 234, 253.
Romani pontificis electio 245.
Rom 1, 19, 21: 258.
Rom 1, 24: 258.
Romanus pontifex v. Papa, Primatus.
Romil s. 19.
Russorum theologia 78.
Rutheni 191—2.

Saba (Sava) s. 194.
Sacramentorum causalitas 157.
Sadducaei 256.
Saecularizatio in Russ. 103—4.
Sancti Russorum 103, 257.
Sapientiae liber 257—8.
Sap. 2, 5—9: 258.
Sap. 13; 14: 258.
Satisfactio 158, 160, 231.
Schismatis causae 36, 40.
Schismatis historia 55, 120, 123.
Scholae Russiae 255, 256.
Scholastica 274.
Scriptiones ecclesiasticae 54.
Sedes episc. 52—3.
Seminaria reformanda 50.
Senaherib 9.
Sensatio 107.
Serbi in Bosna-Herc. 58.
Sergiev 79.
Sil'vestr metrop. 114.
Sirmiensis dioecesis 122.
Sociologia 24, 46, 84, 89.
Socrates (hist.) 31.
Solov'ev Vl. 97.
Soteriologia 45.
Sozomenus 31.
Spencer 1—2.

Status intermedius post mortem v. Animarum st.
Status viae 159, 307: v. Mors.
Stefansku 271.
Stephanus metrop. 114.
Strossmayer J. 21—4.
Subbotin N. 53.
Symbolum ant. 101.
„Synodus s." 103, 105, 273.
Synthetica a priori iudicia 13.
Syrku 80.
Syrorum litterae 55.
Šeol 307: v. Animarum st.

Talmud 154.
Teleologia 93.
Teleologicum argumentum 53.
Templorum structura 245.
Templum Hierosol. 13.
Tertullianus 214—5.
Testamentum D. N. I. Ch. 11.
Theodoretus 31.
Theologiae munus 275.
Theologica studia 90, 95.
Theophanes monach. 54, 56.
Theophanes Zatvornik 46.
1 Thess 4, 17; 307.
Thomas Aq. 195, 256.
Thomas de Štítné 4.
Tkalčić I. 80.
Tolerantia 53, 77, 277.
Tolstoj L. 46, 90 - 1.
Traditio 234.
Transformismus 96, 161—174.
Transscriptio litt. russ. 80.
Trinitas 47, 88, 116.
Trullanum concil. 281.

Unctio infirmorum 13, 156, 313—5.
Unio (ecclesiar.) 28, 91, 155, 233.
Unionis tentamina 35—6, 57, 93.
Universalia 14.

Veličkovskij 255.
Veterocathoci 45, 47, 50, 233.
Veteroritualistae 43, 46, 47, 53, 54, 55.
Vigilius 280.
Visio Dei, quando concedatur 310—313.
Vita aeterna 153, 310—3.
Vladimiriensis eccl. cathedr. 256.
Vladislavienses suffraganei 93.
Voroneziensis dioecesis 257.

Zosima metrop. 273.
Zwingli 274.



Z
7757
.S47
S47
1-2
IMS

Slavorum litterae theologicae :

PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5, CANADA

749